5.3.62.

SEX. AURELII

PROPERTII

PARS ALTERA;

ET IN EAM

JOANNIS PASSERATII Commentarii aliquantum contracti:
JANI BROUKHUSII Notæ ſelectæ: JO. ANTONII VULPII
Animadverſiones perpetuæ.

SEX. AURELII
PROPERTII
Liber Tertius.

Elegia Prima.

Callimachi manes & Coi sacra Philetæ,
In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.

Pri-

Argumentum Elegiæ I. Libri III.] Elegiaci carminis facultate nominis immortalitatem sperat se consecuturum. Vulp.

v. 1. Callimachi manes et Coi sacra Philetæ, In vestrum, quæso, me sinite ire nemus] Invocat Callimachum & Philetam, ut eorum bona cum venia fiat utriusque συμμύστης, eorumdem scilicet sacrorum particeps. *Manes Callimachi*, umbra sancta Callimachi, quia sanctitas diis Manibus tribuebatur. De Manibus aliàs dixi, & pluribus disserunt Martianus Capella & Lilius Gyraldus. De Callimacho & Phileta, quos Noster conjungere solet, vide adnotata ad Eleg. ult. lib. 2. v. 31. & sequ. Ovidius in Remed. Amor.

Callimachum fugito; non est inimicus amori.
Et cum Callimacho tu quoque, Coë, noces.

Papinius lib. 1. Silv. Carm. 2.

Hunc ipse choro plaudente Philetas,
Callimachusque senex, Umbrque Propertius antro,
Ambissent laudare diem.

De Callimacho autem solo Noster Eleg. 1. lib. 2. v. 40. Cyrenensis fuit; unde *Cyrenæas aquas* memorat Propertius Eleg. 6. lib. 4. Battum patrem habuit: propterea Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Battiades toto semper cantabitur orbe.
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

vide & Catullum Carm. ult. Floruit Ptolemæi Philadelphi temporibus, cujus in aulam receptus est. vide ejus Vitam ante Hymnos. Horatius Epist. 2. lib. 2. Propertium videtur Callimachum vocare per ludum & jocum:

Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis nisi Callimachus?

Sacra Philetæ. an Philetas ipse sacer & sanctus morte obita? Horatius Epist. 1. lib. 2.

Miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.

an sacra poetarum carmina, & artes ipsæ sacra Musarum? Virgilius 2. Georg.

Me vero primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant.

Ovidius lib. 2. Pontic. Epist. 10.

Sunt tamen inter se communia sacra poetis.

& lib. 4. Trist. Eleg. 10.

At mihi jam puero cælestia sacra placebant,
Inque suum furtim Musa trahebat opus.

Sacra Maronis memorat Martialis Epigr. 62. lib. 7. Josephus Scaliger in illud Ætnæ Corn. Severi:

Nosse fidem rebus, dubiasque exquirere causas
Sacra perurgentem,

τὰ ἄδυτα exponit. *In vestrum nemus*. an quia nemora & luci heroibus & vatibus sacri? Virgilius 6. Æneid.

Nulli certa domus: lucis habitamus opacis.

Noster Eleg. 13. lib. 2.

Jussit & Ascræum sic habitare nemus.

an quia, ut ait Horatius Epist. 2. lib. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem?

Festus in Litera: *Nemora silvæ amœnæ; cujus vocabuli auctor Homerus Iliad.* λ. *ἐν νέμεϊ σκιερῷ. sic lucum, qui campos & pascua habet, vocant διὰ τὸ νομὰς εἶναι ἐν αὐτῷ.* vide & Varronem 4. de L. L. *Quæso*, amabo. nam *quæso* modo rogantis, modo objurgantis, inquit Donatus. Festus: *Quæso*,

rogo.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.

Di-

roge. Item *Quæsere*, pro, quærere. sic *quærere*, pro, orare, ut petere deos. *Me finite*. per vos & bona cum vestra venia liceat. Aliter 12. Æneid. præcise: *Me finite, atque auferte metus*. PASS. Videndus Hermesianactis insignis locus apud Athenæum lib. 13. *In vestrum nemus*. Luci & nemora addebantur virorum clarorum sepulcris, & sacra, & sacerdotes. quæ singula hic habemus. Virgilino lib. 5. Æn. v. 760.

--- Tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchisæo.

inibi Servium vide. in iis nemoribus ipsi Manes habitare credebantur. ----- mos antiquissimus, qui etiam hodie viget apud populos Orientis. BROUKH. *Sacra* hic videntur esse ipsi dii Manes. Ovidius lib. 10. Metam. v. 696. *Sacra vetorseruut oculos*. & lib. 6. Fast. v. 449. de Metello Pontifice:

Haurit aquas; tollensque manus: Ignoscite, dixit,
Sacra: vir intrabo non adeunda viro.

ubi Sacra sunt Romani Penates, & præcipue Vesta. Vide tamen Casauboni Comment. ad Prol. Persii; & Dacerii ad Horatium Ode 18. lib. 1. *In v. q. m. finite ire nemus*. Plautus Casina 3, 2, 41. *Ubi illum saltum video obseptum, rogo ut altero sinas ire*. VULP.

v. 3. PAIMUS EGO INGAEOTOR PUAO DE FONTE SACEROOS ITALA PER GRAJOS OAGIA FEAAE CHOAOS] Eam sibi poetæ sumunt superbiam quæsitam meritis. vide Lucretium initio lib. 4. Virgilium 3. Georg. Horatium Ode ult. lib. 3. Idem Epist. 19. lib. 1. *Parios ego primus iambos Ostendi Latio*. Se igitur principem Romanorum Elegos merito gloriatur Noster scripsisse ad Græcorum consuetudinem. *Ingredior*, incipio. M. Tullius initio Topic. *Majores nos res scribere ingressos*. Virgilius 2. Georg.

Tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes.

& 4. Georg.

Unde nova ingressus hominum experientia cepit.

ubi Servius, *ingressus*, *exordia*. *Puro de fonte*. alludit ad haustum facultatis poeticæ, de quo dicetur ad 6. vers. hujus Elegiæ. vel, quod magis placet, ad ritum sacrorum, quæ illotis manibus tractanda non erant. Tibullus Eleg. 1. lib. 2. *Manibus puris sumite fontis aquam*. Ennius Cresphonte apud Nonium in *Nitidant*. *Eunt ad fontem, nitidant corpore*. Attius Thebaide: *Quum de Dircæo fonte adveniuns mundula, nitidantur vulgo*. *Purus fons* Horatio & Lucretio *integer* [unde nemo adhuc bibit.] vide Ovidium in fabula Narcissi, ubi purum & integrum fontem describit. An *purus fons*, qui purgat? ut Tibullus Eleg. 9. lib. 1. *puras fluminis vias* vocat. vide Varronis verba apud Servium in illud 4. Æn. *fulsere ignes*. *Sacerdos*. antistes Musarum; vates. ut apud Horatium Ode 1. lib. 3. *Musarum sacerdos*. Ita loquitur & Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 7. & lib. 3. Trist. Eleg. 2. Ennius apud Nonium in *Cluet*; *Musarum Pompilius clueo*. id est, religiosissimus sacerdos, ut Numa. Theocritus Idyll. 16. Μωσάων δὲ μάλιστα τίειν ἱερὸς ὑποφήτας. Sic Ulpianus L. 1. de Justitia & Jure: *Jus est ars boni & æqui, cujus merito quis nos sacerdotes appellet*. Sacerdotes a sacris dicti, ait Varro 4. de L. L. Perperam Isidorus lib. 7. *Sacerdos ex Græco & Latino, quasi sacrum dans*. etenim, si vox hybrida, potius a sacris & verbo ἔρδειν, quod est facere, sacrificare. *Ferre orgia Itala*, ἀλληγορικῶς, pro, Musas Ausonias, Latinosque Elegos. ut Horatius Ode ult. lib. 3. *Princeps Æolium carmen ad Italos Deduxisse modos*. An est hypallage, pro, Graja orgia per Italos choros; ut Virgilius 2. Georg.

Ascræumque cano Romana per oppida carmen?

At vult sua carmina recipi, nempe orgia Itala, inter Callimachi & Philetæ libros, quos vocat choros Grajos. *Ferre orgia*, ut Virgilius 6. Æneid. *Sacra ferens*. Horatius pariter Sat. 3. lib. 1. *Velut qui Junonis sacra ferret*. ductum a pompa & ferculis sacrorum, in quibus erant virgines canephoriæ, & cistophori; de quibus Cicero 6. in Verrem, & Appulejus lib. 11. A. A. Varro 4. de L. L. *Via-sacra, qua sacra quotmensibus feruntur in arcem*. *Orgia*, inquit Charisius lib. 1. Διονύσου μυστήρια. Strabo lib.

Dicite quo pariter carmen tenuaſtis in antro,
Quove pede ingreſſi, quamve bibiſtis aquam.

Ali

lib. 10. ſcribit, Omne genus ceremoniarum, quæ orgia vocant, & ſacrorum myſteria, & choreas, Libero patri, & Hecatæ, & Apollini, & Muſis tribui. Servius in 4. Æneid. *Orgia, omnia ſacra apud Græcos, ut apud Latinos ceremonia: ſed abuſive pro ſacris Liberi, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id eſt, a furore: vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, a montibus* (ubi celebrari ſolita.) Idem in 6. Æneid. *Orpheus primus Orgia inſtituit*. Idem ibidem: *Orgia proprie Liberi, abuſive omnium deorum ſacra*. ubi ſecum pugnat. *Orgia* vocat Noſter ſacra Muſarum, quia & poetæ ſacri Baccho. Sic Statius 5. Silv. epicedio in filium:

-- Quæ veſtra, ſorores,
Orgia, Pieriæ? quas inceſtavimus aras?

De Orgiis plura adnotavi ad Ariadnam Catulli. & *Veneris Orgia* dici noto ad Elegiam 10. infra v. antepænult. *Per Grajos choros*, per Grajorum poetarum cœtus choreas ducentium. ſic *chorus vatum*, & *chorus ſcriptorum* Horatio. De choro & choreis Muſarum diximus ad Eleg. 10. lib. 2. v. 1. & Strabo multa lib. 10. vide & adnotata ad Eleg. 30. lib. 2. v. 34. & 37. Choros autem conjungit cum orgiis, ut Virgilius 6. Æneid.

Illa chorum ſimulans evantes orgia circum
Ducebat Phrygias.

noto ad Eleg. 3. lib. 2. v. 18. PASS. *Primus ego*. Decora jactantia in bonis poetis. v. Columna ad Ennium p. 10. b. BROUKH. Huc pertinent verba Semi Delii lib. de Pæanibus apud Athenæum lib. 14. Σοὶ Βάκχε τάδε Μοῦσαν ἀγλαΐζομεν Ἁπλοῦν ῥυθμὸν χέοντες αἰόλῳ μέλει· Καὶ μὰν ἀπαρθένευτον. οὔτι ταῖς πάρος Κεχρήμεθα νῦν ᾠδαῖσιν, ἀλλ' ἀκήρατον Κατάρχομεν τὸν ὕμνον. *Hac te ſplendida Muſa nos, Bacche, honoramus e Simplices numeros varia fundentes carmine, Intactos ſane aliis. non enim prius uſurpatis Cantibus utimur; ſed illibatum Ordimur hymnum*. hi autem verſus dicebantur quum φαλλοφόροι in ſcenam primum veniſſent. *Ingredior*. Virgilius pariter 1. Georg. v. 41. ad Auguſtum:

Ignaroſque viæ mecum miſeratus agreſtes
Ingredere, & votis jam nunc aſſueſce vocari.

Pura de fonte. reliquis intacto. Atqui falſum eſſe Propertium diximus in Prolegomenis; quæ vide, ſi lubet. *Purus*, & *integer* affinia ſunt vocabula. Horatius Ode 22. lib. 1. *Integer vitæ, ſceleriſque purus*. *Sacerdos*. poetæ dicebantur etiam *æditui*; quaſi templorum & ſacrorum cuſtodes. Horatius Epiſt. 1. lib. 2.

Sed tamen eſt operæ pretium cognoſcere, quales
Æditues habeat belli ſpectata domique
Virtus. VULP.

v. 5. DICITE QUO PARITER CARMEN TENUASTIS IN ANTRO] Ut nemora, ſic & antra Nymphis, Muſiſque dicata; & antris poetæ paſtoreſque cantaturi ſuccedunt, ut amantes luſuri. Juvenalis Sat. 7.

Neque enim cantare ſub antro
Pierio, thyrſumque poteſt contingere ſana
Paupertas.

Horatius Ode 1. lib. 2. & Ode 4. lib. 3. *Pierio antro*. Noſter Eleg. 3. infra:

Sic ait (Phœbus) *auratâ nixus ad antra lyrâ.*

Antrum Corycium ſignificari putat Beroaldus; Strabo enim lib. 9. in Parnaſſo antra multa eſſe ait, quorum celeberrimum Corycium, Nymphis dicatum. Idem lib. 10. tradit, antrum Libethrum in Helicone Nymphis Libethridibus ſacrum. *Pariter*, & una ſimul, & æqualiter. ut Eleg. 26. lib. 2.

Certa iiſdem nudi pariter jactabimur oris.

Carmen tenuaſtis, limaſtis, tenue effeciſtis. vide adnotata ad illud Eleg. 16. lib. 1. v. 41. *deduxi carmina*. Horatius Ode 3. lib. 3. aliter dixit: *Magna modis tenuare parvis*. quod alibi: *Culpa deterere ingeni*. unde *attenuatum genus dicendi*, & *attenuate dicere*. Cicero in Bruto, & in Oratore. P. τὸ *tenuaſtis* primus ex ſuis libris feliciter emendavit Beroaldus: nam in aliis membranis fere eſt *tenuiſtis*. ---- Ita Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 1.

Quum bene ſurrexit verſu nova pagina primo,
Attenuat nervos protinus ille meos.

Papinius L. 4. Silv. 7. *Fortis heroos Erato labores Differ e atque ingens opus in minores Contrahe gyros. Maximo carmen tenuare tentes.* ---- Proprie uſus eſt Lactantius de Mortib. Perſecut. C. 33. ubi Galerii horribilis de vita exitus: *Albeſcit ipſe, atque*

ab-

Ah valeat Phœbum quicumque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus eat.
Quo me Fama levat terra sublimis, & a me
Nata coronatis Musa triumphat equis,

Et

absumtis viribus tenuatue. sed nihil est mutandum, quum & ante Beroaldum *tenuastie* scriptum fuerit. ecce Volsci verba, isto prioris: TENUASTIS. *tenui dicendi stylo perfecistis. est elegia in extenuata dicendi charactere*. BROUKH.

v. 6. QUOVE PEDE INGRESSI, QUAMVE BIBISTIS AQUAM] Bono, an malo; dextro & secundo, an lævo & inauspicato pede nemus ingressi, vel antrum. Appulejus lib. 6. A. A. *Et pessima pede domum nostram accessit*. Contra Euripides Medea: ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδί. *Quamve aquam bibistis*. quo ex fonte haustâ aquâ poetæ facti. ut Lucretius lib. 4. *Juvat intégras accedere fontes Atque haurire*. & Noster Eleg. prox. seq. versu ult.

--- *Lymphisque a fonte petitis*
Ora Philetea nostra rigavit aquâ.

Persius in Prologo: *Nec fonte labra prolui Caballino*. Statius in Silvis:

Et de Pieriis vocalem fontibus undam. PASS.

Quove pede ingressi. referebat enim quem pedem cui præponerent; dextrum an sinistrum. Virgilius L. 8. Æneid.

Salve, vera Jovis proles, decus addite divis:
Et nos & tua dexter adi pede sacra secunda.

Idem L. 10. *Phrygibusque adsis pede, diva, secunda*. Juvenalis Sat. 10.

Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?

Appulejus L. 1. Metam. *Sed, ut fieri adsolet, sinistro pede profectum me spes compendii frustrata est*. ubi vide quæ Beroaldus notavit: & quæ Barthius ad Papin. L. 3. Theb. v. 261. Sannazarius:

Nam bene Thespiacas (Livor licet audiat) undas
Novimus, & dextro pressimus antra pede.

Insignis locus est Nasonis Epist. Cydipp. v. 69. 70. BROUKH.

v. 7. AH VALEAT PHŒBUM QUICUMQUE MORATUR IN ARMIS] τὸ *Ah* imprecantis. sic Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

O valeant fruges, ne sint modo rure puellæ.

Valeat autem, per ἀντίφρασιν & contemtum, ut adnotatum ad Eleg. 13. lib. 2. *Populi confusa valete Fabula*. *Moratur Phœbum in armis*. detinet, & quasi alio properantem consistere jubet in bellis canendis. Noster Eleg. 5. lib. 4. *Te, qui ad vadimonia curris, Non moror*. Sic Virgilius 2. Georg.

-- *Non hic te carmine ficto,*
Atque per ambages, & longa exorsa tenebo.

An, quicumque Phœbo molestus est? nam qui moram objiciunt, molesti. sæpenumero Plautus. Aliquando morantur nos quæ placent: contra, *Nihil moror*, pro, non curo. An igitur, quicumque Phœbum armatum curat? PASS.

v. 8. EXACTUS TENUI PUMICE VERSUS EAT] Exacte factus, & expolitus accurate, ἐξειργασμένος. Eleg. 9. infra:

Exactis Calamis se mihi jactat equis.

Ductum ab iis qui locant opera, & exigunt a redemtoribus ad unguem. Horatius Epodo 14. *elaboratum pedem* vocat. *Pumice tenui*, hoc est tenui gracilique stylo. transtulit ad versus quod est librorum, qui pumice poliuntur. vide Catullum Carm. 1. & Ovidium lib. 1. Trist. Eleg. 1. Plinium item lib. 36. H. N. de pumicis usu in lævigandis corporibus, & poliendis libris. Summa est ejus ariditas; unde proverbium Plauto: *Pumex non æque aridus, atque hic est senex*. Item: *Aquam e pumice postulas, qui ipsus sitiat*. *Spongiam* vocat Vitruvius, *lapidem bibulum* Virgilius 2. Georg. ἀλκυόνιον Theophrastus. dicitur & κισσηρὶς, quod velut a vermiculis, qui κὶς dicuntur, sit exesus. Galli *pierre ponce*. *Eat versus*, fluat, fundatur. Ausonius:

Quos pedibus gradiuntur aper, & versus Homeri. PASS.

Exactus t. p. versus eat. Ovid. 1. Metam. v. 404.

Non manifesta videri
Forma potest hominis; sed, uti de marmore cœpta,
Non exacta satis, rudibusque simillima signis.

Versus eat. Sic Horatius Sat. 10. lib. 1. v. 56.

Quid vetat & nosmet Lucilli scripta legentes
Quærere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos, & euntes
Mollius? VULP.

v. 9. QUO ME FAMA LEVAT TERRA SUBLIMIS,

Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.

Mul-

MIS, ET A ME NATA CORONATIS MUSA TRIUMPHAT EQUIS] *Levat*, humo attollit. Sic Virgilius 3. Georg.

Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

Levare, tollere. Ovidius 4. Fast.

Seque levat saxo, subsequiturque senem.

Horatius Ode 2. lib. 4. de Pindaro: *Multa Dircæum levat aura cycnum, Tendit, Antoni, quoties in altos Nubium tractus. Fama sublimis*, quia, ut ait Virgilius 4. Æneid.

Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

vel *sublimis*, pro sublimem; ut Eleg. 9. lib. 2. v. 7. Sic se *non humilem poetam* dixit Eleg. 7. lib. 1. *Musa a me nata*. carmen sive ἐλέγημα, cujus sum auctor, & veluti parens. *a me nata*, pro, ex me. Cicero 3. de Legibus: *Natum a te idipsum ut illi cuperent*. Et post reditum ad Quirites: *A vobis natus consularis*. Sed vet. lib. *A me nota*, quæ per me innotuit, & nobilitata est. *Triumphat*. per ora populi vehitur triumphantis more, est in magna gloria. Terentius Eun. *id verò seriò triumphat*. & Heaut. *Triumpho, si licet latère, tecto abscedere*. *Coronatis equis*, quod equi triumphantium ornarentur coronis. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Vinclaque captivâ reges cervice ferentes
Ante coronatos ire videbit equos.

& alibi non semel. Plutarchus ἐν ῥωμαϊκοῖς Quæst. 48. quærit, cur Consualibus coronati equi & asini. At apud Statium 3. Silv. in Hercule Surrentino:

Ipsa coronat
Emeritos Diana canes, & spicula tergit.

P. *A me nata Musa*. Sic Cæsar Bel. Gall. L. 7. C. 43. *Profectio nata a timore defectionis*. & Cicero, Orat. pro Plancio C. 27. *Ego hoc a me ortus, & per me nixus adscendi*. BROUKH. *Me fama levat terrâ sublimis*. Non aliter Valerius Flaccus lib. 1. Argon. v. 10.

Eripe me populis, & habenti nubila terra,
Sancte pater.

VULP.

v. 11. ET MECUM IN CURRU PARVI VECTANTUR AMORES] In eodem curru erat cum triumphante etiam servus publicus. Juvenalis Sat. 10.

--- Et, sibi consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.

Et apud Suetonium in Tiberio cap. 2. *Vestalis in curru fratris triumphantis effecit, ne a tribuno plebis detraheretur*. *Mecum vectantur*; quia in me suas pennas perdiderunt; Eleg. 12. lib. 2. vectari autem, deliciarum & voluptatis; quum vehi sit etiam doloris. Eleg. 3. infra:

Contentus niveis semper vectabere cycnis.

Parvi Amores, ἐρωτίδια. vide adnotata ad Eleg. 29. lib. 2. v. 3. PASS. Pueri, seu liberi prætextati in curru triumphantium vectari solebant: nonnumquam tamen in equis sedebant. VULP.

v. 12. SCRIPTORUMQUE MEAS TURBA SECUTA ROTAS] An *turba* poetarum? ut Elegia 1. lib. 4.

Scribat & exemplo cetera turba tuo.

Sic Beroaldus. An multitudo carminum, ut Eleg. 13. lib. 2. *Pompa tres libelli?* illud verius. sic *Turba puellarum* Eleg. sequenti. *Secuta rotas*. id est, currum. sic infra hac Elegia: *Ter maculasse rotas*. Sequebantur autem currum triumphantis milites laureati cum carminibus jocularibus. Tibullus Eleg. 5. lib. 2. Ovidius quoque lib. 1. Amor. Eleg. 2. ubi triumphum Cupidinis describit:

Blanditiæ comites tibi erunt, terrorque furorque
Assidue partes turba secuta tuas.

Ita Eleg. 9. infra:

Persequar & currus utroque ab litore ovantes.

PASS.

v. 13. QUID FRUSTRA MISSIS IN ME CERTATIS HABENIS?] Quid adversum me contenditis? Apostrophe ad æmulos, præsertim heroicos, poetas; ut Ponticum & Gallum, de quibus lib. 1. Est autem allegoria ducta a curuli certamine. *Missis habenis*, immissis & laxis loris, quod fit in contentione aurigarum & agitatorum. Eleg. 9. infra:

Dexteraque immissis da mihi signa rotis.

μι-

Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.

Mol-

μετωπορεκῶς Virgilius a. Æneid. *Furit immissis Vulcanus habenis*. qui 6. Æneid. transtulit etiam ad naves & vela :

Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas.

Contra Ovidius in Remed. Amor.

Attrahe lora

Fortius, & gyro curre, poeta, tuo. PASS. Auratus malebat *immisse*. sed nihil mutandum. *mittere* enim valet idem quod *immittere*. Horatius L. 4. Od. 14. *Impiger hostium Vexare turmas, & frementem Mittere equum medios per ignes*. BROUKH. Metaphoram ducit ab equis, quos ad cursum impellimus effusis in cervice habenis. Hinc *equi admissi*, incitati. Ovidius Epist. Penelopes :

Hic lacer admissos terruit Hector equos. V.

v. 14. NON DATUR AD MUSAS CURRERE LATA VIA] Angusta via est, quæ conceditur ad Musas tendentibus. Alludit ad viam arduam virtutis, & litteram Pythagoræ, ut Eleg. 11. lib. 4.

Magnum iter ascendo: sed dat mihi gloria vires.

Petronius in Satyr. *Ceteri aut non viderunt viam, qua itur ad carmen, aut visam timuerunt calcare*. An significat, se angustias illas occupasse, ideoque æmulos frustra contendere, ut sibi palmam præripiant? [Hæc verissima explicatio.] *Via currere*, pro, via currendi; ut *Labor parare* Eleg. 1, lib. 1. PASS. Aurigæ qui victoriæ studebant, currum interius, & metæ propius flectebant, ita tamen ut metam evitarent, neque in eam impingerent. quod si fecissent, curru excutiebantur, & currum ipsum frangebant. De hac agitatorum sollertia Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Me miserum! metam spatioso circuit orbe.
Quid facio? admota proximus axe subit. V.

v. 15. MULTI, ROMA, TUAS LAUDES ANNALIBUS ADDENT] Apostrophe ad urbem Romam, ut sæpe aliàs. ut Eleg. 22. infra v. 20. & Eleg. 1. lib. 4. item Eleg. 4. lib. 4. *Multi*, Epici nempe poetæ, in quibus eo tempore Virgilius & Varius. *Addent laudes tuas annalibus*: augebunt annales laudibus novis, quia quotidie geris aliquid laude dignum. An *laudes*, virtutes? Cicero, Virgilius. *Addent*, dictum ut ab Horatio Ode 19. lib. 1. *Additum stellis honorem*. & a Virgilio Æneid. 8. *Decus addite divis*. *Annalibus*. Isidorus in fine lib. 1. Etym. *Annales, res singulorum annorum* (litteris mandatæ) : *Historia, multorum annorum vel temporum*. *Et Annales, eorum annorum quos non vidimus : Historia, eorum etiam quos vidimus*. A. Gellius lib. 5. cap. 18. ex Sempronio Asellione docet, Annales esse historias : historias non continuo annales : & illos speciem esse, has genus. Vide Ciceronem 2. de Orat. & 1. de Legib. Annales scripserunt Ennius, Fabius Pictor, Piso, Livius, Volusius apud Catullum, Attius apud Nonium. Cornelius Tacitus & Annales & Historias. PASS.

v. 16. QUI FINEM IMPERII BACTRA FUTURA CANENT] τὸ *canent*, ambigue. & scribent, & vaticinabuntur, Bactra terminum fore imperii Romani. Plinius lib. 6. H. N. cap. 15. ait, alio nomine Bactra vocari Zariaspa. item Strabo lib. 11. qui tradit, inde dici Bactrianam regionem. Q. Curtius lib. 7. situm ejus urbis describit, cui nomen, ut regioni, Bactrus amnis dederit. Scythiæ oppidum fuit, & regio ultra Assyriam. Noster Eleg. 11. infra, de Semiramide :

Jussit & imperio surgere Bactra caput.

Horatius Ode 29. lib. 3. *Quid Seres, & regnata Cyro Bactra parent*. Virgilius 8. Æn. *Ultima secum Bactra vehit*. PASS. Groninganus, *canunt*. *Bactra* autem ponit pro ultimo rerum naturæ termino, ultra quem non est progredi, neque aliter sensisse Virgilius credi potest L. 8. Æn. *Ultima secum Bactra vehit*. non ignoro, Servium aliter exponere : sed nullis se finibus continebat Romana ambitio. Hinc Jupiter L. 1. Æn.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono :
Imperium sine fine dedi.

& ab eadem mente Horatius Od. 15. L. 4. de Augusto. quem vide. BROUKH.

v. 17. SED QUOD PACE LEGAS, OPUS

HOC

Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ:
Non faciet capiti dura corona meo.

At

HOC DE MONTE SORORUM DETULIT INTACTA PAGINA NOSTRA VIA] Lucretius huic loco lucem adfert lib. 1.

Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

& Virgilius 2. Georg.

Aonio rediens deducam vertice Musas.

Pace, pro, in pace, sive tempore pacis. nam *Pacis Amor deus est;* Eleg. 5. infra. Sic Tibullus Eleg. ult. lib. 1. *Pace bidens, vomerque vigent.* *Opus*, carmen. Ovidius de Æneide, 3. A. A.

Quo nullum Latio clarius exstat opus.

De monte Sororum. ex Helicone Musis sacro. *Sorores*, pro Musis, ut Eleg. 30. lib. 2.

Illic aspicies scopulis hærere Sorores.

Si *fonte* legis, significabitur Hippocrene. *Pagina nostra*, nos ipsi scriptores & poetæ. ut Eleg. ult. lib. 2.

Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi.

& Eleg. ult. infra:

Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.

Intactâ viâ, nullius ante tritâ solo. Ipse Eleg. 3. infra:

Qua nova muscoso semita facta solo.

Virgilius pariter lib. 3. Georg.

Sed me Parnassi deserta per avia dulcis
Raptat amor: juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli divertitur orbita clivo. P.

v. 19. MOLLIA, PEGASIDES, VESTRO DATE SERTA POETÆ] Festus: *Pegasides* Musæ dictæ a fonte quem Pegasus equus alatus ictu ungulæ dicitur aperuisse; ob quam caussam & Græcè appellatæ sunt Hippocrenæ. Ovidius in Epist. Sapphûs:

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.

De Pegaso dictum ad Eleg. 30. lib. 2. Sed *Pegasis* etiam vocatur Oenone, πηγῆς, id est fontis, filia. Ovidius Epist. 5.

Pegasis Oenone, Phrygiis celeberrima silvis.

Date; quia, ut ait Eleg. 3. infra:

Exercent (Musæ) *teneras in sua dona manus.*

Item:

Hæc hederas legit in thyrsos, hæc carmina nervis
Aptat, & illa manu texit utraque rosam.

id est *mollia serta*, sive blanda, tenera. blandos enim flores Virgilius vocat. Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

Et capite & collo mollia serta gerat.

Serta, hic pro hederacea corona, & pro floribus. Eleg. 1. lib. 4.

Ennius hirsutâ cingat sua dicta coronâ:
Mi folia ex hederâ porrige, Bacche, tuâ.

Sic Horatius Ode 26. lib. 1. *O quæ fontibus integris Gaudes, apricos necte flores, Necte meo Lamiæ coronam.* *Vestro poetæ;* quem ipsæ poetam fecistis. Virgilius Ecl. 9. *Et me fecere poetam Pierides.* Idem Ecl. 10.

Hæc sat erit, Musæ, vestrum cecinisse poetam. PASS.

M. Pegasides vestra d. s. p. hunc eumdem verborum ordinem habet Groninganus: reliqui, *date vestro serta poetæ*, numero minus suavi, & magis laxo. BROUKH.

v. 20. NON FACIET CAPITI DURA CORONA MEO] Non satisfaciet, placebit, conveniet. Quintilianus lib. 2. I. O. cap. 13. *Mire hoc ad palliatum circulum facit.* Seneca de Tranquill. cap. 4. *Quorumdam contumacia non facit ad aulam.* Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2. de equo:

Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.

& lib. 1. Trist. Eleg. 9.

Non facit ad nostras hostia major opes.

Cicero lib. 2. de Orat. *Africano sibi coronam ad caput accommodanti, quum sæpius rumperetur; Noli, inquit, mirari, si non convenit. caput enim magnum est.* ubi *Non convenit capiti*, ut hic, *Non faciet capiti.* *Dura corona*, an e foliis asperioribus, ut myrti & lauri? nam Eleg. 1. lib. 4. mavult ex hedera. an duro labore parta? ut Elegia 10. lib. 4.

Non juvat e facili lecta corona jugo.

an querna corona, dura, bello parta, civibus servatis? an ut per *mollia serta*, mollem versum significat, sic per *duram coronam*, durum versum bellis canendis; ut durus Mars? Eleg. 1. lib. 2.

Nec mea conveniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen avos.

& Eleg. ult. ejusd. libri: *Dure poeta.* PASS. *Non faciet c. d. c. m.* non apta erit. Ovidius Epist. Phyllidis v. 39.

Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela.

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
 Poſt obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia poſt obitum fingit majora vetuſtas;
 Majus ab exſequiis nomen in ora venit:

Nam

vide ad eum locum Nic. Heinſium. Tibullus pariter Eleg. 6. lib. 2.

Et mihi ſunt vires, & mihi facta tuba eſt.
VULP.

v. 21. AT MIHI QUOD VIVO DETRAXERIT INVIDA TURBA, POST OBITUM DUPLICI FŒNORE REDDET HONOS] Salluſtius de Rep. ordinanda, prope finem: *Vivos interdum fortuna, ſæpe invidia fatigat: ubi anima natura ceſſit, demtis obtrectatoribus ipſa ſe virtus magis magiſque extollit.* Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honor.

Recte igitur Cicero lib. 1. ad Q. Fratrem Epiſt. 1. *Non eſt tibi his ſolis utendum exiſtimationibus ac judiciis, qui nunc ſunt hominum, ſed eorum etiam qui futuri ſunt, quamquam illorum erit verius judicium, obtrectatione & malevolentia liberatum.* Et Quintilianus lib. 3. cap. 1. *Ad poſteros virtus durabit, non perveniet invidia.* Eſt autem antitheſis *vivo, poſt obitum: detraxerit, reddet: invida turba, honos.* Illud Ovidii ſimile lib. 4. Triſt. Eleg. ult.

Tu mihi, (Muſa) quod rarum eſt, vivo ſublime dediſti
Nomen, ab exſequiis quod dare fama ſolet.
Nec, qui detrectat præſentia, livor iniquo
Ullum de noſtris dente momordit opus.

Invida turba. ſic *malignum vulgus* Horatio Ode 16. lib. 2. M. Cicero: *Hoc vitium (invidiæ) maxime commune & pervagatum.* Q. Cicero de Petit. Conſul. *Multi in populo invidi;* quia μικρόψυχοι ejuſmodi homines; Ariſtoteles in Rhetoricis. *Duplici fœnore: altero tanto,* inquit Plautus. de fœnore adnotatum ad Eleg. 7. lib. 1. PASS. *Detraxerit.* ſolus ſecundus e meis codicibus, *detraxerat.* nam rarus lector amat ſua tempora, ut dixit Martialis. ſed potior videtur recepta lectio. BROUKH. Locus etiam Ciceronis Epiſt. 5. lib. 1. ad famil. vulgatam lectionem confirmare poteſt. *Si quid*, ait, *ex iis rebus quas tibi fortuna largita eſt, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id majori illis fraudi, quam tibi futurum.* In eamdem ſententiam Quintilianus Dialogo de Oratoribus cap. 23. *Etiam ſi noſtra judicia malignitas & invidia tardaverit, verum de nobis dicturi ſunt poſteri noſtri.* VULP.

v. 23. OMNIA POST OBITUM FINGIT MAJORA VETUSTAS] Illud T. Livii celebre 1. Hiſt. *Datur hæc venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis primordia urbium auguſtiora faciat. Fingit majora. augificat,* diceret Ennius: ut apud Nonium in *Augificare: Quid ſeditio? tabeſne? an numeros augificat ſuos? Vetuſtas,* vetus ætas tam ſuperiorum temporum, quam inferiorum. Ideo *vetuſtas* hic, quæ mox dicitur *poſteritas.* PASS. Derivatum videri poſſit a Philemone Comico, qui apud Stobæum de Rer. Naturæ tit. 11.

Ὦ Πάμφιλ', ὁ χρόνος ὐ μόνον τὰ σώματα
Αὔξει βαδίζων, ἀλλὰ ϰ τὰ πράγματα.

O Pamphile, tempus non tantum corpora auget procedens, ſed etiam res. Omnino legendum Epigr. 10. lib. 5. Martialis. VULP.

v. 24. MAJUS AB EXSEQUIIS NOMEN IN ORA VENIT] Sic Ovidius lib. 4. Triſt. Elegia ult.

Nomen ab exſequiis quod dare fama ſolet.

Majus nomen. major fama & nominis celebritas. ut dictum ad Eleg. 4. lib. 1. *Ab exſequiis;* ſupra, *Poſt obitum:* infra, *Poſt cineres. Exſequiæ,* ut *funus,* pro, morte. id quod ſequitur, pro eo quod præcedit. Nonius: *Exſequiantur, ab exſequiis convivantur & epulantur.* Varro Bimarco: *Ipſum propter vix decem liberti atrati exſequiantur.* Supplevi, *decem,* quia *x,* omiſſum a librario. *In ora venit.* ſermone hominum celebrari incipit. vide adnotata ad Eleg. 1. lib. 2. v. 2. PASS. *Majus ab e. nomen in ora venit.* Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 16.

Famaque poſt cineres major venit. VULP.

v. 25.

Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fluminaque Hæmonio cominus isse viro?
Idæum Simoënta Jovis cunabula parvi?
Hectora ter campos, ter maculasse rotas?

Dei-

v. 25. NAM QUIS EQUO PULSAS ABIEGNO NOSCERET ARCES?] Id est, Pergama, conversione significationis. Noster infra:

Nec referam Sceas & Pergama Apollinis arces.

Quisnam, inquit, sciret Pergama? ut sit ἀντιστροφή, de qua dictum ad Eleg. 14. lib. 1. v. 15. *Nosceret*, ut Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 3.

Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?

Pulsas, λιτότης, pro pulsatas; ut *jactum*, pro jactatum. Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 7.

Non ita diis visum est, qui me terraque marique
Jactum, Sarmaticis exposuere locis.

Sic Seneca Troade: *Bis pulsari Dardana Graja Mœnia ferro.* Horatius eodem sensu *turres quatere* dixit. *Abiegno equo*, quia, ut Virgilius 2. Æneid. ex Pisandro, equum ædificantes Græci, secta intexuerunt abiete costas. *Duratens* ille *equus* dicitur Lucretio, *ligneus* Plauto, & Eleg. 9. infra. *Abiegnus*, pro ligneo; unde *abietaria negotia* Festo, *quam materiam dicimus*, ab abietibus (id est lignis) coëmendis. Alii legunt: *Abietaria negotiatio, quam materiationem dicimus.* Significat autem poeta, illum equum machinam muralem fuisse mœnibus subruendis; ut Plinius lib. 2. H. N. cap. 56. *Equum in muralibus machinis, qui nunc aries dicitur, Epeus ad Trojam reperit.* unde & Virgilius 2. Æneid. v. 46.

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos venturaque desuper urbi.

Rursus autem v. 237. *Scandit fatalis machina muros.* Plutarchus in Sertorio, ter captam equorum opera urbem Trojam, scribit; semel, ob negatos equos Herculi a Laomedonte promissos: iterum, ab equo ligneo: postremo, a Charidemo, quod quum equus in porta cecidisset, claudi ea non potuerit. Quamobrem Theocritus in Βωμίσκῳ vocat Trojam τρίπορθον. PASS. *Equo pulsas abiegno arces.* Q. Ælius Tubero lib. 1. Hist. apud Servium in 2. Æneid. v. 15. *Equus Trojanus machinamentum bellicum fuit, quod equus appellatur, ut aries & testudo, quibus muri discuti, vel subrui solent.* Suffragatur Pausanias in Atticis cap. 23. Ἵππος δὲ, ait, ὁ καλούμενος Δούρειος, ἀνάκειται χαλκοῦς. *Equus etiam Durius ex ære ibi positus.* Eum, subjungit, machinam fuisse bellicam ab Epeo factam ad muros dejiciendos: id autem fateri necesse esse, nisi velimus Trojanos stuporis ac stultitiæ condemnare. Id ipsum docet Agatharchides in libro de Mari Rubro, irridens qui contra sentiunt: *Quod*, inquit, *lignei equi receptaculum non ad expugnationem urbis sit compactum; sed ob proditionem Ulixis, & Neoptolemi, sociorumque; vide, qualis hoc modo stultitia depingatur, & artificis qui equum construxit, & procerum qui eum inierunt, & civium qui in propriam urbem eumdem susceperunt.* VULP.

v. 26. FLUMINAQUE HÆMONIO COMINUS ISSE VIRO?] Xanthum & Simoënta, Trojæ fluvios, cum Achille Phthio ac Thessalo manus conseruisse. Apud Homerum Iliad. 21. Xanthus Achillem obruere aquis suis conatur, advocato Simoënte: sed Vulcanus eos torret auxilium Achilli ferens. unde Ovidius 2. Metam. *Arsurusque iterum Xanthus.* *Cominus ire alicui & aliquem*, pro congredi, & conferere manus. dixi ad Eleg. 19. lib. 2. v. 22. *Hæmonius vir*, Achilles. dixi ad Eleg. 1. lib. 2. v. 63. PASS.

v. 27. IDÆUM SIMOENTA JOVIS CUNABULA PARVI?] Ida & Cretæa & Phrygia. hic Phrygiam intelligit. Virgilius Æn. 1. *Phrygii Simoëntis ad undam.* & bene *Idæum*, quia ex Ida Phrygiæ monte oritur. Vide Homerum Iliad. 21. de Simoënte & Xantho. Appositio, *Simoënta, cunabula Jovis.* ut Eleg. 1. lib. 2. *Pergama, nomen Homeri.* mixtæ autem res Phrygiæ & Cretæ, ut scribit Strabo lib. 10. quare hic poeta confundit. nam Jovem in Creta natum plures tradunt. Ovidius 8. Metam.

Certe ego non patiar Jovis incunabula Creten,
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

& lib. 3. Amor. Eleg. 9.

Deiphobumque, Helenumque, & Pulydamanta sine armis?
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.

Exi-

Cretes nutrita terra superba Jove.

Virgilius quoque 4. Georg.

Dictæo cæli regem pavere sub antro.

Sed & in Phrygia videtur natus, ubi Idæa mater; & illic nasci potuit, deinde in Creta educari. Pausanias Messenicis ait, Messenios sibi vindicare Jovis cunabula: sed & longum esset populos alios enumerare, qui idem faciant. *Cunabula*, inquit Servius ad illud Ecl. 4.

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores:

Lectuli, in quibus infantes jacere consueverunt: unde loca in quibus nascuntur, quasi cynabula: nam κύειν Græce est prægnantem esse, & enixi. id est, parere. Virgilius 3. Æn.

Mons Idæus ubi & gentis cunabula nostræ.

Fortasse a Cunire erat & Cunina dea, cui fiebat lacte. Nonius in *Rumina*. *Jovis cunabula parvi.* natale solum Jovis infantis, pueri, ut hic supra, *Parvi Amores*. *Antiquum Jovem* alibi vocat; & Petronius ei canos tribuit. *Parvus*, pro, puer: Nonius in *Sanguen*. PASS.

v. 28. HACTORA PER CAMPOS TER MACULASSE AOTAS?] Quidam libri pro *per*, *ter*, ut sit anadiplosis. De Hectore ab Achille raptato vide adnotata ad Eleg. 8. lib. 2. v. antepænult. Ausonius periocha libri 22. Iliad. *Hector interficitur, & religatus ad currum ter circum mœnia Trojana raptatur. Maculasse rotas*, cruentasse currus; ut Virgilius 3. Æneid. *Et terram tabo maculant*. PASS. Argute Fruterius, & Livinejus,

Hectora ter campos, ter maculasse rotas.

---- Virgilius L. 1. Æn. rem ipsam præpingit in templo Junonis Carthagine:

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Homerus tamen aliter narrat. ---- tamen Ausonius maluit Virgilium sequi, merito notatus a Mariangelo Accursio, & Elia Vineto. fidelius Homero hæret L. Septimius (quem Dictyn Cretensem falso vocant) L. 3. C. 15. ------- vide quæ doctissimus Cerda notavit ad laudatum Virgilii locum. BROUKH.

v. 29. DEIPHOBUMQUE HELENUMQUA AT POLYDAMANTAS IN ARMIS?] Vet. lib. *Polydamanta sub armis*; & recte. sic Eleg. 9. lib. 2. *Diris occidere sub armis*; ubi vide adnotata. De Polydamante, Antenoris filio, consilio præstante, Homerus Iliad. 13. a quo scribitur Πουλυδάμας, ut naturâ brevis syllaba prima intendatur. ideo Persius Sat. 1. *Nec mihi Pulydamas*. Scaliger legit *Polydamanta sine armis*. non probo. De Heleno vate eximio Homerus Iliad. 6. & Virgilius 3. Æneid. De Deiphobo idem Virgilius 6. Æneid. Homerus lib. 4. & 8. Odyss. & Horatius Ode 9. lib. 4. PASS. Noster primus, cum Borrichiano, *Deiphobum Helenumque*, sine conjunctione: uti & Veneta. deinde omnes pariter libri, *Polydamantes in armis*, cum editionibus primis. Scaliger correxit, *Polydamanta sine armis*. Passeratius malebat, *sub armis*. verum hoc longius abit a ductu litterarum, τὸ *sine* haud difficulter præ se ferentium. certe Deiphobus inermis est obtruncatus; cui nocte illa suprema conjux Helena -- *arma omnia tectis*

Emovet, & fidum capiti subduxerat ensem.

Polydamas Antenoris F. consilio clarus habebatur; Helenus vaticinandi arte. ideo recte omnes *sine armis*. est autem hoc loco scribendum *Pulydamanta*, more Græco. monuit Passeratius, & Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 12. Metam. v. 547. quamquam hanc scriptionem superstitionis damnavit Claud. Dausquius ad Silium XII. 212. p. 490. 491. BROUKH. *Pulydamanta sine armis*. Apud Homerum Iliad. 12. Hector Pulydamantem increpat ut ignavum & meticulosum, eique minatur. vide a versu 230. *Sine armis*. Silius Italicus lib. 1. Punic. v. 621.

Si vero exprobrare sinant, sibi tristius illum
Illuxisse diem, quo castris viderit ire
Varronem, quam quo videat remeare sine armis. VULP.

v. 30. QUALEMCUMQUE PARIN VIX SUA NOSSET HUMUS] Vix patriæ civibusque suis notus esset. Sic Ovidius lib. 5. Trist. Eleg. 6.

Forsitan Evadnen vix sua nosset humus.

Qualemcumque; formosum quidem, sed imbellem & adulterum. Sic Eleg. 18. lib. 1.

Sed qualiscumque es, resonent mihi CYNTHIA *silvæ*. PASS.

v. 31.

Exiguo ſermone fores nunc, Ilion, & tu
Troja bis Oetæi numine capta dei.
Nec non ille tui caſus memorator Homerus
Poſteritate ſuum creſcere ſentit opus.

Me-

v. 31. EXIGUO SERMONE FORES NUNC, ILION, ET TU TROJA BIS OETÆI NUMINE CAPTA DEI] Tenuis de te, & obſcura fama eſſet. Eſſe, cum ſexto caſu; ut Cicero lib. 3. ad Q. Fratrem : *Eſſe magna invidia*. & pro Sextio : *Eſſe multa gloria*. Ilus rex urbem a ſe conditam *Ilium* appellavit. Apollodorus lib. 3. Servius ad illud 3. Æneid. *Ceciditque ſuperbum Ilium : Virgilius*, inquit, *ſemper genere neutro : feminino Horatius. Non ſemel Ilios vexata*. Ergo recta hic utraque lectio *Ilion* & *Ilias*. Ilium a Troja hic ſeparat, quia proprie Ilium urbs ipſa; regio Troja. Servius. Sed confunduntur iſta. *Et tu*, ſervit apoſtrophæ, ut Eleg. 1. lib. 2.

-- Et tu
Cæſare ſub magno cura ſecunda fores.

Bis capta Troja, ſemel ab ipſo Hercule; iterum a Græcis duce Agamemnone, ſed operâ Philoctetæ, qui Herculis ſagittis confixit Paridem; ſine quo capi Troja non poterat. Sophocles & Attius in Philocteta, item Ovidius 13. Metam. ideo *recidiva Pergama* vocat Virgilius. Ad verſum tamen 25. hujus Elegiæ, Trojam ter captam, adnotavi. Eſt autem proverbium in ignavos, *Bis captum*. M. Antonius in Epiſt. ad Hircium & Octavium : *Africam commiſiſtis Varo bis capto*. *Numine dei Oetæi*, ut Elegia 7. lib. 4. *Herculea numine*. *Numen*, inquit Varro 6. de L. L. *dictum a nutu; & omnia ſunt ejus, cujus maximum imperium*. Feſtus : *Numen quaſi nutus dei, ac poteſtas dicitur*. Servius in 3. Æneid. *Cuncti ſuaſerunt numine divi*, oraculo exponit; ut alibi, neceſſitatem fati. *Dei Oetæi*, Herculis, qui in Oeta monte conflagravit. vide adnotata ad Eleg. 13. lib. 1. v. 24. Sic infra *Lycius deus*; & *Arcadius deus* Eleg. 18. lib. 1. v. 20. PASS. *Exiguo ſermone fores nunc, Ilion*. Si Troja nunc oppugnaretur, tanti belli fama decreſceret, ac fortaſſe mille naves principum Græcorum, quas plenis buccis intonat Meleſigenes, ad aliquot ſcaphas redigerentur : ſed quum hæc omnia maxime remota ſint a noſtro ſæculo, ingeniorum vi momenti plurimum & magnitudinis acquirunt. Vide quæ de Athenienſibus, huc pertinentia, ſcribat Salluſtius in Catilina cap. 8. VULP.

v. 33. NEC NON ILLE TUI CASUS MEMORATOR HOMERUS POSTERITATE SUUM CRESCERE SENTIT OPUS] τὸ *ille* ἐμφατικῶς, ut Eleg. 8. lib. 1. v. 29. *Memorator*, ut Cicero in Bruto; *Narrator*. *Ceteri non exornatores rerum, ſed narratores fuerunt*. *Tui caſus*, excidii. Caſus proprie. ut Eleg. 1. lib. 4. *Dicam, Troja, cades*. alibi *occaſum* & *funera* vocat. *Senſit*, ſi quis ſenſus eſt Manibus. *Creſcere opus ſuum*, majus fieri, & in ora venire. Horatius Ode 12. lib. 1. *Creſcit occulto, velut arbor, ævo Fama Marcelli*. Idem Ode ult. lib. 3. *Uſque ego poſtera Creſcam laude recens*. Et Epiſt. 1. lib. 2.

Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus.

Poſteritate. *vetuſtate* dixit ſupra. Vet. Gloſſ. *Poſteritas*, ὁ μέλλων χρόνος. Item, ὀψιγονία. PASS. *Homerus P. ſ. c. ſ. o.* Id quidem olim fuit : nunc recondita ſenet quiete. Quid illi judicent, qui ſine multa cognitione vel Græci vel Latini ſermonis, tamen ſunt elegantes ſpectatores rerum pulcrarum, ſatis callide expoſuit nuper terribilis antiquæ eruditionis exactor Perraltius in ſuis Parallelis. pro *ſenſit* habet noſter primus *ſentit*; quaſi Homerus nullo non die fruatur gloriæ ſuæ novo incremento, etiam apud inferos. atque hæc eſt vera ſcriptura. Quam Noſtro præivit Tullius initio Agrariæ 3. *Commodius feciſſent tribuni plebis, Quirites, ſi quæ apud vos de me deferunt, ea coram potius me præſente dixiſſent*. non voluit dicere *diſtulerunt*; ut acrius notaret quotidianas tribunorum criminationes, neque umquam ceſſantes. --- BROUKH. Facete Juvenalis Sat. 7. de quodam lauto poeticis deliciis animum applicante :

Ipſe facit verſus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos.

Quaſi

Meque inter feros laudabit Roma nepotes.
Illum post cineres auguror ipse diem.

Ne

Quasi vero nihil aliud in Homericis carminibus dignum foret admiratione hominum, præter vetustatem. Serio Plutarchus lib. de Garrulitate: *Μόνος τῆς ἐξ ἀνθρώπων ἀψικορίας περιγέγονε*. loquitur de Homeri fortuna apud omnium sæculorum posteritatem. PASS. *suum crescere sentit opus*. Ita locuti sunt & alii scriptores. Seneca Epist. 21. *Quoscumque in medium fortuna protulit, quicumque membra ac partes alienæ potentiæ fuerunt, horum gratia viguit, domus frequentata est, dum ipsi steterunt: post ipsos cito memoria defecit. Ingeniorum crescit dignatio: nec ipsis tantum habetur, sed quidquid illorum memoriæ adhæsit, excipitur.* Cornelius Tacitus lib. 3. Annal. cap. 19. *Maxima quæque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt; & gliscit utrumque posteritate.* Idem lib. 4. Annal. cap. 61. *Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa .... & Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiæ quoad vixit celebratæ: monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis, quam cura vigebat. utque aliorum meditatio & labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud & profluens, cum ipso simul exstinctum est.* Cicero denique pro Marcello: *Illa, inquam, illa vita tua est, Cæsar, quæ vigebit memoria sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur.* Singularis porro sententia Plinii Cæcilii Epist. 1. lib. 2. *Triginta annis gloriæ suæ supervixit. Legit scripta de se carmina, legit historias, & posteritati suæ interfuit.* Martialis pariter Epigr. 47. lib. 7. ad Licinium Suram, qui quum letali morbo laborasset, demum recreatus est:

Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas
Moverit, & frueris posteritate tua. VULP.

v. 35. MEQUE INTER SEROS LAUDABIT ROMA NEPOTES] In eorum numero reponet quos poetas bonos & suos judicabit. ut Eleg. ult. libri secundi, commemoratis æqualibus suis:

Cynthia quinetiam versu laudata Properti;
Hos inter si me ponere fama volet.

τὸ Meque, pro Me etiam. nam ut &, pro, etiam, sic & *que*, sumitur. *Laudabit Roma*, tamquam suum Romanum Callimachum; ut inquit Eleg. 1. lib. 4. *Seros nepotes*, sero natos, & nobis vel senibus, vel mortuis. Virgilius 2. Georg. de arbore:

Tarda venit seris factura nepotibus umbram.

Ovidius lib. 3. Pontic. Eleg. 2.

Vos etiam seri laudabunt sæpe nepotes.

An quia optati avis, sero videntur nasci? Ausonius: *Nos sera nepotum Semina.* Nepotes, proprie ἔκγονοι, filii filiorum. καταχρηστικῶς, ἀπόγονοι, posteri. Servius, *Nepotes*, inquit, *posteri, ut Nurus, pro feminis.* Festus: *Nepos, quia postea natus sit patri, quam filius.* Jurisconsultis omnes inferioris gradus liberi, nepotes. PASS.

v. 36. ILLUM POST CINERES AUGUROR ESSE DIEM] *Præsagit mihi mens*; ut ait Plautus. Servius in illud 7. Æneid.

Et reor, &, veri si quid mens augurat, opto.

Auguro, inquit, *dicimus, secundum Plinium, quum præsagia mentis futura colligimus: auguror, quum futura viris captamus auguriis.* at hic contra. Tibullus Eleg. 2. lib. 2.

Auguror, uxoris fidos optabis amores.

Ovidius 1. A. A. *Auguror, tu vinces.* Augur ab avibus gerendoque dictus, vel ab avium garritu: Festus. *Esse*, pro, fore. enallage temporum. *Illum diem*, tempus. ut Virgilius: *En erit umquam Ille dies?* P. Duo nostri & alter Colbertinus, itemque Borrichianus, legunt *auguror ipse*. quod & in duobus Palatinis Gebhardus invenerat. recte, si quid sentio. Ego, conscientia fretus meritorum, æternam nominis famam mihi ipse auguror ac polliceor. ita ferme Cicero Catilin. 3. C. 11. *Eamdemque diem intelligo, quam spero æternam fore, & ad salutem urbis, & ad memoriam consulatus mei propagandam esse.* Sane Noster animose, & ut decebat spiritum excelsum quamvis in materia tenui: tamen valde modeste, si conferas cum Horatio L. 3. Od. 30. Nasone, ipso fine Metamorph. Lucano L. 7. & 10. BROUKH.

v. 37.

Ne mea contemto lapis indicet oſſa ſepulcro
Proviſum eſt, Lycio vota probante deo.
Carminis interea noſtri redeamus in orbem,
Gaudeat ut ſolito tacta puella ſono.

v. 37. NE MEA CONTEMTO LAPIS INDICET OSSA SEPULCRO PROVISUM EST, LYCIO VOTA PROBANTE DEO] Alio modo lapis indicat apud Ovidium 2. Metam. *Lapis iſte prius ſua furta loquetur*. Mox :

Perjuraque pectora vertit
In durum ſilicem, qui nunc quoque dicitur index.

Proviſum eſt, proſpectum eſt a me, & conſului famæ. Seneca de Vita Beata cap. 25. *Proviſum eſt a me, ne quis mihi dies ater eſſet*. Aliter Plautus Captiv. 3, 4. *Exploratum hoc, & proviſum eſt tibi*. pro, certum ac deliberatum. *Ne lapis indicet mea oſſa*, inquit, quia inciſum nomen in ſepulcro tituli loco, etiam vacuo; ut manifeſtum ex Ovidio lib. 11. Metam.

Et ſæpe in tumulis ſine corpore nomina legi.

vide hac de re Eleg. 7. lib. 4.

Hoc carmen media dignum me ſcribe columna.

Contemto ſepulcro, id eſt nullius dignationis & famæ. Sepulcrum ſuum nobile futurum canit Eleg. 7. lib. 1. & Eleg. 13. lib. 2. Contra de Cynthia Eleg. 11. lib. 2.

Et tua tranſibit contemnens oſſa viator,
Nec dicet, Cinis hic docta puella fuit.

Lycio vota probante deo. Apolline votis annuente, & ea rata faciente. Contra Horatius Ode 2. lib. 1. *Jove non probante*. Apollonius lib. 1. & 2. docet, Lyciam ab Apolline certis temporibus incoli. Virgilius 4. Æneid. v. 143.

Qualis, ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit; ac Delum maternam inviſit Apollo.

[ubi Servius: *Conſtat, Apollinem ſex menſibus hiemis apud Pataram Lyciæ civitatem dare reſponſa (unde Patareus Apollo dictus) & ſex menſibus æſtivis apud Delum*.] Horatius Ode 4. lib. 3. *Qui Lyciæ tenet Dumeta*. Feſtus: *Lycii Apollinis oraculum in Lycia maximæ claritatis fuit, ob luporum interfectionem*. Vide Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 17. ubi plurimas ejus cognominis cauſſas enumerat. PASS. *Lycio deo*. Gebhardus in uno Palatino invenerat *lætio*. BROUKH. *Proviſum eſt, ne*. Ita Cicero Epiſt. ad Lentulum 4. lib. 1. ad Famil. *Satis proviſum eſt, ut ne quid ſalvis auſpiciis, aut legibus, aut jam ſine vi agere poſſint*. Et Seneca Epiſt. 71. *Olim proviſum eſt, ne quid Cato detrimenti capiat*. VULP.

v. 39. CARMINIS INTEREA NOSTRI REDEAMUS IN ORBEM, GAUDEAT UT SOLITO TACTA PUELLA SONO] Hi duo verſus primam hujus libri Elegiam vulgo claudunt. In aliis tamen libris alteri exordium præbent. *In orbem carminis*, an ſpatium circumſcriptum nobis? ut Eleg. 3. ſeq.

Cur tua præſcriptos evecta eſt pagina gyros?

an quia nullus canendi finis? Virgilius 2. Georg.

Redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

An teretes verſus ſignificat? ut Horatius A. P. *Grajis dedit ore rotundo Muſa loqui*. An, ut dixit Eleg. ult. lib. 2. *Verſus includere torno*, quod Horatio eſt *tornare verſus*? Cicero in Oratore *Orbem orationis* dixit; & 3. de Orat. *Circuitum & quaſi orbem verborum*, ſed alio ſenſu. vide plura adnotata ad Eleg. 3. infra v. 21. *Gaudeat ut puella*, delectetur amica quum me recitantem audiat. nam amabat verſus Propertii Cynthia, ut dictum ad Eleg. 26. lib. 2. v. 25. & 26. Sic Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Carmine formoſæ, pretio capiuntur avaræ.
Gaudeat, ut digna eſt, verſibus illa meis.

Tacta, quod Eleg. 3. lib. 2. *Noſtra ſtupefiat Cynthia verſu*. delinita, capta. Plautus Bacchid. *Tactus ſum vehementer viſco*. An, ut idem in Rudente: *Certe vox mulieris aures tetigit meas? Tangimur ſono*, quia vox corporea eſt, & *aures verberat*, ut loquitur Plautus. *Sono*, voce modulata, & ſuavi cantu. Horatius Ode 13. lib. 2. *Dulci laborum decipitur ſono*. PASS.

ELEGIA II.

ORphea detinuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threïcia sustinuisse lyra.
Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coïsse ferunt.

Quin

ARGUMENTUM ELEGIÆ II. LIBRI III.] Poeticam facultatem, in amore præsertim, valere plurimum: carminibus vero, tamquam certissimis monumentis, ingenii ac formæ memoriam consecrari. VULP.

v. 1. ORPHEA DETINUISSE FERAS, ET CONCITA DICUNT FLUMINA THREÏCIA SUSTINUISSE LYRA] Hac de re vide Ovidium 10. & 11. Metam. Horatium Ode 12. lib. 1. Cassium Parmensem in Orpheo, & adnotata ad Eleg. 13. lib. 2. v. 5. & seq. *Detinuisse*, quasi auribus vincta, ut Hercules Gallicus. Perplacet vero in pentametro, *sustinuisse*, quasi inhibuisse cursum; quod verbum agitatorum est. Legendus Cicero in Lucullo. Lucilius:

Sustineat currum ut bonus sæpe agitator, equosque.

Concita flumina, rapidos fluminum lapsus: Horatius Ode 12. lib. 1. Idem Ode 11. lib. 3. *Et rivos celeres morari*. *Concita*; ut Virgilius 3. Æneid. *Crebris legimus freta concita terris*. *Lyrâ Threiciâ*, quam ipse vocat *Orpheam* Eleg. 3. lib. 1. Βιστονίην φόρμιγγα vocat Apollonius lib. 2. & 4. PASS. *Detinuisse*. [bis positum.] hæc est lectio libri primi, cum quo facit Borrichianus: secundus in pentametro habet *sustinuisse*, quod etiam Regii, Colbertini, & Groninganus agnoscunt. & monuerunt Lipsius L. 2. Ant. Lect. C. 10; Modius Novant. Epist. 18; Gebhardus; ac Passeratius. contendunt autem illi, *sustinuisse* idem valere, quod inhibuisse, compescuisse, repressisse. non nego: sed & τὸ *detinuisse* idem valet. Tibullus L. 9. Eleg. 8.

Cantus & iratæ detinet anguis iter,

Horatius L. 1. Od. 33.

Ipsum me melior quum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale.

atque ita loquitur Ovidius haud raro. propterea in versu minore nihil mutandum videtur. in longiore Nic. Heinsius Not. ad L. 11. Metam. v. 2. reponit, *Orphea, te duxisse feras*. ingeniose, nec dubito quin vere. Noster L. 2. Eleg. 10. [13.]

Non ut Pieriæ quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras.
BROUKH.

Probum est quidem ac Latinum *ducere feras*, non ideo tamen Heinsii conjectura in contextum recipienda, nullo veterum codicum fulta tibicine. Si hoc facere pergimus, jam scriptores omnes arbitrio nostro refingemus. Non desunt qui legant, *Orphea te tenuisse feras*. male profecto. In pentametro legerim *sustinuisse*, ad vitandam inconcinnam repetitionem. Albinovanus ad Liviam Augustam: ubi de Tiberino Drusi rogum exstinguere parante:

Sustentabat aquas, cursusque inhibebat equorum. VULP.

v. 3. SAXA CITHÆRONIS THEBAS AGITATA PER ARTEM] Fabulam attigit Eleg. 9. lib. 1.

Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ.

ubi vide adnotata. *Saxa agitata*, convulsa & commota suis sedibus, & attracta Thebas. Horatius Epist. ad Pisones: *Saxa movere sono testudinis*. De Cithærone Servius in 10. Æneid. *Parnassus*, inquit, *mons Thessaliæ, vicinus Bœotiæ, finditur in duo juga; Helicona, Musis: & Cithærona, Libero patri sacrum*. *Per artem*, ut ille apud Nonium, *Per dolum*; & Plautus, *Per sycophantiam*. Virgilius 6. Æneid. *Vitam excoluere per artes*. Et sic sæpe Sallustius. PASS. Cithæron Platæensium rex antiquissimus fuit, unde alterum Parnassi jugum nomen accepit. Vide Pausaniam in Bœoticis. BROUKH.

v. 4.

Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Ætna
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis & Baccho, & Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?

Quod

v. 4. SPONTE SUA IN MURI MEMBRA COISSE FEAUNT] Sine fabri cementarii manu & opera ita convenisse & coaluisse, ut murum efficerent, omnibus suis partibus, ut membris constantem, pinnis puta, turribus, propugnaculis. *Membra* dixit, quia corpus est unum muri. Sic Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Solvere quassatæ parcite membra ratis.

Cicero in Paradoxis *Orationis membra* dixit; Suetonius in Augusto cap. 48. *Imperii membra*; Plinius Epist. 17. lib. 2. *Dormitorium membrum*, scilicet pars villæ quieti dicata; Appulejus lib. 2. A. A. *Domus membra*. Vide tria corporum genera apud Jurisconsultos, Plutarchum, & Senecam. *Coisse*; ut Eleg. 1. lib. 2.

Xerxis & imperio bina coisse vada. PASS.

Sponte sua. Seneca Thebaid. v. 566.

Poteris has Amphionis
Quassare moles? nulla quas struxit manus,
Stridente tardum machina ducens onus;
Sed convocatus vocis & citharæ sono
Per se ipse turres venit in summas lapis.

BROUKH.

v. 5. QUIN ETIAM, POLYPHEME, FERA GALATEA SUB ÆTNA AD TUA RORANTES CARMINA FLEXIT EQUOS] De Polyphemi & Galateæ amoribus Theocritus in Cyclope Idyll. 11. Vide notata ad Eleg. 8. lib. 1. v. 18. Est autem apostrophe ad Polyphemum, ut Eleg. 33. lib. 2.

Nec non Ismario tu Polypheme mero.

Sub fera Ætna, monte Siciliæ agresti, horrido & inculto. Virgilius Ecl. 5. *Montesque feri, silvæque loquuntur*. *Fera* & inculta Ætna ob Cyclopas, & montis incendium. De Ætna sede Polyphemi dixi ad illud Tibulli Carm. 1. lib. 4.

Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis.

Flexit equos; habenis vertit. Virgilius 9. Æneid. *Flectere ludus equos*. *Rorantes*, equos marinos udos, rore sparsos, vel rorem spargentes natando. ros enim pro summa aqua maris; ut dictum ad Eleg. 26. lib. 2. v. 2. Statius 1. Achilleid. *Humilisque ex æquore Titan Rorantes evolvit equos*. Ovidius 4. Fast.

Litore siccabat rorantes uda capillos.

equis autem marinis dii marini vehuntur. Virgilius 4. Georg. de Proteo:

-- Magnum qui piscibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.

unde explicandus Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Talis ad Hæmonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato cærula pisce Thetis.

Ad tua carmina. quæ *pastoria sibila* vocavit Ovidius lib. 13. Metam. PASS. *Galatea*. celeberrima apud poetas Nympha. vide quæ Nic. Erythræus notavit Indice Virgiliano in *Galatea*. BROUKH.

v. 7. MIREMUR, NOBIS ET BACCHO ET APOLLINE DEXTRO, TURBA PUELLARUM SI MEA VERBA COLIT?] Muretus, Negat, inquit, mirum esse, si carmina, quæ ipse Baccho & Apolline propitiis scribit, a puellis colantur: quum carminibus Orpheus feras & flumina, Amphion lapides, Polyphemus etiam rudis & agrestis musicus Galateam moverit; nedum puellas, quarum tenerum est & flexibile ingenium. Est igitur εἰρωνεία, ut Eleg. 3. lib. 2.

Hoc ego nunc mirer si flagret nostra juventus.

& Eleg. 8.

Mirum si de me jure triumphet Amor.

Cicero 2. de Orat. *Mirum ni cantem, condemnatus sum*. *Baccho & Apolline dextro*, inquit, quia Bacchus, Apollo, Musæ præsident poetis. Strabo lib. 10. & sæpe Horatius. Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Salve cura deûm; casto nam rite poetæ
Phœbusque, & Bacchus, Pieridesque favent.

Dextro, secundo, favente & propitio; quia Grajis & Barbaris dextra meliora; & quod Latinis sinistrum, externis dextrum est. Cicero 2. de Divinat. Noster Eleg. 10. lib. 4.

Sancte, velis libro dexter inesse meo.

Mea verba colit. me poetam & canentem prope ut deum venerantur. vide Eleg. 9. infra v. 45. & quæ notavi ad illud Elegiæ 26. lib. 2.

Carmina tam sancte nulla puella colit.

Quod non Tænariis domus eſt mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes:

Nec

Verba, carmina. ut Manilius lib. 4. Aſtronom.

Et graciles calamos, & nervis inſita verba.

Noſter Eleg. 13. lib. 2.

Non ut Pieriæ quercus mea verba ſequantur.
PASS.

Miremur, ſi. T. Livius ita locutus lib. 9. Hiſt. *Miremur, ſi quum ex hac parte ſæcula plura numerentur, quam ex illa anni, plus in tam longo ſpatio quam in ætate tredecim annorum fortuna variaverit?* Opponit autem Propertius feris beſtiis, amnibus, & lapidibus teneram turbam puellarum; & ſui carminis elegantiam & nitorem ſilveſtri atque inconditæ Muſæ Polyphemi. VULP.

v. 9. QUOD NON TÆNARIIS DOMUS EST MIHI FULTA COLUMNIS] Valet, quod ſi non. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 3. [& Horatius Ode 18. lib. 2.] paria ſcribunt, immo ille hunc locum aperte imitatur. *Fulta Tænariis columnis*, ſubnixa, ſuſtentata, incumbens. Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Quidve domus prodeſt Phrygiis innixa columnis,
Tænare ſive tuis, ſive Caryſte tuis?

Tænariæ columnæ, ex Laconico marmore [quod viride,] Statius lib. 3. Silv. Carm. 2.

Hic Libycus, Phrygiusque ſilex: hic dura Laconum
Saxa virent,

Vide Plinium lib. 36. H. N. cap. 18. & 22. ubi tamen *lapis* dicitur, non marmor. Tænarus eſt Laconiæ promontorium, ut adnotavi ad Eleg. 13. lib. 1. v. 22. PASS. Scaliger clarius fore putabat, *Non quod Tænariis* .... Mihi videtur *quod* hic ſignificare *quamvis*. Lucretius L. 6.

Ut, lapidem ferro quom cædimus, evolat ignis:
Nec, quod frigida vis ſit ferri, hoc ſecius illa
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.

Terentius Eunuch. Act. 5. Sc. 8.

Miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac poſt unquam, quod dicas mihi,
Alium quærebam: iter hac habui: periſti:

Ovidius L. 1. A. A.

Illa quod eſt virgo, quod tela Cupidinis odit,
Multa dedit populo vulnera, multa dabit.

In Carmine Libero, Epigr. 78.

Quod ſim jam ſenior, meumque canis
Cum barba caput albicet capillis,
Deprenſas ego p. p.
Tithonum, Priamumque, Neſtoremque. BROUKH.

Adſentior Broukhuſio de ſignificatione particulæ *quod*. Simillimus eſt huic Propertiano locus alius Lucretii lib. 2.

Nam quod rara vides magis eſſe animalia quædam,
Fœcundamque minus naturam cernis in illis,
Ac regione, locoque alio, terriſque remotis,
Multa licet genere eſſe in eo, numerumque repleri.

Auctor Carminis in Priapum, Epigr. 5.

Quod ſim ligneus, ut vides, Priapus,
Et falx lignea, l. p.
Prendam te tamen, & tenebo prenſam.

Vide & Epigr. 78. Martialis quoque Epigr. 86. lib. 2.

Quod nec carmine glorior ſupino,
Nec retro lego Sotadem cinædum,
....
Non ſum, Claſſice, tam malus poeta.

Hujus particulæ vim eo loco Raderus, vir alioqui doctiſſimus, minus videtur percepiſſe. Fortaſſe huc pertinet illud Ovidii lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Turpe reos empta miſeros defendere lingua,
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

id eſt, quamvis avari judices diteſcant. fateor nihilominus, id etiam aliter explicari poſſe. VULP.

v. 10. NEC CAMERA AURATAS INTER EBURNA TRABES] *Camerum*, inquit Nonius, *obtortum; unde Cameræ tecta in curvitatem formata*. Feſtus: *Camera & Camuri boves, a curvatione, ex Græco καμπή*. Chariſius lib. 1. *Camara dicuntur, non Camera per e, ut Verrius Flaccus affirmat*. Iſidorus lib. 15. Orig. cap. 8. *Cameræ ſunt volumina introrſum reſpicientia, appellata a curvo, quia καμπύλον Græce curvum eſt*. Budæus Annotat. in Pandectas, Cameram, quam Græci Camaram vocant, & Cameratum opus, docet, eſſe factum in ſimilitudinem pergularum hortenſium; unde arca camerata Ulpiano, cujuſmodi hodie *Bahut*. Ebore vero auroque cameræ ornabantur. Horatius Ode 18. lib. 2. *Non ebur, neque aureum*

Mea

Nec mea Phæacas æquant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:

At

Mea renidet in domo lacunar. Ennius Andromacha apud Ciceronem 3. Tusc. *Templum tectis cælatis, laqueatis, ebore atque auro instructum regifice*. *Auratas trabes*. Virgilius 2. Æneid.

Auratasque trabes veterum decora alta parentum
Devolvunt.

Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Aurataeque trabes, marmoreumque solum.

Meminerunt etiam Seneca Thyeste, Lucanus lib. 10. Papinius lib. 1. Silv. Carm. 2. Plinius lib. 33. cap. 3. *Trabes*, τράπηξ Lycophroni; Scaliger. Festus: *Trabs, proprie duo ligna compacta*. Isidorus lib. 19. cap. 18. *Trabes, quod in transverso posita utrosque parietes contineant*. Varro 6. de L. L. & Servius. Dicitur vero trabs & trabes, ut Ennio: *abiegna trabes*. PASS. *Camera*. Macrobius lib. 6. Saturn. cap. 4. in calce: *Camuris hirtæ sub cornibus aures*. Camuris peregrinum verbum est, id est, *in se redeuntibus; & forte nos quoque* cameram *hac ratione figuravimus*. Phædrus Fab. 23. lib. 4. *Ruina cameræ subito oppressit ceteros*. Memorabile est quod narrat Claudius Fleury Hist. Eccles. lib. 29. cap. 16. de S. Leone Magno: *Il établit aux sepulcres des saints apôtres des gardiens, que l'on appelloit chambriers, & depuis chapelains, parce qu'on nommoit alors chambres les chapelles*. VULP.

v. 11. NEC MEA PHÆACIAS ÆQUANT POMARIA SILVAS] Melius alii libri, *Phæacas*, vel a recto Phæax, vel a Phæacus; ut Arabus, Cilicus. *Phæacia*, Corcyra insula; Plinius lib. 4. H. N. cap. 12. hodie *Corfou*. ea Alcinoi hortis nobilitata: Homerus lib. 7. Odyss. unde Virgilius 2. Georg. *Pomaque & Alcinoi silvæ*. ubi, *Silvæ*, inquit Servius, *pro copia frugiferarum arborum*, ut hic. De iis hortis & Juvenalis Sat. 5.

Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat.

Statius 1. Silv. in Tiburtino Manlii: *Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? Nec æquant*, minora sunt, non possunt cum illis conferri. Eleg. 9. infra:

Cede mihi, magnos æquabunt ista Camillos
Judicia.

Pomarium, ὀρχάτος, nostris *verger*, quod ibi vireant consitæ arbores. Ovidius 4. Metam.

Id metuens solidis pomaria clauserat Atlas
Molibus.

Horatius Ode 7. lib. 1. *Uda Mobilibus pomaria rivis*. Charisius lib. 1. *Pometa, ubi poma nascuntur: pomaria, ubi servantur*. quod & alibi repetit. Plinius certe lib. 5. H. N. cap. 16. Pomaria usurpat pro locis ubi poma servantur. [Græci ὀπωροθήκας vocant] PASS. *Phæacas*. id est, *Phæacias*. istius metaplasmi exempla aliquot insignia collegit elegantissimi Vir ingenii P. Scriverius Animad. ad lib. Spectacul. Epigr. 31. Inconsulte τὸ *Phæacias*, quod est in vulgatis, defendit Nic. Erythræus: indice Virg. in *Phæacum aërias arces*. BROUKH. *Pomaria*. a pomis dictus etiam *pomarius*, qui ea venalia exponit. Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 227. *Pomarius, auceps*. Lucillius appellat *propolam*. VULP.

v. 12. NON OPEROSA RIGAT MARTIUS ANTRA LIQUOR] Sic *Martius humor*, Elegia 22. infra v. 24. *Martia lympha*, Tibullus Eleg. ult. lib. 3. De aquæ Martiæ laudibus quamplurima Plinius lib. 31. H. N. cap. 3. eam primum Ancus Marcius in urbem ducere aggressus est. Plutarchus initio Vitæ Coriolani, Aquam Marciam, omnium aquarum & maximam & præstantissimam, perductum in urbem ait a P. & Q. Marciis, e gente Regis Anci Marcii. Frontinus lib. 2. de Aquæductibus: *Ita ut ipsam Marciam splendore & rigore gratissimam, balneis ac fullonicis, & relatu quoque fœdis ministeriis deprehenderimus servientem*. Statius 1. Silv. in Balneo Etrusci: *Marsasque nives & frigora ducens Martia*. Vide Strabonem lib. 3. *Rigat antra*, humectat, perfundit. *Operosa*, in quibus excolendis opera multa consumitur. Sic Horatius Ode 1. lib. 3. dixit, *Divitias operosiores*: Ode 12. ejusd. libri: *Operosæ Minervæ studium*; & Ode 2. lib. 4. *Operosa carmina*. PASS. *Martius liquor*. Scribendum est *Marcius*. nam sic & Plutarchus & Dio scribunt, & postulat gentis Marciæ denominatio. Plinius L. 31. C. 3. *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma præconio Urbis*,

bis,

At Musæ comites, & carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata meo si qua es celebrata libello;
Carmina erunt formæ tot monumenta tuæ.

Nam

bis, Marcia est, inter reliquo deûm munere Urbi tributa ------ Primus eam in Urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius Rex in pretura. sunt & aquæ Marciæ Inscriptiones Romæ ad portam Esquilinam, apud Gruterum CLXXVII. 1. ----- & sic scriptum vidimus in membranis melioribus apud Tibullum L. 3. Eleg. *6.* --- Aquæ Marciæ castellum erat in monte Esquilino. v. Montfaucon T. 1. Diar. Ital. p. 208. seq. BROUKH.

v. 13. AT MUSÆ COMITES, AT CARMINA CARA LEGENTI] *Comes* etiam de honoratioribus dicitur. Anchises apud Virgilium 2. Æneid.

Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.

Ovidius lib. 2. A. A.

Ipse licet venias Musis comitatus, Homere.

Tibullus Eleg. *6.* lib. 2.

Castra Macer sequitur. tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat.

Noster denique Eleg. 13. infra:

Et me Pana tibi comitem de rupe vocato.

Carmina cara legenti. non ingrata lectoribus, ut dixit Eleg. ult. lib. 2. v. 81. vide adnotata ad vers. ult. superioris Elegiæ. PASS. Groninganus, *grata legenti.* verum hoc nescio quid minus notat, quam illud *cara*. BROUKH.

v. 14. ET DEFESSA CHORIS CALLIOPEA MEIS] De choreis Musarum vide adnotata ad vers. 1. Eleg. 10. lib. 2. Papinius 1. Silv. in Balneo Etrusci:

Nec lassata voco toties mihi numina Musas.
Et te, Phœbe, choris & te dimittimus, Evan.

Meis choris, a me ductis, constituto in prima parte choreæ; ut dixit Eleg. 30. lib. 2. v. 37. PASS. *Defessa choris Calliopea.* sic Eleg. 3. lib. 1. *Assiduis Edonis fessa choreis*. VULP.

v. 15. FORTUNATA MEO SI QUA ES CELEBRATA LIBELLO] ἐπιφώνημα solens Virgilio, ut *Fortunate senex, Fortunate puer.* & aliàs sæpe. Noster Eleg. 20. infra *Fortunata domus*. Cornelius Fronto: *Felix, ita natus est: fortunatus, cum opibus nomen accipit. ita felix natura bono fruitur: fortunatus, commodo temporis.* Idem: *Fortunatus, cui forte aliquid contingit. τὸ, Si qua,* incerto sermone certam puellam designat, Cynthiam scilicet. ut Eleg. 3. lib. 2. v. 25. *Celebrata libello;* quod Eleg. ult. lib. 2.

Cynthia quinetiam versu laudata Properti. P.

Primus liber, cum Borrichiano, *cantata*. tum omnes ceteri, *est*. utrumque frustra. nam & *cantare* exilius est quam *celebrare*, & *est* non respondet τῷ *tuæ*. BROUKH.

v. 16. CARMINA ERUNT FORMÆ TOT MONUMENTA TUÆ] *Tot*, pro multa; ut Elegia 8. infra:

Vocis & insanæ tot maledicta tuæ.

Albinovanus ad Liviam:

Tot dixit siccis verba neque ipse genis.

Vel *tot* iterandum: *Tot carmina, tot erunt monimenta*, quæ testabuntur, formam tuam eximiam fuisse: vel tuæ formæ, tui ipsius formosæ. ut Eleg. 19. lib. 1.

Quantum nulla tuâ fuerit mihi, Cynthia, formâ
Gratior.

Hujus argumenti est Ode 8. lib. 4. Horatii, & Eleg. 4. lib. 1. Tibulli. Donatus in Eunuchum: *Monimenta sunt quæ Græci dicunt γνωρίσματα & σπάργανα.* Festus in *Monimentum: Monimentum est quod mortui caussâ ædificatum est: & quicquid ob memoriam alicujus factum est, ut fana, porticus, scripta & carmina.* Varro 5. de L. L. *Monimenta, quæ in sepulcris, secundum viam, a monendo; quod admoneant prætereuntes, & se fuisse & illos mortales.* Idem fere Cicero Epist. 2. ad Cæsarem, apud Nonium in *Monimenti*. vide L. 2. & L. 42. Dig. *de Religiosis & sumtibus funerum*. PASS. *Carmina e. f. tot monumenta t.* magnifice. Vellejus Paterculus L. 2. C. 38. *Syria Pontusque Cn. Pompeji virtutis monumenta sunt.* illud *tot* valet *totidem*. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 12.

Quam vir, quam custos, quam janua firma, tot hostes
Servabant, ne qua posset ab arte capi.

Libri mei erunt totidem monumenta poten-

tis

Nam neque Pyramidum ſumtus ad ſidera ducti,
Nec Jovis Elei cælum imitata domus;

Nec

tis tuæ pulcritudinis. varie hunc locum torquet Paſſeratius; neque hilum extricat. BROUKH. Ita Catullus Carm. 11. *Cæſaris viſent monumenta magni Gallicum Rhenum, horribileſque ultimoſque Britannos*. Monimentum, ſeu monumentum dicitur, quodcumque conſpectum vel auditum, rei alicujus vel perſonæ memoriam excitat. Græci μνημόσυνα & μνημόσυνον appellant. VULP.

v. 17. NAM NEQUE PYRAMIDUM SUMTUS AD SIDERA DUCTI] Id eſt, Pyramides ſumtuoſæ; ut mox, *fortuna ſepulcri*, fortunatum ſepulcrum. & *error Herculis*, Hercules errans. Pyramides dictæ ἀπὸ τοῦ πυρός, quod flammæ ſurgentis formam referant. De his Herodotus lib. 2. Ariſtoteles lib. 5. Polit. cap. 11. Diodorus lib. 1. Joſephus lib. 2. Antiqu. Judaic. Strabo lib. 17. Plinius lib. 36. H. N. cap. 12. Solinus Polyhiſtoris cap. 35. Ammianus Marcellinus lib. 22. Zonaras lib. 1. Horatius Ode ult. lib. 3. Martialis Epigr. 1. lib. Spectac. *Duci ad ſidera*, ὑπερβολικῶς. nempe educi in cælum uſque. Virgilius 2. Æneid. *Cæloque educere certant*. Ibidem, de turri: *Summiſque ſub aſtra Eductam tectis*. & 2. Georg. de arboribus: *Ad ſidera raptim Vi propria nituntur*. Ducere & educere, Nonius exponit ſtruere & erigere. Virgilius 1. Æneid. *Pars ducere muros, Molirique arcem*. PASS. Quod pertinet ad ſententiam, vide Ciceronem pro M. Marcello. Seneca pariter Conſolat. ad Polybium cap. 37. *Fratris quoque tui produc memoriam aliquo ſcriptorum monumento tuorum. hoc enim unum eſt rebus humanis opus, cui nulla tempeſtas noceat, quod nulla conſumat vetuſtas: cetera quæ per conſtructionem lapidum, & marmoreas moles, aut terrenos tumulos in magnam eductas altitudinem conſtant, non propagabunt longam diem: quippe & ipſa intereunt. Immortalis eſt ingenii memoria*. Martialis quoque Epigr. 3. lib. 8.

Et quum rupta ſitu Meſſalæ ſaxa jacebunt,
Altaque quum Licini marmora pulvis erunt,
Me tamen ora legent.

Neque abit Ovidius in calce Metamorph. Preſſius tamen Propertii veſtigiis inſiſtit Petronius Antigenides neſcio quis, De Literarum æternitate, ad Appiam:

Has Urbem circa, ſtulti monimenta laboris,
Quaſque vides moles, Appia, marmoreas,
Pyramidaſque auſas vicinum attingere cælum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die:
Et Mauſoleum miſeræ ſolatia mortis,
Intulit æternum quo Cleopatra virum:
Concutiet, ſternetque dies: quoque altius exſtat
Quodque opus, hoc illud carpet edetque magis.
Carmina ſola carent fato, mortemque repellunt.
Carminibus vives ſemper, Homere, tuis.

VULP.

v. 18. NEC JOVIS ELEI CÆLUM IMITATA DOMUS] Apud Eleos Achajæ populos, in agro Piſano, templum erat Jovis Olympii, olim oraculo, poſtea ludis Olympicis celeberrimum. Plinius lib. 4. H. N. cap. 5. *Intus* (in Elide) *delubrum Olympii Jovis, ludorum claritate faſtos Græciæ complexum*. vide Strabonem lib. 8. & Pauſaniam in Achaicis. *Domus Jovis*, pro templo. Ita Juvenalis Sat. 4.

Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon.

Domus etiam pro cælo & mundo a bonis auctoribus uſurpatur. Horatius Od. 12. lib. 2. *Fulgens contremuit domus Saturni veteris*. Cicero lib. 2. de N. D. *Mundus communis deorum atque hominum domus*. Appulejus de Mundo: *Ultra, deorum domus eſt, quam vocamus cælum*. Noſter Eleg. 5. infra:

Quis deus hanc mundi temperet arte domum.

Elegia vero 4. lib. 4. *Silvani ramoſa domus*, pro luco in quo Silvanus colebatur. *Imitata cælum*, ſtructa, cælata & picta inſtar cæli. credibile eſt enim, illam ædem inauratam fuiſſe, & ſtellis, ſigniſque cæleſtibus diſtinctam. Simile narrat Suetonius in Nerone cap. 31. ubi de aurea ejus domo loquitur; præcipuam ſcilicet cænationum rotundam fuiſſe, quæ perpetuo diebus ac noctibus, vice mundi, circumageretur. Porro, in eadem Elide Salmoneus: *Flammas Jovis & ſonitus imitatur Olympi*. Ut autem *domus* pro æde, ita contra *ædis* aliquando pro domo. Ovidius lib. 2. Faſt.

Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares. PASS.

Verum, in allato Naſonis verſu, crediderim,

Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
  Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores;
  Annorum aut ictu pondera victa ruent.

At

rim, ædem positam pro ædicula, seu Lario, ubi Larium domesticorum imaguncülæ statui solebant. Nic. Heinsius ibi legit, *nostra in urbe*. VULP.

v. 19. NEC MAUSOLEI DIVES FORTUNA SEPULCRI, MORTIS AB EXTREMA CONDITIONE VACAT] *Fortuna sepulcri*, pro fortunato sepulcro, & magnificentissimo. Sic Horatius Epist. 2. l. 2.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.

nempe, reges miseri. Ennius: *Fortuna belli*. Vel *fortuna dives sepulcri*, quia Mausolo contigit magno sumtu sepeliri. *Dives fortuna* dicitur, ut a Tibullo Eleg. ult. lib. 1. *Divitis hoc vitium est auri*. nempe *Dives fortuna*, quæ ditat; vel *dives*, beata, unde locupletes dicebantur beati. An, ut Eleg. 28. lib. 2.

Illa sepulturæ fata beata tuæ?

nam, ut Juvenalis Sat. 10. *Data sunt ipsis quoque fata sepulcris*. Mausoleum sepulcrum, nobilissimum monimentum, quod Artemisia Cariæ regina Mausolo marito struxerat. vide Herodotum lib. 7. Plinium lib. 36. H. N. cap. 5. A. Gellium lib. 10. cap. 18. Dicitur & *Mausoleum* ἁπλῶς. Martialis Epigr. 1. lib. de Spect.

Aere nec vacuo pendentia Mausolea.

& Epigr. 65. lib. 5.

Jam vitina jubent nos vivere Mausolea,
  Quum doceant, ipsos posse perire deos.

Vacat, immunis est, caret. τὸ *ab* autem abundat; ut & infra: *ab aevo excidet*; & Eleg. 5.

Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.

Conditione mortis, lege fati. Donatus: *Conditio, est pactio certam legem in se continens*. Ita Virgilius 12. Æneid. *Cur mortis adempta Conditio? Humanam conditionem* vocat Cicero 1. & 3. Tusc. *Extremâ* vero, *quia mors ultima linea rerum*. PASS. *Vacat*. libri fere, *vacant*. quod amplector. BROUKH. *Mausolei d. f. sepulcri*. Scriptoribus a Passeratio memoratis adde Pomponium Melam lib. 1. de Situ Orbis cap. 16. *Halicarnassos*, inquit, *Argivorum colonia est: & cur memoranda sit, præter conditores, Mausoleum efficit, regis Mausoli monimentum, unum de miraculis septem, Artemisiæ opus*. Non solum vero sepulcrum, sed & domus ejusdem regis in præcipuis ædificiis & excellentibus numerabatur. testis Vitruvius lib. 2. cap. 8. *Halicarnassi potentissimi regis Mausoli domus; quum Proconnesio marmore omnia haberet ornata, parietes habet latere structos, qui ad hoc tempus egregiam præstant firmitatem, ita tectoriis operibus expoliti, ut vitri perluciditatem videantur habere*. VULP.

v. 21. AUT ILLIS FLAMMA, AUT IMBER SUBDUCET HONORES] Illa opera aut incendio, aut diluvio aliquo intereunt. alludit autem ad ἐκπυρώσεις ϗ κατακλυσμούς. nam, ut ait Cicero 6. de Rep. *Exustiones terrarum & eluviones accidere certo tempore necesse est*. Sallustius lib. 4. Hist. *Monimenta madore infirmantur*. *Imber*, ὄμβρος, pro omni humore: Nonius. *Subducet honores*; sensim & furtim subtrahet; id enim est subducere, inquit Donatus in Eunuchum. ut dixi ad Eleg. 8. lib. 1. Sic Minutius Felix in Octavio: *Nec interest utrum feræ diripiant* (cadaver) *an humus contegat, an flamma subducat*. *Honores* marmorum, ut Virgilius & Horatius vocant frondes, *honorem* silvarum. PASS.

v. 22. ANNORUM AUT ICTU PONDERA VICTA RUENT] Sic Virgilius 12. Æneid. de saxo avulso:

Seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas.

Pondera, saxeæ graves, marmoreæque moles. Ovidius lib. 5. Fast.

Vertit in auctores pondera vasta suos.

nempe montes. Ammianus Marcellinus lib. 4. *Arenarum numerum, & montium pondera scrutari*. Martialis pariter Epigr. 56. l. 1.

Accipe non Pario nutantia pondera saxo,
  Quæ cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
  Quæque virent lacrimis roscida prata meis.

ubi & *ruitura*, ut hic *ruent*. *Victa ictu annorum*; ut Virgilius 2. Æneid. de arbore:

Vul-

At non ingenio quæſitum nomen ab ævo
Excidet: ingenio ſtat ſine morte decus.

ELE-

Vulneribus donec paullatim evicta ſupremum
Congemuit.

Victus, de damno & detrimento, ut tangere, ferire, percutere. *Iſtu victa*, ductum a fabris, qui crebris ictibus moles ejuſmodi ſubruunt. Sic dicimus vulgo de ædificio labante: *Il a pris coup:* An alludit ad falcem Saturni, ſive ad injuriam temporis? PASS. *Annorum aut iſtu. Armorum*, duo noſtri, & Colbertinus alter. perperam. Quamvis omnes humanarum rerum viciſſitudines ſuperent atque evincant, tamen ipſo longævitatis pondere corruent. ----- forte *aſtu*. de quo cogitandum. certe *pulſare* in re non abſimili dixit Juvenalis 6. Sat. 193.

Tune etiam, quam ſextus & octogeſimus annus
Pulſat, adhuc Græca? BROUKH.

v. 23. AT NON INGENIO QUÆSITUM NOMEN AB ÆVO EXCIDET: INGENIO STAT SINE MORTE DECUS] Albinovanus in Obitum Mæcenatis:

Marmora Mæonii vincunt monimenta libelli.
Vivitur ingenio: cetera mortis erunt.

Martialis Epigr. 2. lib. 10. loco memorabili:

Marmora Meſſalæ findit caprificus: & audax
Dimidios Criſpi mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, & ſæcula proſunt;
Solaque non norunt hæc monimenta mori.

Sic emendo eum locum. τὸ *At* diſſimilitudinis eſt, ut aliàs adnotavi. *Nomen quæſitum ingenio*, laus parta mentis viribus. *Quærere*, comparare. Horatius A. P. *Quærit opes & amicitias. Ab ævo*. τὸ *ab* vacare poteſt, ut ſupra notavi. *Non excidet* (ullo) *ævo*, id eſt, numquam. Sic Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 4. (antequam) *longâ pietas excidat iſta die*. Vel *excidet ab ævo*, effluet ex ævi memoria; id eſt enim excidere. Virgilius 1. Æneid.

Necdum etiam cauſſæ irarum, ſævique dolores
Exciderant animo.

Aliud eſt Eleg. 7. infra: *Primo miſer excidit ævo. Ab ævo*, ut Dio de Neroniana acclamatione ὃς ἀπ᾽ αἰῶνος Αὔγουστ, ἱερὰ φωνή. Ævum ab ætate omnium annorum: hinc æviternum, quod factum eſt æternum. *Ævum*, inquit Cenſorinus de Die Natali, *tempus maximum eſt ſine origine, ſine fine, quod & ſemper fuit, & ſemper futurum eſt.* Illud Ennii celebre:

Romulus in cælo cum diis genitalibus ævum
Degit.

Ingenio ſtat ſine morte decus. vide M. Senecæ Suaſoriam ult. & L. Senecæ caput 18. Conſolat. ad Polybium, [item caput 15. de Brevitate Vitæ. Huc etiam pertinent quæ ſcribit Salluſtius Belli Jugurth. cap. 2.] *Stat*, reſtat & remanet ceteris exſtinctis: vel permanet incolume & viget. Contra, cadere, perire. *Decus ſine morte*, ἀθάνατον κλέος. Horatius Ode 25. lib. 3. *Æternum decus.* Cornelius Fronto: *Decus, honoris; decor, formæ; decorum, actionis.* Idem: *Decus eſt inſtrumentum cujuſque: gloria, honoris merces.* Servius in 11. Æneid. *Decus, nobilitas, pulchritudo, vel ornamentum.* Plautus Aſin. in malam partem: *Carnifex capuli decus.* PASS. *At non.* Ita Virgilius 2. Æn.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo.

Ingenio ſtat ſine morte decus. Enimvero ubi nunc Romanorum Imperatorum ædes magnificæ? ubi Neronis aurea domus? ubi Veſpaſiani amphitheatrum? vix pauca ſuperſunt rudera, quæ iſta fuiſſe aliquando, fidem faciant poſteritati. At vivunt, & ſemper vivent illuſtrium ſcriptorum monumenta, quorum adminiculo res geſtæ fortium virorum ab interitu vindicantur. Vere Plinius lib. 7. H. N. cap. 13. Ciceronis manes allocutus: *Atque (ut dictator Cæſar, hoſtis quondam tuus, de te ſcripſit) omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus eſt ingenii Romani terminos in tantum promoviſſe, quam imperii.* Longe tamen diverſa ſentit Boethius lib. 2. de Conſol. Philoſ. Metro 2. Audi gloriæ inania contemtorem:

Sed quod decora novimus vocabula,
Num ſcire conſumtos datur?
Jacetis ergo prorſus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quod ſi putatis longius vitam trahi
Mortalis aurâ nominis,
Quum ſera vobis rapiet hoc etiam dies,
Jam vos ſecunda mors manet.

Boe-

Boethio adjunge M. Antoninum Imperatorem, Eorum quæ ad se ipsum lib. 3. Sect. 10. Μικρὸν δὲ, inquit, καὶ ἡ μηκίστη ὑστεροφημία, καὶ αὐτὴ δὲ κατὰ διαδοχὴν ἀνθρωπαρίων τάχιστα τεθνηξομένων, καὶ οὐκ εἰδότων οὐδὲ ἑαυτοὺς, ὅτι γε τὸν πρόπαλαι τεθνηκότα. h. e. *Exiguum quiddam, quæ & diutissime prorogatur, postuma fama; eaque homuncionum morti celerrime concedentium, qui ne se ipsos quidem probe norint, nedum jam olim defunctum quempiam, successionibus propagata.* VULP.

ELEGIA III.

VIsus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,

Re-

ARGUMENTUM ELEGIÆ III. LIBRI III.] Narrat, se inter dormiendum a Phœbo & Calliope reprehensum, quod heroici carminis fontes attingere ausus fuisset. VULP.

v. 1. VISUS ERAM MOLLI RECUBANS HELICONIS IN UMBRA, BELLEROPHONTEI QUA FLUIT HUMOR EQUI] An *eram*, pro sum? ut Eleg. 32. lib. 2.

Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis.

Visa autem dormientium intelligit, ut Eleg. 26. lib. 2. *Vidi te in somnis. Recubans*, reclinato corpore quiescens. ut Virgilius Ecl. 1.

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi.

Ovidius lib. 2. A. A.

Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.

In umbra molli, tenera, suavi, ut hic *mollia prata*. Virgilios 3. Georg. *Molli succedere sæpius umbræ*. & eadem mente 1. Æn. *Dulci adspirans complectitur umbra. Heliconis*; de eo monte dixi aliàs. est & fluvii nomen apud Pausaniam. τὸ *Qua* designat locum certum, ut Eleg. 11. lib. 1. v. 2. Noster Eleg. 3. lib. 4. *Qua* exponit, *qua parte*:

Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes.

Humor fluit. sic Eleg. ult. lib. 2.

Fluxerit ut magno fractus amore liquor.

Humor equi Bellerophontei, fons factus ungulà Pegasi. De Bellerophonte & Pegaso Noster Eleg. 30. lib. 2. v. 3. Statius 2. Silv. in Genethliaco Lucani: *Pendentis bibit ungulæ liquorem*. Hanc fabulam commemorat Horatius Ode 11. lib. 4. Pindarus in Isthmiis, Homerus Iliad. 6. Hyginus Fab. 57. Fulgentius lib. 3. Mytholog. Pausanias in Corinthiacis, Apollodorus l.2. Ceterum Palæphatos prædonem ait fuisse Bellerophootem, cujos navis diceretur Pegasus. A Pegaso equo, Pegaseus fons, Hippocrene. vide Ovidium 4. Metam. P. *Visus eram biscere posse*. Terentius pariter Eun. 3, 2.

Audire vocem visa sum modo militis.

Hoc est quod dicit Persius in Prol. Satyr. *Nec in bicipiti somniasse Parnasso Memini. In umbra.* Nemo paullo eruditior nescit, *umbram* apud optimos Latinitatis auctores interdum pro ignavia & otio usurpari. Ovidius lib. 3. A. A. v. 141. de poetis loquens:

Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi;
Contemto colitur lectus, & umbra foro.

& lib. 3. Amor. Eleg. 18.

Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra.

& lib. 10. Metam. v. 533. de Venere ipsa:

Assuetaque semper in umbra
Indulgere sibi, formamque augere colendo,
Per juga, per silvas, dumosaque saxa vagatur.

Horatius Epist. 7. lib. 1.

Conspexit, ut ajunt,
Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra.

Auctor Ceiris v. 3.

Cecropius suaves exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiæ complectitur umbra.

Martialis vero, Propertium secutus, Epigr. 85. lib. 9.

Hæc ego Pieria ludebam tutus in umbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.

Juvenalis quoque superiorum vestigiis insistens, ita de historicis Sat. 7. v. 104.

Sed genus ignavum, quod lecto gaudet, & umbra.

Umbracula dixit Cicero lib. 3. de Legib. *Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioque, non modo in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen, aciemque produxit.* Hinc *umbraticæ* dictæ scholæ declamatorum; quod nimirum id

ho-

Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum
Tantum operis nervis hiscere posse meis.
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit;

hominum genus fictis caussis agendis tempus tereret, nec umquam in forum, & publicam lucem progredi auderet. legendi Petronius Arbiter initio Satyrici, Seneca Rhetor in prooemio lib. 2. Controv. Plinius Cæcilius Epist. 2. lib. 9. Juvenalis citatus v. 172. Ad otium respexit Columella quoque lib. 1. de R. R. cap. 2. *Quidquid vero*, inquit, *debitur occasionis, ruri moretur; quae non sit more seguis, neque umbratilis*. VULP.

v. 3. REGES, ALBA, TUOS, ET REGUM FACTA TUORUM TANTUM OPERIS NERVIS HISCERE POSSE MEIS] De Alba Noster Eleg. 1. l. 4.

Et stetit Alba potens, albæ suis omine dicta.

Virgilius 1. & 6. Æneid. Dionysius Halic. lib. 1. Ovidius 14. Metam. & 4. Fast. Livius lib. 1. ubi singulos reges enumerat; Tibullus denique Eleg. 5. lib. 2.

Albaque ob Ascanio condita Longa duce.

Tantum operis. proferendum ἐπιφωνηματικῶς. ut Eleg. 11. infra:

Tantum operis, belli sustulit una dies.

Plautus Menæchm. 2, 4. *Tantum operis incepi*. *Hiscere posse*, canere velle: quod Persius in Prol. *Conari*. vide notata ad Elegiam 31. lib. 2. v. 6. *Nervis meis*; Beroaldi duplex interpretatio; una, *Nervis*, viribus ingenii, prava: altera, fidibus, recta. ut infra hic: *Hæc carmina nervis Aptat*. utitur & Cicero sæpe, & Horatius. Varroni etiam *Nerviæ* dicuntur. PASS. Horatius tamen Epist. ad Pison. v. 26. *Sectantem levia nervi Deficiunt, animique*. VULP.

v. 5. PARVAQUE TAM MAGNIS ADMORAM FONTIBUS ORA] Parabam bibere. Virgilius Ecl. 3. de poculis: *Necdum illis labra admovi*. Sic Ciceroni: *Admovere aures, manus*. Per *parva ora*, exiguum ingenium signat. ut Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 5.

Nostraque sunt meritis ora minora tuis.

Contra Noster Eleg. 10. lib. 2. *Magni nunc erit oris opus*. ad quem locum vide adnotata. *Tam magnis fontibus*, pro, maximis; ut sup. *Tantum operis*. Eodem pacto dixit alibi, *Tam cupidos amantes, tam certa puella, tam dura manu*. *Fontibus*; flumen vocat paullo post. PASS.

v. 6. UNDE PATER SITIENS ENNIUS ANTE BIBIT] Et diis & hominibus τὸ *Pater* honoris caussâ dicitur. sic Eleg. 3. lib. 4. *Pater Africus*. Virgilius: *Tibri pater, pater Neptune*. Lucillius apud Lactantium de Vera Sapientia cap. 3.

Nemo ut sit nostrûm, quoi non pater optimu' divûm:
Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars:
Janu', Quirine pater, nomen dicatur ad unum.

Virgilius, *Pater Æneas*; & Petronius, *Pater ipse veri Epicurus*. Ita *Pater Ennius*, ut ait Lucretius lib. 1.

Qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Horatius Epist. 19. lib. 1.

Ennius ipse pater, numquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda.

Q. Serenus Sammonicus:

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Vet. Gloss. *Ennipater*, Ἔννιος πατήρ. De Ennio Cicero in Bruto, & A. Gellius lib. 17. cap. ult. Somniavit autem Ennius, Homerum sibi in somnis apparuisse, itáque se alterum Homerum factum per metempsychosin. unde Horatius Epist. 1. lib. 2.

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus.

Persius autem Satyr. 6.

Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo;

quia ipse ait apud Charisium: *Commemini me fieri pavum*. *Ante*, vel ante me & alios, quia Epicorum princeps: vel olim, πάλαι, ut Eleg. 13. lib. 2. *Ante Lino*. *Bibit sitiens*; ergo avide & multum bibit. Elegia 5. infra:

Nec bibit e gemma divite nostra sitis. PASS.

Pater Ennius. videndus Columna ad Ennii Fragmenta p. 10. a. Lucretius 121. 9. BROUKH.

Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila,
Regiaque Æmilia vecta tropæa rate;
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
Cannensem, & versos ad pia vota deos;

Han-

v. 7. ET CECINIT CURIOS FRATRES, ET HORATIA PILA] Id est, statim atque bibit, cecinit. *Curios* vocat, quos alii Curiatios, nescio quos auctores secutus. Nota historia de tergeminis Curiatiis & Horatiis ex Livio lib. 1. & Dionysio Halic. lib. 3. De iis Ausonius:

Quot commissa viris Romana, Albanaque fata.

Horatia pila, Horatios pilatos, Horatiorum arma & pugnam; ut sup. Eleg. 2. *Pyramidum sumtus, & fortuna sepulcri*. *Pilum*, inquit Varro 4. de L. L. *quasi perillum; ab omine, ut eo hostis periret*. Festus: *Pilani, pilis uti assueti*. Idem: *Pilumnoë poploë: Romani, qui pilis utebantur*. Pilum fuit hasta Romana. vide Vegetium lib. 2, de R. M. cap. 15. An alludit ad pilam Horatiam (notat etiam Beroaldus) mutato genere? ita enim columna dicta, cui imposita erant Curiatiorum spolia. Dionysius lib. 3. Livius lib. 1. & *Pila Horatia* locus Romæ apud P. Victorem. PASS. Sic alibi *aquæ Baja, venena Colcha*, & quæ sunt id genus alia centena. nihil ajunt, qui *Pilam Horatiam* alludi putant. germanum in modum Manilius L. 5. quo loco de Hædis;

Nec crede severæ
Frontis opus Signo; strictos nec crede Catones,
Abruptumque patri Torquatum, & Horatia facta. BROUKH.

v. 8. REGIAQUE ÆMILIA VECTA TROPÆA RATE] Rapta de Perseo Macedoniæ rege, legendus Livius tota decade quinta, & Plutarchus in Paullo Æmilio. tangit Noster Eleg. ult. lib. 4.

Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,

Tropæa, ut Eleg. 9. infra:

Mæcenatis erunt vera tropæa fides.

Servius in 10. Æneid. *Tropæum dictum ἀπὸ τῦ τρέπεσθαι, id est, ab hostium in fugam versione; unde qui hostem fugasset, merebatur tropæum; qui occidisset, triumphum*. Tropæi descriptio est apud Virgilium initio 11. Æneid. Statium 2. Thebaid. Fuga hostium vocatur τροπή: hinc & spolia capta fixa in stipitibus appellantur *Tropæa*. Varro apud Nonium, & Isidorus. *Rate*, κατ' ἐξοχὴν: nam regia navi ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, adverso Tiberi in Urbem subvectus est Paullus Æmilius. vide Livium lib. 45. & Plutarchum in Paullo Æm. Quid proprie *ratis*, vide Festum in *Ratis*. Æmiliam gentem, inquit idem Festus, appellatam dicunt a Mamerco Pythagoræ philosophi filio: cui propter unicam humanitatem cognomen fuerit αἱμύλος. Alii quod ab Ascanio descendat, qui duos habuit filios, Julum & Æmilon. vide Plutarchum in Æmilio, & in Numa. PASS. *Regiaque Æ. v. t. r.* vide Merulam ad Ennium p. 556. BROUKH. Persei Macedonum regis, de quo Paullus Æmilius magna gloria, nec minore animi moderatione triumphavit. Livius id testatur l. 45. Florus lib. 2. H. R. cap. 12. Aurelius Victor de Viris Illustribus. Existimo autem, victoriam ac triumphum Æmilii postremis Annalium libris ab Ennio comprehensa fuisse. tunc enim poeta senex erat. VULP.

v. 9. VICTRICESQUE MORAS FABII, PUGNAMQUE SINISTRAM CANNENSEM, ET VERSOS AD PIA VOTA DEOS] Id est, moratorem & cunctatorem Fabium, & ob id victorem; ut sup. *Horatia pila*. *Moræ Fabii*, ut Eleg. 9. infra:

Tuta sub exiguo flumine nostra mora.

Et mora hic in laudem: apud Jurisconsultos est improba dilatio. Notum ex Ennio apud Ciceronem, Virgilio 6. Æneid. Ovidio 2. Fast. Ut Fabius *cunctando restituit rem*, vide Livium lib. 22. ac 30. Princeps gentis Fabiæ Favonius dictus est; quod cum ejus matre in fovea Hercules concubuerit; vel quod is docuerit, quomodo ursi & lupi foveis caperentur. Festus in *Favonii*, & Plutarchus in Fabio Maximo. De Cannensi pugna, Dionysius lib. 2. Livius lib. 22. Strabo lib. 6. Valerius Maximus lib. 3. cap. 5. Plinius lib. 15. H. N. cap. 18. Festus, in *Græca sacra*, Cicero, & alii. unde Silius

Can-

Hannibalemque Lares Romana ſede fugantes,
Anſeris & tutum voce fuiſſe Jovem.
Quum me Caſtalia ſpeculans ex arbore Phœbus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:

Quid

Cannas (vicus fuit Apuliæ) vocavit *Heſperiæ tumulum*. *Verſos ad pia vota deos* ; qui tandem ex iratis propitii facti, oculos mentesque ad preces piorum retorſerunt. ſic Virgilius 12. Æneid. *Mentem lætata retorſit*. Qui avertunt ſe, iniqui : qui vertunt ſe ad nos & reſpiciunt, æqui. Virgilius 1. Æneid. *Si qua pios reſpectant numina*. Aliud eſt apud Horatium Ode 5. lib. 1. *Fidem Mutatoſque deos flebit*. PASS. *Victriceſque moras Fabii*. ſic elegantius libri ſcripti. atque id jám expreſſerant editiones ante Scaligeranam. Alii, *Victoriſque moram Fabii*. BROUKH. *Victriceſque moras Fabii*. Manilius 1. Aſtron. v. 787. *Invictuſque mora Fabius*. *Pugnam Cannenſem*. Ita Livius initio lib. 23. *Hannibal poſt Cannenſem pugnam, caſtra capta ac direpta, confeſtim ex Appulia in Samnium moverat*. VULP.

v. 11. HANNIBALEMQUE LARES ROMANA SEDE FUGANTES] Hanc hiſtoriam nos docet Varro in Ἡρακλῆς *tuam fidem*, apud Nonium in *Tutanus* :

Noctu Hannibalis quum fugavi exercitum,
Tutatus hoc, Tutanus Romæ nuncupor.
Hac propter, omnes qui laborant, invocant.

Hannibal enim, quum *ob Romam*, ut ait Feſtus in *Ob*, *legiones ducere cœpiſſet*, quibuſdam terriculamentis territus reduxit exercitum. Idem Feſtus in *Rediculi* : Rediculi fanum extra portam Capenam (Collinam Livius lib. 26.) fuit ; quia accedens ad urbem Hannibal, ex eo loco redierit, quibuſdam viſis perterritus. Livius lib. 26. nihil de hac fuga. *Lares* ergo Propertio Penates urbis Romæ, diique tutelares, *Tutanus* Varroni, & idem Hercules. De Laribus Præſtitibus Ovidius 5. Faſt.

Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus urbis,
Et ſunt præſentes, auxiliumque ferunt.

Romana ſede, pro Romanis ſedibus & urbe. Sic Virgilius 1. Æneid. *Regnumque a ſede Latini Transferet*. id eſt, urbe. Legitur in aliis libris, *cæde*. An *Romana ex æde* ? quia ex ea æde & fano Rediculi, ſive Tutani, Hannibal redire cœpit. PASS. *Romana ſedes*, eſt ipſa urbs Roma, ſedes Reipublicæ. Catullus Carm. 80. *Iſte tuus moribunda a ſede Piſauri Hoſpes*. BROUKH. De nomine Hannibalis vide A. Gellium lib. 4. N. A. cap. 7. VULP.

v. 12. ANSERIS ET TUTUM VOCE FUISSE JOVEM] Id eſt, Capitolium, cui præſidebat Juppiter. ut Eleg. 4. lib. 4. *Antiqui limina capta Jovis*. Horatius pariter Ode 5. lib. 3. *Incolumi Jove & urbe Roma*. Hiſtoria eſt apud Livium lib. 5. Plinium lib. 10. H. N. cap. 22. & lib. 20. cap. 3. Plutarchum in Camillo, Virgilium 8. Æneid. Tangit Lucretius lib. 4.

Humanum longe præſentit odorem
Romulidarum arcis ſervator candidus anſer.

Ovidius lib. 2. Metam.

Nec ſervaturis vigili Capitolia voce
Cederet anſeribus.

Voce ait Naſo, ut hic Propertius. Feſtus *gingritu* dixit ; Virgilius, *ſtrepitu* ; Columella, *clangore*. De anſeribus Capitolinis Cicero pro Sex. Roſcio. Ovidius iterum 1. Faſt.

Nec defenſa juvant Capitolia, quominus anſer
Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas. P.

Anſer pro olore poſitus eſt apud Virgilium in Ceiri :

Aeriis potius ſublimem ſuſtulit alis,
Eſſet ut in terris facti de nomine Ceiris,
Ceiris Amyclæo formoſior anſere Leda.

------ & recte quidem. nam olores in anſerino genere numerant naturæ conſulti. BROUKH.

v. 13. QUUM ME CASTALIA SPECULANS EX ARBORE PHŒBUS SIC AIT, AURATA NIXUS AD ANTRA LYRA] Sic Attius Medea apud Nonium in *Aucupavi* : *Ego me extollo in abietem: e alto ex tuto proſpectum aucupo*. Tacitus quoque lib. 11. Annal. *Ferunt, Vectium Valentem, laſcivia in prealtam arborem conniſum, interrogantibus quid aſpiceret, reſpondiſſe, tempeſtatem ab Oſtia atrocem*. Varro 6. de L. L. *A ſpecio, ſpecula, & ſpeculator. Speculari, e ſpecula, id eſt loco*

 edi-

Quid tibi cum tali, demens, eſt flumine? quis te
Carminis heroi tangere juſſit opus?
Non hinc ulla tibi ſperanda eſt fama, Properti.
Mollia ſunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in ſcamno jactetur ſæpe libellus,
Quem legat exſpectans ſola puella virum.

Cur

edito, proſpicere quid agatur; ut hic ex arbore. *Arbor Caſtalia*, laurus, quæ ſpectatiſſima in Parnaſſo, inquit Plinius. Elegia 13. infra: *Mons laurigero concuſſus vertice*. Servius in 3. Georg. *Caſtalia fons in Parnaſſo*. Lactantius, a Caſtalia virgine illic merſa, dum Apollinem fugeret, dictum putat. De fonte Caſtalio Plinius lib. 4. H. N. cap. 3. & Pauſanias in Phocicis. Horatius Ode 4. lib. 3. *Qui rore puro Caſtaliæ lavit Crines ſolutos*. *Sic ait*, ὣς φάτο, Homerus. quod modo præponitur, modo poſtponitur. vide Eleg. 3. lib. 1. v. 34. *Nixus lyra*. Statius lib. 5. Silv. Epicedio in patrem: *Dux ipſa* (Calliope) *ſilenti Fulta caput cithara*. *Nixus lyra*, leniter lyræ incumbens. geſtus exprimitur eo verbo, ut Eleg. 3. lib. 1. v. 8. Illud Virgilii ſimile Ecl. 8.

Incumbens tereti Damon ſic cœpit olivæ.

Auratam lyram Phœbo tribuit Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8. & Orpheo Caſſius Parmenſis. *Ad antra*, enallage, pro, ad & juxta antrum. ſolent autem arbores antris imminere. Virgilius Ecloga 9. *Hic candida populus antro Imminet*. PASS. *Caſtalia ex arbore*. fortaſſe arborem pro ſilva poſuit; quemadmodum Eleg. 22. hujus libri:

Pentheа non ſævæ venantur in arbore Bacchæ.
VULP.

v. 15. QUID TIBI CUM TALI, DEMENS, EST FLUMINE? QUIS TE CARMINIS HEROI TANGERE JUSSIT OPUS?] Objurgationis formula in eum qui a ſe aliena curat. Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Quid tibi ſævitiæ mecum eſt?* Ovidius lib. 1. A. A. ad Paſiphaën:

Quid tibi cum ſpeculo montana armenta petenti?

Cum tali flumine; id eſt, *tam magnis fontibus*, ut dixit ſup. *Flumen* pro aqua copioſa, ut Eleg. 20. lib. 1.

Tandem haurire parat demiſſis flumina palmis.

Flumen eſt aqua ipſa quæ fluit continue. Feſtus & Varro. Interdum eſt fluxus, interdum vis aquæ. Servius. *Quis juſſit te tangere?* quis tibi auctor fuit ut alienum tangeres? quod eſt furti. *Juſſit*; ex formula: *Jubeo, cogo, & impero*. *Tangere*; ut apud Plautum Aulul. 4, 6. *Cur id auſus facere, ut quod non tuum eſſet tangeres?* unde *tagaces*, furunculi. Ciceroni etiam tangere & attingere, eſt leviter ſcribere vel diſſerere de re aliqua. *Opus carminis heroi*, Epicorum materiam; ut *magni oris opus*, Elegia 10. lib. 2. Ovidius lib. 2. Faſt. *Heroi res erat iſta pedis*. PASS.

v. 17. NON HINC ULLA TIBI SPERANDA EST FAMA, PROPERTI] Non eſt quod putes hinc te nomen poſſe quærere ingenio. ut Eleg. 7. lib. 1.

Hinc cupio nomen carminis ire mei. PASS.

Non hic. ſenſus & Latinitatis ratio poſtulant, *Non hinc*. quomodo ad marginem ſui libri notaverat Douza P. & legitur in editione Volſci. ſic infra Eleg. 7.

Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo. BROUKH.

v. 18. MOLLIA SUNT PARVIS PRATA TERENDA ROTIS] Per *mollia prata* mollem elegorum materiam, & campum ſcribendorum amorum intelligit: per *parvas rotas* tenuem ſtilum; quia Muſa illius curru & equis vehitur. Eleg. 1. ſup. v. 10. & ſeq. *Mollia prata*, tenera, ob gramen molle & herbas. Virgilius 1. Georg.

Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Ovidius 1. A. A.

Mollibus in pratis admugit femina tauro.

Prata, inquit Varro 4. de L. L. *Quod ſine opere parata*. *Terere prata rotis*, currum agere per prata, [& ibi orbitam imprimere.] *Parvis rotis*, exiguo curru. ſic Eleg. 1. ſup.

Scriptorumque meas turba ſecuta rotas.

Eſt autem apud Noſtrum frequens a curriculo allegoria. PASS.

v. 19. UT TUUS IN SCAMNO JACTETUR

SÆPE

Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros?
  Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
  Tutus eris. medio maxima turba mari est.

Di-

SÆPA LIBELLUS] Sæpe jaciatur quum satietas legendi ceperit: vel commendetur & laudetur. *In scamna*, ubi sedebant ad lecti pedes. legebant enim sedentes, & libri ipsi jacebant in scamnis super pulvillos. Horatius Epodo 8. Idem Sat. ult. lib. 1.

.Demetri, teque, Tigelli,
Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.

Scamnum aliquando pro sedili. Ovidius 1. Fast.

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat.

ut scamnum sit *θρόνος. un banc*. Sed sæpius est *ὑποπόδιον, un marche pied*. Ovidius 1. A. A.

Et cave sub tenerum scamno dedisse pedem.

Isidorus lib. 20. Orig. cap. 11. *Scamna sunt quæ altioribus lectis apponuntur, a scandendo*. Eadem fere Varro 4. de L. L. *Libellus*; enallage, pro libelli. ut Eleg. 2. sup. v. 17. PASS.

v. 20. QUEM LEGAT EXSPECTANS SOLA PUELLA VIRUM] Ut scilicet moræ tædium fallat. *τὸ Sola*, inquit; nam si cum viro esset, non lectione, verùm sermone vel opere, tempus consumeret. PASS. Nequitiis etiam prurientis paginæ dormientem Venerem interdum excitabant. vide Martialis Epigr. 17. lib. 11. & 97. lib. 12. Nonnulla huc pertinentia legere possis apud Jo. Boccatium *ἐν προοιμίῳ τῦ δεκαημέρυ*. VULP.

v. 21. CUR TUA PRÆSCRIPTOS AVECTA EST PAGINA GYROS?] Cur seorsum vecta ab orbe & spatio tibi definito? cur tu egressus fines tibi præstitutos? ita legit Scaliger, & Lipsius lib. 3. Var. Lect. cap. 12. Vulgo legebatur:

Cur tua præscripto sevecta est pagina gyro?

Sevecta, seorsum vecta: ut seditio, seorsum itio. *γύρος*, circuitus & orbis; ut Noster dixit Eleg. 1. v. ult. sup. *In orbem carminis redire*. Ovidius in Remed. Amor.

Hactenus invidiæ respondimus. attrahe lora,
Fortius & gyro curre, poeta, tuo.

Interiorem & *minorem gyrum*, dixerunt Cicero, Horatius, Papinius, pro breviore, & qui metæ propior est. Porro & equus & currus in gyrum flectuntur. vide adnotata ad Eleg. 14. infra: *Gyrum pulsat equis*. Inde M. Tullius multas ducit allegorias. Etiam volantes milvii dicuntur gyros ducere. Item vultures. Ovidius:

Vivit edax vultur, ducitque per aëra gyros. P.

v. 22. NON EST INGENII CYMBA GRAVANDA TUI] Per *cymbam* exigua significatur facultas ingenii. allegoria a re nautica, ut supra ab agitatoribus. Ita Eleg. 9. infra:

Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.

Ibidem:

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.

Ingenium suum & elegos cum cymba, epos cum nave oneraria comparat. *Gravatur onere cymba*, ut apud Virgilium 6. Æneid. *Gemuit sub pondere cymba Sutilis*. Eadem allegoria Ovidius lib. 2. Trist.

Non ideo debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu. PASS.

Cymba ingenii tui. Dantes Aligherius Cantu 1. Purgatorii:

Per correr miglior' acqua alza le vele,
Omai, la navicella del mio ingegno,
Che lascia dietro a se mar sì crudele.

Propertium a Dante lectum dixeris. VULP.

v. 23. ALTER REMUS AQUAS, ALTER TIBI RADAT ARENAS] Ita cymbæ minutos remos tribuit Eleg. 11. lib. 1. v. 9. & sic *biremem scapham* Horatius memorat Ode pænult. lib. 3. Radunt remi vada, quum premunt & stringunt. Virgilius 7. Æneid.

Proxima Circææ raduntur litora terræ.

Idem 5. Æneid.

Litus ama, & lævas stringat sine palmula cautes.

Horatius Ode 10. lib. 2. *Rectius vives, Licini, neque altum Semper urgendo, neque dum procellas Cautus horrescis, nimium premendo Litus iniquum*. PASS. Expressit Nostrum auctor Agamemnonis, sive is Seneca est, sive potius Memor, ut Jos. Scaliger statuebat, v. 103. *Felix, mediæ quis-*

quis

Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantque cavis tympana pumicibus.

Ergo

quis turba forte quietus, Aura stringit litora tuta; Timidusque mari credere cymbam, Remo terras propiore legit. BROUKH. Hoc est quod Itali dicimus, *andar costeggiando*. Torquatus Tassus Cantu 1. Gothifredi strophe 78.

Sapendo ben, che le propinque sponde
L' amica armata costeggiando rade.

Dicimus etiam, *piaggiare*, *andar piaggio piaggia*. Similis est quodammodo sententia Nic. Boileavii extremo ipso Carmine ad Ludovicum XIV. quod ante Satyras posuit:

Et sans passer plus loin, finissant mon ouvrage,
Comme un Pilote en mer, qu'épouvante l'orage,
Dès que le bord paroît, sans songer où je suis,
Je me sauve à la nage, & j'aborde où je puis.

Ceterum, hujusmodi erat fere antiquorum navigatio: plerumque enim legebant litora. Hinc illa *Malea*, Peloponnesi promontorium, *longas navibus flectens moras*; ut ait Seneca Medea v. 149. & seqq. quas ambages utique evitassent, si in altum se conjecissent. VULP.

v. 24. TUTUS ERIS. MEDIO MAXIMA TURBA MARI EST] Extra periculum naufragii eris navigando juxta litus. Proverbium est quod refert Plutarchus in Sympos. Πλοῦς μὲν ὁ παρὰ γῆν, περίπατος δὲ ὁ παρὰ θάλατταν ἥδιστος. *Navigatio prope terram, deambulatio prope mare suavissima*. vide Junium Prov. 90. cent. 2. & Prov. 47. cent. 4. in med. *Maxima turba est*, nempe tumultus ac tempestas. Aliter Eleg. 1. lib. 4. *Maxima turba, Gabii*. Virgilius 1. Æneid. cum turba & seditione tempestatem comparat. Attius Tropæo apud Nonium, in, *Turba*: *Non vides quantam turbam, quo sonitusque fluctus conciet?* Donatus in Prologum Hecyræ: *Nunc turba nulla est*, ἀνεπόδιστος, inquit, ἀντὶ τῶ *tumultuantur*. & Turba, τύρβη. vide Ulpianum Lege *Prætor*, D. *Vi bonorum raptorum*. *Media mari*. alto. Virgilius 3. Æneid. *Gradimurque per æquor Jam medium*. PASS. *Turba*. Cicero Catone majore: *Quum in illud divinorum animorum concilium cœtumque proficiscar, cumque ex hoc turba & colluvione discedam*. Idem Epist. 6. lib. 6. *Quanta in turba, quantaque in confusione rerum omnium viveremus*. *Medio mari*. Virgilius 3. Æneid. v. 104.

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto;

ad quem locum Servius: *Potest quidem intelligi secundum Sallustium longe a continenti*. VULP.

v. 25. DIXERAT, ET PLECTRO SEDEM MIHI MONSTRAT EBURNO] Plectrum intendit eo, ubi commode sedere possem inter poetas. Monstrare, quum id fit solo indice, dicitur indicare: a monendo scilicet, quasi monestare; unde monstra: Festus. Hinc pro monstro quodam præsignificare; ut Virgilius 1. Æneid. *Signum quod regia Juno Monstrarat*. *Plectra eburna*. Idem 6. Æneid.

Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno. PASS.

v. 26. QUA NOVA MUSCOSO SEMITA FACTA SOLO EST] Sic, *Intacta via*, dixit Eleg. 1. sup. v. 18. Eleg. vero 6. lib. 4.

Pura novum vati laurea mollit iter.

Facere semitam, quod Virgilius 1. Georg. *Angustum iter terere*. Plautus Curcul. 1, 1. *Dum ne per fundum septum facias semitam*. Varro 4. de L. L. *Semita, qua anguste ibant, quasi semiiter*. Abutitur Noster sæpe, pro via. *Solo muscosa*, humo vestita musco, ut Eleg. 30. lib. 2. de antris Musarum:

Roscida muscosis antra tenere jugis.

Charisius lib. 10. *Muscus herba, quæ in parietibus, saxis, vel corticibus arborum nascitur, vel hæret*. Quid *solum*, dixi ad illud Tibulli, Carm. 1. lib. 4. *Adversa sola vestigia nostra*. PASS. *Nova semita* significat, se Romanorum primum Elegiæ conscribendæ in morem Græcorum dedisse operam. vide supra Eleg. 1. VULP.

v. 27. HIC ERAT AFFIXIS VIRIDIS SPELUNCA LAPILLIS] Isidorus lib. 16. cap. 3. *Spelæa Græce, Latine spelunca, rupes cavata*. Servius in Ecl. 10. *Inter spelæa ferarum*: *Græce dixit* σπήλαια *pro speluncis*. Idem in 1. Æneid. *Sub rupe cavata*: periphrasis, inquit, speluncæ. ubi Virgilius modo *antrum*,

Ergo Musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami, Pan Tegeee, tui.

Et

trum, modo *speluncam* vocat. *Viridis spelunca*, vel herbis illic enatis, vel umbra frondium colorem illum inducente, vel ob muscum & viridem lanuginem; ut versu sup. Sic Virgilius Ecl. 1. *Viridi projectus in antro*. vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 5. *Hic erat*, pro illic. ut Eleg. 20. lib. 1.

Hic erat Arganthi Pega sub vertice montis.

Affixis lapillis; ita hærentibus, ut arte & opere, non natura, hærere viderentur. Virgilius 6. Æneid. sic vocavit *speluncam scrupeam*. & Ennius:

Per speluncas saxis structas asperis pendentibus.

PASS.

v. 28. PENDEBANTQUE CAVIS TYMPANA PUMICIBUS] Demissa erant e speluncæ camera; & Libero sacrum antrum ostendebant. *Tympana* rotunda erant, ideoque dabantur Gallis Cybeles, quia orbem terræ referunt: unde Eleg. 7. lib. 4. *Æra rotunda Cybelles*, vocat. Suetonius in Augusto cap. 68. *Viden' ut cinædus orbem digito temperat?* παρὰ τὸ τύπτειν, a feriendo, percutiendo. Catullus Carm. 63.

Plangebant alii proceris tympana palmis.

Isidorus lib. 3. Orig. *Tympanum pellis vel corium ligno ex una parte extensum, quod virgulâ percutitur*. Catullus Galliambo:

Quatiensque terga tauri teneris cava digitis.

vide Virgilium 9. Æn. Ovidium 4. Metam. & 4. Fast. Homero, Apollodoro, Catullo τύπανον abjecta littera *m*. *Cavis pumicibus*, pro, e cavis pumicibus. De pumice dictum ad Eleg. 1. sup. v. 8. erant autem frequenter in antris. Apud Ovidium 3. Metam. in Fab. Narcissi & Echûs, *natura*, ut *antrum nemorale* strueret,

Pumice vivo,

Et levibus tophis nativum duxerat arcum.

Idem lib. 3. Amor. Eleg. 1.

Fons sacer in medio, speluncaque pumice pendens. PASS.

Æra rotunda Cybelles, non sunt tympana, sed cymbala; nam tympanum, ex corio; quod hodie vocamus *cembalo* & *tamburo*: cymbalum, ex metallo. Cymbala vasis concavi formam habebant, & bina inter se collisa flictu sonum edebant. De tympanis & cymbalis dixi ad Galliambum Catulli. V.

Illustravit hunc versum Turnebus L. 26. Adversf. C. 33. adducto Plinio L. 36. C. 21. *Non prætermittenda est & pumicum natura. Appellantur quidem ita & erosa saxa, in ædificiis, quæ* musæa *vocant, dependentia, ad imaginem specus arte reddendam*. Sane poetis saxa quævis erosa, de quibus sacra dearum ac nympharum antra construxerunt, *pumices* vocantur aut *tophi*. in quibus verbum *pendere* quam maxime proprium est; neque temere in Plinio legitur. Ovidius lib. 8. Metam.

Pumice multicavo, nec levibus atria tophis
Structa subit. molli tellus erat humida musco.

& Epist. Sapphûs:

Antra vident oculi scabra pendentia topho,
Quæ mihi Mygdonii marmoris instar erant.

& sic alibi sæpius. Lucretius quoque ita locutus, Virgilius, Pedo Albinovanus, Seneca, Papinius. BROUKH.

v. 29. ERGO MUSARUM, ET SILENI PATRIS IMAGO FICTILIS, ET CALAMI, PAN TEGEEE, TUI] *Ergo* potest esse adverbium temporis; ut *igitur*, pro tunc, Plauto. vel est anastrophe; *Musarum ergo*, Μουσῶν χάριν. scilicet, Musarum in gratiam illic erant imagines Sileni & Panos. An *ergo*, pro autem? Virgilius Ecl. 5.

Ergo alacres silvas, & cætera rura voluptas,
Panaque, pastoresque tenet.

Albinovanus in obitum Mæcenatis:

Redditur arboribus florens revirentibus ætas:
Ergo non homini quod fuit ante redit.

Pro *At* etiam, & *Atqui* usurpatum fuit ab antiquis. Eodem pacto Sallustius & Plautus ponunt *igitur* pro autem. *Imago*, simulacrum, effigies. Festus: *Imago ab imitatione dicta*. Charisius ducit ab *im*, pro eum, & *agere*, referre; eum enim agit & refert cujus est imago. Suetonius in Augusto cap. 7. dixit, *imagines cubiculares*, de signis. *Fictilis imago*; nam signa deorum olim fictilia, e luto facta, & cocta a figulo (ut etiam lignea); qua de re dicetur ad Eleg. 1. lib. 4. v. 5. *Sileni patris*. de Sileno multa dixi ad Catulli Carmen de Nuptiis P. ac T. & ad Eleg. 32. lib. 2. v. 38. *Pater* autem dicitur quia educator Bacchi. de hoc verbo dictum sup. hic

ad

Et Veneris dominæ volucres mea turba columbæ
Tinguunt Gorgoneo punica roſtra lacu.

Di-

ad v. 6. *Calami*, fiſtula e ſeptem calamis, ſive cicutis, avenis, arundinibus compacta. vide Virgilium Ecl. 2. & 3. Noſter Eleg. 17. infra:

Capripedes calamo Panes biante canent.

καλάμα Græce, Latine calamus mutato genere. Donatus in Eunuch. *Calamitas, quod comminuat calamum, hoc eſt culmum, ac ſegetem. Tui*, per apoſtrophen, ut Eleg. 3. lib. 1.

Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus.

Pan, notum nomen & numen; de quo Servius ad illud Eclogæ 2. *Imitabere Pana canendo*. ubi deſcribit, & comparat cum univerſitate. vide Homerum in ejus hymno, & Lilium Gyraldum. *Tegeæus* dicitur, quia deus Arcadiæ, cujus oppidum Tegea, vel Tegeum, ut Servius vocat. De Tegea Pauſanias in Arcadicis. Virgilius 1. Georg. *Adſis o Tegeæe favens*. vide adnotata ad Elegiam 18. lib. 1. v. 20. PASS. Quum *ergo* valeat idem quod *igitur*, par eſt ut hoc loco ſignificet *deinde*, vel *tum*: Feſtus: IGITUR *nunc quidem pro completionis ſignificatione valet, quæ eſt* ERGO; *ſed apud antiquos ponebatur pro inde, & poſtea, & tum*. ſane ita Plautus poſuit Rud. Act. 4. Sc. 2. vide, ſi libet, Scaligerum ad Catal. Virgilii p. 271. Giſanium Ind. Lucret. in *Igitur*; Taubmannum ad Plaut. Moſtell. Act. 2. Sc. 1. v. 33. Canterum L. 4. Novar. Lect. C. 26. qui poſtremus etiam tradit, Lud. Carrionem in libro quodam, pro *ergo*, perſpicue *illic* legiſſe. Crederem, ſi legiſſet id Canterus. BROUKH. De hujus particulæ in hoc loco ſignificatione, vide ſis Theodorum Gorallum, ſive Johannem Clericum, ad verſum 114. Eleg. 2. Pedonis Albinovani, cujus tamen ſententiæ calculum non addiderim. VULP.

v. 31. ET VENERIS DOMINÆ VOLUCRES MEA TURBA COLUMBÆ TINGUUNT GORGONEO PUNICA ROSTRA LACU] De columbis diximus ad Eleg. 15. lib. 2. v. 27. Servius ad illud Virgilii 6. Æneid. *Maternas agnoſcit aves*, Veneri conſecratas, inquit, propter fœtum frequentem, & coitum. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 1. ad Cupidinem:

Cinge comam myrto, maternas junge columbas.

Vide Apollonium Rhodium lib. 3. Argon. *Veneris dominæ*. Sic Ovidius 1. A. A.

Tu Veneri dominæ plaude favente manu.

& 4. Faſt.

Cumque ſua dominæ date grata ſiſymbria myrto.

nempe Veneri. *Dominæ Dianæ*, dixit Martialis Epig. 28. lib. 12. *Dominæ Junonis*, Noſter Eleg. 5. lib. 2. ubi vide adnotata. Servius in illud 3. Æneid.

Et juncti currum dominæ ſubiere leones;

Dominæ, inquit, *deas dicunt*. *Mea turba*, quid? an quarum agmina paſco, & diligo? Omnino mihi legendum videtur: *Mea cura*, id eſt, meæ deliciæ. ut Virgilius Ecl. 1. *Raucæ, tua cura, palumbes. Tinguunt*, rigant; ut verſu ult. hujus Elegiæ: *Ora rigavit aqua*. Sic Virgilius 8. Æneid. *Alii ſtridentia tingunt Æra lacu*. *Lacu Gorgoneo*, Meduſæo, nempe Bellerophontei equi humore, ut dixit ſup. hac Elegia. De Gorgone Meduſa dictum ad Eleg. 2. lib. 2. v. 8. Ovidius 3. Faſt.

Suſpice, Gorgonei colla videbis equi.

Id eſt, Pegaſi; quem lib. 5. Faſt. vocat equum Meduſæum. *Lacu*, vel fonte, vel aqua ex eo emanante, ſtagnante, ac collecta. Tibullus Eleg. 1. lib. 3.

Caſtaliamque undam, Pieriosque lacus.

Servius ad illud 8. Æneid.

Quo te cumque lacus miſerantem incommoda noſtra,

Fonte tenet,

Lacus, inquit, eſt quoddam latentis adhuc aquæ receptaculum, unde erumpens aqua efficit fontem, qui quum fluere cœpit, alveum facit. *Punica roſtra*, ſubrubentia, & colore accedentia ad florem mali punici. Horatius *puniceas vaſas* vocat, *puniceam* Plautus in Aulul. *laternam* e cornu ſubrubente. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 6. de pſittaco:

Tincta gerens rubro punica roſtra croco.

Apud Gellium lib. 3. cap. 9. aliter ſumitur puniceus color: nempe ſpadix. PASS. Palleratius reponit, *mea cura*. - - - - - non male. ſed neque vulgata male habet. Ovidius ipſo fine L. 3. Artis Amat.

Ut quondam juvenes, ita nunc mea turba puellæ
Inſcribant ſpoliis, Naſo magiſter erat.

tum

Diversæque novem sortitæ rura puellæ
Exercent teneras in sua dona manus.
Hæc hederas legit in thyrsos, hæc carmina nervis
Aptat, & illa manu texit utraque rosam.

E

tum L. 1. Amor. Eleg. 1.

Pieridum vates, non tua turba sumus.
BRUUKH.

v. 33. DIVERSÆQUE NOVEM SORTITÆ RURA PUELLÆ] Vel separatim vagantes: vel quia diversa & distincta sunt officia Musarum. Potest esse hypallage, pro, diversa rura. quod indicat altera lectio, *Et diversa*: Præterea Musæ & Nymphæ eædem, quæ aliæ aliis locis præsident. Innuit autem, Musas & Nymphas easdem esse, quod ex Varrone notat Servius in Ecl. 7. & 10. Virgilii. *Sortita rura*, quibus rura velut sortito obtigerunt. Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

Duraque sortiti tertia regna dei.

Ductum ex hereditatibus, quæ sorte dividuntur; unde κληρονόμοι, & Latinis consortes. vel quia sorte munia dividebantur. Virgilius 1. Æneid.

Operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.

vel a sortitione provinciarum. *Puellæ novem*; aut deæ: nam sequitur, dearum: vel Nymphæ. vide adnotata ad Eleg. 26. lib. 2. v. 14. De Musarum numero Arnobius lib. 3. *Ephorus tres numero (Musas) effert: Mnaseas, quatuor: Myrtilus, septem: octo, Crates: Hesiodus, novem.* Scaliger pro *rura*, lege *jura*, inquit: non pareo. PASS. *Diversæque n. s. r. p.* eadem hypallage in eadem voce utitur Maro L. 4. Georg.

Sternunt se somno diversæ in litore phocæ.
BRUUKH.

v. 34. EXERCENT TENERAS IN SUA DONA MANUS] Ut donare possint singulis poetis sua munera, elaborant ea & perficiunt ipsæ. Sic Eleg. 1. sup.

Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ.

Melpomene thyrsos affert tragicis: Clio & Polyhymnia Lyricus aptare vocem fidibus docet. At amantibus Erato rosas texit, & mollia serta. Ergo Musarum & Phœbi dona, versus; sed varii generis. Catullus Carm. 67.

Muneraque & Musarum hinc petis, & Veneris.

Exercent, otiosas esse non patiuntur. Virgilius 6. Æn. *Exercent membra palæstris*. P. *Pugnos exercere*, dixit Plautus Amphitr. V. *Teneras manus*, virgineas, puellares; ut Eleg. 10. lib. 1. *Tenera ungui*. PASS.

v. 35. HÆC HEDERAS LEGIT IN THYRSOS, HÆC CARMINA NERVIS APTAT, ET ILLA MANU TEXIT UTRAQUE ROSAM] Hæc, inquit, hederas decerpit, ut hastas iis tegat, quibus in sacris Liberi patris utebantur. Hinc Catullus in Aty:

Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.

De thyrso plura dixi ad Eleg. 30. lib. 1. v. 38. & ad illud Catulli de Nupt. Pelei ac Thet.

Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.

Hæc carmina nervis aptat. non assa enim voce hæc canebant, sed verba sociabant chordis. Horatius Epist. 3. lib. 1.

Fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa?

Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Sed postquam digiti fuerant cum voce locuti.

Variis modis canitur, ut ostendit versus Ausonii:

Ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.

At illa m. texit u. rosam. serit & nectit inter se; unde *Serta rosa* dicitur Appulejo. Tibullus Eleg. 4. lib. 3. *Contexunt amaranthis alba puellæ Lilia*. Ovidius 4. Fast.

Textaque composita juncea vincla rosa.

Et *textilis corona* Plinio. *Utraque manu* vero texebat, quasi esset ambidextra. Interdum est omnibus viribus. Eleg. 15. infra:

Regales manicas rupit utraque manu.

Virgilius 5. Æneid.

Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta.

Est & benignitatis & copiæ. Martialis alicubi:

Promisit pariter Cæsar utraque manu.

Græci, ἀμφοῖν χεροῖν, &, ἀμφοτέραις. vide Proverbium, *Utraque manu adesse*. Palmerius ergo fallitur, qui legendum putat: *Utramque rosam*. id est, candidam & purpuream. PASS.

E v. 37.

E quarum numero me contigit una dearum :
Ut reor a facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis ſemper vectabere cycnis;
Nec te fortis equi ducet ad arma ſonus.

Nil

v. 37. E QUARUM NUMERO ME CONTIGIT UNA DEARUM : UT REOR A FACIE, CALLIOPEA FUIT] Sic Ovidius lib. 5. Faſt.

Tum ſic neglectos hederâ redimita capillos
Prima ſui cœpit Calliopea chori .

Ut reor a facie . ut de facie, oriſque & corporis habitu conjecturam facio . M. Tullius in Piſon . *Virtus , quam ne de facie quidem noſti .* *Facies* , figura totius corporis : Gellius lib. 13. cap. 28. & lib. 9. cap. 13. *Fuit* , pro erat ; ut ſup. v. 1. *Viſus eram* , pro , ſum . *Calliopea .* de ea diſſerui ad Eleg. 2. lib. 1. v. 28. ubi Cynthiæ lyram donat . PASS. *Me contigit .* nimirum quos contigiſſent Muſæ , iis furorem poeticum inſpirabant . Sed & alia numina contingere dicebantur . Ovidius Epiſt. Phædræ v. 49.

Aut quas ſemideæ Dryades , Faunique bicornes
Numine contactas attonuere ſuo .

Noſter Eleg. 1. lib. 1.

Contactum nullis ante Cupidinibus. VULP. *Una dearum .* noſter primus , *una ſororum* . quod ſi recipimus , ſonum illum vaſtum ac ſubagreſtem evitabimus , qui oritur ex colliſione vocum *quarum* & *dearum* . Muſas eſſe ſorores & pueri ſciunt ; ſed Noſtri ratio haud paullo urbanior eſt . videlicet noverat ſingulas ; ſed ita noverat , ut tamen ſæpe falleretur in vultuum ſimilitudine . hinc caute ac circumſpecte loquitur in verſu minore , etiam tunc dubitabundus :

Ut reor a facie , Calliopea fuit .

hanc ſimilitudinem in ſuis Nereïdibus expreſſit poeta unus omnium ingenioſiſſimus L. 2. Metam.

Facies non omnibus una ,
Nec diverſa tamen : qualem decet eſſe ſororum .

Vide Plinium L. 7. C. 12. & Maronem L. 10. Æneid. BROUKH. *Ut reor a facie .* Cæſar ita locutus lib. 1. de Bello Gallico cap. 22. *Dicit , montem , quem a Labieno occupari voluerit , ab hoſtibus teneri : id ſe a Gallicis armis atque inſignibus cognoviſſe .* VULP.

v. 39. CONTENTUS NIVEIS SEMPER VECTABERE CYCNIS] Sat tibi erit ſi cycnis vectabere . τὸ *Niveis cycnis* iterandum ; *Contentus niveis cycnis , vectabere niveis cycnis* . eris amator , non bellator , equis bellicis vectari non deſiderabis . Nonius : *Contentus , cui res etiam parva , abunde eſt .* Sic Eleg. 7. infra :

Quod ſi contentus patrio bove verteret agros .

ubi repetitur & *contentus bove* , & *bove verteret* . vide adnotata ad Eleg. 30. lib. 2. v. 23. *Cycni nivei ;* ut Virgilius 7. Æneid. *Nivei liquida inter nubila cycni .* Cycnis , ut columbis & paſſeribus , vecta Venus . De illa Horatius Ode 28. lib. 3. *Paphon Junctis viſit oloribus .* Eo reſpicit Statius lib. 1. Silv. Carm. 2. *Amyclæos ad frena citavit olores .* PASS. Erotici , ſive amatorii , poetæ cycnis vectari dicuntur . Ovidius L. 2. Artis Amat. ipſo exodio :

Luſus habet finem : cycnis deſcendere tempus ,
Duxerunt colla qui juga noſtra ſuo. BROUKH.

Contentus , a continendo . qui enim certos fines cupiditati ſuæ ſtatuit , quibus ea contineatur & coerceatur , *contentum* Latini appellant . VULP.

v. 40. NEC TE FORTIS EQUI DUCET AD ARMA SONUS] Ut fortis miles , fortes turmæ , fortia ſigna ; ſic & fortis equus , ſive acris , quem *armigerum* vocat Eleg. prox. ſeq. Ennius :

Sicut fortis equus , ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia .

Ita notione quadam verbi dicitur *equi virtus* . *Fortis equi ſonus* , pro , equus ipſe hinniens . ut *Vis fortis equi* , apud Lucretium . Callimachus pariter Hymno in Delum v. 310. μύκημα , id eſt mugitum dixit pro bove & Minotauro . *Ducet ad arma* , te vehet ad bella , poetam heroicum . Sic Eleg. 1. lib. 2.

- Mihi ſi tantum , Mæcenas , fata dediſſent ,
Ut poſſem heroas ducere in arma manus .

vide illic adnotata . PASS.

v. 41.

Nil tibi sit rauco prætoria classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano prœlia signo
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes,

Bar-

v. 41. NIL TIBI SIT RAUCO PRÆTORIA CLASSICA CORNU FLERE, NEC AONIUM CINGERE MARTE NEMUS] Id est, Nihil id cures, nihil id tibi profuturum putes. ut Eleg. 1. lib. 4. *Nil erit hoc*. Sed puto legendum: *Ni tibi sit*. ni, pro, ne. Festus, Donatus, & Servius. pro, *ne fleas*; ut Eleg. 20. lib. 1. *Ne tibi sit adire*. *Flere classica*, flebiliter referre & canere. sic Elegia 9. lib. 1.

Aut Amphionia mœnia flere lyra.

Horatius Epodo 14. de Anacreonte: *Cava testudine flevit amorem*. *Flere classicum*, ut classicum aut bellicum canere. *Classes*, olim exercitus: Festus in *Classes*, in *Classe in procinctu*, & in *Opima*. Classicum dicimus & tubam ipsam flexilem, & sonum: Servius in illud 7. Æneid. *Classica jamque sonant*. An legendum, *Flare classica*, pro inflare tubas? ut Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

Et mihi sunt vires, & mihi flata tuba est.

[Quis umquam in Tibullo sic legit?] Sed & flere eodem recidit, flebiliter canere tuba, cujus querulus est sonus; ut docui ad Eleg. 13. lib. 2. *Classica prætoria*; quia classicum apud prætorem, id est, imperatorem canitur. Cæsar 3. de Bello Civili. Multa hic ineptit Beroaldus; qui & *præconia* legit ex veteri suo libro. De prætore, pro quovis imperatore, Varro 4. de L. L. & 2. de Vita Pop. Romani apud Nonium, Asconius in 3. Verr. Festus, Livius lib. 7. Cicero 3. de Legib. *Rauco cornu*. ellipsis, pro, cum rauco cornu. vide id genus exempla ad Eleg. 30. lib. 2. v. 38. Plene dixit Lucanus:

Non pia concinuit cum rauco classica cornu.

Catullus de Nupt. P. ac T.

Multi raucisonos efflabant cornua bombos.

Varro 4. de L. L. *Cornua, quæ nunc ex ære, tunc fiebant e cornu bubulo*. Lucillius apud Nonium in *Cogere*:

Rauco concionem sonitu, & curvis cogant cornibus.

Cingere Aonium nemus Marte. quasi armis circumdare & obsidere Musas. Sed cingere nemus indagine, est venatorum. quare melius vet. lib. *Tingere*. quasi nemus sanctum polluere & cruentare illis versibus. *Cruentus Mars*, Horatio, & *sanguineus* Virgilio dicitur, Græcis μιαιφόνος, ἢ αἱματόεις. *Aonium nemus*; ut Statius 1. Achilleid. - *Neque enim Aonium nemus advena pulso*. vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 2. PASS. Quid sint *prætoria classica*, si dubitas, docebit te magnus Lipsius Lib. 5. de Milit. Rom. Dial. 9. ------ *Flare*. Firmat hanc lectionem argutissimus ille Hispanus L. 11. Epigr. 3.

At quam victuras poteramus pangere chartas,
Quantaque Pieria prœlia flare tuba!

A. cingere Marte nemus. nihil poterat aptius dici. & miror Passeratium ac Gebhardum præferre mirificum suum *tingere*, sive *tinguere*. BROUKH. *Flare classica*. Ovidius 4. Fast. v. 341.

Exululant omnes, furiosaque tibia flatur.

Virgilius porro 9. Æneid. v. 379. de silva equitatu cincta sic elegantissime:

Objiciunt equites se se ad divortia nota
Hinc, atque hinc, omnemque aditum custode coronant. VULP.

v. 43. AUT QUIBUS IN CAMPIS MARIANO PRŒLIA SIGNO STENT, ET TEUTONICAS ROMA REFRINGAT OPES] Hypallage, & enallage, pro, Mariana signa stent prœlio, nempe ad prœlium committendum. nisi prœlia dixerit pro acies. *Mariana signa*, Aquilæ. Plinius lib. 10. H. N. cap. 4. Aquilam Romanis legionibus proprie dicavit C. Marius, in secundo consulatu, abdicatis aliis signis, Lupi, Minotauri, Equi, & Apri. De signis militiæ, vocalibus, semivocalibus, & mutis legendus Vegetius lib. 3. de Re Milit. cap. 5. *Stent*; vel horreant pilorum cuspidibus, vel ut Eleg. 5. infra:

Stant mihi cum domina prœlia dura mea.

Et Roma refringat opes, contundat, perdomet, sternat fractas vires & copias. Sic Horatius Ode 3. lib. 3. *Pugnaces Achivos Hectoreis opibus refringit*. ubi utroque ver-

 bo

Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mœrenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnæque canes ebria signa fugæ.

Ut

bo utitur, *Refringit*, *Opibus*. *Opes fracta Teucrûm*, dixit Virgilius 3. Æneid. *Teutonicas*. Juvenalis agens de Marii triumpho Sat. 10.

Quum de Teutonico vellet descendere curru.

De Teutonibus & Ambronibus victis a Mario, Plutarchus in ejus Vita. Teutonos Germaniæ populos Cimbris vicinos facit Plinius lib. 4. H. N. cap. 14. & Cæsar lib. 1. & 2. de Bello Gallico; a quo modo Teutones, modo Teutoni dicuntur. PASS.

v. 45. BARBARUS AUT SUEVO PERFUSUS SANGUINE RHENUS] An *Rhenus Barbarus*, qui barbaras & feras nationes alluit? Lucanus lib. 2. *Me barbara telis Rheni turba petat*. An *Barbarus*, ad discrimen Rheni Bononiensis? *Perfusus*, tinctus, imbutus. Virgilius 10. Æneid.

Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Petronius de Bello Civili:

Jam pridem nullo perfudimus ora cruore.

Suevo sanguine, ut Parthum & Romulum pro Parthico & Romuleo. Huc facit illud Ovidii lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva
Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat.

Albinovanus quoque ad Liviam:

Rhenus, & Alpinæ valles, & sanguine nigro
Decolor, infecta testis Isargus aqua.
Ille genus Suevos acre, indomitosque Sicambros
Contudit.

& mox:

Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
Ensibus & Suevos terga dedisse suis.

Suetonius in Augusto cap. 21. *Suevos & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit*. Vide Dionem lib. 51. qui eos ait trans Rhenum incolere; sed multos alios id sibi nomen sumere. Lege etiam Strabonem & Plinium. PASS. Libri fere *sævo*, aut *fevo*. unde Beroaldus bene restituit *Suevo*; & ante eum Antonius Volscus, etsi raro felix in his talibus. - - - - - Tu de fuga & clade Ariovisti intellige. videndus Cæsar L. 1. de bello Gallico C. 53. Erant autem Suevi gens multo ferocissima, & Germanis ipsis formidolosa. idem ille Heros prodit L. 4. C. 7. *Se se unis Suevis concedere; quibus ne dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint*. vides quam non vane glorietur noster Callimachus. BROUKH.

v. 46. SAUCIA MŒRENTI CORPORA VECTET AQUA] Secum deferat in mare fluitantia; quod Virgilius 1. Æneid. de Simoënte:

Correpta sub undis
Scuta virûm galeasque, & fortia corpora volvit.

unde *corporare*, interficere, Nonius. & *vectari* non est voluptatis, ut supra *vectabere cycnis*. *Saucia*, Romanorum telis confossa; ut Eleg. pænult. lib. 1. *Miles saucius*. *Mœrenti aqua*, quasi suos lugere videretur Rhenus. Sic Eleg. 1. lib. 2.

Aut canerem Ægyptum, & Nilum, quum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis.

ubi vide adnotata. PASS. Similes imagines occurrunt apud alios poetas. Legendus Catullus Carm. 63. a versu 357. Pulcra sunt & illa Silii Punic. lib. 1. v. 45.

Dum Romana tuæ, Ticine, cadavera ripæ
Non capiant: similisque mihi per Celtica rura
Sanguine Pergamo Trebia & stipantibus armis
Corporibusque virum retro fluat; ac sua largo
Stagna reformidet Thrasymenus turbida tabo.
Dum Cannas tumulum Hesperiæ, campumque cruore
Ausonio mersum sublimis Iapyga cernam:
Teque vadi dubium coeuntibus, Aufide, ripis
Per clipeos, galeasque virûm, cæsosque per artus
Vix iter Hadriaci rumpentem ad litora ponti.

VULP.

v. 47. QUIPPE CORONATOS ALIENUM AD LIMEN AMANTES, NOCTURNÆQUE CANES EBRIA SIGNA FUGÆ] τὸ *quippe*, est scilicet, nimirum, siquidem; ut dictum ad Eleg. 9. lib. 1. v. 27. *Canes amantes coronatos*. De coronis amantium ebriorum dixi ad Eleg. 3. lib. 1. v. 21. Ovidius lib. 4. Amor. Eleg. 6.

At

Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis,
Ora Philetea nostra rigavit aqua.

EL E-

At tu non latis detracta corona capillis
Dura super tota limina nostr jace.

Ex quo intelligitur cur dicat *ad limen*: nam in limine exclusi jacebant, ut dictum ad Eleg. 16. lib. 1.

Turpis & in tepide limine somnus erit.

Lucretius lib. 4.

At lacrimans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit.

Amantes ad limen, dictum ut a Virgilio 9. Æneid. *Fidusque ad limina custos*. Innuit autem adulterium, quum addit *alienum*, ut Eleg. 3. lib. 1. v. 36. Alienum ergo limen, fores vel mariti, vel lenonis. Et, *signa*, indicia. ut Eleg. 16. lib. 1.

Semper & exclusis signa jacere faces.

Ebria signa, hominum ebriorum; ut Elegia 3. lib. 1. *Ebria vestigia*. De fuga & rixa nocturna ebriorum amantium Eleg. 8. lib. 4. *Fugæ*; quod ab rivalibus & maritis sæpe amantes fugentur, ut in prœlio milites. hinc Eleg. 1. lib. 2. *Sicula classica bella fugæ*. Signa ebriorum; coronæ, faces, querelæ, rixæ. Canes ergo bella, inquit, sed Veneris, non Martis. Horatius Ode 6. lib. 1. *Nos prœlia virginum Sectis in juvenes unguibus acrium Cantamus*. PASS.

v. 49. UT PER TE CLAUSAS SCIAT EXCANTARE PUELLAS] Vi carminis puellas, præsertim quibus posita custodia a maritis, foras elicere, ut solent manes a sepulcris elici. Alludit enim ad verba XII. tabb. *Si quis fruges excantassit*. Plinius lib. 28. cap. 7. Seneca lib. 4. Nat. Quæst. cap. 7. Servius in illud Ecl. 8.

Atque satas alio vidi traducere messes.

Horatius Epodo 5. *Sidera excantata voce Thessala*. Varro Eumenid. apud Nonium in *Excantare*, quod male exponit, excludere: *Ubi vident se cantando ex ara excantare non posse, despere incipiunt*. Fragmentum Plauti ex Bacchid. *Nam tu quidem quoivis excantare cor facile potes*. nempe cor cantu & animum adimere. quod alibi, cor evocare foras. Lucanus denique lib. 6.

Tunc vos Lethæos cunctis pollentior herbis
Excantare deos. PASS.

Excantare p. ut solent fruges de agro in agrum traduci. nam hæc est vera notio verbi *excantare*. - - - - - - Tibullus L. 1. Eleg. 9.

Cantus vicinis fruges traducit ab agris.

Ovidius Remed. Amor.

Non seges ex aliis alios transibit in agros.

id vulgo credebatur magicis cantibus fieri posse. BROUKH.

v. 50. QUI VOLET AUSTEROS ARTE FERIRE VIROS] Dolo tangere; ut Ovidius in Epist. Penelopes dixit:

Thracia nocturno tangere castra dolo.

Arte, τῇ τέχνῃ, ut Eleg. ult. infra: *Ista sum captus ab arte*. sequitur mox: *Ab insidiis*. Virgilius 7. Æneid. *Postquam arte noverca Occiderit*. *Ferire*, ut Eleg. 5. lib. 4.

Quum ferit astutos comica mœcha Getas.

Terentius Phorm. act. 1. sc. 1. *Porro autem Geta Ferietur alio munere ubi hera pepererit*. Accipiet damnum & plagam, inquit Donatus. Ita Plauto *verberare*, *percutere*, *tangere*. *Austeros viros*, rigidos ac tetricos maritos. translatum a vino & frugibus immaturis. Cicero 3. de Orat. *Suavitatem habere solidam & austeram, non dulcem & decoctam*. PASS.

v. 51. TALIA CALLIOPE, LYMPHISQUE A FONTE PETITIS, ORA PHILETEA NOSTRA RIGAVIT AQUA] Ἑλληνιστικῶς: nam subauditur, ait aut refert. Sic Virgilius 9. Æneid. *Breviter quum talia Nisus*. & lib. 7. *Talia per Latium*. scilicet, agebantur. Noster Eleg. 9. lib. 4.

Talibus Alcides. at talibus alma sacerdos.

Rigavit ora, perluit, perfudit. Ovidius in Epicedio Tibulli:

Aspice Mæoniden, a quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Lymphis petitis; nempe quum lymphas haustum iisset. Sic Eleg. 23. lib. 2.

Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.

Addidit, *a fonte*, quia

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Lym-

Lymphis & *aqua* conjunxit, ut Eleg. 18. lib. 2. v. 11. & 12. PASS. *Philetea aqua*; quam prius biberat Philetas Cous, Elegiarum scriptor excellens. De Callimacho & Phileta dixerat sup. Eleg. 1.

Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam. V.

ELEGIA IV.

ARma deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.

Ma-

ARGUMENTUM ELEGIÆ IV. LIBRI III.] Augusto Cæsari bellum adversus Indos paranti bene ominatur. VULP.

v. 1. ARMA DEUS CÆSAR DITES MEDITATUR AD INDOS] De hoc Indico bello Noster Eleg. 10. lib. 2. v. 15. Horatius Ode 12. & 35. lib. 1. *Deus Cæsar*. vide Virgilium Ecl. 1. & 1. Georg. Horatium Epist. 1. lib. 2. Ode 2. lib. 1. Ode 5. lib. 3. & Ode 5. lib. 4. unde sacerdotes Augustales ei vivo. Legendus Dio Cassius lib. 51. Apotheosin illam Ovidius scripserat, ut testatur Epist. 6. lib. 4. Pontic.

Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.

& Epist. 9. ejusd. libri:

Pervenient illuc & carmina forsitan illa
Quæ de te misi cælite facta novo.

Meditatur arma, bellum parat, *destinat*; Horatius Ode 13. lib. 3. μελετᾷ. Ovidius lib. 1. A. A.

Ecce parat Cæsar domito quod defuit orbi
Addere. nunc, Oriens ultime, noster eris.

Ad Indos dites; adversus Indos auro, gemmis & ebore opulentos. sic Eleg. 24. lib. 2. *Lernæas pugnet ad hydras*. aliter Eleg. 9. lib. 2.

Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?

Dites, pro divites. Terentius: *Dic es, Demea*. Plautus: *Dites damnosi mariti*. Horatius Ode 24. lib. 3. dixit, *Divitiæ Indiæ*. PASS. Hujus Indicæ expeditionis suscipiendæ auctorem fuisse Augusto Mæcenatem, ostendit Pedo Albinovanus:

Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
Misit ad extremos exorientis equos.

profugos opinor vocat reliquias exercitus Antoniani, ut hoc nomine prætexat ambitionem Cæsaris. vides autem tempus, quo Naso suas artes scripsit primum. ita enim L. 1. *Ecce parat Cæsar* &c. BROUKH. Artem Amatoriam scripsit Ovidius quo tempore Augustus Indicam expeditionem parabat: postea vero in Pontum relegatus Apotheosin ejusdem composuit. A Propertio igitur vocatur Deus ad gratiam principis adulatione captandam, non quod divinos honores jam consecutus fuisset. *meditatur*. ita Juvenalis Sat. 4.

Fuscus marmorea meditatus prælia villa.

Ad Indos; adversus Indos. Ita & Græci scriptores. Diogenes Laërtius in Thalete: Μιλήσιοι πρὸς τοὺς Κῴους πολεμοῦσι. *Milesii adversus Coos bellum gerunt*. & aliquando Etrusci. Joannes Villani: *Poca fatica avremo a combattere a cosi poca gente*. Aliter Terentius Heaut. 1, 1, 65. *In Asiam ad regem militatum abiit*. ubi τὸ *ad* videtur significare, prope. VULP.

v. 2. ET FRETA GEMMIFERI FINDERE CLASSE MARIS] Ovidius 3. Fast.

Findite remigio, navita dixit, aquas.

Noster Eleg. 9. infra:

Non ego velifera tumidum mare findo carina.

Sic τέμνειν ὁδὸν, Euripides in Phœnissis, & *Findere sarculo agros*, Horatius Ode 1. lib. 1. *Fretum* a similitudine serventis aquæ. Varro 6. de L. L. *Freta maris*, ut *Freta ponti*, & *Æquora ponti*. quia & de aliis rebus *fretum* dicitur. Ennius:

Crassa pulvis oritur, omnem pervolgat cæli
fretum.

Lucretius:

Nam fretus ipse anni permiscet frigus &
æstum.

Maris gemmiferi, rubri, Erythræi. vide adnotata ad Eleg. 14. lib. 1. *Classe*, navalibus copiis. Quid Classis, dixi aliàs. PASS. *Gemmiferi maris*. Auctor Herculis Oetæi v. 622. *Nec tamen omnis Plaga gemmiferi sufficit Histri*. VULP.

v. 3.

Magna viæ merces. parat ultima terra triumphos.
Tigris, & Euphrates ſub ſua jura fluent.

Sera

v. 3. MAGNA VIAI MERCES. PARAT ULTIMA TERRA TRIUMPHOS] Ingens labor: ſed ingentia laboris ingens præmium. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 1.

Magna datur merces. heroum clara valete
Nomina.

Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Hæc eſt feminei merces extrema triumphi.

Merces, a merendo & ære. Varro 4. de L. L. *Non ita magna mercede*, dixit Cicero Epiſt. 9. lib. 1. ad famil. in deteriorem partem, pro ſumtu, damno, pœna. *Viri ἡμ-φαντικῶς*, ducis egregii. Vergilius ſæpe. Statius quoque 1. Achill. *Quamquam acta viri multum inclyta cantu Mæonio. Ultima terra*, India ipſa,

Et ſi qua extremis tellus ſe ſubtrahit oris.

Sic Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 4.

Heu quam vicina eſt ultima terra mihi!

Ultimam terram, hinc inde ab utroqua litore Britanniam & Indiam Romani appellabant. *Parat triumphos*, quia deditionem cogitat; vel, quod, ſi reſiſtet, vincetur & triumphabitur. *Triumphos*; nempe *de ſe*, ut ambigue Virgilius 4. Æneid. *Africa terra triumphis diver*. PASS. *Magna viri merces*. amplector veram ac bonam emendationem Nic. Heinſii, *magna via merces*. neque profecto *deus* Cæſar cum viro Cæſare quidquam habet commune. via eſt iter longinquum & ferme maritimum. Tibullus L. 2. Eleg. 5.

Troja quidem tum ſe mirabitur, & ſibi dicet
Vos bene tam longa conſuluiſſe via.

Silius L. 4.

Ecce autem patres aderant Carthagine miſſi.
Cauſſa viæ non parva viris; nec læta ferebant.

----- Noſter L. 2. Eleg. 24.

An tibi non ſatis eſt fuſcis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longá Roma petita viá?
BROUKH.

Tibullus tamen Eleg. 6. lib. 2.

Et, ſeu longa virum terræ via, ſeu vaga ducent
Æquora, cum telis ad latus ille volet.

Idem Eleg. 3. lib. 1.

Tellus in longas eſt patefacta vias. VULP.

v. 4. TIGRIS, ET EUPHRATES SUA TUA IURA FLUENT] De Euphrate dictum ad Eleg. 10. lib. 2. v. 13. De Tigri Plinius toto cap. 27. lib. 6. & Strabo lib. 11. Utrumque fluvium deſcribit etiam Lucanus lib. 3. Vergilius Ecl. 1.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania
Tigrim.

Per eos fluvios Armeniam, Parthiam, Meſopotamiam intelligit. *Fluent ſub tua jura*. au, labentur per regiones tuæ ditionis, & ſubter mœnia oppidorum? ut Virgilius 2. Georg.

Fluminaque antiquos ſubterlabentia muros.

Sed dictum *Sub jura*, ut *Sub imperio & ditione*. ut Eleg. 11. infra:

Et trahit addictum ſub ſua jura virum.

Ovidius 3. Faſt.

Et redigunt actos in ſua jura boves.

Idem lib. 2. Triſt.

Hæc eſt Auſonio ſub jure noviſſima (terra).

Albinovanus ad Liviam:

Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas. PASS.

Iſtud *tua* non habet quo referatur. noli dubitare quin corruptum fuerit ex *ſua*. ejectis regibus, erunt ſui juris, & liberi. ita loquitur Lucanus cum inſigni oppoſitione L. 3.

Damna movent populos, ſi quos ſua jura tuentur:
Non ſibi, ſed domino gravis eſt, quæ ſervit, egeſtas.

& aliquoties eodem modo. Cicero Agrar. 2. C. 31. *Puteolos vero, qui nunc in ſua poteſtate ſunt, ſuo jure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventitiis copiis occupabunt*. hæ voces *tuus*, *ſuus* ſæpe fuerunt confuſæ in optimis ſcriptoribus. ------ Erat autem ingens quoddam populi Romani beneficium, gentes peregrinas ab regum violentia liberare. Cicero pro L. Flacco C. 6. *Pompeji auctoritas quum apud omnes tanta eſt, quanta eſſe debet, tum excellit in iſta provincia, quam nuper & prædonum & regum bello liberavit*. BROUKH. Auſonius Propertium ſecutus Epigr. 4.

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus ſub veſtra jam ditione fluo.

Huc pertinere poſſunt illa Valerii Flacci lib. 1. Argon. v. 23. de Pelia Theſſalæ tyranno: *Illius amnes, Ionium quicumque petunt.*

Sera, ſed Auſoniis veniet provincia virgis.
Aſſueſcent Latio Partha tropæa Jovi.

Ite,

tunt. *Sua jura*, Græci vocant *αὐτονομίας*. VULP.

v. 5. SERA, SED AUSONIIS VENIET PROVINCIA VIRGIS] Gulielmius cap. 6. Pſeud. hic nugatur. *Sera veniet*, ait poeta, *ſed veniet* tamen. ut Eleg. 6. lib. 4.

Hic referat ſero confeſſum vulnere Parthum.

& Eleg. 15. infra:

Sera, tamen pietas, natis eſt cognitus error.

Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Ah miſer! etſi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Virgilius Ecl. 1.

Libertas, quæ ſera, tamen reſpexit inertem.

Et Statius lib. 5. Thebaid. plene: *Sera quidem, manet ira tamen*. *Veniet provincia virgis Auſoniis*; ad virgas Auſonias veniet. ut Eleg. 13. lib. 2. *O mors, cur mihi ſera venis?* vel *veniet*, erit, fiet. ut Elegia 10. lib. 1.

Irritata venit, quando contemnitur illa.

Sententia eſt: Terra illa ultima redigetur in formam provinciæ. Donatus in Phorm. *Acquiſitæ bello longe ab Italia regiones, provinciæ dictæ, a porro, vel procul vincendo*. Ad quas quia prætores cum officio mittebantur; officia quoque provinciæ nominantur. Feſtus: *Provinciæ appellantur, quod eas Populus Romanus provicit: (id eſt ante vicit)*. hæc ultima verba Paulli ſunt, non Feſti. *Virgis Auſoniis*. Sic Juvenalis Sat. 8. *Si frangis virgas ſociorum in ſanguine*. De faſcibus virgarum magiſtratibus præferri ſolitis dixi ad Eleg. 6. lib. 1. v. 19. PASS. *Sera ſub Auſoniis venire provincia virgis*. ineptiſſima lectio, & unde nullum elicias ſenſum commodum, ſi vel fidiculis exquiras. ſagaciter vidit Jani Gulielmii capitale ingenium latere mendam, ideoque reſtituit, cap. 6. in Pſeudol.

Seres & Auſoniis veniet provincia virgis.

(legebatur enim *Sera ſed Auſoniis*; neque iſtud *ſub* unde irrepſerit exputare poſſum, niſi ſi a Scaligero eſt.) quam belliſſimam lectionem miror cur nugarum poſtulaverit doctiſſimus Paſſeratius: nam de Gebhardo minor curatio eſt. certe huc ducebant literæ, *Seras ed Auſoniis*. ſed nondum ita perſanatum eſt vulnus, cui ſalutarem manum admovit Nic. Heinſii perſpicacia Not. ad Claudian. IV. Conſ. Honor. v. 317.

--- *victura feretur*
Gloria Trajani; non tam quod Tigride victo
Noſtra triumphati fuerint provincia Parthi. &c.

apparet hunc Noſtri verſum in mente habuiſſe nobiliſſimum poetam. unde refingebat Heinſius,

Seres & Auſoniis venient provincia virgis.

optime, ac veriſſime. ipſam locutionem expreſſit Juſtinus L. 16. C. 5. *Multiſque annis per gradus ſucceſſionis, Heraclienſes regnum tyrannorum fuere*. unice huc facit inſignis Horatii locus L. 1. Od. 12. *Ille, ſeu Parthos Latio imminentes Egerit juſto domitos triumpho, Sive ſubjectos Orientis oris Seras & Indos, Te minor latum reget æquus orbem*. Vide Florum L. 4. C. 12. qui cum Seribus Indos conjungit, itidem ut Horatius, & noſter poeta. quod non potuit concoquere Gebhardi ſtomachus. vide & Melam L. 3. C. 7. BROUKH. *Sera, ſed Auſoniis veniet provincia virgis*. Sero quidem Parthorum imperium, a quibus tot nobis clades inflictæ ſunt, in formam Romanæ provinciæ redigetur, ſed aliquando tamen. Hanc explicationem debemus Ovidio, qui lib. 1. A. A.

Capta vides ſero Pergama, capta tamen.

& Statio Papinio, qui lib. 4. Thebaid. v. 348.

Tardius illa quidem, regis, cauſſaque pudore,
Verum bella moves.

Horatius quoque ita locutus Ode 15. lib. 1. *Tamen heu ſerus adulteros Crines pulvere collines*. Cicero pariter Epiſt. 1. lib. 15. *Magno opere vos & hortor & moneo, ut his provinciis ſerius vos quidem quam decuit, ſed aliquando tamen conſulatis*. Neque illud ejuſdem diſſimile in Lucullo: *Aut, ſi ea quoque poſſit Deus, cur ea non poſſit, quæ perdifficiliter, internoſcuntur tamen*. Eleganter Claudianus Mamertus lib. 1. de Statu Animæ cap. 14. *valde ſtupere ſe dixit, quomodo quiſpiam Chriſtianus, cuilibet pulchro, cuilibet ſublimi corpori, corpore tamen contemplabilem Deum fore ſentiat*. Faciunt & verba Flori lib. 1. H. R. cap. 11. *De Verulis & Bovillis pudet, ſed triumphavimus*. Græci priores hunc modum loquendi uſurpavere,

ut

Ite, agite, expertæ bello date lintea proræ,
Et solitum armigeri ducite munus equi.

ut sunt quædam linguis omnibus communia, quæ humanas cogitationes & affectiones exprimunt. Demosthenes περὶ στεφάνου: Ἐπεποίσμην δ' ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, τυχὸν μὲν ἀνοήτως, ὅμως δ' ἐπεποίσμην. *Hoc mihi de me ipso persuasi, stulte fortasse, persuasi tamen*. Tryphiodorus de excidio Ilii v. 551.

- Ἐπεὶ καὶ φοίνιος Ἄρης
Ὀψὲ μὲν, ἀλλὰ καὶ ὣς πολέμου ἑτεραλκέα νίκην
Ἦλθε φέρων Δαναοῖσιν, καὶ ἀλλοπρόσαλλον ἀρωγήν.

Postea etiam cruentus Mars
Sero quamvis, verumtamen etiam sic alternantem victoriam
Venit efferens Græcis, & auxilium non semper præsens.

Quod si malis legere, *Seret & Ausoniis veniet provincia virgis*, lectionem confirmare poteris verbis T. Livii ex lib. 2. Hist. *Sicinio Volsci, Aquilio Hernici (nam ii quoque in armis erant) provincia evenit*. VULP.

v. 6. ASSUESCENT LATIO PARTHA TROPÆA JOVI] *τὰ Partha*, pro Parthica. Ovidius lib. 3. A. A.

Inque nurus Parthas dedecus illud eat.

Assuescent Jovi, ad Jovem frequentia venient: nam assuescimus iis quæ frequenter agimus. & qui assuescunt, domiti intelliguntur, antea insolentes. Virgilius 3. Georg. *Ubi libera colla Servitio assuerint*. An usu discent? Plautus Asin. *Auceps offundit cibum: aves assuescunt*. Virgilius 7. Æneid. de cervo mansueto:

Ille manum patiens, mensæque assuetus herili.

Latio Jovi. an Romano? ut Ausonias virgas, Romanas intelligit, & ita Capitolium significat, ut sup. Eleg. 3.

Anseris & tutum voce fuisse Jovem.

De Jove Latiali, sive Latiari, qui in monte Albano colebatur, ubi etiam triumphabant, Cicero, Livius, Dionysius. Suetonius in Caligula cap. 22. *Quidam eum Latialem Jovem consalutarunt*. *Latius Juppiter*, ut *Latia Musa* Virgilio 7. Æneid. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 12.

Is precor auditos possit narrare triumphos,
Cæsaris & Latio reddita vota Jovi. PASS.

v. 7. ITE, AGITE, EXPERTÆ BELLO DATE LINTEA PRORÆ] Versus artificiosus, & qui bene exprimit festinantes in æquore nautas. talis ille Virgilii L. 4. Æn.

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.

noster secundus præfert, *experta date bello lintea prora*. qui numerus omnem celeritatem elumbat. BROUKH. Alloquitur milites Augusti, qui parabant, ut Noster loquitur, *freta gemmiferi findere classe maris*. *Ite & agite*, utrumque hortantis. Noster Eleg. 21. infra:

Nunc agite, o socii, propellite in æquora navim.

Date lintea. Virgilius 3. Æneid. *Dare lintea retro*. Cicero in Orat. *Danda nimirum vela sunt*. [subaudi, ventis.] *Lintea*, ut carbasa, pro linteis & carbaseis velis. nam a Festo in *Legio*, *Lintea vela* dicuntur. *Expertæ bello proræ*; navi peritæ usu rei navalis, quum jam viceritis Sextum Pompejum in Siculo freto, & M. Antonium ad Actium; qua de re dictum ad Eleg. 1. lib. 2. An *experta* παθητικῶς? ut Eleg. 3. lib. 1. *experta nequitia*. *Prora*, hic accipi potest proprie, quia ei velum imponitur, quod *mendicum* dicitur, & minus est. Festus in *Mendicum*. Plinius in proœmio lib. 19. H. N. *Quamvis amplitudini antennarum singulæ arbores sufficiant, super alias tamen addi velorum alia vela, præterque alia in proris, & alia in puppibus pandi*. *Prora* vox Græca; & illi quoque τὰ πρῷρα vocant anteriora. PASS. *Experta bello date lintea prora*. Proras ipsas, nempe naves Augusti alloquitur poeta, non milites, ut male Passeratius. & hoc ποιητικώτερον. O naves, inquit, quas olim experti bello fuimus, date lintea ventis. *Expertæ* autem παθητικῶς. Ovidius Epist. Didûs:

Experta toties tam male credis aquæ?

T. Livius lib. 1. *Libertatis dulcedine nondum experta*. Suetonius in Julio cap. 44. *Destinabat .... mox Parthis inferre bellum, nec nisi ante expertos aggredi prælio*. Justinus lib. 41. cap. 4. *Erat eo tempore Arsaces, vir, sicut incertæ originis, ita virtutis experta*. Contra Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

Primus inexperta commisit semina terra.

Item Valerius Flaccus 1. Argon. v. 97.

Omina fausta cano. Crassos, cladesque piate:
Ite, & Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies:

Qus

Inexpertos tentare parentibus Austros. Eodem pacto dixit Virgilius Ecl. 9. *Oblita mihi tot carmina.* Valerius Flaccus lib. 1. *Oblitos superûm dolores.* Idem ibidem v. 811. *Dignatus*, pro, dignus habitus.. Ovidius Eleg. 8. lib. 4. Trist. *Palmas adeptas.* Cicero Tusc. 3. *Opinati boni.* VULP.

v. 8. ET SOLITUM ARMIGERI DUCITE MUNUS EQUI] Equum & navem conjunxit, ut utramque militiam innueret, terrestrem & navalem. Sic Horatius Ode 6. lib. 1. *Navibus aut equis.* Obscurus hic locus; quem sic interpretatur Beroaldus: O equi armigeri & bellatores, ducite munus vestrum, id est, agite, facite officium vestrum in bello; ut Eleg. 21. infra: *Ducite vices remorum.* & Eleg. 6. lib. 1. *Ducere vela.* An potius id ait: Vos o strenui milites, accipite & abducite equum vobis muneri cum armis & phaleris virtutis ergô? An, o armigeri, ducite munus solitum equi; quia donati equi fortibus viris, ab eorum armigeris ducuntur? *Munus*, præmium, ut Eleg. 10. lib. 2. v. 12. PASS. Equum intelligit cum ornatu imperatorio, e publico datum, insigne dignitatis. Tacitus L. 15. Annal. C. 7. de Cæsennio Pæto: *Armeniam intrat, tristi omine. Nam in transgressu Euphratis, quem ponte transmittebat, nulla palam caussa, turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit.* ibi rem pulcre illustravit magnus ille Taciti sospitator Justus Lipsius. BROUKH. Nihil hic mihi certum est, nisi Propertium alloqui ipsos equos, ut naves alloquitur versu superiore. *Armigeri equi* fortasse fuerint *cataphracti*, de quibus Noster infra Eleg. 12.

Ferreus armato seu cataphractus equo.

eos & *ππειτος* vocabant. Medi vero & Parthi iis plurimum utebantur. VULP.

v. 9. OMINA FAUSTA CANO. CRASSOS, CLADESQUE PIATE] Bona verba dico, & læta atque eventura precor & vaticinor. *Bona omina* dixit Cicero in Pisonem; & 12. Philipp. *Optima.* Suetonius in Augusto cap. 98. *Fausta omina & eximias laudes congesserant.* Horatius Ode 11. lib. 3. *I secundo omine. Faventia, bona ominatio; & favere, bona fari;* Festus. *Faustum a favendo, prosperum:* Nonius. *Crassos, cladesque piate.* expiate & delete maculam susceptam: luite piaculum illud, quod Crassi inulti jacent. *Crassos, cladesque.* clades Crassorum. ἐν διὰ δῶν, ut Eleg. 1. lib. 4. *Collis & herba fuit.* nempe collis herbosus. & Virgilius 2. Georg. *Pateris libamus & auro.* *Piare*, pro expiare. Virgilius 2. Æneid. *Culpam miserorum morte piabunt.* Noster Eleg. 1. lib. 4. *Rura pianda Remo.* Aliter piandi verbo utitur Eleg. 2. lib. 1. v. 20. *Clades*, inquit Donatus in Hecyr. *quia clamatur.* Male; nam κλάδος, ramus est, & clades proprie surculorum & ramorum, ut calamitas segetum ac arborum. PASS. Noster primus *clademque* habet. unus Regius *classesque*. Groninganus autem *classes clademque*. Gebhardi Comelinianus *classes cladesque*. non libet de *classibus* quidquam argutari: quum constet, Romanos numquam hujus tantæ calamitatis meminisse, quin & simul meminerint infelicium Crassorum. Vide Nostrum hic in fine Elegiæ, & L. 4. Eleg. 6. Ovidium L. 1. A. A. & Lucanum lib. 2. in illa detestatione bellorum civilium. BROUKH. Editio princeps A. 1472.

Omnia fausta cano crasses cladē que piate. V.

v. 10. ITE, ET ROMANÆ CONSULITE HISTORIÆ] Ea gerite quæ digna sint historiâ Romanâ, & sempiternis litterarum monumentis. Romanum nomen augere. *Consulere alicui*, est facere quod ejus in rem sit. ut consulere reipublicæ. PASS. Sulpicius quidam Carthaginiensis Epigr. in Æneidem Virgilii:

Tu, maxime Cæsar,
Non finis, & Latiæ consulis historiæ.

T. Livius Præfat. Hist. *Utcumque erit, juvabit tamen rerum gestarum memoriæ principis terrarum populi, pro virili parte & me ipsum consuluisse.* VULP.

v. 11. MARS PATER, ET SACRÆ FATALIA LU-

Qua videam ſpoliis onerato Cæſaris axe,
Ad vulgi plauſus ſæpe reſiſtere equos.
Inque ſinu caræ nixus ſpectare puellæ
Incipiam, & titulis oppida capta legam.

Tela

LUMINA VESTA, ANTE MEOS OBITUS SIT, PRECOR, ILLA DIES] Similis precatio apud Virgilium 1. Georg.

Dii patrii indigetes, & Romule, Veſtaque mater &c.

Mars pater, auctor generis, Horatio. dicitur & uno verbo, *Marſpiter*: Varro 7. de L. L. vide adnotata ad illud Eleg. 3. ſup. *Ennius pater*. *Mars*, quod maribus in bello præeſt: vel quod Sabinis Mamers. Varro 4. de L. L. *Fatalia Veſtæ Lumina*, quia fatum urbis Romæ, & tutela ignis ille ſempiternus. ut Eleg. 4. lib. 4. *Veſta Iliacæ felix tutela favillæ*. *Flammas Veſtæ*, & *Palladis ignes*, vocat eadem Elegia. Lumina pro igne uſurpavit Eleg. 9. lib. 4.

Devia punicea velabant lumina vitta.

Si *limina Veſtæ* legimus, ſacrarium ſignificat, & interiora templi limina, quod *impenetrale* vocari ait Feſtus. Virgilius 2. Æn. *Limina Veſtæ Servantem*. *Ante meos o. ſ. p. i. d.* Non ante moriar, quam illam diem aſpiciam. Sic Virgilius Ecl. 4.

O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ.

Et Suetonius in Nerone cap. 34. *Simul hanc* (lanuginem) *excepero, mori volo*. *Ante obitus*. Ovidius 3. Metam.

- - Dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaque funera debet.

PASS.

Fatalia lumina Veſtæ. Si quando enim virginum miniſtrarum negligentiâ ignem in æde Veſtæ exſtingui contigiſſet, id ominoſum reipublicæ exiſtimabant. Sed & arcanum imperii pignus ibidem ſervabatur. Livius luculente iſta conjungit lib. 26. Hiſt. *Veſtæ ædem petitam, & æternos ignes, & conditum in penetrali fatale imperii pignus*. Quale autem fuerit, veſtigat Lipſius Syntagmate de Veſta & Veſtalibus cap. 9. V.

V. 13. QUA VIDEAM SPOLIIS ONERATOS CÆSARIS AXES, AD VULGI PLAUSUS SÆPE RESISTERE EQUOS] Armis hoſtium onuſtos & decoratos currus Auguſti. qua de re Eleg. 14. lib. 2.

Hæc ſpolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.

Horatius Epiſt. 1. lib. 2. de ejuſmodi pompa triumphi:

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
Eſſeda feſtinant, pilenta, petorita, naves,
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

Axes, metonymia & enallage numerorum pro curru. Virgilius: *Volat vi fervidus axis*. Feſtus in *Axis*. Sed fortaſſe duo axes in curru. Albinovanus ad Liviam: *Religatus ad axes Hector*. De verbo onerandi dicetur ad Eleg. 9. infra. *Spoliare*, inquit Donatus in Hecyr. *eſt non minimam partem auferre*. Servius in 11. Æneid. *Spolium proprie quidquid hoſti eripi poteſt, & eo ſpoliari, ut lorica, veſtis*. Muretus hic primus legendum cenſuit, & poſt eum Lipſius, & Scaliger: *Onerato Cæſaris axe*. *Reſiſtere*, retrocedere vel nolle progredi. Ovidius 3. A. A.

Diſſimulate tamen, nec prima fronte rapaces
Eſte. novus viſo caſſe reſiſtet amans.

Donatus: *Perſtare, & reſiſtere dicitur, qui aliquid negat*. De plauſu dato in triumpho Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Læta triumphanti de ſummo mater Olympo
Plaudet.

& lib. 4. Triſt. Eleg. 2.

Quaque ibis, manibus circum plaudere tuorum.

Tibullus pariter Eleg. 5. lib. 2.

Et plaudet curru prætereunte pater.

Vulgi, fæcis populi. Vulgus unde appelletur, dixi ad illud Tibulli in Panegyr. *Diverſi fremat inconſtantia vulgi*. PASS. *Sæpe reſiſtere equos*. etiam hæc eliſio rem ipſam veluti ob oculos præpingit. neque omiſit in eadem ſede ſummus artifex Naſo L. 4. Triſtium Eleg. 2.

Ipſe ſono plauſuque ſimul fremituque canentum
Quadrijuges cernet ſæpe reſiſtere equos.

Papinius etiam arripuit lib. 3. Thebaid.

media quamvis in cæde frementes
Hos aſſiſtere equos, hunc enſem avellere dextra.

BROUKH.

V. 15. INQUE SINU CARÆ NIXUS SPECTARE PUELLÆ INCIPIAM, ET TITULIS OPPIDA CAPTA LEGAM] Id eſt, oculos paſcere

 pom-

Tela fugacis equi, & braccati militis arcus,
Et ſubter captos arma ſedere duces.

Ipſa

pompa triumphi reclinatus in amicæ gremio & complexu. *Nixus in*, ut Eleg. 13. lib. 2.

Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

ubi τὸ, *In*, vacat. De hoc geſtu amantium eadem Eleg.

Me juvet in gremio doctæ legiſſe puellæ.

ubi vide adnotata. *Et legam titulis oppida capta*. Sic Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 2.

Cumque ducum titulis oppida capta leget.

Simulacra fluviorum, oppidorum, montium & regionum ferebantur in triumpho. qua de re Ovidius lib. 1. A. A. Cicero in Philipp. & lib. Offic. ubi de Maſſilia. Albinovanus ad Liviam:

Cunctaque per titulos oppida capta ſuos.

Tibullus quoque Eleg. 5. lib. 2.

Ut Meſſalinum celebrem, quum præmia belli
Ante ſuos currus oppida capta feret.

Quid *tituli & oppidum*, dixi ad Tibullum. PASS. Tituli in triumpho erant tabellæ, in quibus rerum geſtarum ſumma capita ſcribebantur. Suetonius in Julio cap. 37. *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum;* VENI, VIDI, VICI, *non acta belli ſignificantem, ſicut ceteri, ſed celeriter confecti notam.* Livius de hac re lib. 5. verbis Furii Camilli: *Sibi amplum quoque eſſe .... quotidie ſe frui monimento gloriæ ſuæ, & ante oculos habere urbem latam in triumpho ſuo.* VULP.

v. 17. TELA FUGACIS EQUI, ET BRACCATI MILITIS ARCUS, ET SUBTER CAPTOS ARMA SEDERE DUCES]. Vel ſagittas equitis Parthi ſignificat, vel haſtas; de quibus Plutarchus in Craſſo. Sic *tela & fugam* conjunxit Eleg. 9. infra:

Parthorum aſtutæ tela remiſſa fugæ.

Horatius pariter Ode 13. lib. 2. *Miles ſagittas* (perhorreſcit) *& celerem fugam Parthi*. De ſimulata fuga Parthorum dictum ad Eleg. 10. lib. 2. v. 13. *Fugacis equi*, ambigue: timidi & velocis. Horatius Ode 1. lib. 2. *Fugaces Terret equos*. *Equi*, pro, equitis, permutatione ſignificationis; ut contra eques pro equo apud Virgilium, & ipſum Propertium Eleg. 3. lib. 4. *Braccati militis arcus*. Galli braccis utebantur, barbaro veſtimenti genere. Noſter Eleg. 10. lib. 4. de Virdomaro Gallorum duce:

Illi virgatis jaculantis ab inguine braccis
Torquis ab inciſa decidit unca gula.

Et *Braccata Gallia*; unde Diodorus lib. 6. Braccas Gallorum veſtes intonſas vocat, & iis frigidioris plagæ homines uti teſtatur. Daci quoque, & Ponti accolæ braccati. Ovidius lib. 5. Triſt. Eleg. 7.

Pellibus & laxis arcent male frigora braccis.

Perſæ quoque. Idem Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 11.

Hos quoque qui geniti Graja creduntur ab urbe
Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.

Medi præterea & Indi. Auctor Liberi Carminis Epigr. 46. *Medis laxior Indicisve braccis*. Iſidorus lib. 19. cap. 22. ſemoralia interpretatur braccas. Sed exempla repugnant. Cornelius Tacitus lib. 2. Hiſt. *Cæcinæ in ſuperbiam vertebant, quod ornatus verſicolore ſagulo, braccas barbarum tegmen indutus, togatos alloqueretur.* Diodorus lib. 5. Καὶ ἀναξυρίδας, ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι. Heſychius quoque & Euſtathius in Homerum ἀναξυρίδας nominant. Baiſius ſeminalia, ſive ſemoralia interpretatur. *Duces*, reges vel imperatores hoſtium; ut Eleg. 1. lib. 2. *Regum auratis circumdata colla catenis*. *Sedere*, ut Eleg. prox. ſequ.

Conſule ſub Mario, capto Jugurtha, ſedet.

Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 2.

Crinibus en etiam fertur Germania paſſis,
Et ducis invicti ſub pede mœſta ſedet.

Et lib. 6. Pontic. Eleg. 4.

Stentque ſuper captos trunca tropæa viros.

In nummo aureo Titi Veſpaſiani ſub tropæo ſedent captivi duo. *Captos*, pro captivos, ut Eleg. 16. lib. 1.

Captorum lacrimis humida ſupplicibus.

Hic autem videntur ita currui adſtricti, ut arma & tropæa capitibus impenderent. Seneca De Vita Beata cap. 25. *In alienum imponat ferculum, exornaturus victoris ſuperbi ac feri pompam: non humilior ſub alieno curru agar, quam in meo ſteteram.* PASS. *Et ſubter captos a. ſ. d.* id eſt, imagines ducum captivorum, ſuppoſitas tropæis quæ in triumphi pompa ferebantur. optime hanc rem illuſtratam dedit doctiſſimus Gronovius Not. ad Senecæ Troad. v. 151. viderat

etiam

Ipſa tuam ſerva prolem Venus: hoc ſit in ævum,
Cernis ab Ænea quod ſupereſſe çaput.
Præda ſit hæc illis, quorum meruere labores:
Me ſat erit media plaudere poſſe via.

ELE-

etiam aliquid Paſſeratius, ex nummo aureo Titi Veſpaſiani. BROUKH. *Braccati militis arcus*. Medi & Parthi potiſſimum ſignificantur, qui arcubus in prœlio rem gerebant: & in eos Auguſtus expeditionem parabat. *Subter arma ſedere*. Contra Virgilius Æneid. 1. v. 264. *Furor impius intus Sæva ſedens ſuper arma*. VULP.

v. 19. IPSA TUAM PROLEM SERVA VENUS: HOC SIT IN ÆVUM, CERNIS AB ÆNEA QUOD SUPERESSE CAPUT] Gentem Juliam tuere, Æneadum genitrix. Acclamatio fauſta, *Sit in ævum*, ut adulantes Imperatoribus dicebant, εἰς αἰῶνας, id eſt, in ævum. ſupple, vivas. Tertullianus in lib. de Spectaculis. Notat Lipſius lib. 2. Elect. cap. 10. Sic Eleg. 21. infra:

Et longam Auguſto ſalva precare diem.

ubi vide adnotata. Sic illud:

De noſtris annis tibi Juppiter augeat annos.

Hoc caput, δεικτικῶς, pro Auguſto. ut Elegia 7. lib. 7.

Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo.

Sic *caput Auguſtum* Ovidius ult. Metam. *Sit*, permaneat, vivat. Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe volent.

Plautus Pſeud. 1, 3. *Qui fuit, mortuus eſt: qui eſt, vivit*. *In ævum*. Horatius Epiſt. 2. lib. 1.

Labitur & labetur in omne volubilis ævum.

Quod cernis, e cælo; quia Venus in ſideribus, & ſidera ſunt oculi mundi. Sic Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Hanc Venus ex alto flentem ſublimis Olympo
Spectat.

Supereſſe ab Ænea. Sic Ovidius ult. Metam.

Quod (caput) *de Dardanio ſolum mihi reſtat Iulo.*

At inſitus genti Juliæ Octavius adoptione. *Supereſſe*; ut Virgilius 10. Æneid.

Liceat dimittere ab armis
Incolumem Aſcanium: liceat ſupereſſe nepotem. PASS.

Ipſa tuam prolem ſerva Venus. unus noſter, cum Groningano, & Borrichiano, *Ipſa tuam ſerva prolem Venus*: quod concinnius videtur, & magis modulatum, evitato etiam τῶ *va ve* ſono inſuavi. BROUKH. Qui tamen ſoni inſuaves, ut Broukhuſio videntur, in veterum poetarum verſibus identidem occurrunt; ut pluribus oſtendi ad verſum 2. Elegiæ 1. lib. 1. Tibulli. VULP. *Cernis a. Æ. q. ſupereſſe caput*. in Groningano ſcribitur *ſuper eſſe*. non male. nam & τὸ *ſuper* ponebant nonnumquam ſine verbo. Virgilius L. 3. Æneid.

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.

interdum a verbo dividebant. L. 2. Æn. *Jamque adeo ſuper-unus-eram*. BROUKH.

v. 21. PRÆDA SIT HÆC ILLIS, QUORUM MERUERE LABORES] Alludit ad etymon prædæ, quia manu pariatur, ut merces a merendo, & præmium a præ & emendo. Varro 5. de L. L. Non diſſimile illud Salluſtii in Orat. Marcii: *Abſit periculum, & labos quibus nulla pars fructus eſt*. *Præda*, inquit Servius in illud 10. Æneid. *Laurentis præmia pugnæ: eſt quæ eripitur, præmium quod offertur*. Nonius: *Præda corpora ipſa rerum quæ capiuntur: manubiæ pecunia ex præda redacta*. *Labores*, militiæ ſcilicet. & τὸ *Meruere* verbum militiæ & ſtipendii eſt. PASS.

v. 22. ME SAT ERIT MEDIA PLAUDERE POSSE VIA] Sic Eleg. 2. lib. 4.

Romanum ſatis eſt poſſe videre forum.

De plaudendi verbo dictum ſupra hac Elegia v. 14. τὸ *poſſe* πλεονάζει. ut Eleg. 19. lib. 1. *Poſſis ſentire*, pro, ſentias. & Elegia 12. lib. 1. *Poſſes amare*, pro amaret. *Mediâ viâ*, ut Eleg. 8. infra:

Seu ſequitur medias, Mænas ut icta, vias.

& Eleg. 16.

Scyronis media ſic licet ire via.

Sed vetus liber, *Sacrâ viâ*; qua de re dictum ad Eleg. 1. lib. 2. v. 34. PASS. *Sacrâ viâ*. ita Groninganus, cum noſtro ſecundo. quod jam pridem firmaverunt viri docti. in Regiis, Colbertinis, & noſtro primo legitur *mediâ viâ*. ſed quomodo in media via plauderet aliquis, occupante omnem

viam

viam licentioso per triumphum milite? accedit quod triumphi agebautur per Viam Sacram. res nutissima. ------ Mallem autem initio *mi*, quam *me*. supra L. 2. Eleg. 24. [33.]

An tibi non satis est fustis Ægyptus alumnis?

Horatius L. 1. Sat. 4.

-- Mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum. BROUKH.

Sacrâ viâ, etiam editio A. 1472. omnium princeps. tamen τὸ *mediâ viâ*, elegans admodum mihi videtur. quasi dicat Propertius: Adeo mihi certum est a militiæ laboribus abstinere, & Romæ in umbra cessare, ut mihi satis futurum sit, immixtum popello ac forensi turbæ, triumphum spectare posse, & Cæsari prætereunti plausum dare. Hoc militum etiam fuit, qui ob senectutem, vel alias caussas, missionem acceperant, & sacramento soluti fuerant. Cæsar apud Lucanum lib. 5. v. 333.

Vos desectu senes, exhaustaque sanguine turbæ
Cernetis nostros jam plebs Romana triumphos.

VULP.

ELEGIA V.

PAcis Amor deus est, pacem veneramur amantes.
Stant mihi cum domina prœlia dura mea.

Nec

ARGUMENTUM ELEGIÆ V. LIBRI III.] Ait, se amori, genio, voluptati, scribendis elegis dare operam velle; donec ætate ingravescente a poeticis nugis ad severa physicæ studia traducatur. VULP.

v. 1. PACIS AMOR DEUS EST, PACEM VENERAMUR AMANTES] Sic Plato in Symposio Amorem ait esse Εἰρήνην μὲν ἐν ἀνθρώποις, πελάγει δὲ γαλήνην· νηνεμίαν ἀνέμων· κοίτην ὕπνον τ' ἐνὶ κήδει. id est, *pacem quidem hominibus, pelago verò tranquillitatem: silentium aëris ac ventorum: cubile, requiem & somnum in cura & labore*. Orpheus in Hymnis, antiquissimum deorum, & qui litem elementorum in chau diremerit. Lucretius quoque Venerem orat, ut a Marte pacem petat. Amor & concordia pacem: odium & discordia bellum parit. *Amor deus pacis*, ut belli Mars. *Deus vitæ*, Cicero. [*Naturæ deus humanæ*, Genius Horatio.] *Deus aulæ fuscæ*, Noster Eleg. ult. lib. 4. *Amantes*, quod vulgus, inter nus amantes. nam τὸ *Nos*, vel *Vos* elegantissime intelligitur. ut Eleg. 16. lib. 1. *Et si qua miseri novistis amantes*. Item Eleg. 15. lib. 2. *Qui nunc magnum spiramus amantes*. *Veneramur*; & colimus & nobis petimus. dixi ad Eleg. 20. lib. 2. v. 33. Vide Eleg. ult. lib. 1. Tibulli, ubi docet pacis tempore calere Veneris bella. & ita Elegiam claudit, venerans Pacem:

At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto. P.

Pacis Amor deus est. Consentit sodali Ovidius Amor. 3. Eleg. 2.

Plaude tuo, miles, Marti: nos odimus arma.
Pax juvat, & media pace repertus Amor.

Ita Vetus Glossarium: *Penda* εἰρήνης θεός. *Deam pacis* veteres Pandam appellavere, eo quod pacis tempore urbium portæ pandantur, sive aperiantur. VULP.

v. 2. STANT MIHI CUM DOMINA PRŒLIA DURA MEA] Id est cunstant, sunt & manent. An ut Eleg. 3. supra:

Aut quibus in campis Mariano prœlia signo
Stent?

Virgilius: *Stant belli caussæ*. & lib. 3. Georg. *Pastis stat in agmine castris*. De bello cum amica Eleg. 8. infra:

Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt. in te pax mihi nulla placet.

Dura prœlia, asperæ pugnæ ac sævæ. Virgilius 11. Æneid. *Prœlia, virgo, Dura pati*. Horatius Ode 6. lib. 1. memorat *prœlia virginum*. Illud Ovidii pervulgatum:

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido. PASS.

Mirifica locutio, *Stant mihi prœlia*. quam tamen Passeratius defendere voluit; nec non illustris Huetius ad L. 4. Manilii v. 547. *prœlia* quum dixit Noster, *bellum* voluit dicere. Romani autem dicebant *est bellum; est pax; est dies; est nox; est sol; est imber*. & quæ plura sunt id genus, passim

Nec tamen inviſo pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite noſtra ſitis.

Nec

ſim invenienda. Ovidius Epiſt. Briſeid.

Bellum erat: ille ferox poſitis ſeceſſit ab armis.

& L. 1. Faſtor. *Pax erat*. Cicero L. 16. ad famil. Epiſt. 12. *Sin autem erit bellum, video me caſtris & certis legionibus præfuturum*. Idem Philipp. 5. C. 14. *Quum bellum civile maximum eſſet*. Hinc adducor ut credam, fuiſſe a manu poetæ,

Sunt mihi cum domina prælia dura mea.

ita Cicero Philipp. 10. C. 2. *Quod eſt tibi cum Brutis bellum*. BROUKH.

v. 3. NEC TAMEN INVISO PECTUS MIHI CARPITUR AURO] Quum aliis, inquit, bellorum cauſſæ avaritia & luxuria; mihi bella tantum pro amica Cynthia. *Pectus*, animus. ut hic infra:

Ille parum cauti pectoris egit opus.

& Eleg. 1. lib. 1.

Quærite non ſani pectoris auxilia.

Carpitur auro, angitur, conficitur, *amore ſeneſcit habendi*. Carpere, minuere, vellicare, conficere. Virgilius 4. Æneid. v. 2.

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Ovidius 2. Metam. de Invidia: *Carpitque & carpitur unà*. *Inviſo auro*, quod ego male odi. nam Eleg. 13. infra id pluribus verſibus deteſtatur. & Eleg. 16. lib. 2. *Atque utinam Romæ nemo eſſet dives*. *Inviſum* proprie, quod libenter non videtur. lege Ciceronem Epiſt. 31. lib. 2. ad famil. Eleg. 18. infra:

At nunc inviſæ magno cum crimine Bajæ.

Inviſum, Ciceroni etiam non viſum: ut *invidere*, Appulejo non videre. PASS. *Inviſo auro*; quod ſcilicet oderat pecunioſos rivales. etenim propter ipſos a puellis avaris pauperiores excludi ſolent. VULP. *Nec tamen*. Groninganus, *Non tamen*. quod propius inſpectum non diſplicebit. BROUKH.

v. 4. NEC BIBIT E GEMMA DIVITE NOSTRA SITIS] Id eſt, Nos ſitientes. ut Elegia 7. lib. 1. *Noſtro retitere ſepulcra*. id eſt, nobis ſepultis. & Eleg. 3. lib. 4. *Tuam famem paſcat*. *Bibit e gemmis*, gemmeo poculo. τὸ e vacat. ut Eleg. 9. infra:

Eductaſque paret ſilveſtri ex ubere reges.

Virgilius 2. Georg. v. 506.

Ut gemmà bibat, & Sarrano dormiat oſtro.

Ovidius 8. Metam. *Dapibuſque remotis In gemma poſuere merum*. De vaſe gemmeo Cicero 6. in Verrem. Sed & calices aureos inſertis gemmis ornabant. Plinius initio lib. 33. H. N. *Turbà gemmarum potamus; & ſmaragdis teximus calices*. Juvenalis Sat. 5. de quodam Virrone: *Gemmas ad pocula transfert*. Argute Martialis:

Aſpice quot digitos exuit iſte calix.

Dives gemma, ut lapilli pretioſi dicuntur. Sic Ovidius 2. Faſt. *Pietas pro divite grata eſt Munere*. PASS. *E gemma*, lapide pretioſo in poculum excavato. Gratius Faliſcus in Cyneget. v. 312. ubi luxuriæ damna enumerat:

Hæc illa eſt, Pharios quæ fregit noxia reges,
Dum ſervato cavis potant Mareotica gemmis.

Lucanus pariter lib. 10. v. 160. *Gemmæque capaces Excepere merum*. Juvenalis Sat. 5. v. 37. *Ipſe capaces Heliadum cruſtas, & inæquales berylla Virro tenet phialas*. Adde Senecam lib. 7. de Beneficiis cap. 9. *Video murrhina pocula. parum ſcilicet luxuria magna fuerit, niſi quod vomant, capacibus gemmis inter ſe propinarent*. Item lib. de Providentia cap. 3. *Quanto magis huic invidendum eſt (Socrati venenum potanti) quam illis quibus gemmà miniſtratur?* Appulejum præterea lib. 2. A. A. *Pueros calamiſtratos, pulchre induſiatos, gemmas formatas in pocula vini vetuſti offerentes*. Ex veterum conſuetudine Lud. Areoſtus Cantu 43. Rolandi Furentis:

Gemme cavate, azzurre, e verdi, e rogge,
E formate in gran piatti, e in coppe, e in nappi.

Neque prætermittendus locus inſignis Philoſtrati lib. 3. de Vita Apollonii cap. 27. Αἱ δ᾽ ἐξ Ἰνδῶν φοιτῶσαι λίθοι παρ᾽ Ἕλλησι μὲν ἐς ὅρμους τε καὶ δακτυλίους ἐμβιβάζονται διὰ σμικρότητα, παρὰ δὲ Ἰνδοῖς οἰνοχόαι τε καὶ ψυκτῆρες γίγνονται διὰ μέγεθος, καὶ κρατῆρες, ἡλίκοι ἐμπλῆσαι τέτταρας, ὥρᾳ ἔτους διψῶντας. h. e. *Gemmæque, ab Indis nobis venire ſolitæ, apud Græcos quidem monilibus annuliſque inſeruntur ob parvitatem, apud Indos autem pocula & crateres ex illis fiunt, tantæ ſunt magnitudinis; capacitatis ejus ut viris quatuor ſufficere poſſint æſtivo tempore ſitientibus.*

Nunc

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo.
Ille parum cauti pectoris egit opus.

Cor-

Nunc quoque in Magni Mogolis ditione vetitum esse, ajunt, majores gemmas & uniones alio exportare : minores vero, licitum. Ceterum Editio princeps, *Nec bibit in gemma divite*. Tibullus non semel *aurum* ipsum appellavit *dives*. & Eleg. 2. lib. 1. dixit, *dementia nostra*, pro ego demens. videsis quid adnotaverim ad eum locum. VULP.

v. 5. NEC MIHI MILLE JUGIS CAMPANIA PINGUIS ARATUR] vel *mihi aratur*, id est, a me: vel *mihi jugis*, pro meis. ut Eleg. 19. lib. 1. *Ne forte tuo careat mihi funus honore*. pro, meum. *Campania pinguis*; pingui solo & fecundo. Campania a campestribus locis dicta : Livius. ejus præcipua urbs Capua; de cujus agro Virgilius 2. Georg. *Talem dives arat Capua*. Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Nam mihi si pretium Campania terra daretur.

Legendus Cicero in Rullum, & Philipp. 8. *Mille jugis aratur*, mille paribus boum; quia par boum singulis jugis alligatur. Horatius Epodo 1. *Ut juvencis illigata pluribus Aratra nitantur meis*. Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri,
Arvaque si findant pinguia mille boves?

[Frequens poetis sententia.] PASS.

v. 6. NEC MISER ÆRA PETO CLASSE, CORINTHE, TUA] *Miser*, avarus. ut Elegia 28. lib. 2.

Hanc miser implorat navita Leucotheën.

Hinc Ταίπελος Platoni in Cratylo, quasi πελάνπατος, quod avaro nihil sit miserius. Duplex autem hic lectio : *Æra peto classe*. id est, navigo Corinthum; ut inde æs revehiam. Sic Ovidius 13. Metam. in Orat. Ajacis : *Inde jubete peti* (arma). *Classe*, navis. ut Virgilius, Horatius, Catullus. & *æra tua* junctim. Altera lectio : *Paro clade, Corinthe, tua*. mihi comparo æra ipsius urbis excidio, ut fecit Mummius. De æris Corinthii nobilitate & inventione lege Plinium H. N. lib. 34. cap. 2. & Strabonem lib. 8. Virgilius 2. Georg.

Illusasque auro vestes, Ephyreaque æra.

Martialis Epigr. 60. lib. 9.

Consuluit nares, an olerent æra Corinthum.

Inde *Corinthia vasa* Ciceroni pro Sex. Roscio, & 2. Tusc. & in Verrem. Augustus ob amorem Corinthiorum vasium dictus *Corinthiarius*, teste Suetonio. Est autem hic apostrophe ad Corinthum, ut apud Ovidium lib. 3. Trist. Eleg. 8.

Quas (pennas) *habuit fugiens arce, Corinthe, tua*. PASS.

Veram lectionem servavit bonus ille codex Groninganus, cum uno Colbertino, *Æra paro clade, Corinthe, tua*. τὸ *clade* revocaverat jam Palmerius; sed nihil monuerat de *paro*. quod non neglexit diligentissimi Modii industria Novant. Epist. 18. noster primus, & duo Regii, alterque Colbertinus, cum Borrichiano *ire paro classe*, habent : secundus vero noster, *ire paro clade*. BROUKH. Editio quoque omnium princeps, *ire paro classe*. De Mummii stupore in maximorum artificum tabulis & statuis æstimandis, postquam Corinthum evertisset, vide Vellejum Paterculum lib. 1. Hist. VULP.

v. 7. O PRIMA INFELIX FINGENTI TERRA PROMETHEO] *Prima terra*, unde primus homo creatus, & ipsa adhuc recens, novo scilicet mundo. Horatio dicitur *Princeps limus*, hac de re scribenti Ode 16. lib. 1. Alia ratione Virgilius 1. Georg. *Tuque o cui prima frementem Fudit equum tellus*. [ibi enim *prima tellus* est litus; vel regio Atheniensium.] Pervulgata Promethei fabula. Martialis lib. 10. Epigr. 39.

Ficta Promethea diceris esse luto.

Vide Horatium Ode 3. & Ode 16. lib. 1. Ovidium lib. 1. Metam. Virgilium Ecl. 6. & ibid. Servium, Hesiodum ἐν ἔργοις, & in Theogonia, Æschylum in Prometheo, Apollodorum lib. 1. Pausaniam in Corinthiacis, Lucianum in Dialogis deorum, Ciceronem 5. Tuscul. Citatur & Varronis Satyra Prometheus, quæ erat de Hominis fabrica. *Infelix terra Prometheo* ipsi; quia

opus

Corpora disponens mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit esse via.

Nunc

opus hoc illi male successit, ob id ad Caucasum religato, addito aquilæ supplicio rodentis jecur; qua de re diximus ad Elegiam 12. lib. 1. v. 10. *Infelix*, ut Eleg. 23. lib. 2.

Infelix hodie vir mihi rure venit.

Statius 11. Thebaid.

O furor! o homines dirique Prometheos artes!

ubi *dirus* ut hic *infelix*. *Infelix* cum tertio casu, ut Eleg. 13. infra:

Felix Eois lex funeris una maritis.

Fingenti, proprie, quia ex luto, unde *figuli*. vide Junium Prov. 43. Cent. 8. PASS. Huc pertinet locus memorabilis Lactantii Div. Inst. lib. 2. cap. 10. *Apparet ergo*, inquit, *falsum esse quod de opificio itidem Promethei narrant. Verum quia poetae dixeram non omnino mentiri solere, sed figuris involvere & obscurare quae dicant; non dico esse mentitos, sed primum omnium Prometheum simulacrum hominis formasse de pingui & molli luto, ab eoque natam primo artem & statuae & simulacra fingendi; siquidem Jovis temporibus fuit, quibus primum templa constitui, & novi deorum cultus esse coeperunt. Sic veritas fucata mendacio est: & illud quod ab Deo factum ferebatur, homini, qui opus divinum imitatus est, etiam coepit adscribi. Prima terra.* Sic Virgilius Ecl. 6. dixit, *tener mundi orbis*. *Infelix*: non materiam solum, sed & artificem interdum Latini *infelicem* vocant. Horatius Epist. ad Pisones v. 34. de fabro statuario:

Infelix operis, summâ, quia ponere totum
Nesciet. VULP.

v. 8. ILLE PARUM CAUTI PECTORIS EGIT OPUS] Id est, hominis parum providi, nec nomini suo respondentis. nam Interpres Apollonii in lib. 2. Argon. refert, a Theophrasto scriptum esse, maxime providum ac sapientem eum fuisse, unde ἀπὸ τῆς προμηθείας nomen habet. Phurnutus vero scribit, Promethei nomine divinam providentiam intelligi. Catullus Carm. 63. *Sollerti corde Prometheus*. & Horatius Ode 18. lib. 2. *Callidum* vocat. Hesiodus autem ποικίλον & ποικιλομήτην, a varia versutaque mente. An sceleris & rei capitalis hominem damnat, his verbis *Parum cauti*? Festus: *Parum cavisse videri pronuntiat magistratus, quum de consilii sententia capitis quem condemnaturus est*. Vetus liber, *Caute*. *Parum caute egit opus pectoris*. id est, pectus ipsum non satis providum fabricatus est. An legendum, *Cautim*, ut *caute* sit glossema? vide Nonium in *Cautim*. *Egit opus*, effecit, unde opifex. sic *exegit opus*, & *peregit opus*. agere tamen & facere discernit Varro. PASS. *Egit opus*; ἀπήρως. nam artificum opera, quæ post actionem transeuntem permanent, proprie fiunt, non aguntur. VULP.

v. 9. CORPORA DISPONENS, MENTEM NON VIDIT IN ARTE] Id est, membra formans, & apte ac ordine conjungens. est autem hic enallage numerorum, pro, corpus. *Mentem non vidit in arte*. non providit satis & consuluit menti. *Videre*, inquit Donatus, *Providere*. unde apud Ciceronem: *Videant Consules*. videre signis & auspiciis. *Mens* est voluntas, aut ratio. Idem Donatus in Andriam. Isidorus lib. 11. *Mens, quod emineat in anima, vel quod meminit*. *In arte*; fingendi scilicet hominis. Sed legitur etiam *In arce*; ratio enim in capite, tamquam in arce, posita est. Cicero 1. de Nat. Deor. & 1. Tusc. Legitur quoque *Inertem*; scilicet, non vidit, homini stolidam esse mentem, ut qui avaritiæ, luxuriæque caussa tot suscipiat labores ac pericula. Terentius Andria 3, 5. *Quandoquidem tam iners, tam nulli consilii sum*. PASS. *Ars* Promethei est nova illa fabrica tum primum inventi, ut Phædrus loquitur, vulgi fictilis. sic paullo post habebimus, *Pergama Apollinis artes*. BROUKH. Prometheus hominum plastes, ut fabulæ ferunt, corpora quidem eorum vultu ad cælum erecto molitus est, animum vero ad vitia pronum pulchro domicilio inclusit. Hinc illa exclamatio Persii Sat. 2. v. 61.

O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes!

Præcipue autem mulierum mentem oscitanter effinxisse putabatur. Ovidius 10. Metam. v. 243.

Quas (mulieres) *quia Pygmalion ævum per crimen agentes*
Viderat, offensus vitiis, quæ plurima menti

Fe-

Nunc maris in tantum vento jactamur, & hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma nova.

Haud

Feminea Natura dedit, sine conjuge calebs
Vivebat.

Hanc propterea Umbri nostri querelam venuste imitatus est Torquatus Tassus in Amynta dramate, Act. 3. Sc. 1. his versiculis:

O Donna ingrata, e tre fiate e quattro
Ingratissima sesso, e tu Natura
Negligente maestra, perchè solo
Alle donne nel volto, e in quel di fuori
Ponesti quanto in loro è di gentile,
Di mansueto, e di cortese; e tutte
L' altre parti obbliasti?

Prisci vitiorum suorum caussas, sive illa corporis essent, sive animi, ad Prometheum auctorem referebant. Horatius iratus puellæ, iram suam excusat hac potissimum fabella Ode 16. lib. 1.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Phædrus expositurus, cur tribades & cinædi, monstra hominum, passim occurrerent, non inscitum figmentum comminiscitur Fab. 14. lib. 1. in Prometheum ebrium culpam conferens, Lege apud ipsum, si vacat. Contra Juvenalis, de pudicis & probis adolescentibus, quos prava exempla non corrumpant, ita Satyra 14. v. 33.

Unus & alter
Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte benigna
E meliore luto finxit præcordia Titan.

erat scilicet Prometheus ex Titanum genere. Denique Martialis, in simulacrum fictile gibberi lusurus, hinc jocum petivit lib. 14. Epigr. 182.

Ebrius hæc terrio fecit, puto, monstra Prometheus,
Saturnalitio lusit & ipse luto. VULP.

v. 10. RECTA ANIMI PRIMUM DERUIT ESSE VIA] Ante omnia, inquit, oportuit bonæ mentis curam habere. *Animi via*, est ratio, quam ducem sequi debemus. Et *Recta via* μετωφορικῶς, ut apud Plautum: *Rectam instas viam*. Contra, *error mentis*, insania. Horatius Epist. 2. lib. 2.

Et demtus per vim mentis gratissimus error.

Lucretius lib. 3.

Quinetiam morbis in corporis avius errat
Sæpe animus.

Sic *redire in viam*, resipiscere. sic & *animus rectus*. Albinovanus ad Liviam: *Tenuisse animum contra sua secula rectum*. PASS. Mirifice huc pertinent verba Lactantii lib. 2. Div. Inst. cap. 1. *Est autem pravissimum, quum ratio corporis recta sit, quod est temporale; ipsum vero animum, qui est æternus, humilem fieri: quum figura & status nihil aliud significent, nisi mentem hominis eo spectare oportere, quo vultum; & animum tam rectum esse debere, quam corpus, ut id cui dominari debet, imitetur. Via* interdum μέθοδος & ratio certa est, qua fit vel agitur aliquid. Cicero initio 1. Tusc. *Quum omnium artium quæ ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio & disciplina studio sapientiæ contineretur.* VULP.

v. 11. NUNC MARIS IN TANTUM VENTIS JACTAMUR, ET HOSTEM QUÆRIMUS, ATQUE ARMIS NECTIMUS ARMA NOVA] τὸ *Nunc* locum sæpe habet in conquestione rei præposteræ, ut Eleg. 9. lib. 1.

Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquam.

idest, Atqui. *In tantum maris jactamur*, per tam vastum mare agitamur. *Tantum mare*, pro magnum mare; ut Eleg. 3. sup.

Tantum operis nervis hiscere posse meis.

Aliàs, *Intantum*, vox una est. Virgilius 6. Æneid. *Latinos Intantum spe tollet avos.*
Hostem quærimus. Quietas gentes lacessimus, malum nobis nostro arcessimus jumento. Sic dixit Eleg. 5. lib. 2. *Prælia quærat*. & Plautus, *Emere litigium*. *Armis nectimus arma nova*. bella ex bellis serimus, ut sit quædam series & connexio caussarum, unde bella perpetuo nascantur. Sic Sallustius in Orat. Philippi. *Hi tumultum ex tumultu: bellum ex bello serunt*. Idem in Epist. Mithridatis: *Audendo & fallendo & bella ex bellis serendo magni facti*. serere enim & nectere, idem. unde nectere & serere flores, & serta dicta. Virgilius 9. Æneid.

Ille autem, Caussas nequicquam nectis inanes.

Lucretius lib. 5.

.. Nec

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
  Nudus ab inferna, ſtulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miſcebitur umbris.
  Conſule cum Mario capte Jugurtha ſedes.
Lydus Dulichio non diſtat Crœſus ab Iro.
  Optima mors, parca quæ venit apta die.

Me

-- Nec erat ſanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota. PASS.

Ventis jactamur. *vento* eſt in omnibus membranis, & editionibus priſcis. quod quamvis puſillum, non debuit tamen negligi. qui hic *infandum* repoſuerunt pro *in tantum*, idque e codice Poſthiano, ſive Groningano, abutuntur credulitate lectoris ſui. in promtu eſt ille codex, & levi opera conſuli poteſt. BROUKH. *Vento jactamur*, etiam editio A. 1472. atque ita verſus rotundior. VULP.

v. 13. HAUD ULLAS PORTABIS OPES ACHERONTIS AD UNDAS] Ita Plautus Trinum. act. 2. ſc. 4. *Mirum ni tu illuc tecum divitias feras.* ad Acherontem ſcilicet. Plinius lib. 19. H. N. cap. 4. *Mors æquabit, quos pecunia ſeparaverit.* De Acheronte Virgilius 6. Æneid. Pauſanias in Atticis, Diodorus Siculus lib. 2. Dicitur ἀπὸ τῦ ἄχεως ῥεῖν, quaſi curæ & doloris fluvius. Sic a mærore & luctu Styx & Cocytus, & ab incendio doloris Phlegethon. Plauto, & poetis ubique, pro inferis. Ergo ad inferos, inquit, non portabis opes, ſed ſtipem tantum & naulum. ut Eleg. ult. lib. 4. PASS.

v. 14. NUDUS AB INFERNA, STULTE, VEHERE RATE] Sic Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Nudus Lethæa cogerer ire rate.

vide adnotata ad Eleg. 27. lib. 2. v. 14. *Nudus*, inquit, quia nudi mortui. ideo etiam Dis pater, quod minime dives ſit. PASS. *VehERE RATE.* Sonus aſper, ob repetitam caninam litteram. Durius tamen Tibullus: *CogeRER iRE RAte.* Virgilius quoque 4. Æneid. v. 350. *Et nos fas extERA quaeRERE REgna.* & lib. 5. v. 222. *Fractis diſcentem cuRRERE REmis.* VULP.

v. 15. VICTOR CUM VICTIS PARITER MISCEBITUR UMBRIS] Sic Lucanus lib. 7.

Non meliore loco (quam alii) *Stygia ſub nocte jacebis.*

ubi *loco*, ut hic *pariter*; nempe & eadem conditione, & eodem loco ſimul. Quum te, inquit, virga ſemel horrida nigro compulerit Mercurius gregi, non agnoſcendus eris in turba; nam omnes eodem cogimur. Hic autem varietas lectionis me movet, & puto legendum:

Victor cum victis pariter miſcebere Cimbris.

nam Marium alloquitur, de quo ſequenti verſu, & Eleg. 1. lib. 2.

Cimbrorumque minas, & benefacta Mari.

Deinde *victæ umbræ* qui dicantur? Pro *umbris*, legitur & *undis*. An *Indis*? PASS. In Groningano eſt *miſcebimur undis.* unde acutiſſimus Janus Gulielmius faciebat *Indis*; ut de iis, contra quos expeditionem adornabat Auguſtus, tamquam victis jam & ſuperatis loquatur poeta. in Cornelius quoque membranis *miſcebimur* invenerat Gebhardus. priſcæ venuſtatis eſt *victor miſcebimur*; nempe populus victor. amplector etiam lubens belliſſimam Gulielmii emendationem. BROUKH. Inſolens & prava locutio *victor miſcebimur*; quam ut defendamus, fruſtra ad archaiſmum, & coactam quamdam ellipſin confugimus. hoc enim eſt nugis pondus addere, & ſolœciſmo nobilitatem. Ego vero ſatius exiſtimo, a vulgata lectione non diſcedere, cui favet etiam editio princeps. VULP.

v. 16. CONSULE CUM MARIO CAPTE JUGURTHA SEDES] Conſul primum erat Marius quum ad Jugurthinum bellum miſſus. Salluſtius. Septies autem Conſulem fuiſſe, notum eſt ex Cicerone pro Plancio, & lib. 3. de Nat. Deor. item Plutarcho. De Jugurtha Numidiæ rege Salluſtius in libro peculiari, Horatius Ode 1. lib. 2. & Epodo 9. Noſter item Eleg. 6. lib. 4. PASS.

v. 17. LYDUS DULICHIO NON DISTAT

Me juvat in prima coluiſſe Helicona juventa,
Muſarumque choris implicuiſſe manus.
Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna ſemper habere roſa.

At-

Croesus ab Iro] *Lydus*, pro, rex Lydiæ, ut Eleg. 11. infra, *Lydia Omphale*, pro, Lydiæ regina. Ausonius: *Rex an tyrannus Lydiæ Crœsus fuit?* vide adnotata ad Elegiam 26. lib. 2. v. 23. & 24. De Iro Ithacensi, qui proprio nomine Arneus, Homerus initio lib. 18. Odyss. Ovidius Epist. Penelopes: *Irus egens*. & in Remed. Amoris:

Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ ceperit Iron?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

& in Ibin:

Qualis erat nec non fortuna binominis Iri. P. *Dulichio Iro*, pro Ithacensi. Dulichiam cum Ithaca confundit, ut Eleg. 14. lib. 2.

Nec sic errore exacto lætatus Ulixes,
Quum tetigit cara litora Dulichia.

Non distat Crœsus ab Iro. vide Lucianum in Dialogis mortuorum, Vulp.

v. 18. Optima mors, parca quæ venit apta die] Respexit ad Parœmiam: *Optimum non nasci, aut quam citissime aboleri. Apta mors venit*, quæ venit quum opus est; ut contra ineptus, qui apte & loco & tempore non venit. Sed vetus liber *Acta*; quod retineo. ut Eleg. 7. infra:

Ista per humanas mors venit acta manus.

Dies agi dicitur, quia volvitur, & quasi truditur. *Parca die*, non prolixo tempore, sed angusto & brevi. sic Eleg. 3. lib. 4. *Parca lucerna*, in qua parum restat olei. & Horatius Ode 16. lib. 3. *Parca manu*. Parcus a parum & parvum, ut docet A. Gellius lib. 3. cap. 19. Vel *parca die*, fatali, a Parcis præstituta. ut Virgilius lib. 2. Æneid.

Parcarumque dies, & vis inimica propinquat.

Hoc est quod ait Eleg. 21. hujus libri:

Seu moriar, fato, non turpi fractus amore:
Atque erit ille mihi mortis honesta dies.

Vult ergo poeta, optimum esse fato mori, non mari aut bello, præter naturam, præterque fatum. *Parca dies*, πεπρωμένη ἡμέρα, inquit Scaliger, id est fatalis. sic Vetus Glossarium interpretatur *Parcam*, πεπρωμένlω. Dictum autem est *Parca die*, ut Eleg. 31. lib. 2. *femina turba*; ubi vide adnotata. Pass. Hæc vera & certissima explicatio. non enim considerandum fuerat, quid possit hic versus significare, si seorsum ab aliis sumatur, sed quomodo conveniat argumento, & superiori sententiæ. Vulp.

v. 19. Me juvat in prima coluisse Helicona juventa] Frequentem in Parnassi jugis fuisse. *In prima juventa*. ut Eleg. 10. lib. 2.

Ætas prima canat Veneres, extrema tumultus.

Juvenis autem Propertius erat. vide Elegiam 1. lib. 2. v. 73. & Eleg. 3. v. 33. Pass.

v. 20. Musarumque choris implicuisse manus] Cum Musis choreas duxisse, manus manibus inserendo. Sic Horatius Ode 5. lib. 2. *Quem si puellarum insereres choro, Mire sagaces falleret hospites.* unde *sertam ducere* legit Scaliger apud Varronem de R. R. quia saltantes interdum ἐπὶ καρπῷ χειρὸς se tenebant, interdum restem tenentes hærebant; unde *restim ductitare* Terentio. De choreis Musarum dictum ad Eleg. 10. lib. 2. v. 1. *Implicuisse manus*. Ita Ovidius lib. 6. Fast.

Hi ludunt, hos somnus habet: pars brachia nectunt,
Pars viridem celeri ter pede pulsat humum.

Tibullus quoque Eleg. 3. lib. 1.

At juvenum series teneris immixta puellis
Ludit.

Vide Turnebum lib. 26. Adverf. cap. 30. de Pectine Amazonio. Seneca lib. 1. de Benef. cap. 3. *Ille consertis manibus in se redeuntium* (Gratiarum) *chorus*. Pass.

v. 21. Me juvat et multo mentem vincire Lyæo] Hæc inter se contraria sunt, ut supra, *Promethei parum cauti pectoris*. nam Lyæus dictus παρὰ τὸ λύειν, a dissolvendis curis. An vincire, pro, domare & vincere? quia victi vinciri solent. Eleg. 17. infra ad Bacchum: *Hoc sollicitum vince sopore caput*. An *mentem*, pro curis, quas vinum quodammodo constringit,

Atque ubi jam Venerem gravis interceperit ætas,
Sparserit & nigras alba senecta comas:

Tum

git, ne nocere possint? An quia præpeditus vino animus, & quasi constrictus tenetur? Sic Virgilius 2. Georg. de uva nescio qua:

Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.

Vincit ergo & solvit idem Bacchus: quia solvit ac diluit curas, quamquam officia membrorum præpediat. Plautus Pseud. 1, 2. *Ubi vino te devincit*. Appulejus lib. 10. A. A. *Colligatos vino*. Festus in *Hedera; quia ut illa* (hedera) *sic ille* (Bacchus) *mentes hominum illigat*. PASS.

v. 22. ET CAPUT IN VERNA SEMPER HABEAR ROSA] Reclinatum esse molliter in pulvillis rosa fartis. hoc est quod dixit Eleg. ult. lib. 2.

Me juvet hesternis positum languere corollis.

Habere caput in rosa. ut Eleg. 14. lib. 2.

Mecum habuit positum lenta puella caput.

De rosa vide Eleg. 17. lib. 1. v. 22. Cicero 7. in Verrem: *Pulvillus Melitensi rosa fartus*. Idem Cicero ait, Verrem tum ver esse censuisse quum rosam viderat. unde hic *verna rosa*. & Anacreon: *ῥόδον ἔαρος μέλημα*. PASS. *In rosa*. Horatius pariter Ode 5. lib. 1. *Quis multa gracilis te puer in rosa Perfusus liquidis urget odoribus?* Adde Ciceronem 2. de Finib. *Tum ipsum* (M. Regulum) *quum vigiliis & fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium*. & 5. Tusc. *An tu me in viola putabas, aut in rosa dicere?* Mindyrides ille ex Sybaritarum civitate, (adeo dissolutus deliciis erat) *sæpius questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset*. id refert Seneca lib. 2. de Ira cap. 25. VULP.

v. 23. ATQUE UBI JAM VENEREM GRAVIS INTERCEPERIT ÆTAS] *Gravis ætas*, senectus. Eleg. ult. hujus libri:

At te celatis ætas gravis urgeat annis.

Sallustius in Oratione Cottæ: *Senectus, per se gravis, curam duplicat*. *Senes*, inquit Cicero in Catone, *onus Ætna gravius se queruntur sustinere:* ex Euripide in Hercule Furente, ubi chorus juvenum, sibi juventam, ait, onus dulce, senectutem vero onus gravius esse Ætnæ scopulis. Plautus Mercat. D. *Quin tu is ocyus?* SY. *Nequeo mecastor, tantum hoc oneris est quod fero*. D. *Quid oneris?* SY. *annos octoginta & quatuor*. *Interceperit Venerem*, totam ceperit & abstulerit. Donatus in Eunuchum: Sic *interbibere, interlegere, interminari, intertrahere*. Præterea intercipi dicuntur qui insidiis in medio itinere in hostium potestatem veniunt; & senectus sensim obrepit. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Jam subrepet iners ætas, nec amare decebit. P.

Hanc dilationem bene vivendi severe improbat Seneca lib. de Brevitate Vitæ cap. 4. *Quæ tam stulta*, inquit, *mortalitatis oblivio, in quinquagesimum & sexagesimum annum differre sana consilia: & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt?* Sed prior dixerat Horatius Epist. 2. lib. 1.

Incipe. vivendi qui recte prorogat horam,
Rusticus exspectat dum defluat amnis: at ille
Labitur & labetur, in omne volubilis ævum.

VULP.

v. 24. SPARSERIT ET NIGRAS ALBA SENECTA COMAS] Miscuerit canos tuo capiti, in quo prius tantum nigri capilli. nam τὸ, *Alba* indicat quo sparserit. Sic Virgilius 5. Æneid.

--- *Æmula necdum*
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.

Catullus in Epithalamio Manlii *canam* vocavit *anilitatem*. *Nigra coma* juvenum, & formosorum. Horatius Epist. 7. lib. 1. *Reddes Forte latus, nigros angusta fronte capillos*. sed & in feminis aliquando placet, ut alias adnotatum. PASS. Multi libri habent, *Sparsit & integras*. sed legendum, quod & Gebhardus vidit, *Sparserit & nigros*. erat enim trajectio literarum inversarum. *inte* est & *ni*. tum *nigræ comæ* sunt juvenum, quibus opponitur *alba senecta*. & valde commendatus in juvenibus hic color. Tibullus L. 3. Eleg. 5.

Et nondum cani nigros læsere capillos.

----- unice vero nostram lectionem firmat purissimus Ovidii locus L. 4. Trist. Eleg. 8.

Jam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigros alba senecta comas.

BROUKH.

Canescere incipientem Græci vocant *μιξοπόλιον*, Itali dicimus *brinato*, quasi pruina

na

Tum mihi Naturæ libeat perdiſcere mores,
Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit: unde coactis
Cornibus in plenum menſtrua Luna redit.

Unde

na ſparſum. De comis vero ipſis uſurpamus verbum *fiorire*. Petrarcha (*nel Sonetto* 175.) *Non s' accorge Del fiorir queſte innanzi tempo tempie*. VULP.

v. 25. TUM MIHI NATURÆ LIBEAT PERDISCERE MORES] *Tum libeat:* ſupra dixit *Me juvet*. Libére, cupiditatis eſt; velle, rationis. *Perdiſcere*, penitus ediſcere. Plautus Aſin. *Perdidici iſtæc eſſe vera*. & Pſeud. *Ex Ionica diſciplina perdidici*. a δάω, δαίσκω. hinc diſco. Varro lib. 5. de L. L. a docere deducit. *Mores Naturæ*, ipſam Naturam ex iis quæ ſoleat efficere, & ex eorum cauſſis. Reſpexiſſe autem Propertius hic videtur ad illud Virgilii Georg. 1.

Ventos & varium cæli perdiſcere morem
Cura ſit.

Sic ingenium terræ, arborum & metallorum dicitur. Et, *perdiſcere*, ait, quia & Natura docet. Ovidius 15. Metam.

Et rerum cauſſas, & quid Natura docebat:
Quid Deus: unde nives: quæ fulminis eſſet origo. PASS.

vid. Huetius Magnete, v. 26. p. 11. Politianus Nutric. v. 269. BROUKH. Confer Horatium Epiſt. 12. lib. 1. a v. 16. Virgilium quoque in Catalectis, ubi meminit Scironis Epicurei, ad quem ſe conferre parat dimiſſis Muſarum ſtudiis. CETERUM phyſicam ſcientiam, &, quæ ad illam putantur manu ducere, mathematicas diſciplinas, hoc noſtro tempore non in ſenectutem differunt homines: verum vix a lacte depulſi, & adhuc balbutientes, illotis manibus tractare non verentur. Neque adoleſcentes noſtri, ut olim Propertius, in Helicone ſunt frequentes, aut Apollinis lateri adhærent; ſed poeticas epulas & oratorias ita faſtidiunt, ut ne in ſecunda quidem menſa ſibi apponi patiantur. Interea ſine ſenſu, ſine ſapore, rudes, elingues, ἄμουσοι, ἀγράμματοι, ἀπαίδευτοι ætatem degunt; ſibi tamen ac factioni ſuæ ſatis placent, ſublimes & excelſi ambulant, litteratos omnes præ ſe deſpiciunt ſuperbiſſime. Hi plerumque aut nihil ſcribunt, aut, ſi quid ſcribere aggrediantur, allium & cæpe olent, infantia, barbarie, ſtribligine, quantum profecerint, eruditis facile oſtendunt. Hos neque cauſſis agendis, neque reipublicæ adminiſtrandæ, neque Eccleſiæ curandæ utiles dixeris. Omnium vitæ opportunorum ignari, abſtruſis tantum & ſupervacaneis dant operam, & ſæpe in mari medio cupreſſum pingunt. O miram ingeniorum pravitatem! o præpoſteram ſtudiorum rationem! o levitatem & arrogantiam non ferendam! VULP.

v. 26. QUIS DEUS HANC MUNDI TEMPERET ARTE DOMUM] An Juppiter, an quid Jove majus. An πρόνοια, an εἱμαρμένη, an τύχη, an Sol mens mundi. *Temperet arte*, ratione moderetur & regat. nam ars ratio, & prudentia; unde Ciceroni ipſa prudentia dicitur *ars vitæ*. Virgilius 1. Æneid.

Et vaſtas aperit ſyrtes, & temperat æquor.

Suetonius in Auguſto cap. 68. *Viden' ut cinædus orbem digito temperat?* Donatus in Phorm. *Temperans, conſulens, providens*. Seneca Epiſt. 72. *In hoc opere æternam artem cuncta temperantis Dei verti*. *Domum mundi*; ut Cicero 6. de Rep. *Templum hoc omne*. vide adnotata ad Eleg. 2. ſup. v. 20. *Mundus ab ornatu*. Plinius & Cicero κόσμον, *lucentem mundum* interpretatur. PASS. Totus hic Propertii locus inſignis eſt, & quem expreſſiſſe videri poteſt Naſo L. 15. Metam. a verſu 65. ubi recenſet Pythagoræ doctrinam. vide & Papinium L. 5. Silv. 3. & plenius etiam L. 6. Thebaid. a verſu 355. Minucium quoque Felicem in Octavio. BROUKH.

v. 27. QUA VENIT EXORIENS, QUA DEFICIT: UNDE COACTIS CORNIBUS IN PLENUM MENSTRUA LUNA REDIT] τὸ *Qua*, ut Eleg. 3. ſup. v. 2. *Qua venit exoriens;* an unde Sol oriatur, & ubi occidat? an ex mari Indico oriatur, & in Heſperium condatur? an ex antipodibus veniat ad nos, & a nobis ad illos revolvatur? Si de Lu-

luna

Unde salo superant venti: quid flamine captet
Eurus, & in nubes unde perennis aqua.

Si

næ ortu & occasu intelligit, vide Plinium lib. a. H. N. cap. 9. & 14. *Deficere*, hic occidere. An quia quotidie exstingui Solem & renasci putabant Epicurei? vide Lucretium lib. 5. Horatius Carm. Sæcul. *Alme Sol, curru nitido diem qui Promis & celas, aliusque & idem Nasceris*. Mattins Mimiambis:

Jamque albicascit Phœbus, & recensatur
Commune lumen hominibus, voluptasque.

Coactis cornibus, collectis in orbem, ut eum impleat. Sic Virgilius 1. Georg.

Luna revertentes quum primum colligit ignes.

vide Nonium in *Cogere*, pro in unum colligere. Plinius lib. a. N. H. cap. 4. *Modo curvata in cornua; modo aqua portione divisa; modo sinuata in orbem; modo immensa orbe plena; modo nulla. Menstrua Luna*, quæ suo cursu per dimensa spatia dierum mensem efficit. Catullus Carm. 34. *Tu cursu dea menstrua Metiens iter annuum*. μὴν μηνός, mensis, & μήνη, Luna. *Redit in plenum*, rursus plena esse incipit. *Plenum*, pro, plenitudo, τὸ πλῆρες. Virgilius 1. Georg. *Dulcesque a fontibus uvæ Ad plenum calcentur*. Horatius Ode 17. lib. 1. *Copia manabit ad plenum*. Asconius in Divinat. *Ad plenum nosse caussas*. Ita *in vanum*, *in cassum*, *in vacuum*, & alia id genus. PASS. *Qua venit exoriens*. pariter Albinovanus dixit *extremos exorientis equos*. ceterum hoc Distichon locandum videtur post eum versiculum:

Solis & atratis luxerit orbis equis.

sed tutemet statues, lector erudite: ego nihil definio. BROUKH. *Exoriens*, pro Sole ipso usurpatur hoc loco, sive ille oriatur, sive occidat. sequitur enim statim, *qua deficit*. Sic Albinovanus Elegia in Obit. Mæcenatis:

Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
Misit ad extremos exorientis equos.

Aliàs ponitur pro Sole oriente, vel plagâ unde Sol oritur. Varro lib. 3. de R. R. cap. 9. *Duæ causæ conjunctæ magnæ constituendæ, quæ spectent ad exorientem versus. Oriens* interdum eodem modo sumitur. Virgilius lib. 5. Æneid. v. 739.

Et me sævus equis oriens afflavit anhelis.

Valerius Flaccus lib. 3. Argon. v. 411. *Ubi puniceas oriens adscenderit undas*. Justinus lib. 18. cap. 3. *Ubi dies adventare cœpit; editissimisque culminibus urbis oriens splendere*. *Qua deficit*. nempe occidit, evanescit, apparere desinit, conspectui nostro subducitur. *Deficere*, est quod Itali dicimus *venir meno*. Dantes Aligherius Paradisi Cantu 7.

Immagini quel carro, a cui il seno
Basta del nostro cielo, e notte e giorno,
Sì ch' al volger del temo non vien meno.

Coactis cornibus, utrimque conjunctis & collectis. Ovidius 10. Metam. v. 295.

-- Jamque coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit: de qua tenet insula nomen.

Lucanus quoque lib. 1. v. 537.

-- Cornuque coacto
Jam Phœbe toto fratrem quum redderet orbe,
Terrarum subitâ percussa expalluit umbrâ.

In plenum redit. Sic Eleg. 24. hujus libri:

Vulnera & ad sanum nunc coïere mea.

Sed hoc loco subaudiendum est, *orbem*; ut Ovidii locus ostendit modo allatus, qui poeta Propertium, ut sæpe, imitatur. *Menstrua Luna*. Lactantius lib. de Ira Dei cap. 13. *Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, amissi ac recepti luminis vicibus menstrua spatia moderatur*. VULP.

v. 29. UNDE SALO SUPERANT VENTI: QUID FLAMINE CAPTET EURUS, ET IN NUBES UNDE PERENNIS AQUA] Venti e mari spirare solent. vide Aristotelem in Problematis, & 2. Meteor. Senecam item lib. 3. Quæst. Nat. Plinius lib. a. Hist. Nat. cap. 43. *Posse & aquis aëra exspirantibus* (ventos gigni) *qui neque in nebulam densetur, neque crassetur in nubes*. *Unde salo superant venti*: cur abundant, sive satis superque sunt venti in mari. cur numquam sit mare sine vento, quum sint fluvii quidam ἄναυροι, ut Nilus. *Superare*, superesse, abundare. Virgilius 2. Georg.

Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur.

Plautus Amphitr. *Num tibi aut accessit stultitia, aut superat superbia? Quid Eurus capet flamine*. quid & cui insidietur quum

flare

Si ventura dies mundi quæ ſubruat arces:
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.

Aut

ſtare incipit : nam captare inſidiantis eſt . ut Eleg. 19. lib. 2. *Incipiam captare feras* . Eurus autem delectatur naufragiis , quæ ſunt *ludibria ventorum* Horatio . Virgilius 2. Georg. *Ubi navigiis violentior incidit Eurus* . Sic Noſter dixit Eleg. 8. lib. 1. *Subſidere ventos* , [tamquam in inſidiis .] Ita & Virgilius 1. Georg. *Quid cogitet humidus Auſter . In nubes unde perennis aqua* . quid aquam nubibus perpetuo ſuppeditet , unde pluvia fiat . vide Ariſtotelem in Meteor. Appulejum libro de Mundo , Plinium , Senecam 10 Quæſt. Nat. Virgilius 1. Æneid. *Unde imber & ignes* . vide illic Servium . *Nubes dictæ* quod tegere ſolent cælum : Donatus in Hecyr . Varro 4. de L. L. *Nubes* , νεφέλη . vide Lucretium lib. 6. *Perennis* , ab amne perpetuo fluente : vel *perennis* , quæ per annos multos , aut omnes durat . unde *perennare* Suetonio . PASS. *Superant venti* . in Groningano eſt *ſuperent* . BROUKH.

v. 31. SIT VENTURA DIES MUNDI QUÆ SUBRUAT ARCES] An ſit in fatis affore tempus ,

Quo mare , quo tellus , correptaque regia cæli
Ardeat , & mundi moles operoſa laboret .

ut ait Ovidius lib. 1. Metam. Aliàs pro *Sit* , legitur *Si* ; quod non ineleganter , pro *an* ſumetur ; ut infra hac Elegia , *Si furit angue caput* . Porro venturam illam diem canit Lucretius lib. 5.

Tres ſpecies tam diſſimiles , tria talia texta
Una dies dabit exitio : multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi .

Vide & Lucanum lib. 7. a verſu 812. Ciceronem de ecpyroſi ex ſententia Stoicorum , Senecam Epiſt. 72. & in Conſolat. ad Marciam , & ad Polybium . Varro eamdem commemorat κοσμοτορύνη , περὶ φθορᾶς κόσμου apud Nonium in *Aries* , & in *Lavit* . At Juppiter apud Statium 2. Thebaid. *Arcem æternam* vocat :

Arcem hanc æternam, mentiſque ſacraria noſtræ
Teſtor ,

inquit . Plato in Timæo negat , mundum diſſolvi poſſe , niſi ab ejus architecto Deo ; ſed ejus ait bonitati conſentaneum , ut ſit æternus . Ariſtoteles lib. 1. de Cælo , & ſemper fuiſſe & ſemper futurum ſcribit . *Subruat* , ſubvertat . Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 11.

Subruere eſt arces & ſtantia mœnia virtus .

Arces mundi , cælum partem eminentiſſimam & muniτiſſimam , ut ſedem deorum . Virgilius 1. Æneid. *Cæli quibus annuis arcem* . Horatius Ode 3. lib. 3. vocat *arces igneas* ; Lucretius vero , *flammantia mœnia mundi* . PASS. *Mundi q. ſ. arces* . unus Colbertinus habet , *arcem* , quomodo & Gebhardus in Palatino invenerat . ‐ ‐ ‐ ‐ leviculum hoc eſt ; & parum refert , utro modo legatur . BROUKH.

v. 32. PURPUREUS PLUVIAS CUR BIBIT ARCUS AQUAS] Id eſt , *Purpureo varius colore* , ut de autumno dixit Horatius Ode 5. lib. 2. & Virgilius Ecl. 9. *Hic ver purpureum* . in purpureo enim colore ineſt aquilum & nigrum aliquid . unde Noſter Elegia 26. lib. 2. *purpureos fluctus* vocat . & candidum , unde *nix purpurea* & *purpureè olores* ; & purpuræ ſanguineus color & cæruleus . Tres vero in arcu colores : puniceus , viridis , cæruleus . *Arcus* , *fornix* , inquit Nonius : *Arquus* , *qui in cælo apparet* , *unde arquati* . & ita ſcribitur apud Chariſium lib. 1. Sic Virgilius 1. Georg. in prognoſticis pluviæ : *Bibit ingens Arcus* . Plautus Curcul. 1 , 2. *Ecce autem bibit arcus* , *pluet credo hercle hodie* . *Concipit Iris aquas* , dixit Ovidius lib. 1. Metam. *Arcus Oceanum bibit* , Lucanus lib. 4. De Iride Ariſtoteles lib. 3. Meteor. cap. 4. & 5. Plutarchus lib. de Amore , & lib. de Iſide & Oſiride , Lucretius lib. 6. Plinius lib. 2. H. N. cap. 59. Seneca lib. 1. Nat. Quæſt. cap. 3. *Aquas pluvias* , *cæleſtes* Horatius . Juriſconſultis Aqua pluvia eſt , quæ de cælo veniens creſcit imbri . PASS. *Bibit* . in quibuſdam libris eſt *bibat* . exponunt hunc verſum Ludovicus Cælius L. 22. Lect. Ant. C. 29. & Hadrianus Turnebus L. 29. Adverſ. C. 31. ubi producunt ambo *Cæruleus* pro *Purpureus* , errore credo memoriæ . nam neque in ſcriptis neque in cuſis id vocis invenitur . BROUKH.

v. 33.

Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis.

Cur

v. 33. AUT CUR PERRHÆBI TREMUERE CACUMINA PINDI] id est, juga, vertices. Horatius Epodo 16. *Padus Matina laverit cacumina*. Strabo lib. 9. Pindum ingentem montem Thessaliæ, ait, ad Septemtrionem habere Macedonum partem: ad Occasum Perrhæbos. Idem lib. 10. Perrhæbos numerat in populis Ætoliæ. Plinius lib. 4. H. N. cap. 1. *In ea* (Epiro) *Perrhæbi, quorum mons Pindus*. ajunt enim, Perrhæbos a Lapithis fugatos ad Pindum se recepisse. De maximo terræmotu in Thessalia facto, quo abscissi cohærentes montes, Herodotus in Polyhymnia, & Strabo lib. 9. Virgilius 2. Georg.

Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant.

ubi Servius legendus. Copiosissime de terræmotibus & eorum caussis disputat Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 7. & 8. & in lib. de Mundo cap. 4. Lucretius lib. 6. Plutarchus lib. 3. de Placitis Philos. Plinius lib. 2. H. N. cap. 79. & seq. Auctor Ætnæ poematis, Seneca lib. 6. Nat. Quæst. cap. 5. & sequ. PASS. Περῤῥαιβοὺς appellat populos illos Isocrates ἐν τῷ πρὸς τὸν Φίλιππον λόγῳ. Μάγνητας δὲ καὶ Περῤῥαιβοὺς καὶ Παίονας κατέστραπται. VULP.

v. 34. SOLIS ET ATRATIS LUXERIT ORBIS EQUIS] Quum Sol deficit, lugere videtur, & tenebris atris, quasi atrata veste, luctum significat. Virgilius 1. Georg. de Sole:

Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam,
Quum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Atratis equis, *nigris*, ut Noster loquitur Eleg. 5. lib. 2. v. 32. Atrati solebant esse in luctu. Eleg. 7. lib. 4.

Denique quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?

De eclipsi Solis Plutarchus in Nicia, & in libro de Facie quæ cernitur in orbe Lunæ; Cicero 2. de Nat. Deor. Servius ad illud 2. Georg.

Defectus Solis varios, Lunæque labores.

Deficit, inquit, una tantum ratione quum Luna Soli e regione objecta est, ut a nobis ille minus videri possit. Plinius lib. 2. H. N. cap. 10, 12. & 13. Solem interventu Lunæ occultari, scribit, & Lunam terræ objectu. *Orbis Solis*, pro Sole rotundo; ut Eleg. 20. lib. 2. dixit, *Orbita Lunæ*. Horatius Epist. 12. lib. 1.

Quid premat obscurum Lunæ, quid proferat orbem.

Ovidius 13. Metam. *Solis tamen unicus orbis*. ambigue de oculo mundi; unde orbi. PASS. *Solis orbis*. corpus ipsum Solis rotundâ figurâ, discus, clypeus, ut eum appellat Ovidius lib. 15. Metam. *Orbem* Propertius ἀκύρως vocat, quem *globum* κυρίως dicere debuit. Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Quumque duæ formæ præstantes sint, ex solidis, globus (sic enim σφαῖραν interpretari placet) ex planis autem circulus aut orbis, qui κύκλος Græce dicitur*. Verum Solis globus tamquam orbem se nobis exhibet, nimirum plana superficie. Valerius Flaccus lib. 5. v. 93. *Sol magnus ut orbem Tolleret*. Idem lib. 3. v. 559. *rotam* vocavit: *Medii transit rota candida Phœbi*. Prior tamen Lucretius lib. 5.

Hic neque sum cerni rota Solis lumine largo
Altivolans poterat, &c.

Vide quid scripserim ad Eleg. 9. lib. 1. Tibulli v. 62. *Atratis equis*. Sordidatis, & Cæsaris necem annuo fere spatio quasi lugentibus. κυανοπέπλοις τοῖς ἵπποις. *Atratus*, atra veste indutus. Cicero in Vatinium: *Cede, quis umquam cœnavit atratus?* Idem lib. 1. de Divinat. *Quid quum fluvius atratus sanguine fluxit?* Tacitus lib. 3. Annal. cap. 2. *Atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci vestem, odores, aliaque funerum solennia cremabant*. Galilæus Galilæi quum Solem telescopii subsidio accuratius inspexisset, animadvertit, maculas in ejus facie nasci, augerique paullatim, & dissipari. Indidem caussa cognita est, cur interdum, cælo etiam valde sereno, subpallidus Sol esset. Nempe, maculis solito majoribus radiorum ejus pars aliqua intercipitur. Maculæ hujuscemodi, ut videtur, anno quo Julius Cæsar a conjuratis occisus fuit, valde increverant: propterea tardius dissipatæ sunt, & Sol pallidus atque obtusa radiorum acie semper apparuit. Ceterum

Cur ſerus verſare boves, & plauſtra Bootes:
Pleïadum ſpiſſo cur coït imbre chorus.
Curve ſuos fines altum non exeat æquor,
Plenus & in partes quatuor annus eat.

Sub

in hoc Propertii verſu ſyntaxis ita etiam ordinari poteſt: *Et orbis luxerit equis Solis arratis*, ut ſcilicet orbi terrarum, non orbi Solis luctum tribuamus. VULP.

v. 35. CUR SERUS VERSARE BOVES, ET PLAUSTRA BOOTES] Hoc inquit, quia non occidit niſi mane Arctophylax. *Serus verſare*, qui ſero verſat; ut *cupidus attingere* Eleg. 19. lib. 1. & Lucillius, *lentus ſolvere*. *Verſare boves*, agere pro arbitrio. Sic Seneca in Agamemnone: *Lucida verſat plauſtra Bootes*. & Virgilius Ecl. 10.

Æthiopum verſemus oves ſub ſidere Cancri.

Boves, triones ſeptem: Feſtus in Litura. *Septemtriones quidem Plauſtrum dicunt, quod id aſtrum Græci ἅμαξαν vocant*: Varro lib. 6. de L. L. vide & Gellium lib. 2. N. A. cap. 21. Plura de hac re adnotavi ad Elegiam 33. lib. 2. v. 24. PASS. Omnes libri ſcripti, omneſque typis excuſi ante Scaligerum habent, *Cur ferus*. quod non erat rejiciendum, [nec ſubſtituendum *ſegnis*.] Catullus Carm. 65.

Vertor in occaſum, tardum dux ante Booten,
Qui vix ſero alto mergitur Oceano.

Boëthius L. 4. Conſol. Philoſ. Met. 5.

Cur legat tardus plauſtra Bootes,
Mergatque ſeras æquore flammas. BROUKH.

v. 36. PLEÏADUM SPISSO CUR COÏT IGNE CHORUS] Ita vocatur etiam ab Horatio Ode 14. lib. 4. *Pleiadum choro Scindente nubes*. bene chorus. nam & cœtus ſtellarum; & eæ moventur in numerum, cum orbium cæleſtium concentu; unde χορὸς ἀςέρων. Tibullus Eleg. 1. lib. 2, *Laſcivo ſidera fulva choro*. De Plejadibus vide adnotata ad Elegiam 8. lib. 1. v. 10. & Eleg. 16. lib. 2. v. 51. *Spiſſo igne*; quia juncta eſt e ſeptem ſtellis, quarum ſex conſpicuæ, ſeptima latet. *Igne*, quia igneæ ſtellæ Ciceroni. *Spiſſum*, & denſum & tenue. Servius in illud 5. Æneid. *Spiſſa jacuit revolutus arena*. tenui, inquit, quia quanto quid minutius, tanto denſius. PASS. De aſtris ſuo ortu occaſuve tempeſtatem cientibus, cum cura ex veterum diſciplinis egit profundæ vir eruditionis Jacobus Nicolaus Loënſis L. 8. Epiphyll. C. 21. ſed non eſt omittenda ingenioſa & felix reſtitutio Nic. Heinſii, *ſpiſſo* hic *imbre* legentis Not. ad Ovid. L. 10. Metam. v. 508. quem videre debes. ſane *imbres* & *ignes* ſæpe confunduntur in codicibus vetuſtis. - - - - - - - - - adpoſite Valerius Flaccus L. 5. v. 416. ubi deſcribit Solis templum:

Pone rota breviore ſoror, denſæque ſequuntur
Pliades, & madidis rorant e crinibus imbres.

& hunc locum feliciter perſanavit idem ille Heinſius; nam antea legebatur *rorantes crinibus ignes*, nullo ſenſu, ſermone pravo. vide, ſi tanti eſt, Douzæ F. notas ad Noſtrum pag. 113. BROUKH.

v. 37. CURVE SUOS FINES ALTUM NON EXEAT ÆQUOR] Horatius Epiſt. 12. lib. 1.

Quæ mare compeſcant cauſſæ; quid temperet annum.

Hanc quæſtionem tractant Lucretius lib. 6. & Ariſtoteles 2. Meteor. Aquarum eſt is locus, & elementa ſuis in locis manent. Aqua rotundis ex guttis conſtat, ideoque in ſe cogitur & conglobatur. *Altum æquor*, plene: *altum*, conciſe; quia altius terrâ: unde conſcendere, & exſcendere. PASS. *Altum æquor*, globoſum ac tumidum, nec tamen effluens; quod ſcilicet communi centro teneatur. Medium mare *altum* Latini vocavere, quod a litoribus multum diſtet; terræque inde ſpectatæ, humiles, & ad Orizontem devexæ appareant. *Exeat ſuos fines*, pro, ſuis finibus. conſtructio archaica & obſoleta. ſeu quoddam genus ἑλληνισμοῦ. Plinius lib. 18. H. N. cap. 3. ex Commentariis Pontificum: *Priuſquam frumenta vaginas exeant*. VULP.

v. 38. PLENUS ET IN PARTES QUATUOR ANNUS EAT] Plenus annus, qui conſtat vere, æſtate, autumno, hieme. quatuor illæ tempeſtates & horæ fiunt acceſſu & receſſu Solis. Cicero 1. & 2. de Nat. Deor. Legendus Cenſorinus de varia anni menſura. Idem Varro *Tetrachordon anni* vocavit apud Nonium in *Autumnitas*. *Plenus*, inte-

te-

Sub terris si jura deûm & tormenta Gigantum:
Tisiphones atro si furit angue caput.
Aut Alcmæoniæ furiæ, aut jejunia Phinei:
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.

Num

teger. Horatius Ode 18. lib. 3. *Si tener pleno cadit hædus anno*. De variis annorum generibus vide Servium ad illud 1. Æneid.

Triginta magnos volvendis mensibus orbes.

Annus dictus quasi anus, idest, anulus, quod in se redeat, & in se sua per vestigia revolvatur: vel ἀπὸ τῦ ἀνανεῦσθαι, ab innovatione, quod semper recentetur. Festus: Annus ex Græco venit, quem illi ἔνον dicunt; & quod nostri triennium, illi τριένιον. Varro 5. de L. L. Tempus a bruma ad brumam, dum Sol redit, vocatur annus; quod ut parvuli circuli, annuli, sic magni dicebantur anni. Isidorus lib. 5. fere idem quod Servius. PASS. Hanc tempestatum anni distributionem a Jove factam tradit Ovidius 1. Metam. quum antea sub imperio Saturni ver æternum fuisset. V.

v. 39. SUB TERRIS SINT JURA DEUM ET TORMENTA GIGANTUM] Sintne inferi, & apud inferos judices, qui pœnis impios afficiant. Noster Eleg. ult. lib. 4.

Det pater hic umbræ mollia jura meæ.

Sub terris, quia ibi inferi locantur, unde & nomen habent. Vide adnotat. ad illud Eleg. 18. lib. 2.

Illi sub terris fiant mala multa puellæ.

De inferis vide Ciceronem in Catilinam, 1. Tuscul. & alibi, Sallustium de Conjurat. C. in Orat. Catonis, Lucretium lib. 3. Ovidium lib. 15. Metam. *Tormenta Gigantum*, pœnæ & cruciatus Gigantum & Titanum in Tartaro. nam hos poetæ sæpe confundunt, licet diversi sint. Virgilius 6. Æneid.

Hic genus antiquum terræ Titania proles
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Gigantes, γηγενεῖς, *terrigenæ*. γίγας Græcis μέγας, ἰσχυρὸς. vide Hesiodum in Theogonia. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 20. ἀθέους fuisse interpretatur, qui quum deos negarent, eos de cælo detrahere voluisse fingantur. PASS. Nos hanc sententiam secuti, de impiis in Ode quadam nostra ita cecinimus:

Qui, Tityus velut atque Cæus,
Instant ab alto exercitus insolens
Auctorem Olympo pellere siderum;
Brutamque Naturam sagacis
In solio posuisse Regis.

Sub terris s. j. d. Hoc nomine Socratem accusabant ejus inimici, ut legere est apud Platonem in Apologia: Ὡς ἐστί τις ὁ Σωκράτης, ἀνὴρ σοφὸς τά τε μετέωρα φροντιστὴς, καὶ τὰ ὙΠΟ ΓΗ͂Σ πάντα ἀνεζητηκὼς, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν. lege sis reliqua. Cicero lib. 1. de Inventione: *In eo autem quod in opinione positum est, hujusmodi sunt probabilia: Impiis apud inferos pœnas esse paratas. Eos qui philosophiæ dent operam, non arbitrari Deos esse.* VULP.

v. 40. TISIPHONES ATRO SI FURIT ANGUE CAPUT] An armata colubris Tisiphone, & manibus & capite, ut pingitur & fingitur. unde Virgilio 5. Æneid. dicitur *intentans angues*, & Græcis ὀφιοπλόκαμος. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit, & huc illuc impia turba fugit.

Sævit, ut hic *furit*, unde Furiarum nomen. Plura adnotavi ad illud Catulli Carm. 63.

Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons exspirantes præportat pectoris iras. PASS.

Si pro an. Lucanus lib. 3. v. 258. de Tigri & Euphrate:

- Incertum est, tellus si misceat amnes. VULP.

v. 41. AUT ALCMÆONIÆ FURIÆ, AUT JEJUNIA PHINEI] Furiæ, quæ Alcmæona matricidam persecutæ dicuntur. nam Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι, apud Suetonium in Nerone. Alcmæona fabulam scripsit Ennius, & de ea dictum est ad Eleg. 16. lib. 2. v. 29. *Jejunia Phinei*, fames qua cruciatus Phineus ab Harpyiis, quasi eam adhuc apud inferos sentiat; vel alii. nam Virgilius dixit 6. Æneid.

Epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu. Furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas.

Nota fabula de Harpyiis, Phineo, Zete & Ca-

Num tribus infernum cuſtodit faucibus antrum
Cerberus, & Tityo jugera pauca novem.
An ficta in miſeras deſcendit fabula gentes,
Et timor haud ultra, quam rogus, eſſe poteſt.

Exi-

Calaï , ex Apollonii & Apollodori lib. 2. [item Valerii Flacci lib. 4.] Servio ad 3. Æneid. Fulgentio lib. 3. Ovidio initio 7. Metam. & Palæphato lib. 1. in *Phineus* . PASS.

v. 42. NUM ROTA , NUM SCOPULI , NUM SITIS INTER AQUAS] De rota Ixionis dictum ad Eleg. 9. lib. 1. v. 20. Quum *ſcopuli* meminit , an de Siſyphi ſaxo illud capiendum , de quo dictum ad Eleg. 17. lib. 2. v. 7. ? An , ut Virgilius 6. Æneid. *Et te , Catiline , minaci Pendentem ſcopulo ?* De ſiti inter aquas , quæ Tantali pœna , dictum ad Eleg. 1. lib. 2. v. 66. PASS. Etiam hic verſus γλαφυρὸς , & optime tornatus . V.

v. 43. NUM TRIBUS INFERNUM CUSTODIT FAUCIBUS ANTRUM CERBERUS , ET TITYO JUGERA PAUCA NOVEM] *Cuſtodit* , ſervat & excubat ut canis . unde & *Tartareus cuſtos* dicitur a Virgilio 6. Æneid. Sic *gemini cuſtodes* pro canibus 8. Æneid. & *bini cuſtodes* apud Plautum Milite 2 , 2. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

-- Cerberus ore

Stridit , & æratas excubat ante fores .

Cerberus tribus faucibus , dicitur ut vir magno capite . fingitur autem tres habere fauces & a Virgilio , & tria guttura pandere . At Horatius Ode 19. lib. 2. & Ode 11. lib. 3. trilingue os ei attribuit . Euripides vero in Ione τρισώματον κύνα vocat . Sed ab Heſiodo πεντηκοντακέφαλος , & ab Horatio Ode 13. lib. 2. *bellua centiceps* dicitur . Servius in 6. Æneid. *Cerberus* quaſi κρεοβόρος , eſt terra , quæ carnem conſumit . & fingitur canis , quia oſſibus incubat . unde :

Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento .

De illo Heſiodus in Theogonia , & Hyginus . Apollodorus lib. 3. eum ſic deſcribit : Εἶχε δὲ οὗτος τρεῖς μὲν κυνῶν κεφαλὰς , τὴν δὲ οὐρὰν δράκοντος · κατὰ δὲ τοῦ νώτου παντοίων εἶχεν ὄφεων κεφαλάς . *Tityo jugera pauca novem* . cui porrecto & jacenti vix ſatis novem jugera ſunt , [ob enormem corporis magnitudinem .] De Tityo dictum ad Eleg. 20. lib. 2. v. 31. Virgilius 6. Æneid. *Per tota novem cui jugera corpus Porrigitur* . Homerus 11. Odyſſeæ , de Tityi pœna ob tentatam Latonæ pudicitiam : ὃ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα . vide Apollodorum lib. 1. Quid jugerum , docet Varro 4. de L. L. & lib. 1. de R. R. cap. 4. item Columella lib. 5. cap. 2. & Plinius lib. 18. H. N. cap. 3. PASS.

v. 45. AN FICTA IN MISERAS DESCENDIT FABULA GENTES] *Fabula* proprie quilibet ſermo , unde fabulari : ut hiſtoria quælibet narratio ; & ſæpe de fabuloſis dicitur ; ideoque addit *ficta* , ut & Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Non eſt in vanum fabula ficta jocum .

Ergo *ficta* , ποιητική : nam poetarum eſt fingere . Proprie autem dixit *fabula deſcendit* , quia e cælo capitibus hominum imminere dicebatur ſuperſtitio ; unde & eſt dicta . vide Lucretium lib. 1. a verſu 63. *Miſeras* autem *gentes* vocat , quia miſerum putabant Epicurei [quibus fortaſſe Propertius annumerandus] metu deorum ſemper angi : & ſuperſtitio metus inanis deorum eſt . De hac Cicero 1. de Nat. Deor. *Impoſuiſtis in cervicibus noſtris ſempiternum dominum , quem noctes dieſque timeremus* . unde miſere timere . PASS. *Deſcendit fabula* . Opinor ſcribendum *excendit* . cujus verbi ignoratio ſæpe numero fraudi fuit priſcis ſcriptoribus . Incomparabilis Gronovius Not. ad Livii Librum 2. Cap. 28. uſum verbi probi , ſed minus vulgo triti , liberali manu vindicavit . ----- *fictam* porro *fabulam* quod dicit , in eo ſuum ſequitur Ciceronem , Orat. pro Milon. C.16. *Rumorem fabulam , falſam , fictam , levem perhorreſcimus : ora omnium atque oculos intuemur* . BROUKH. Neque interpretatio Paſſeratii , neque lectio Broukhuſii mihi ſe ſe probat . Omnino retinendum *deſcendit* : ſed id quo pertineat , docebo . Deſcendunt in animos hominum , & in illis altas radices agunt , quæ prima ætate a nutricibus , parentibus , magiſtris acceperunt . Ita locuti ſcriptores optimi . Livius lib. 1. Hiſt. de Numa Pompilio : *Dee-*

rant

Exitus hic vitæ ſuperet mihi. Vos quibus arma
Grata magis, Craſſi ſigna referte domum.

ELI-

rum metum injiciendum ratus eſt. qui quum deſcendere ad animos ſine aliqua commente miraculi non poſſet, ſimulat, ſibi cum dea Ægeria congreſſus nocturnos eſſe. Idem lib. 3. *Affirmante Duilio, non prius quam deſeri urbem videant, curam in animos patrum deſcenſuram*. Salluſtius B. Jugurth. cap. 11. *Quod verbum in pectus Jugurthæ, altius quam quiſque ratus erat, deſcendit*. Seneca Conſolat. ad Helviam cap. 16. *Altius præcepta deſcendunt, quæ teneris imprimuntur ætatibus*. Seneca pater Præf. lib. 1. Controv. *Quæcumque in animum ejus ſemel deſcenderant, in promtu erant*. Locutio a gladiis & telis translata, quæ corporibus infiguntur. Auſonius in Centone Nuptiali, μεταφορικῶς:

Altius ad vivum perſedit vulnere mucro.

His loquendi modis affinis eſt ille Nævii in Andromacha apud Servium in Georgica Virgilii: *Quod tu, mi gnate, quæſo ut in pectus tuum demittas, tamquam vindemiator in fiſcinam*. & alter Senecæ lib. de Tranquill. Animi cap. 11. *Hoc (monitum) ſi quis in medullas demiſerit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia eſt, ſic adſpexerit, tamquam illis liberum & ad ſe iter ſit: multo ante ſe armabit, quam petatur*. Sed & alia hujus loci interpretatio probabilis afferri poſſet, ut *deſcendere* ſit quaſi per manus tradi, & a majoribus in poſteros propagari. Varro lib. 7. de L. L. *Ad illud genus quod peius, hiſtoria opus eſt. niſi deſcendendo enim, aliter id non pervenit ad nos*. Idem lib. 2. de R. R. cap. 1. *Neceſſe eſt humanæ vitæ a ſumma memoria, gradatim deſcendiſſe ad hanc ætatem*. Quintilianus l. 1. Inſtit. Orat. cap. 11. *Cujus etiam diſciplinæ uſus in noſtram uſque ætatem ſine reprehenſione deſcendit*. Prior tamen explicatio magis placet, &, ſi quid judico, vera eſt. *Miſeras gentes*. Cicero lib. 2. de Divinat. non procul a fine: *Superſtitio fuſa per gentes oppreſſit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit*. Poſterior tamen hominum ætas magis emunctæ naris mortales tulit, quique impietate potius, quam ſuperſtitione laborarent. In his familiam ducunt Diagoras, Epicurus, Leucippus, Lucretius, Plinius, cum ſectatoribus innumeris. Quod & Minucius Felix animadvertit in Octavio: *De Pyrrho*, inquit, *Ennius Apollinis Pythii reſponſa confinxit, quum jam Apollo verſus facere deſiſſet; cujus tunc cautum illud & ambiguum defecit oraculum, quum & politiores homines, & minus creduli eſſe cœperunt*. VULP.

v. 46. ET TIMOR HAUD ULTRA, QUAM ROGUS, ESSE POTEST] Id eſt, timor non poteſt eſſe poſt cineres. Ita Cæſar apud Salluſtium in Catilina: *Mortem*, inquit, *cuncta mortalium mala diſſolvere. ultra neque curæ, neque gaudio locum eſſe*. Cui Cato reſpondet, & objicit, eum falſa exiſtimare quæ de inferis memorantur. At Plinius lib. 7. *Uni* (omnium animantium) *homini data ſuperſtitio, & cura poſt ſe de futuro*. Seneca in Conſolat. ad Marciam facit ad hunc locum Propertii: *Luſerunt*, ait, *iſta poetæ, & vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum & ſolutio eſt & finis*. perturbationes morbi ſunt; ergo intereunt. PASS.

v. 47. EXITUS HIC VITÆ SUPEREST MIHI. VOS QUIBUS ARMA GRATA MAGIS, CRASSI SIGNA REFERTE DOMUM] Ætatem gravem in iis ſtudiis conſumam & finiam. At contra Eleg. 26. lib. 2.

Exitus hic nobis non inhoneſtus erit.

Vos quibus arma Grata magis. quibus bella magis placent, *Ite & Romanæ conſulite hiſtoriæ*, ut dixit ſupra. De ſignis Craſſi Plutarchus in Antonio: Ἔπεμψε δὲ ἐπ' αὐτὸν, πάλιν τὰς σημαίας ἀξιῶν ἀπολαβεῖν. Horatius Ode ult. lib. 4. *Et ſigna noſtro reſtituit Jovi Derepta Parthorum ſuperbis Poſtibus*. Virgilius 7. Æneid. *Parthoſque repoſcere ſigna*. Noſter Eleg. 6. lib. 4.

Hic referat ſero confeſſum fœdere Parthum:
Reddat ſigna Remi, mox dabit ipſe ſua.

Vide Suetonium in Auguſto cap. 21. & Ovidium lib. 5. Faſt. PASS. Groninganus, *ſuperes*. ſic L. 4. Eleg. 2.

Sex ſuperant verſus. te, qui ad vadimonia curris,
Non moror.

Virgilius L. 3. Æn.

Quid puer Aſcanius? ſuperatne, & veſcitur aura?

quo

quo loco Maronis, *τὸ superet* Nostri fultum ivit Franc. Modius Novant. Epist. 18. sed valde improbavit Gebhardus, quia Noster modo dixerat, *Unde salo superant venti*. verum Gebhardus non vidit alio istic significatu poni, & abundantiam notare: quum hic sit votum, idemque significet quod apud Virgilium *maneat* Ecl. 4.

O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ.

adde, quod hac ipsa Elegia habuimus;

Ante meos obitus sit precor illa dies.

& quæ fuerit ista stolida jactantia poetæ, longævam sibi senectutem tamquam ex tripode promittentis? ut hic *exitus vitæ*, ita *mortis exitus* legitur apud L. Septimium L. 4. C. 15. *Deiu percontatus* (Pyrrhus) *exitum paternæ mortis, doctusque; Myrmidonas, gentem fortissimam, & inclytam bellaudi, armis atque animis confirmat. Crassi signa referte domum.* scripta est igitur hæc Elegia ante quam Parthi signa reddidissent. vide infra ad 4, 6, 80. BROUKH.

ELEGIA VI.

DIc mihi de nostra, quæ sentis, vera puellâ:
Sic tibi sint dominæ, Lygdame, demta juga.
Num me lætitia tumefactum fallis inani,
Hæc referens, quæ me credere velle putas?

Omnia

ARGUMENTUM ELEGIÆ VI. LIBRI III.] Lygdamum servum obtestatur, ut sibi de tristitia puellæ ab se intermissæ quam verissima referat. VULP.

v. 1. DIC MIHI DE NOSTRA, QUÆ SENTIS, VERA PUELLA] Ex more quem tangit Eleg. 22. lib. 2. his versibus:

Et rursum puerum quærendo audita fatigat,
Quem quæ scire timet, dicere plura jubet.

In hac Elegia est διαλογισμός, ut apud Horatium Ode 9. lib. 3. & Anacreontem de columba. *Dic mihi.* idem initium Asinariæ Plauti, [& Eclogæ 3. Virgilii.] Homerus etiam ita orditur Odysseam: Ἄνδρα μοι ἔννεπε. & Theocritus Idyllium 4. Εἰπέ μοι, ὦ Κορύδων, τίνος αἱ βόες; dixi de hoc genere locutionis plura ad Eleg. 32. lib. 2. v. 56. *Dic mihi vera.* Plautus Pseud. *Dic mihi verum serio.* Vel *vera* jungitur cum *sentis*, ut sit; quæ vera credis, ut qui cito scis, quasi id sensu perceperis. Sic Elegia 14. lib. 2. *Hoc sensi prodesse magis.* P.

v. 2. SIC TIBI SINT DOMINÆ, LYGDAME, DEMTA JUGA] Quum aliquid impetrare cupimus, hoc genere sermonis bene precamur vel aliis, vel nobis. aliis, ut Eleg. pænult. lib. 1.

Sic te servato possint gaudere parentes.

ubi vide plura hac de re adnotata: nobis, ut Eleg. 15. infra:

Sic ego non ullos jam norim in amore tumultus.

Lygdame. hujus fit mentio Eleg. 7. & 9. lib. 4. sed ita ut nescias, Propertiine servus, an Cynthiæ fuerit. Eo se nomine Tibullus appellat quum ait Eleg. 2. lib. 3. *Lygdamus hic situs est.* Apud Herodotum est Lygdamus quidam Naxius, Pisistrato adjutor in recuperanda tyrannide. *Dominæ demta juga*, ambigue: vel heræ tuæ Cynthiæ, vel heræ tuæ & meæ Cynthiæ; quia quum ego sim illius, & tu es, qui meus es. *Juga*, pro jugo & servitio, cujus symbolum est jugum. Eleg. 5. lib. 2. *Injusto subtrahe colla jugo.* *Demere jugum*, ut Horatius Ode 6. lib. 3. *Juga demeret* (Sol) *Bobus fatigatis.* demimus enim molesta. Virgilius 2. Æneid. *Curas his demere dictis.* & Horatius Epist. 2. lib. 1. *Quæ lædunt oculos, festinas demere.* PASS. *Demta juga.* Legunt alii *lenta*, minus recte. nihil optabilius olim precari poterant homini servo, quam manumissionem & libertatem. illud Terentii notissimum Andr. 1, 1, 10.

Feci e servo ut esses libertus mihi,
Propterea quod serviebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolvi tibi.

VULP.

v. 3. NUM ME LÆTITIA TUMEFACTUM FALLIS INANI, HÆC REFERENS, QUÆ ME CREDERE VELLE PUTAS?] Num me falso lactas gaudio renuntians & mihi narrans, quæ mihi grata esse auditu arbitraris, quia

opto?

Omnis enim debet sine vanis esse relator,
Majoremque metu servus habere fidem.

Nunc

opto? *Tumefactum lætitia*; ut Cicero pro Muræna: *Quum Italiam spe atque animis inflatam peteret*. *Lætitia inani, falso gaudio* Terentius dixit, & Virgilius 6. Æneid. Cicero 4. Tusc. *Inanis alacritas*, id est, lætitia gestiens. Idem ibidem: *Lætitia est opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectum videatur*. An pro spe, ut contra spes pro lætitia? Sic *spes inanes* apud Virgilium. *Quæ me credere velle putas*. quia, ut ait P. Syrus: *Amans quod suspicatur, somniat*. & Ovidius: *Credula res amor est*. PASS. *Dum me lætitia t. f. i.* Initiales versuum literæ solebant primum adjici ductis ad umbilicum libris, idque vel rubrica vel alio aliquo colore, qui atramenti nigrorem non ingrato aspectu variegaret. quæ res, sæpe negligenter facta, magnas turbas dedit in poematis. uti ecce hoc loco Passeratius (nescio an ex libro) edidit, *Num me lætitia*, &c. sensu probo, & erecto. id Gebhardus non destitit carpere, more illo suo solenni: interim illud suum *dum* quomodo sensum absolvat, noluit aperire. Passeratium juvat Q. Curtius L. 4. C. 10. *Num, quod & scire expeto, & quærere pudet, ausus est & dominus & juvenis?* & Petronius: *Dic Chrysi, sed verum. numquid indecens sum? numquid incomta? numquid ab aliquo naturali vitio formam meam excaco? noli decipere dominam tuam*. est porro in his versibus suavissima imitatio Terentii, Heaut. Act. 2. Sc. 3. quem ubi videris, non te pigebit contulisse singula. non etiam, si addideris initium Act. 5. Hecyr. Sc. 4. BROUKH.

v. 5. OMNIS ENIM DEBET SINE VANO NUNTIUS ESSE, MAJOREMQUE TIMENS SERVUS HABERE FIDEM] An id ait, servo timenti majorem habendam esse fidem? ut Eleg. 23. infra, de tabellis:

Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.

Ovidius pariter lib. 3. Trist. Eleg. 10.

Vix equidem credas: sed quum sint præmia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.

scilicet, ei credendum est. An *habere majorem fidem* dicitur qui fidelior est? sic enim Eleg. 24. lib. 2. *Credo, multos non habuisse fidem*. Fidelior, inquit, servus qui timet dominam, quam qui eum falso lactat gaudio: qui metuere potius, quam sperare jubet. Sic & Eleg. 18. lib. 1. *Tenere fidem*, est fidelem ac taciturnum esse. Muretus aliter legit hunc locum; quem vide. PASS. *Sine vano nuntius esse*. duo Regii, alterque Colbertinus, *sine vanis esse relator*: ducta similitudine a relationibus de republica, quæ ad consules pertinebant. Cornelius Balbus Ciceroni L. 8. ad Attic. Epist. 15. de quodam consule: *Incipiam sperare, etiam consilio senatus, auctore te, illo relatore, Pompejum & Cæsarem conjungi posse*. ita hic Lygdamus quasi consul refert ad Propertium, quasi ad senatum, de negotio Cynthiæ, quasi de negotio reipublicæ. ------- tales autem servos relatores minime vanos esse oportebat. Cicero Orat. pro Cluentio C. 62. ubi de Sassia *Cluentii matre: Quum jus illud matrimonii castum atque legitimum damnatione viri sublatum arbitraretur; Nicostratus quidam, fidelis Oppianici servulus, percuriosus, & minime mendax, multa dicitur renuntiare domino solitus esse*. BROUKH. *Majoremque timens servus habere fidem*. ita omnes libri. in Mureti antiquo codice erat, *Majoremque metuens*. unde faciebat vir ille disertissimus, *Majoremque metu*: ut dixerit poeta, plus in homine servo inesse fidei debere, quam metus. timere enim fere servos, ne malis nuntiis apportandis dominos ad iram incitent; ideoque sæpe mentiri. hæc sunt arguta, quamquam difficili Gebhardo non potuerunt placere. at ego facile desero lectionem vulgatam. *metus*, propria vox in negotio servili. Cicero lib. de Senectute C. 11. de Appio Cæco: *Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant*. Donatus ad Andr. Act. 3. Sc. 2. *Veretur liber, metuit servus*. ---- Noster opinor respexit ad illa Ciceronis, Orat. pro Roscio Amer. C. 11. *Nulla res tanta existet, judices, ut possit vim mihi majorem adhibere metus, quam fides*. gaudebat enim quantum vix alius quisquam imitatione Tulliana. BROUKH.

v. 7.

Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomtis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
Ornabat niveas nullane gemma manus?

Ac

v. 7. NUNC MIHI SI QUA TENES, AB ORIGINE DICERE PRIMA INCIPE: SUSPENSIS AURIBUS ISTA BIBAM] Sic Virg. 1. Æneid. *Prima repetens ab origine pergam.* & 4. Georg.

--- Altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.

Catullus eodem sensu dixit Carm. 4. *Ultima ex origine.* Vetus Glossarium: *Ab origine, ἀπὸ ἀρχαιογονίας. Suspensis auribus,* attentis, sed non sine animi quadam fluctuatione. sic cape & illud 4. Æneid. *Pendetque viri narrantis ab ore.* Aperte Tibullus Eleg. 1. lib. 2. *Suspensa timore.* & Virgilius 2. Æneid. *Sonus excitat omnis Suspensum, & pariter comitique onerique timentem. Suspensus,* inquit Nonius, *sollicitus. Auribus bibere;* Virgilius 4. Æneid. *Vocemque his auribus hausi.* Horatius Ode 13. lib. 2. *Densum humeris bibit aure vulgus.* Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 5.

Ore meo lacrimas: auribus illa bibi.

nempe verba. Cicero Epist. 14. lib. 2. ad Attic. *Fac veniat ad sitientes aures.* Plautus aliter in Aulul. *Nimirum libenter edi sermonem tuum.* Apud Martialem occurrit, *Oculis comedere.* PASS.

v. 9. SICCINE EAM INCOMTIS VIDISTI FLERE CAPILLIS?] Inornati, passi, soluti, ac jacentes crines, indicium mœroris & luctus. dixi ad Eleg. 15. lib. 1. v. 11. PASS.

v. 10. ILLIUS EX OCULIS MULTA CADEBAT AQUA?] Pro, lacrimæ manabant? Sic & de sudore Eleg. 22. lib. 2.

Frigida de tota fronte cadebat aqua. PASS.

Tibullus Carm. 2. lib. 4.

Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

Ex oculis cadebat aqua. Summus poeta Dantes Aligherius Paradisi Cantu 15. v. 94. ita locutus;

Indi m' apparve un' altra con quell' acque
Già per le gote, che 'l dolor distilla,
Quando, per gran dispetto, in altrui nacque.
VULP.

v. 11. NEC SPECULUM STRATO VIDISTI, LYGDAME, LECTO?] An in lecto strato nullum erat speculum? an cum lecto strato? Utrumque, nec speculum in lecto, nec lectum stratum fuisse, indicium probæ feminæ. nam speculum ad commendationem formæ pertinet; & lectus aulæis purpurave stratus, ad luxuriam. unde Salmacis apud Ovidium 4. Metam.

Et quid se deceat spectatas consulit undas.

nam limpida aqua est speculi vice. De speculi usu Appulejus Apologia priore. *Strato lecto.* sternitur & lectus, ut ostendi ad Catulli Ariadnam, & ipsa vestis qua lectus operitur; unde *stragula vestis.* PASS.

v. 12. ORNABAT NIVEAS NULLAVE GEMMA MANUS?] *τὸ ve* defendi potest. nam disjuncta, pro conjunctis, & contra sumi, Jurisconsulti docent. Paullus L. *Sæpe, De Verb. Sign.* ut in XII. Tabb. *Super tabula pecuniave.* & Noster Eleg. 8. lib. 2.

Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!

Gemma, pro, annulus. De gemmis annulorum Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 15. & Plinius lib. 33. H. N. cap. 1. Tibullus quoque Eleg. 6. lib. 1.

Sæpe, velut gemmas ejus signumque probarem,
Per caussam memini me tetigisse manum.

id est, annulum signatorium. Gemmas sæpe cum lapillis & margaritis poetæ confundunt. Ulpianus ex Servio I. C. discernit, L. *Quum aurum §. Pervenianius.* D. *De auro & argento legato.* In luctu gemmas ponere solebant. Livius lib. 10. & 43. Gemmam Cynthiæ memorat Noster Eleg. 7. lib. 4. *Ornabat manus;* ut Eleg. 3. lib. 4.

Crystallusve tuas ornet aquosa manus.

Inde *ornamenta muliebria* L. 26. D. *De aur. & arg.*

Ac mœstam teneris vestem pendere lacertis?
Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?
Tristis erat domus? & tristes sua pensa ministræ
Carpebant? medio nebat & ipsa loco?

Hu-

arg. leg. ut inaures, gemmæ, armillæ. Sed Tertullianus in lib. de habitu muliebri, cultum in mundo muliebri ponit, ornatum in cura capillorum, & aliarum rerum similium. PASS.

V. 13. AC MŒSTAM TENERIS VESTEM PENDERE LACERTIS?] Totus hic locus similis est illi Terentiano Heaut. 2, 3.

Texentem telam studiose ipsam offendimus;
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Sine auro, tum ornatam ita uti quæ ornantur sibi,
Nulla mala re esse expolitam muliebri.
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter.

Mœsta vestis, quæ mœrentem decet; ut mox, *Tristis domus*. sic *mœsti fletur* Catullo, & *mœsta lumina*. Virgilius 3. Æneid. *Stant manibus aræ Cæruleis mœstæ vittis*. sic valva mœrere dicitur Eleg. 31. lib. 2. *Pendere*, demissam esse negligenter. *Lacertis*, humeris. Virgilius 6. Æneid.

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

PASS.

Vestem pendere lacertis. solutam scilicet armillis aureis, quibus delicatæ mulieres ornare ac circumdare brachia consueverant. Lacerti enim non sunt humeri, ut male Passeratius, sed inferiores brachiorum partes. Tibullus non obscure Eleg. 9. lib. 1. de puella maritum fallente:

Ista hæc persuadet facies, auroque lacertos
Vinciat, & Tyrio prodeat apta sinu?

Nec tantum feminæ apud Romanos, verum etiam viri Sabinorum, armillis utebantur. vide Livium lib. 1. Hist. ubi de Tarpeja. Dejanira id exprobrat Herculi apud Ovidium Epist. 9. Heroid.

Non puduit fortes auro cohibere lacertos?

Horatio pariter Ode 9. lib. 1. *Pignus dereptum lacertis* est armilla aurea. Itaque amica Propertii, ut summum animi mœrorem ostendat, munditias omnes negligit, nec scrinia recludit, unde pretiosa quæque depromebantur. VULP.

V. 14. SCRINIAQUE AD LECTI CLAUSA JACERE PEDES?] Significat, Cynthiam nihil unguentorum & fucorum e scriniis depromere voluisse. vide Plinium lib. 13. H. N. cap. 1. de scrinio unguentorum Darii. Plautus Mostell. 1, 3. *arculam* vocat:

Cede mihi speculum, & cum ornamentis arculam.

Isidorus in Etymol. *Scrinia*, inquit, *vasa in quibus servantur libri, vel thesauri; unde scriniarii apud Romanos, qui libros sacros servant.* Suidas: Σκευοφύλαξ, χαρτοφύλαξ τοῦ ἐπάρχου. unde & sæpe in Codice: *Scrinia libellorum, memoriæ epistolarum*. Catullus Carm. 14. *Ad librariorum Curram scrinia*. *Ad pedes lecti*, ubi etiam nunc collocari solent. A. Gellius lib. 10. cap. 15. *Apud fulcrum lecti capsula*. Appulejus lib. 5. A. A. *Ante lectuli pedes jacebat arcus & pharetra*. *Pedes lecti*, κλινοπόδια. Glossarium Vetus: *Lecti pedes*, κλινόποδες. Pedes lectorum & mensarum, qui lectos & mensas sustinent. Jurisconsulti D. *de supell. leg.* Dixi de hac re plura ad illud Catulli Carm. 60. *Candido pede lectuli*. PASS. *Scrinia*. L. Columella de R. R. lib. 12. cap. 45. memorat. *arculas fagineas, vel etiam tiliagineas, quales sunt in quibus vestimenta forensia conduntur*. Seneca vero in lib. de Vita Beata, nisi memoria me fallit, *ex arcula prolatam vestem*. VULP.

V. 15. TRISTIS ERAT DOMUS? ET TRISTES SUA PENSA MINISTRÆ CARPEBANT? MEDIO NEBAT ET IPSA LOCO?] Tecta ipsa & parietes lugere videbantur? Non loquitur enim de familia, quum sequantur ministræ. Sic Virgilius: *Tristes sine sole domus*. Contra Catullus Carm. 63. *Domus jucunde risit odore*. [& Horatius Ode 11. lib. 4. *Ridet argento domus*.] *Ministræ*, famulæ, anculæ, sive ancillæ. quia anculare, ministrare: Festus. *Carpebant pensa*, deducebant & trahebant. ut Eleg. 11. infra:

Tam dura traheret mollia pensa manu.

Sic apud Horatium Ode 27. lib. 3. *Carpere pensum*. Virgilius quoque 1. Georg. *nocturna carpentes pensa puellæ*. Carpitur quod legendo

Humidaque impressa siccabat lumina lana?
Retulit & querulo jurgia nostra sono?

Hæc

vel trahendo paullatim minuitur, ut lana, iter, ætas, flores. *Pensum*, inquit Isidorus lib. 19. cap. 29. *a pendendo dictum*. obscure. Lanam scilicet appendebant ancillis heræ, quam eodem pondere redderent in filo, deductis burrhis & quisquiliis. Titinius Fullonibus apud Nonium in *putare*:

Date pensam lanam. qui non reddet tempori
Putatam recte, facite ut multetur malo.

Per translationem sæpe Plautus: *pensum facere*, pro accurare & absolvere. *Nebat & ipsa medio loco*. Lanificii peritam fuisse Cynthiam didicimus ex Eleg. 3. lib. 1. v. 41. *Medio loco*, qui honoratissimus, ut docui ad Elegiam 31. lib. 2. v. 38. Sic apud Virgilium 4. Georg. *Eam* (Cyrenen) *circum Milesia vellera Nymphæ Carpebant*. Ovidius pariter lib. 2. Fast. de Lucretia:

Ante torum calathi, lanaque mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant:
Inter quas tenui sic ait illa sono. PASS.

Adde Tibullum Eleg. 3. lib. 1.

At circa (Deliam heram) *gravibus pensis affixa puella*
Paullatim somno fessa remittat opus.

Talem describit Livius lib. 1. Hist. prope finem, repertam a marito Collatino, & Sex. Tarquinio Lucretiam: *Pergunt*, ait, *inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum æqualibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt*. Ita Syrus famulos apud Terentium Heaut. 2, 3, 44. Antiphilam pudicam virginem invenit *texentem telam studiose*. Ut autem mulieres frugi pensis invigilabant, ita lascivæ atque ignavæ calathos & lanam abjiciebant. Horatius Ode 12. lib. 3.

Tibi qualum Cythereæ puer ales,
Tibi telas, operosæque Minervæ
Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri.

quod e Sapphûs versiculis derivatum videtur ab Hephæstione prolatis:

Γλυκεῖα μᾶτερ, ὔτοι δύναμαι κρέκειν τὸν ἱςόν,
Πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς, βραδινὰν δι' Ἀφροδίταν.

Dulcis mater, non possum texere telam,
Amore victa pueri per acrem Venerem. VULP.

Medio n. e. i. *loco*. mihi præplacet haud vana conjectura Jani Douzæ P. *medio nebat & ipsa foco*. *focus* ponitur pro Penatibus: & sic pro familia atque domo ipsa. quo modo vetus interpres Horatium exponit L. 1. Epist. 14.

Villice silvarum & mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis, &
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres.

mulieres autem in mediis ædibus solebant lanam facere. vide Livium L. 1. ubi de Lucretia. sic Arete uxor Alcinoi ad focum sedens pensum trahit lanæ purpureæ, ancillarum grege circumfuso, L. 6. Odysseæ v. 52. 305. Sæpe hæ voces, *focus* & *locus* commutarunt. monuit Gruterus ad Orat. de Harusp. responsis C. 15. BROUKH.

v. 17. HUMIDAQUE IMPRESSA SICCABAT LUMINA LANA?] Udos oculos tergebat. Ovidius 13. Metam. *Manuque simul lacrimantia tersit Lumina*. & Appulejus lib. 4. A. A. *Puella nuptura deterget lacrimas ipso suo flammeo*. & lib. 5. *Lacrimas ejus suis crinibus detergens*. *Siccare lumina*, ut Elegia 19. lib. 1. *Lacrimas siccare cadentes*. Ovidius Epist. Herûs:

Dumque queror, lacrimæ per amantia lumina manant,
Pollice quas tremulo conscia siccat anus.

Impressâ, ad oculos admotâ nitendo & fulciendo. nam mollia quum imprimuntur, manu incumbimus in ea. Id ςίβειν Medicis veteribus. Cornelio Celso lib. 7. fulcire: περὶ θεραπείας ὄρχεων. *Quod ubi incidis, linamenta super non fulcienda, sed leviter ponenda sunt*. ubi fulcire, τὸ πιέζειν. PASS.

v. 18. RETTULIT ET QUERULO JURGIA NOSTRA SONO?] Dixit, memoravit: vel iterum & sæpius dixit, nec semel de me questa est. *Jurgia*, querelas & convicia, ut Eleg. 3. lib. 1.

Expertæ metuens jurgia sævitiæ.

Jurgia, verba aspera, sæve dicta. Festus: *Jurgatio, juris actio*. ideo jurgium levior res, quam lis: & illud inter benevolos & ami-

Hæc te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
Est pœnæ servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?
Æqualem nulla dicere habere domo?

Gau-

amicos, hæc inter inimicos dissensio. Cicero 4. de Rep. apud Nonium. *Nostra jurgia*, quibus nos insectari & increpare solet. vel *nostra*, nobis adversa, ut Eleg. 1. lib. 1. *Nostra Venus*. sed legitur etiam *noto*, ut Eleg. 3. lib. 1. *Jurgia expertæ sævitiæ*. *Querulo sono*: *mœsta voce* dixit Virgilius 4. Georg. *Mœstis late loca vocibus implet*. Noster *querulam vocem* dixit Eleg. 7. lib. 4. Sonus igitur pro voce. PASS. *Retentis*. inepte has consonas geminaverunt, quibus timor erat ut staret versus. τὸ re sæpe in compositione est anceps. hoc loco recte producitur. Horat. Art. Poet.

Nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem referre pudor vetat, aut operis lex.

ita enim illic libri meliores: nam *proferre*, quod nunc vulgo obtinet, ab istis est qui metuebant syllabæ. BROUKH. *Jurgia nostra*, quibus nos eam insectati sumus: vel jurgia mutua Propertii & Cynthiæ, unde frigus in amicitia. VULP.

v. 19. HÆC TE TESTE MIHI PROMISSA EST, LYGDAME, MERCES?] μίμησις puellæ conquerentis, usque ad versum 35. VULP. Hoccine mihi miseræ pollicitus est Propertius fidei præmium? Similis conquestio apud Virgilium 1. Æneid. *Hic pietatis honor?* Ovidius 2. Metam. *Hunc fertilitatis honorem, Officiique refers?* Plautus Rud. 1, 3. *Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?* *Merces*, pro pœna; ut aliquando sumitur pretium, & præmium. Virgilius 7. Æneid.

Hac gener atque socer coëant mercede suorum.

Promisse. arguit perfidiam. sic Eleg. 5. lib. 2. *Hoc merui sperare?* *Te teste*, quasi diceret: Servum testem negligit ille, sed non impune; dii enim *meminerunt* & ulciscentur. Catullus Carm. 30. Servi in jure civili pro nullis habentur, & plerumque testes esse non possunt. Sed hic juris gentium ratio habetur, ob fidem commune vinculum societatis humanæ. PASS.

v. 20. EST PŒNÆ SERVO RUMPERE TESTE FIDEM] *Esse pœnæ*, ut esse laudi, gloriæ, infamiæ, malo. *Pœna*, inquit Varro, 6. de L. L. *a puniendo, vel pœnitendo, quod post peccatum sequatur*. Pœna autem perjurii, & fidei violatæ divina, exitium; humana, dedecus. Cicero 2. de Legib. P.

v. 21. ILLE POTEST NULLO MISERAM ME LINQUERE FACTO?] Tam durus est, ut me linquat? sustinet id facere? Sic Eleg. 12. infra:

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam?

utitur sæpe hoc verbo, ut ostendi ad Elegiam 8. lib. 1. v. 5. *Miseram*, amantem & innocentem. *Nullo facto*, nullo meo merito. *factum* in deteriorem partem, ut Eleg. 18. lib. 1. v. 26. PASS. *Factum*, pro crimine usurpant boni scriptores. Virgilius 2. Æneid. ex persona Pyrrhi v. 548.

Illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

Nec cor sollicitent facta nefanda meum.

Sic adhibetur & *facere*. Catullus Carm. 14.

Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis? VULP.

v. 22. ÆQUALEM NULLA DICERE HABERE DOMO?] Scaliger legit, *Ac qualem*; & sic exponit; Ille potest se dicere habere domi suæ amicam, qualem nulla domo alius habere possit? Libentius legerem:

Et qualem nullas discet habere domos.

vel *discet habere domo*, pro se habiturum domo. ut Eleg. 24. lib. 2.

In primis una discat amare domo.

An *æqualem*, parem mihi, & *ducere*, habere? nam & ducitur & habetur scortum. PASS. Omnes libri habent *Equalem*. quod fortasse fuerit, *Et qualem*. mihi hic spissæ sunt tenebræ. nec puto locum esse sincerum, qui tamen sine ope meliorum librorum vix poterit sanari. BROUKH. *Æqualem* n. d. h. d. Simonides mirifice ad mentem Propertii, de muliere optima:

Ἐπαινέσω μὲν ξένως ἐν δόμοις ἰδὼν,
Οὐκ ἔστιν ἄλλη τῆσδε λῴων γυνὴ
Ἐν πᾶσιν ἀνθρώποισιν, οὐδὲ καλλίων.

Gaudet me vacuo ſolam tabeſcere lecto?
Si placet, inſultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, ſed herbis improba vicit.
Staminea rhombi ducitur ille rota.

Illum

Ut hoſpes illam laudet intuens domi,
Nullamque juret feminam uſquam gentium
Bonis honeſtiſque hac priorem moribus.
vertit Georgius Buchananus. VULP.

v. 23. GAUDET ME VACUO SOLAM TABESCERE LECTO?] Acerbe dictum in malevolum ingenium; ut adnotatum ad illud Eleg. 8. lib. 2. *Interim gaudeat ille tuo:* Sic Amor lacrimis, Mars cæde, Fortuna ſævo eſt læta negotio. *Tabeſcere*, veluti tabe paullatim carpi, & conſumi. *Tabes amoris*. Virgilius 6. Æneid.

Et quos durus Amor crudeli tabe peredit.
vide adnotata ad Eleg. 15. lib. 1. v. 20. *Vacuo lecto*; unde abeſt quem amo. dixi ad eamdem Eleg. v. 18. PASS. *Gaudet m. v. ſ. t. l.* Malam hanc animi affectionem, qua fit ut quis ex alienis incommodis lætitiam percipiat, ἐπιχαιρεκακίαν vocat Ariſtoteles lib. 2. Rhet. eſt autem germana ſoror invidiæ, verum eâ nequior, & humanitati magis repugnans. VULP.

v. 24. SI PLACET, INSULTET, LYGDAME, MORTE MEA] τὸ *Si placet*, ſæpe cum ſtomacho, ut adnotatum ad Eleg. 9. lib. 2. v. 37. *Inſultet morte mea*, me mortuum calcet, & pedibus proterat, quo nihil inſolentius & ſceleratius. vide adnotata ad Eleg. 5. lib. 2. v. 7. *Morte mea*, pro morti, ſextus caſus, pro tertio. ut Eleg. 18. lib. 1.

Ut non altera noſtro
Limine formoſos intulit ulla pedes.
Si legitur, *mea*, dictum ut a Lucillio:
Eſurienti leoni ex ore exſculpere prædam.
Mors mea, pro ego mortua. ut adnotat. ad Eleg. 13. lib. 2. v. 22. PASS. *Si placet*, formula acerbe corrigentis atque increpantis. Cicero pro Cluentio C. 33. *Condemnatus eſt C. Junius, qui ei quæſtioni præfuerat. adde etiam illud, ſi placet: tum eſt condemnatus, quum eſſet judex quæſtionis.* quo tempore minime poterat condemnari. ibidem ſubintelligitur, tamquam jam modo dictum, C. 35. *At etiam Balbus eſt condemnatus. Adde majeſtatis; ut intelligas, hoc judicium cum illo non eſſe conjunctum.* In Carmine libero:

Quadam, ſi placet hoc tibi, Priape,
Fictiſſima me puella ludit,
Et nec dat mihi, nec negat daturam.
BROUKH.

Probo vulgatam lectionem, *inſultet morte mea*, nempe ſaltet in funere meo, ludat, choros ducat. Ovidius lib. 5. Triſt. Eleg. 12.

Exigis, ut Priamus natorum in funere ludat.
vide ibi notam Burmanni. *Inſultare morti*, dixit L. Cincius Alimentus, vetus hiſtoricus, apud Fulgentium Planciadem de priſco ſermone, in *Silicernias: Qui dum jam ſilicernius ſui finem temporis exſpectaret, etſi morti non potuit, tamen infirmitatibus inſultavit.* VULP.

v. 25. NON ME MORIBUS ILLA, SED HERBIS IMPROBA VICIT] Verſus hic placet ita dimenſus, ut in veteri libro. ſingultibus enim interpellatam refert orationem. Similis alter eſt Eleg. 33. lib. 2.

Quum te juſſit habere puellam cornua Juno.
Correctores male refinxerunt:
Improba non vicit me moribus illa, ſed herbis.
Improba, & ſceleſta & impudica, ut identidem adnotatum. *Vicit*, ut Eleg. 8. lib. 2.
Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota eſt.
Non moribus, non ingenio & morigeris modis, & obſequio. vide Lucretium lib. 4. ubi de amore. Cynthiæ autem modo faciles, & gratos mores tribuit, ut Elegia 20. lib. 2.

Quod ſi nec nomen, nec me tua forma teneret.
Poſſet ſervitium mite tenere tuum.
modo duros, ut Eleg. 5. lib. 2. *Nec mihi tam duris inſultet moribus.* *Sed herbis*, veneficiis, ut adnotatum ad Eleg. 4. lib. 2. *Non hic herba valet.* & Eleg. 1. lib. 2. *Cirtæo gramine.* PASS. Artificioſe exprimit tertiata verba puellæ plorantis, ac præ lacrimis ſingultantis. quod quum non caperent inficeti quidam mortales, & crederent verſum elumbem corrigi poſſe interveniente cæſura, totidem verbis ita detruncarunt:

Improba non vicit me moribus illa, ſed herbis.
videtur autem prima mali contages prorupiſſe ab Hieronymi Avantii confidente audacia.

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exsectis unguibus ossa trahunt.

Et

dacia. quod colligo ex epistola Aldi Manutii, præfixa editioni Venetæ A. MDXV. nam anteriores non discedunt a scriptis. paris artificii est illustris locus Lucretii L. 6.

Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utroque
Nubila vi cumulata premuntur, & impete venti.

itemque alter ejusdem libri:

Ubi currus fortis equûm vis
Ferratos utrimque rotarum succutit orbeis.

Maro lib. 9. Æn. v. 333.

Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit,
Sanguine singultantem: atro tepefacto cruore
Terra torique madent. BROUKH.

Sunt quidam ὄνοι πρὸς λύραν, & nihil sentientes, qui tamen animose poetas tractant, eorumque versus refingunt pro captu suo. *Non me moribus i. s. h. i. v.* Ovidius pariter Epist. Hypsipylea:

Nec facie meritisve placet, sed carmine movit.

Illo. Consulto abstinet a nominanda rivali. Sic Tibullus Eleg. 6. lib. 3.

--- Illaque si qua est
Quid valeat læsi, sentiat, ira dei. VULP.

v. 26. STAMINEA RHOMBI DUCITUR ILLE ROTA] Non amplius suæ spontis est, sed vi veneficiorum ire eo cogitur. *Ducitur*, ut Eleg. 6. lib. 2.

Uxor me numquam, numquam me ducet amica.

Theocritus Idyll. 2.

Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Sic Lucanus lib. 6.

- Quos non concordia mixti
Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ,
Traxerunt torti magica vertigine fili.

Rota rhombi; an quia rotatur rhombus, & volvitur? nam ῥόμβος ἐστὶ τροχὸς χαλκεῖος. ut adnotatum ad Eleg. 18. lib. 2. v. 35. ubi de illo pluribus disserui. *Staminea*, quia filo & licio circumdari & vinciri rhombum constat exemplis citatis ad Elegiam prædictam. Sunt propterea qui putent, apud Virgilium Ecl. 8. significari his verbis:

Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo. PASS.

Illustratum dederunt hunc versum, præter Passeratium, Jacobus Nicolaus Loënsis L. 7. Epiphyll. C. 13. Matth. Raderus ad Martial. L. 9. Epigr. 30. Torrentius ad Horatium Epodo ult. Gonsalius de Salas ad Petronium p. 390. 391. Nic. Heinsius ad Ovidium L. 2. Fastor. v. 575. & Augustus Buchnerus Oratione de Statuis Magicis, quæ est prima tomi secundi; atque his omnibus prior Lucianus in Dialogo Melissæ & Bacchidis. BROUKH.

v. 27. ILLUM TURGENTIS RANÆ PORTENTA RUBETÆ, ET LECTA EX SECTIS ANGUIBUS OSSA TRAHUNT] Sic infra Eleg. 11.

Et trahit addictum sub sua jura virum.

vide proverbium: *Iynge trahi*. *Portenta ranæ*, rana portentosa: ut *monstrum hominis*. Sic Virgilius 1. Georg.

Inventusque cavis bufo, & quæ plurima terræ
Monstra ferunt.

Quid proprie portentum, dicetur ad Elegiam 22. infra v. 18. De rubeta Plinius lib. 8. H. N. cap. 31. *Ranæ quoque rubetæ, quarum & in terra & in humore vita plurimis referta medicaminibus, deponere ea quotidie, ac resumere e pastu dicuntur, venena tantum sibi reservantes*. Idem lib. 32. cap. 5. *Sunt quæ in vepribus tantum vivunt, ob id rubetarum nomine, quas Græci phrynos vocant, grandissimæ cunctarum; geminis veluti cornibus, plenæ veneficiorum.* deinde multis enumeratis, etiam amorem iis conciliari scribit. meminit & alibi sæpe. Juvenalis Sat. 1.

Quæ molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam.

& Sat. 6.

At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ.

Turgentis, intumescentis veneno; vel quia rubetæ grandissimæ cunctarum, ut ait Plinius loco citato. *Ossa lecta e sectis anguibus*. an sublata quum jacerent? ut Eleg. 24. lib. 2. *Extremo qui legat ossa die*. Seneca Consolat. ad Marciam cap. 22. *Medicorum lacerationes ossa vivis legentium*. An ossa electa? quia non quorumlibet anguium ossa rei apta sint? Secti angues, ut ossa extrahantur per anatomen. Serpentum & anguium usus fuit in sacris magicis; unde *Angitia*, sive *Anguitia* Medea, quod, ut

ait

Et ſtrigis inventæ per buſta jacentia plumæ,
Vinclaque funeſto lanea vitta toro.

Si

ait Servius, eos angeret carminibus. Idem Servius ait, angues eſſe aquarum, ſerpentes terrarum, dracones templorum. PASS. Elegans eſt correctio Nic. Heinſii Caſtigat. in Vellej. Paterc. L. 2. C. 87. *turgentis ſanie portenta rubetæ*. nam *ſanies* ſæpe venenum notat, præſertim poetis, Verumtamen quod τὸ *rana* ex intepretamento profluxiſſe contendit, in eo ſibi adverſantem habet Plinium L. 8. C. 31. ubi *ranæ rubetæ venenum* diſerte memorat. - - - - - - - - Neque a ſanie rubetæ amorem concitari ſcribit L. 32. C. 5. ſed ab oſſiculo quodam lateris ſiniſtri. - - - nam *ſaniem* inter venena præſentanea haberi, ſuadere videtur Juvenalis Sat. 1. Pulmo quoque inter pharmaca letalia, eodem auctore Sat. 6. item Lucillio lib. 4. Etiam rubetæ jecur pernicioſiſſimum. gaudere autem bino jecinore, altero letifero, altero ſalubri, ex Timæo & Neocle medico tradit Ælianus L. 17. de Animal. C. 15. ex Æliano Phile C. 29. *Et lecto exſectis anguibus oſſa trahunt*, Locus obſcurus, & haud dubie corruptus. nam angues, auctore Plinio L. 29. C. 4. non ſunt venenati; & quæ iis ineſſe remedia credebantur, erant innocua. - - - - - - - Lege: *Et lecta exſectis unguibus oſſa trahunt*. oſſa cum præſegminibus unguium, quæ in ea re valde efficacia habebantur. vide Appulejum lib. 2. Metam. Lucanus lib. 6, ubi tanto cum ambitu deſcribitur Erichtho Theſſala, quæ laniabat cadavera: *Sicca*, inquit, *pallida rodit Excrementa manus*, nam creſcunt ungues, & augeſcunt, etiam mortuis, non aliter ac pili. - - - - - De cadaveribus carorum, ut eorum animas & manes eliciant, unguium præſegmina etiam hodie obrodunt Afri in Guinea, apertiſſimo indicio traditionis antiquæ. BROUKH.

v. 29. ET STRIGIS INVENTÆ PER BUSTA JACENTIA PLUMÆ] Alludit ad buſtuarias veneficas. Heſychius: Τυμβάδας ἔλεγον τὰς φαρμακίδας, ἀπὸ τοῦ περὶ τὰς τύμβους ἀναστρέφεσθαι. *Per buſta jacentia*, inter ſepulcra, ubi verſantur ſtriges & veneficæ, vide Horatium Sat. 8. lib. 1. *Jacentia buſta*, diruta & everſa, ac mali ominis, & quia veneficæ rimantur oſſa mortuorum. Sic Eleg. 3. lib. 4.

Quæ mihi deducta fax omen prætulit, illa
Traxit ab everſo lumina nigra rogo.

& Virgilius: *Troja jacet*. An *jacentia*, humilia, ut Virgilio, *terraſque jacentes?* an legendum *latentia*, id eſt, devia, & occultata? ea enim loca ſectantur veneficæ. *Plumæ ſtrigis inventæ*. Horatius Epodo 5. *Plumamque nocturnæ ſtrigis*. Noſter Eleg. 5. lib. 4. *Conſuluitque ſtriges noſtro de ſanguine*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 12.

Vulturis in ramis & ſtrigis ova tulit.

quas idem deſcribit 6. Faſt.

Eſt illis ſtrigibus nomen: ſed nominis hujus
Cauſſa, quod horrenda ſtridere nocte ſolent.

Plautus Pſeud. 3, 2.

Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus,
Vivis convivis inteſtina quæ exedunt.

Inde maleficis mulieribus, quas volaticas fingebant, indictum nomen. Feſtus in *Striges*, Vide Plinium lib. 11. H. N. cap. 39. Appulejus lib. 3. A. A. *Infelicium avium durantibus damnis*, lego *avium*, & damna interpretor demtas iis plumas. Seneca Medea: *Mæſtaque cor bubonis, & raucæ ſtrigis Exſecta vivæ viſcera*, Petronius: *Quæ ſtriges comederunt nervos tuos? aut quod purgamentum nocte calcaſti in trivio, aut cadaver?* PASS. *Buſta jacentia* ſunt collapſa, non diruta & everſa. - - - - Palmerius, *tacentia*; quod non plane rejiciendum videtur: quamquam & in altera lectione ſenſus eſt rectus ac commodus. ceterum *ſtrigis plumæ*, tam infauſtæ avis, tamque abominatæ gentibus omnibus, nihil poterant conferre ad amorem, neque ad philtra ſive amoris pocula: niſi ſi miſetra, ſive odii potiones, etiam ad hoc genus revocamus; nam ſane ad odium, vel certe ad oblivionem valuiſſe medicamenta e ſtrigibus confecta, oſtendunt paſſim poetæ, ubicumque ſtrigum fere meminerunt. ita hic Cynthia ſe derelinqui conqueritur malis artibus pellicis, quæ poetæ ſui mentem faſcinaverit, atque ab ſuo amore vi magica abalienaverit, quum aliis rebus noxiis ac pernicioſis, tum vel maxime plumis infauſtæ ſtrigis in ſepulcreto inventis. vide Horatium Epodo 5. Senecam in Medea. potentes autem putabantur

ſtri-

Si non vana canunt mea, Lygdame, ſomnia, teſtor,
Pœna erit ante meos ſera, ſed ampla, pedes.

Pa-

ſtriges in odio exſuſcitando, quod validiſſimum frigus, & nervorum ſolutionem viris afferrent. Lege Petronium in Satyrico. BROUKH.

v. 30. CINCTAQUE FUNESTO LANEA VITTA VIRO] Vittæ a viendo opinor, vincula; vel ſacerdotum, ut 3. Æneid. *Vittaſque reſolvit Sacrati capitis*; vel virginum, ut Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Cinxit & aſperſas altera vitta comas;

vel hoſtiarum, ut 2. Æneid. *Vittaque deûm quas hoſtia geſſi*; vel ararum, ut 3. Æneid. *Stant manibus aræ Cæruleis mœſtæ vittis*. Tæniæ vero extrema pars vittæ; Iſidorus l. 19. cap. 31. Vittis utebantur in funeribus, & ſacris deorum manium. Tæniæ, ſi Feſtum audimus, ornamentum erant laneum capitis coronati. Virgilius 5. Æneid.

Puniceis ibant evincti tempora tæniis.

Cæcilius vero Androgyno, apud Feſtum: *Sepulcrum plenum tæniarum, ita ut ſolet*. An igitur ut coronati mortui lanâ, & laneis vittis ſepulcra, ſic & funus proſequentes? *Funeſtus* propterea vir, qui funeratur, & alios funeſtos facit; ut funeſtum omen, avis funeſta. vel ipſi quos funus inceſtavit, & egent luſtratione. vide Feſtum in *Aqua*, & Ciceronem 2. de Legib. Idem in Vatinium: *Te funeſtum in templum intuliſti*. nempe atratum, & ex funere redeuntem, necdum expiatum. De *vitta lanea* Virgilius 3. Georg.

Sæpe in honore deûm medio ſtans hoſtia ad aras,
Lanea dum niveâ circumdatur infula vitta,
&c.

ubi tamen aliàs, *Linea*. De lanæ religione vide Plinium lib. 24. cap. 2. Varro 6. de L. L. *Quum ad ſepulcrum ferunt frondes ac flores, addunt nunc lanas*. Ideo Lucanus lib. 2.

Obſita funereâ celatur purpura lanâ. PASS.

Verſus obſcurus, & haud dubie corruptus. nam quid eſt *vir funeſtus* hoc loco? ſane neque Beroaldi, neque Paſſeratii expoſitio ſatis plana eſt. & præplacet correctio Nic. Heinſii Caſtig. Vellejanis,

Vinclaque funeſto lanea vitta toro.

tori & *viri* vocabula ſæpe confundi in vetuſtis membranis, jam oſtenderat ille ad Naſonem. vittis autem ac tæniis e lana ornabatur lectus feralis. Cæcilius in Androgyno, apud Feſtum in *Tæniæ*: *Sepulcrum plenum tæniarum, ita ut ſolet*. iſtæ autem tæniæ, ut & reliquus apparatus lecti mortualis, in veneficiis habebantur. Lævius apud Appulejum Apologia: *Philtra omnia undique eruunt. Antipathes illud quæritur, trochiſci, iynges, tæniæ*. Lucanus L. 6. qui locus validè adſtruit Heinſii emendationem:

Ardentiaque oſſa
E mediis rapit illa rogis, ipſamque, parentes
Quam tenuere, facem: nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, veſteſque fluentes
Colligit in cineres, & olentes membra favillas.

huc facit quod ſcribit Artemidorus Oneirocr. L. 1. C. 79, in coronis eas quæ lana confectæ ſunt, ſi in ſomniis animo appareant, venena aut veneficia ac vincula ſignificare. BROUKH.

v. 31. SI NON VANA CANUNT MEA SOMNIA, LYGDAME, TESTOR, PŒNA ERIT ANTE MEOS SERA, SED AMPLA, PEDES] Si non falſa, ut ſolent ſomnia, prædicunt. qua de re Tibullus Eleg. 4. lib. 3. & Cicero 2. de Divin. Somnia ſua ſolebat Cynthia deferre ad conjectorem. Eleg. 29. lib. 2.

Ibat & in caſta narratum ſomnia veſte.

& Eleg. 7. lib. 4. ipſa Cynthiæ umbra:

Nec tu ſperne piis venientia ſomnia portis.
Quum pia venerunt ſomnia, pondus habent.

vide Plutarchum in Sylla, de fide ſomniorum. *Vana*, falſa. ut Eleg. 3. lib. 2. de eadem re:

Obſtupui vano credulus auſpicio.

Vana canunt. Tibullus contra Eleg. 5. lib. 2. *Vera cano*. An legendum, *cadunt*, id eſt, accidunt, evadunt, eveniunt? ſic cadere, pro evenire, ubique M. Tullius. *Teſtor*, te appello, & ejus rei meminiſſe volo. dicebant, *Teſtis eſto*. Feſtus in *Conteſtari*; & Noſter ipſe Eleg. 31. lib. 2. *Teſtis eris*. *Pœna ſera, ſed ampla*. quia ſera, ideo ampla, ſive magna & gravis; ut Eleg. 25. lib. 2.

Si qua venit ſera, magna ruina venit.

Horatius Ode 2. lib. 3. *Raro antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede Pœna claudo*. Conſu-

len-

Putris & in vacuo texetur aranea lecto.
 Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quæ tibi si veris animis est questa puella,
 Hac eadem rursus, Lygdame, curre via:

Et

lendum proverbium ; *Dii laneos habent pedes*. Cæsar t. belli Gallici : *Lento quidem gradu ad vindictam sui divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat*. Vide Plutarchum de sera numinis vindicta, & in Problematis : item Valerium Maximum lib. 1. cap. 2. de neglecta religione. *Ante pedes*; an in promtu, & in potestate mea, ut victoris ante pedes prostrati victi & supplices? ut Eleg. 11. infra :

Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes. PASS.

Si non vana canunt mea somnia. *Canere* dicuntur vates, & quicumque futura prædicunt. Somnia vero quum credantur semper aliquid portendere, recte *canere* perhibentur. Virgilius L. 11. Æn.

Nulla salus bello. capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis;

Servius : CANE, *pro divina : & bene hic male ominantem canere dicit, ut vatem*. Claudianus de bello Gildonico :

Per somnos mihi, sancte pater, jam sæpe futura
Panduntur, multæque canunt præsagia noctes.

----- noster secundus ita exhibet, *Si non vana cannut mea, Lygdame, somnia*. quod nescio quo modo gratius accidit ad aures. BROUKH. *Canunt*, minantur, ut vates. Noster infra Eleg. 25.

Hæc tibi fatales cecinit mea pagina diras.

Pœna, ζημια, mulcta, merces qua luatur culpa. vide Carmen 67. in Priapum, & ibi Scaligerum. Ovidius lib. 2. A. A. v. 205.

Seu jacies talos, victam ne pœna sequatur,
Damnosi facito stent tibi sæpe canes.

Homerus quoque lib. 9. Iliad. v. 629. & 632. commemorat ποινὴν. *Pœna sera, sed ampla*. Cicero pro Milone : *Vobis illæ, vobis vestro in conspectu seræ, sed justæ tamen & debitæ pœnæ solutæ sunt*. Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Etsi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis Pœna venit pedibus. VULP.

v. 33. PUTRIS ET IN VACUO TEXETUR ARANEA LECTO] An vetus araneæ tela, & pæne consumta situ? ut Eleg. 25. lib. 2.

Putris & in vacuo requiescit navis arena.

An quia ipsæ araneæ putredine, & situ nascuntur? *Putris aranea*; ut Virgilius 3. Georg. *Nec telas possunt attingere putres*. Araneæ, pro telis aranearum; Titinius Gemina apud Nonium : *Everrite ædes, abstergete araneas*. vulgo *abstergite*. genus autem proverbii est de re deserta situque pereunte. Lucianus in Pseudologista, ὥσπερ ἐν ἀράχνιον μεστὰ. vide plura hac de re ad Eleg. 6. lib. 2. *Texetur*, opus araneæ & tela fiet. PASS. Ab Homero tractum L. 16. Odyss. ubi queritur apud Eumæum Telemachus, cubile Ulixis penuria incubatorum malis araneis obsitum jacere. *aranea* hic loci notat ipsam telam. Servius ad L. 4. Georg. v. 247. *laxos suspendit aranea casses*] *Virgilius quidem confundit : tamen sciendum majores animal ipsum masculino genere appellasse, hic araneus; retia vero quæ faciunt, feminino*. *araneam* pro teli extulit Phædrus L. 2. Fab. 8. *Cur frondis parum est? Stramenta desunt. tollere hæc aranea Quantum est laboris?* est autem vox adjectiva, ut vocant, *araneus, aranea, araneum*. BROUKH. *In v. t. a. l.* Respondet Italicæ locutioni, *muffare, divenir muffato*. VULP.

v. 34. NOCTIBUS ILLORUM DORMIET IPSA VENUS] In eorum volaptatibus nocturnis, quum una jacebunt. ut Eleg. 28. lib. 2.

Vatvat noctes & mihi redde decem.

Dormiet, languebit iners. Plautus, *Vigilans dormit*. Juvenalis Sat. 2. *Ubi nunc, lex Julia? dormis?* Terentius Phorm. sc. ult. *Inde filiam suscepit unam, dum tu dormis*. Horatius Epist. ad Pis. *dormitat Homerus*. Varro denique Sexagesi apud Nonium : *O stulta nostri pectoris dormitio*. nempe, stupor. PASS. *Dormiet ipsa Venus*. iners erit, languebit. festive allusum ad illud vetus iturorum in bellum ducum, *Mars vigila*, observante Turnebo L. 26. Advers. C. 33. Tibullus *quiescere* dixit, in Carmine Ithyphallico : *Venus fuit quieta*. BROUKH.

v. 35. QUÆ TIBI SI VERIS ANIMIS EST QUESTA PUELLA] Id est, vere & ex animo, non ficta & simulata mente. An *animis*,

Et mea cum multis lacrimis mandata reporta:
  Iram, non fraudes esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni
  Jurabo, & bis sex integer esse dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
  Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris.

Ele-

mis, irâ? ut Eleg. 5. lib. 2.

Parce tuis animis, vita, nocere tibi.

est autem enallage numerorum, pro, vero animo. Catullus pariter Elegia de Coma B. *Vera gemunt. Queri aliquid alicui.* Ovidius 5. Fast.

Ibat, ut Oceano quereretur facta mariti.

Questa est, ut supra hac Elegia:

Retulit & querulo jurgia nostra sono. Pass.

v. 36. Hac eadem rursus, Lygdame, curre via] Revertere ad Cynthiam eadem via, qua venisti. *Rursus curre*; vel recurre, vel retro curre. *rursus* enim, retroversus, inquit Donatus. vide Nonium. Sic Eleg. 29. lib. 2. *Me injecto duxerunt rursus amictu.* exprimit autem illud Græcorum παλινδρομεῖν. Pass. *Eadem*, διϋλλαβον κατὰ συναίρεσιν. ut Eleg. 8. lib. 2.

Hac eodem telo stillet uterque cruor. Vulp.

v. 37. Et mea cum multis lacrimis mandata reporta] Id est, mandata & lacrimas. ut Eleg. 26. lib. 2. *cum Castore fratri*, nempe Polluci & Castori fratri. vide ibi adnotata. & ambigue, *cum multis lacrimis*, & meis & tuis etiam, ut non tantum verbis, sed re quoque fidem facias. Sic Virgilius 4. Æneid. *Talesque miserrima fletus Fertque refertque soror.* *Mandata*, commissa verba, velut manui & fidei tradita. ut Eleg, 23. lib. 2. *Commissa sua verba ferat domina.* Pass.

v. 38. Iram, non fraudes esse in amore meo] Me iratum illi fuisse, non perfidum. Itaque iram statim deponit. Eleg. 5. lib. 2.

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
  Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes.

Fraus, sæpe pro scelere, ac pro perfidia: ut contra *scelus*, pro dolo. Virgilius Æn.2. *Scelerumque inventor Ulixes.* Sic Eleg. 20. lib. 2.

Quidve mea de fraude deos infame fatigas?

Ulpianus L. *Aliud* D. *de Verb. Signif.* & L. *Quum autem* §. *Excipitur. de Ædilit. Ed.* & Servius. *In amore meo*, in me amante, ut *Amor Herculis*, Eleg. 13. lib. 1. id est, Hercules amans. Pass.

v. 39. Me quoque consimili impositum torquerier igni Jurabo, et bis sex integer esse dies] Pari doloris & desiderii ardore cruciari affirmabo deo teste. *Impositum igni*; ut Virgilius 6. Æn.

Ignibus imponit sacris libamina prima.

Ignis, amor, desiderium; ut Eleg. 9. lib. 1. *Vera nec tangeris igni.* *Consimili*, pro, simili. Plautus ubique; & Lucretius. pro *torquerier* Palmerius legit *torrerier*; & sic Horatius Ode 9. lib. 3. *Me torret face mutua Thurini Calais filius Ornithi.* Sed nihil mutandum; Appulejo enim auctore lib. 3. A. A. igni torquebantur fontes in quæstionibus. *Nec mora*, inquit, *cum ritu Græciensi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur.* Ovidius 3. Metam.

Dum crudelia jussæ
Instrumenta necis, ferrumque ignisque parantur.

Jurabo. nam jurejurando purgatio & satisfactio fieri solebat. vide Plautum Amphitr. *Jurabo integer esse*, pro, me integrum esse. Catullus pariter Carm. 4.

Ait fuisse navium celerrimus.

Horatius item Epist. 7. lib. 1.

Vir bonus & sapiens dignis ait esse paratus.

Integer, qui aliam puellam non attingit. Horatius Ode 4. lib. 2. *Brachia & vultum teretesque suras Integer laudo.* *Bis sex dies.* jurabo me castum fuisse duodecim dierum spatio, quo tempore tamen tibi iratus fui. Eleg. 20. lib. 2. *Niobes bis sex ad busta superba.* Pass.

v. 41. Quod mihi si tanto felix concordia bello Exstiterit, per me, Lygda-

Lygda-

LYGDAME, LIBER ERIS] *Felix concordia*, quia pax felices reddit. An alma & fecunda? ut contra *Infelix lolium*. Elegia tamen 8. infra inquit: *In te pax mihi nulla placet. Tanta bello*. vulgatum illud Terentii Eun. *In amore - - induciæ, bellum, pax rursum*. *Exstiterit*, repente evenerit. Cicero pro Quintio: *Si hic Crassi omnes cum Antoniis existant*. *Per me liber eris*, quod habeo summum pretium persolvam tibi: & faciam, e servo sis ut libertus mihi. Terentius Andria. *Liber eris*. manumissionis formula fuit, *Liber esto*. Plautus Menæchm.

Mea quidem caussa liber esto, atque abito quo voles.

Per me, opera mea, meoque beneficio. ut Eleg. 28. lib. 2. *Per magnum est salva puella Jovem*. & in deterius Eleg. prox. seq.

Per te immaturum mortis adimus iter.

Sic Cicero servum donavit libertate, quod sibi dilatum quoddam judicium nuntiasset. Plutarchus. PASS. *Per me liber eris*; quod ad me quidem attinet: si Cynthia preces meas non respuerit. nam Lygdamus Cynthiæ servus fuit, non Propertii. quod manifestum ex altero hujus Elegiæ versu:

Sic tibi sint dominæ, Lygdame, dempta juga.

Appellat vero eum poeta suo nomine sæpius, blanditiarum & benevolentiæ caussâ. VULP.

ELEGIA VII.

ERgo sollicitæ tu caussa, pecunia, vitæ es:
Per te immaturum mortis adimus iter.

Tu

ARGUMENTUM ELEGIÆ VII. LIBRI III.] Pæti cujusdam adolescentis naufragium deplorat: simul avaritiam hominum, & navigandi morem exsecratur. VULP.

v. 1. ERGO SOLLICITÆ TU CAUSSA, PECUNIA, VITÆ ES] τὸ *ergo* stomachantis; vel conquerentis. dictum ad Eleg. 8. lib. 2. v. 13. Pecuniam vero poeta alloquitur, sic Juvenalis Sat. 1. *Quamvis, funesta pecunia, templo Nondum habitas*. A pecu & pecore, pecunia dicta. Varro 4. de L. L. *Pecuniâ sacrificium fieri dicebatur, quum fruges fructusque asserebantur, quod iis pecunia apud antiquos constaret*. consentiunt Festus, & Columella in præfat. lib. 6. item Ovidius 1. Fast. Ulpianus L. *Pecuniæ*, 178. & Hermogenianus altera Lege *Pecuniæ*, 222. D, *de Verb, Sign*. qui tamen I. C. prætendunt id verbi ad omnia quæ in patrimonio sunt, Sed & notâ pecudis signabant pecuniam. Plinius lib. 33. H. N. cap. 3. & Plutarchus in Publicola. *Pecuniosi*, a pecore; quod in eo tum opes: ut a locorum possessione locupletes. Cicero lib. 2. de Rep. apud Nonium, *Tu caussa sollicitæ vitæ*; quia *Crescentem sequitur cura pecuniam*. ideo dixit Eleg. 5. supra:

Nec miser æra peto classe, Corinthe, tua.

Sollicitari, inquit Festus, est solo, id est, loco citari; quod quia molestum, ideo sollicitì, anxii. PASS. *Ergo*. ita Eleg. 13. L. 2.

Ergo muneribus quivis mercatur amorem?

& Eleg. 22.

Ergo tam docta nobis periere tabellæ.

Qui in hac voce alteram syllabam corriperet, inter Augustæi temporis poetas solus repertus est Naso, Epist. Oenones v. 59.

Votis ergo meis, alii rediture redisti?

BROUKH.

Sollicitæ t. c. p. v. e. Vide Juvenalem Sat. 14. a versu 288. loco plane illustri. VULP.

v. 2. PER TE IMMATURUM MORTIS ADIMUS ITER] Tu nos ad mortem ducis, sed præcocem & acerbam. hypallage, pro, adimus mortem immaturam. *adire iter mortis*, quod uno verbo *obire*. vide Festum in *Ob*, pro, ad. *Adire iter*, ut ire viam, & redire viam, *Iter mortis*, ut Eleg. 11. infra *iter soporis*, Catullus Carm. 3. vocat *Iter tenebricosum*, Horatius Ode 28. lib. 1. *Viam leti*. *Immatura mors*, vulgari admodum translatione. Sic *immaturum & acerbum* funus infantium & puerorum; *maturum*, senum. Cicero de Senectute: *Quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur: si cocta & matura, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert; senibus maturitas*. Hinc Virgilius: *Ævi maturus Acestes*. Horatius: *Maturus senex*. PASS.

v. 3.

Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes:
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.

Nam

v. 3. TU VITIIS HOMINUM CRUDELIA PABULA PRÆBES] Vitia nutris & auges. ut Eleg. 21. infra:

Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

vide adnotata ad Eleg. 12. lib. 1. v. 5. *Præbet pabula*. Plautus Rud. *Piscibus ex alta, creda, præbent pabulum*. Lucretius lib. 4. dixit *Pabula amoris*, Cicero *Pabulum studii, doctrinæ, ingeniorum*. Virgilius 3. Georg. *Aliter vitium, vivitque tegendo*. *Crudelia pabula*; quæ animum pascendo crudeliter lacerant, & crudelitati caussam præbent. Sic Eleg. 15. lib. 2. dixit *Crudele ferrum*. Statius 9. Thebaid.

Ibitis æquoreis crudelia pabula monstris.

De avaritiæ malo, quæ crudelitatem docuit, bene Tullius scripsit de Sex. Roscio: videlicet ex luxuria avaritiam, & ex avaritia exsistere audaciam. inde omnia nasci scelera. *Vitiis*; an curis? ut Eleg. 17. infra:

Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo. PASS.

v. 4. SEMINA CURARUM DE CAPITE ORTA TUO] Caussæ & initia curarum. Ita Ovidius lib. 5. Fast. dixit *Semina sacra mensis*, unde poetice. Cicero in Catilinam, *Stirps ac semen malorum omnium*. Horatius Ode 24. lib. 3. eodem sensu: *Eradenda Cupidinis Pravi sunt elementa*. *De capite orta tuo*: id est, origo tu malorum & fons. ex tuo fonte in hominum vitam manarunt curæ. Proprie, *de capite*, ut adnot. ad Eleg. 15. lib. 2.

Fluminaque ad caput incipient revocare liquores.

unde translatum Virgilio 11. Æneid. *Caput horum & caussa malorum*. PASS. *De* non sine elegantia ponitur pro *ex*. vetus poeta in Carmine libero:

Non foror hoc habitat Phœbi, non Vesta sacello,
Nec quæ de patrio vertice nata dea est.

Ovidius Remed. Amor.

Flumina pauca vides de magnis fontibus orta.
BROUKH.

De capite orta tuo. Cicero in calce Tusc. 4. *In eo (ægritudine) est fons miseriarum & caput*. Idem pro M. Cœlio: *Si ipse orietur & nascetur ex sese, fortasse, ut soleo, commovebor: sin autem, ut rivulus, arcessitus & ductus ab ipso capite accusationis vestræ, letabor*, &c. Græcis pariter usitatum est *κεφάλαιον ἁπάντων*, hac ipsa significatione. V.

v. 5. TU PÆTUM AD PHARIOS TENDENTEM LINTEA PORTUS OBRUIS INSANO TERQUE QUATERQUE MARI] Pæti ab oculorum vitio dicti, ut Pompejus Strabo, & Appius Cæcus. Horatius Sat. 3. lib. 1. *Strabonem Appellat pætum pater*. ubi Acron & Porphyrio: *Pæti depravatis oculis, & sursum elatis*. Hinc Venus pæta, limis oculis. Ovidius lib. 2. A. A. *Si pæta est, Veneri similis*. [Et Carmen Liberum Epigr. 36. *Minerva flavo lumine est, Venus pæta*.] Inde Ælii, Papirii, & Arrii Pæti Romæ. At nescio, an hic sit Arrius Pætus, de quo exstat Catulli Epigramma, cujus initium *Chommoda dicebat*. nam in Syriam eum navigasse, & in Ionio mari submersum ibidem ait Catullus. *Tendentem lintea ad Pharios portus*, vela dirigentem in Ægyptum, navigantem Alexandriam. Sic *Ægæo ducere vela salo*, Eleg. 6. lib. 1. *Tendere vela*, explicare ventis, a quibus tenduntur quum implentur. Virgilius 3. Æneid. *Tendunt vela Noti*. & 7. Æneid. *Tendit iter velis, portumque relinquit*. *Lintea*, vela, de quibus dictum ad Eleg. 4. sup. v. 7. *Pharii portus*, de quibus Eleg. 1. lib. 2. *Litora capta Phari*. Lucanus lib. 10. *Pharos insula quondam In media stetit illa mari*. Describitur a Cæsare lib. 3. Belli Civilis, a quo ponte conjuncta est Alexandriæ. vide Hircium de Bello Alexandrino. *Obruis mari*, submergis fluctibus oppressum. ut infra:

Et quacumque meum degravat unda caput.

Virgilius 1. Æneid. *Submersasque obrue puppes*. Ovidius Epist. Penelopes:

Obrutus insanis esset adulter aquis.

Insana aqua, ut hic *insanum mare*. Sic Noster dixit, *Vesani ponti* Eleg. 8. lib. 1. v. 5. ubi vide adnot. *Terque quaterque*. [numerus finitus pro infinito, more poetis usitatissimo.]

Nam dum te ſequitur, primo miſer excidit ævo,
Et nova longinquis piſcibus eſca natat.
Et mater non juſta piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Sed

Virgilius 1. Æneid. *Aſt illum ter fluctus ibidem Torquet agens circum*. Ibid. *O terque quaterque beati*; ut Homerus: Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις. PASS.

v. 7. NAM DUM TE SEQUITUR, PRIMO MISER EXCIDIT ÆVO] Dum te captat; ut Eleg. 16. lib. 2. *Cynthia non ſequitur faſces*. Cicero, *Sequi lucrum & quæſtum*. nam cupidi ſequuntur res cupitas. *Miſer*, quod avarus; Eleg. 5. ſup. v. 6. & quod acerba morte. ſic infra: *Miſerae primæ lanuginis annos*. & quia *Naufragium*, ut ait Ovidius, *genus eſt miſerabile leti*. *Excidit*, in mari periit. Bene Virgilius 6. Æneid. *Exciderat puppi*. Plautus Rud. 1, 3. *Etiam quæ mecum vecta in ſcapha eſt, excidit*. Sic Græcis ἐκπίπτειν. & Euripidi in Helena ἐκπεσὼν eſt qui excidit, ſed tamen vivus in litus pervenit: Ναυαγὸν ἐκπεσόντα, σὺν παύροις φίλοις. Poteſt & τὸ *ævo* jungi cum *excidit*. [Terentius Andria, 2, 5, 12. *Herus meus uxore excidit*.] PASS. *Dum te ſequitur*, *p. miſer e. æ.* Pulchre D. Auguſtinus Sermone 31. eorum quos Jacobus Sirmondus primus divulgavit: *Naufragi forte negotiatoris corpus quum in litore inſpexerit, reddit lacrimas miſeratus, & dicit, Væ huic homini: propter aurum perdidit animam ſuam*. VULP.

v. 8. ET NOVA LONGINQUIS PISCIBUS ESCA NATAT] Fertur arbitrio & impetu fluctuum etiam exanimus; ut Eleg. 25. lib. 2.

Quum ſæpe in portu fracta carina natet.

Nova eſca, quia recens cibus gratior eſt, & quia nuper periit. *Eſca* τὸ δέλεαρ. piſcatûs verbum. Gallice *amorce*. eſt & verbum aucupii. Plautus Aſin. *Eſca eſt meretrix, amatores aves*. unde ineſcare. *Eſca piſcibus*; ut Varro apud Nonium *Pullis eſcam*, quamdam Satyram inſcripſit. Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 2.

Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum.

Piſcibus longinquis, ejus maris quod procul a domo. ut Eleg. 9. lib. 2.

Quid ſi longinquos retineret miles ad Indos?

Ovidius in Ibin v. 149.

Sive per immenſas jactabor naufragus undas,
Noſtraque longinquus viſcera piſcis edet. P.

Piſcibus eſca. nos in quodam poematio, veterum elegantiam imitari conati:

Dicite Abydenæ fauces, quo ſanguine veſtrum
Sudarit litus, quot barbara corpora victor
Piſcibus Helleſpontiacis projecerit eſcas. V.

v. 9. ET MATER NON JUSTA PIÆ DARE DEBITA TERRÆ, NEC POTE COGNATOS INTER HUMARE ROGOS] Perſolvere juſta funeri, exſequias & inferias. Cur autem juſta non pote facere? quia fieri non poſſunt ſine aliquo ejus mortui membro. Feſtus in *Membrum*. Dicuntur etiam Ciceroni *juſta exſequiarum & funeris*. Ovidius dixit *juſta ferre*. *Dare* & facere Juriſconſultis pro ſolvere. id eſt reddere. *Debita juſta*. διὰ τὸ αὐτὸ, ut Eleg. 16. lib. 1.

Debitaque occultis vota tuli manibus.

& hic infra, *Ligata vincula*. *Piæ terræ*. an eſt hypallage, pro, ipſa mater pia? an pia terra, juſta, ut Eleg. 19. lib. 1. *Tellus juſta?* ubi plura notavimus. ſane pietas pars juſtitiæ eſt. An pia terra, Manes ſancti & boni; unde nomen habent? *Pote*. ſupple, fuit, ideſt potuit. Sic Elegia 1. lib. 2.

Qua pote quiſque, in ea conterat arte diem.

Donatus in illud Adelph. *Nihil pote ſupra*: Subauditur eſt, vel quid ſimile. & dicitur potis ac pote, ut magis, mage: fortaſſis, fortaſſe. Sic dicebant *poteſſe*, *poteſtur*, *poteratur*: Feſtus, Ennius. *Humare*, humo tegere, ſepelire, quoquo modo condere. De hoc verbi dictum aliàs. *Inter cognatos rogos*. Sic Auſonius:

Quæ Numa cognatis ſolemnia dedicat umbris.

Cognatos rogos, cognata ſepulcra; ut apud Valerium Maximum, *Sepulcrum Lutatiæ gentis*. Cajus I. C. L. *Familiaria*. D. *de Relig. & ſumt. fun. Familiaria ſepulcra, quæ quis ſibi familiæque ſuæ conſtituit*. *Hereditaria*, *quæ heredibus*. Contra plebi *communia ſepulcra*; Horatius Sat. 8. lib. 1. Cognatos itaque rogos, cineres & oſſa propinquorum intellige in gentilitio ſepulcro. *Rogi*, pro cinere &

Mani-

Sed tua nunc volucres adſtant ſuper oſſa marinæ.
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,
Quæ ſpolia ex illo tanta fuere tibi?

Aut

Manibus, ut Eleg. 8. lib. 2. v. 20. PASS. *Et mater*. Groninganus, *At mater*. BROUKH. Hoc diſtichum inferius tranſtulerunt audaces correctores, nulla ſane cauſſa: & hanc etiam Elegiam fœde permiſcuerunt. *Inter cognatos cineres*. Prior Catullus Carm. 67. v. 97. de ſuo ipſius fratre vita functo:

Quem nunc tam longe non inter nota ſepulcra,
Nec prope cognatos compoſitum cineres,
Sed Troja obſcœna, Troja infelice ſepultum
Detinet extremo terra aliena ſolo. VULP.

v. 11. SED TUA NUNC VOLUCRES ADSTANT SUPER OSSA MARINÆ] An intelligit oſſifragas, aquilarum genus Plinio? an mergos? de quibus Horatius Epodo 10. *Opima quod ſi præda curvo litore Porrecta mergos juverit*, &c. Ovidius Epiſt. Ariadnæ: a Propertio ſuo:

Oſſa ſuperſtabunt volucres inhumata marinæ.
Hæc ſunt officiis digna ſepulcra meis.

& lib. 3. A. A.

Quamvis ad te, Theſeu, volucres Ariadna marinas
Pavit.

Petronio dicuntur *Pelagiæ volucres*. *Ecce*, inquit, *per antennam pelagiæ conſederant volucres*. PASS.

v. 12. NUNC TIBI PRO TUMULO CARPATHIUM OMNE MARE] Carpathium mare a Carpatho inſula; quæ e regione Ægypti eſt, inter Rhodum & Cretam. vide adnotata ad Eleg. 5. lib. 2. v. 11. *Mare pro tumulo*; ut Varro 4. de L. L. *Tiberis priſcum nomen in Albulam mutatum propter Tiberinum regem Latinorum, qui illic interierit: nam hoc ejus, ut tradunt, ſepulcrum*. Sic Attius Atreo, apud Ciceronem: *Natis ſepulcrum ipſe eſt parens*. PASS. Illud Appuleji ſimillimum lib. 4. A. A. *Tunc nos magnanimi ducis vigore venerato, corpus reliquum veſte linea diligenter convolutum, mari celandum commiſimus. Et nunc jacet noſter Lamachus elemento toto ſepultus*. Achilles Tatius quoque lib. 5. ἐρωτικῶν: Οὐκ ἤκουσας ὡς ἐν πελάγει τέθνηκε; ἔτι πλέω Λευκίππης τὸν τάφον. *An non audiviſti, eam in mari mortuam? adhuc navigo ſepulcrum Leucippes*. *Omne mare*, dixit Horatius Sat. 1. lib. 1. *Nautæque per omne Audaces mare qui currunt*. ſed fortaſſe, pro, *omnia maria*. VULP.

v. 13. INFELIX AQUILO, RAPTÆ TIMOR ORITHYIÆ, QUÆ SPOLIA EX ILLO TANTA FUERE TIBI?] *Infelix*, aut ſæve, ut infra: *At tu ſæve Aquilo*: aut inauſpicate, adverſe, vehementior: aut ſceleſte, ut Eleg. 23. lib. 2.

Infelix hodie vir mihi rure venit.

Aquilo dictus a vehementiſſimo volatu inſtar aquilæ, quæ & ipſa ab acute volando nomen habet. An quod aquili & nigri fluctus eo flante apparent? unde Virgilius 5. Æneid. *Fluctuſque atros Aquilone ſecabat*. quod & Gellius confirmat ex Ariſtotelis Problematis. *Raptæ timor Orithyiæ*, nempe timoris cauſſa; ut infra: *Et audaci tu timor eſſe potes*. Ovidius 1. Faſt.

Cacus, Aventinæ timor atque infamia ſilvæ.

& *timor* tum quum rapiebatur; nam poſtea aſſueverat. ideo Eleg. 26. libri 2.

Crudelem & Boream rapta Orithyïa negavit.

De raptu Orithyïæ dictum eſt ad eamdem Elegiam v. 31. Pro *timor*, vett. libb. habent *memor*. *Spolia ex illo tanta*:

Scilicet iſta tuo victoria digna triumpho,

ſi deus ex unico adoleſcentulo ſpolia & laudem petiſti. Illud Virgilii ſimile 4. Æneid.

Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus. εἰρωνικῶς. PASS. Aquiloni ſeu Boreæ Orithyïam rapienti caudas anguium pro pedibus affingebant pictores. vide Pauſaniam in Eliacis prioribus cap. 19. T. vero Pomponius Atticus domum perantiquam *Athenis* habitavit, *non longe a qua domo Orithyiam Aquilonem ſuſtuliſſe traditum eſt*, ut ait M. Tullius cum ipſo Attico loquens initio libri 1. de Legibus. Hæc fabula unde originem traxerit, explicat Socrates in Phædro Platonis. VULP.

v. 15.

Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
  Portabat sanctos alveus ille viros.
Pæte, quid ætatem numeras? quid cara natanti
  Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.

Sunt

v. 15. AUT QUIDNAM FRACTA GAUDES, NEPTUNE, CARINA?] Quid tibi ex naufragio evenit emolumenti? *Gaudes*. de hoc verbo dictum ad Eleg. super. v. 23. Sed Neptuno maritimi mores, & ejus liberi immanes. PASS.

v. 16. PORTABAT SANCTOS ALVEUS ILLE VIROS] *Alveus* συνεκδοχικῶς pro navi. Virgilius 6. Æneid. de Charonte: *Simul accipit alveo lugentem Æneam*. ubi Servius ridicule de alveo fluminis exponit. Juvenalis Sat. 12. *Quum plenus fluctu medius foret alveus*. Ovidius 3. Fast.

Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur, & canas alveus haurit aquas.

Vetus Glossarium: *Alveus*, σκάφη. Alveus alio nomine navia, sive linter, vindemiæ aptus. Festus, ac Tibullus Eleg. 5. lib. 1. Livius lib. 21. *Alveos informes raptim faciebant*. nempe naviculas. *Portabat*, vehebat una cum Pæto. Sic Eleg. 5. supra:

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas.

Sanctos viros, integros, scelerisque puros, & innocentes, quibus tu parcere debuisti. Macrobius, & Cicero. Neptunus autem, improbos nactus, jactabat; quia *fastidiosus aedilis erat*, inquit Plautus Rud. *merces improbas jactabat*. PASS. *Sanctos viros*. Pætus tamen, si pecuniæ cupidus, quomodo sanctus? At fortasse τὸ *sanctos* hìc significabit non perjuros, neque deorum contemtores. VULP.

v. 17. PÆTE, QUID ÆTATEM NUMERAS? QUID CARA NATANTI MATER IN ORE TIBI EST? NON HABET UNDA DEOS] Quid te parum vixisse quereris? Albinovanus ad Liviam:

Quid numeres annos? vixi maturior annis.

Ovidius lib. 1. A. A.

Parcite natales timidi numerare deorum.

[quod sumtum videtur ab Horatio Epist. 2. lib. 2. *Natales grate numeras?*] Sic dicebatur: *Numera senatum*, de paucis. *Cara mater*. ut dulces liberi, ita cari parentes. Eleg. 11. lib. 1.

An mihi sit major caræ custodia matris?

Virgilius 1. Æneid.

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Statius 9. Thebaid.

Ultimus ille sonus moribundo emersit ab ore
Mater: in hanc miseri ceciderunt lumina vocem.

In ore tibi est, sæpe a te appellatur in extremo discrimine, ut fieri solet præsertim a naufragis. ut adnotatum ad Eleg. 26. lib. 2. v. 12. *Non habet unda deos*. Dii enim boni naturâ & benefici, ac hominum vota exaudiunt: sævus Neptunus, barbarum mare, surdi venti. Solent autem irati negare deos esse; ut Eleg. 6. lib. 1. v. 8.

Et queritur nullos esse relicta deos. PASS.

Mater in ore tibi est. Ovidius pariter lib. 11. Metam. *Ceycis in ore Nulla nisi Halcyone est*. *Non habet unda deos*. Vide quæ animadvertimus ad Eleg. 8. lib. 1. v. 41. VULP.

v. 19. NAM TIBI NOCTURNIS AD SAXA LIGATA PROCELLIS OMNIA DETRITO VINCULA FUNE CADUNT] An navis ipsa ad saxa religata fuit, & scopulos in medio mari? ut Eleg. 1. lib. 4. dixit: *Haerentes ad pia saxa rates*. licet aliâ sententiâ. Vincla, quibus ligata navis, ad saxa cadunt, id est, juxta scopulos, quibus navis alliditur. nam infra dicturus est:

Ah miser Halcyonum scopulis adfigar acutis.

Vincula ligata, διὰ τὸ αὐτό. ut supra, *Justa debita*. sed & dicitur *Nectere vincula*. τὸ *tibi* vel jungitur cum τῷ *vincula*, ut significet *tua*. sic enim Eleg. 26. lib. 2. *Tibi vexatæ per multa pericula vitæ*, nempe tuæ: vel ornatus caussâ; ut sæpe Ciceroni & Terentio. sic Eleg. 3. lib. 3.

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas.

vel *tibi ligata*, id est, a te. *Nocturnis procellis*;

Sunt Agamemnonias teſtantia litora curas,
  Quæ notat Argyni pœna natantis aqua.
Hoc juvene amiſſo claſſem non ſolvit Atrides:
  Pro qua mactata eſt Iphigenia mora.

Red-

cellis; noctu ſævientibus. Eleg. 16. lib. 1.

At mea nocturno verba cadunt Zephyro.

Quid procella, dictum ad Eleg. 17. lib. 1. v. 7. *Detrito fune*. Vinculis rudentum naves quaſſatas tempeſtate nautæ ſolent conſtringere; quæ & ipſa tandem detrita, vel rupta in mare cadunt; & navis ſolvitur. vide Pacuvium apud Feſtum in *Serilia*. P.

v. 21. SUNT AGAMEMNONIAS TESTANTIA LITORA CURAS, QUÆ NOTAT ARGYNI PŒNA NATANTIS AQUA] Ut mare crudele eſſe teſtetur, & aquarum deos vel ſurdos, vel nullos potius, Argyni adoleſcentuli ab Agamemnone adamati, & in Cephiſo flumine ſubmerſi fatum cum Pæti fato comparat. VULP. A rebus mutis petit teſtimonium, ut aliàs ſæpe. *Litora*, pro Cephiſi amnis ripa. ſic Eleg. 2. lib. 1.

Eveni patriis filia litoribus.

Curas, ſollicitos amores. ut Eleg. 10. lib. 1. *Curas ſonare recentes*. τὸ *qua* certum ſitum loci deſignat. vide Eleg. 3. ſup. v. 2. *Notat*, fertur aquis & mortuus fluitat. ſupra: *Piſcibus eſca natat*. An legendum: *qua* (litora) *notat pœna Argyni?* id eſt, infamia reddit. Horatius Ode 3. lib. 1. *Infames ſcopulos*. An *quas* (curas) *notat*, id eſt, teſtatur & ſignat? *Argynni pœna*, Argynnus ipſe morte, communi hominum pœna, affectus. Lucanus alicubi: *Mortem, quæ cunctis pœna paratur*. Sic Eleg. 20. lib. 2.

Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur.

Dictum ut *mors mea*, *Pyramidum ſumtus*, & alia ſimilia. *Pœna aquæ minantis*, quam aqua ſæva & minax inflixit Argyno; quia in fonte Cephiſi ſubmerſus. Turnebus lib. 26. Adverſ. cap. 33. conatur hos verſus explicare. A Polluce Ἄγυνος vocatur: a Stephano Ἄργυννος: a Plutarcho Ἄργυνος: qui tradit, ab Agamemnone, fugacem illum puerum perveſtigante, totam Bœotiam perluſtratam: ſubjungit deinde, regem ſe in lacu Copaide abluiſſe, ſi forte ardorem ſuum una eluere poſſet. Hæc Turnebus. Hanc fabulam Stephanus recitabat voce Κηφισσός, ut nos monet Parrhaſius, qui Stephani integro codice uſus eſt. nam vulgo ea parte mutilus circumfertur. PASS. Athenæus L. 13. C. 8. aliter ſtatuere videtur, referens, Agamemnona, quum vidiſſet Argynnum in Cephiſo natantem, quod crebro faciebat, ejus amore fuiſſe correptum: eumdem vita functum ad Cephiſum humaſſe, ibidemque Veneris Argynnidis templum ædificaſſe. BROUKH. *Notat*, infamat. Pulchre Sannazarius, elegantiſſimo vir ingenio, Ecl. piſcatoria 2.

Vitamus ſcopulos infames morte Lyconis. V.

v. 23. HOC JUVENE AMISSO CLASSEM NON SOLVIT ATRIDES] Id eſt, Argyno ademto & mortuo. ut Eleg. 13. lib. 2.

Tu tamen amiſſo nonnumquam flebis amico.

Atrides claſſem non ſolvit; mille naves illas conjuratas in Aulide manere juſſit, dum amores ſuos quæreret. Atrides major, Agamemnon: minor, Menelaus. ambo Atrei filii. Hæc vera cauſſa manendi in Aulide, non adverſi venti ob iram Dianæ, ut cauſſabatur Agamemnon. *Solvit claſſem*, qui e portu in altum provehi vult, quia fune religatur navis; unde *ſolvere navem*, *oram*, *funem*, & *ſolvere* tantum. PASS.

v. 24. PRO QUA MACTATA EST IPHIGENIA MORA] Ob quod ſpatium temporis, quod fruſtra terebatur in Aulide, Iphigenia immolata eſt. Sequitur vero eorum opinionem qui mactatam volunt Iphigeniam, ut Virgilius 2. Æneid. [Lucretius lib. 1. Horatius Sat. 3. lib. 2.] Alii enim ſubditam cervam ferunt. ideo Eleg. 22. infra:

Nec ſolvit Danaas ſubdita cerva rates.

[ubi Noſter, ſui oblitus, vulgi fabellam ſequitur.] Elegia vero 1. lib. 4. ſecum ipſe conſentit:

Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide ſolvit
  Ille bene hærentes ad pia ſaxa rates.

Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
  Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai.

Vide

Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
Pætum sponte tua vilis arena tegas.

Ut

Vide Euripidem in Iphigenia in Aulide, Hyginum Fab. 68. & 291. Lucretius vocat eam Iphianassam lib. 1. *Mactare & immolare* sacrorum verba, & ἄζηγμα sunt. de verbo *Mactare* multa Nonius. *Mactare*, est magis augere, ut adolere κατ' εὐφημισμόν. Servius in 4. Æneid. & Festus. Isidorus autem lib. 10. *Mactus, magis auctus gloria, & est nomen tractum a sacris: quoties enim tus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant, Mactus est taurus vino, vel ture.* hoc est, cumulata est hostia, & magis aucta. scilicet verbenis, floribus, auro, mola salsa, ture, vino, & vittis augebatur. Pass. Proxime ad similitudinem veri accessit Cicero L. 3. de Offic. C. 25. *Quid? Agamemnon quum devovisset Dianæ quod in suo regno pulcerrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulcrius. promissum potius non faciendum, quam tam tætrum facinus admittendum fuit.* ecce, vix anniculam facit, quam ceteri omnes jam bene grandem. Ovidius etiam tradit fabellam de cerva initio L. 12. Metam. Eam decoro artificio ad similitudinem veri refinxit L. Septimius, & luculenta facundia exposuit in fine L. 1. Ephemer. belli Trojani. Sed ad plures alias machinas decurrere necesse habebant Græculi, ad diluendam tæterrimi facinoris impietatem. vide Servium in L. 2. Æneid. v. 116. & Janum Parrhasium in L. 3. de Raptu Proserpinæ Claudiani. Broukh.

v. 25. Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita Pætum sponte tua vilis arena tegas] Sic vetus Poeta ex Euripide apud Ciceronem 3. Tusc. *Reddenda terra terræ.* & 2. de Legibus: *In sepultura corpus terræ redditur.* Virgilius 2. Æneid. *Corpusque exsangue sepulcro Reddidit.* Altera lectio: *Reddat corpus hiems.* id est. tempestas. Virgilius 2. Æneid. *Sæpe illos aspera ponti Interclusit hiems. Posita vita*, ut Eleg. 26. lib. 2. *Mihi si ponenda tuo sit corpore vita. In gurgite*, quia re vera gurges, quum hausit. vel pro mari, ut Eleg. 17. lib. 1. *Invito gurgite fecit iter. Vilis arena*, ob immensam copiam. ut Eleg. 2. supra *Vilia tura. Arena* loco terræ, ut Eleg. 16. infra:

Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ.

Petronius: *Aut præteriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit: aut, quod ultimum est, iratis etiam fluctibus imprudens arena componet.* quæ postrema verba his Propertii respondent, *sponte tua tegas. Humo, arena tegas*; humo arenosa; ut sit quasi humatus, & humo tectus. Arenam alloquitur, ut Eleg. ult. lib. 2.

Sis mihi præcipue pulvis Etrusca dolor. P. *Reddite corpus humo.* Caussam affert Varro lib. 4. de L. L. *Terra*, inquit, *Ops, quod hic omne opus, & ei opus ad vivendum: & ideo dicitur Ops mater, quod terra nutriat. Hæc enim terris gentes omnes peperit, & resumit denuo.* Iccirco ritum condendi humo cadavera mortuorum præ ritu ea comburendi sapientes videntur probavisse. Cicero lib. 2. de Legib. *At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur: redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur.* ne pigeat reliqua perlegere. Suffragatur Lactantius Firmianus lib. 6. D. I. *Non patiemur*, ait, *figuram & figmentum Dei, feris ac volucribus in prædam jacere, sed reddamus id terræ, unde ortum est; &, quamvis in homine ignoto, necessariorum sepulturam, nulli negandum munus, implebimus, in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas, & ubicumque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus.* Accedat Minucius Felix, non procul a fine Dialogi Octavii. *Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem, & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* Eodem pacto dicebant veteres *reddere animam cælo.* Vellejus Paterculus lib. 2. Hist. cap. 123. de Augusto moriente: *Mox quum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia . . . . animam cælestem cælo reddidit.* Vulp.

v. 27.

Ut, quoties Pæti tranſibit nauta ſepulcrum,
Dicat: Et audaci tu timor eſſe potes.
Ite, rates curvas & leti texite cauſſas.
Iſta per humanas mors venit acta manus.

v. 27. ET QUOTIES PÆTI TRANSIBIT NAUTA SEPULCRUM, DICAT: ET AUDACI TU TIMOR ESSE POTES] Tranſibit juxta navigans, & litus legens. Sic Eleg. 11. lib. 2.

Et sua tranſibit contemnens oſſa viator.

Dicat, ut Eleg. 1. lib. 4. *Muta jace verba favilla. Et audaci tu timor eſſe potes.* exemplo tuo etiam audaces deterrebis a navigatione. τὸ, *&*, hoc loco ſignificat vel, etiam. Eleg. 10. lib. 2. *In magnis & voluiſſe ſat eſt. Timor*, timoris cauſſa, ut *Aquilo rapta timor Orithyia.* ſic Eleg. 10. lib. 4. *Aeron, Roma, tuis quondam finibus horror erat. Audaci.* De navigantium audacia Horatius Ode 3. lib. 1. & Plinius. PASS. *Et quoties.* Douza Schediaſm. ſuccidan. p. 68. legit *Ut*. BROUKH.

v. 29. ITE RATES CURVÆ, ET LETI QUOQUE TEXITE CAUSSAM] Lipſius lib. 2. Antiqu. Lect. cap. 10. ex vet. lib. legit:

Ite rates curvæ, & leti texite cauſſam,

ut hiulcus ſit verſus, quemadmodum infra hic:

Sed thyia thalamo, aut Oricia terebintho.

& Eleg. 9. infra:

Hæc curent pueri, hæc curent ſcripta puellæ.

Quod ſi verum eſt, rates ipſas alloquetur, ut videtur quoque affari Eleg. 4. ſupra:

Ite, agite, expertæ bello date lintea proræ.

Sed ego puto legendum per inſignem dilogiam:

Ite, rates curvas & leti texite cauſſam.

ut neminem certum alloquatur. Eſt autem inſultantis & reprehendentis. ut Eleg. 29. lib. 2

I nunc, & noctes diſce manere domi.

Petronius: *Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectus implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos diſponite.* Amara conceſſio & εἰρωνικὴ. *Curvæ rates*, a forma. Virgilius 2. Æneid. *Curvis ſecum advexere carinis.* & 6. Æneid. *Litora curvæ Prætexunt puppes.* τὸ *Texite* ad rates proprie refertur, ad cauſſam improprie. ut:

Anchora te teneat, quem non tenuere penates?

Ita Plautus Curcul. *Tace, occultemus vocem & lumen. Texere*, de navibus dictum adnotavi ad illud Catulli Carm. 63.

Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.

Letum, a leo, inquit Priſcianus, *quod omnia morte delentur.* quo Noſter alluſit Eleg. 7. lib. 4.

Sunt aliquid manes, letum non omnia finit.

Feſtus contra: *Letum*, inquit, *ab oblivione, quam Græci λήθην vocant, dictum.* Varro 6. de L. L. *Quum dicunt Ollus leto datus eſt, id eſt, λήθῃ, oblivioni.* Scaliger, *Cauſſam leti*, exponit letum ipſum; ut Juriſconſultis dicitur *cauſſa bonorum*, pro, bonis ipſis. PASS. Scaligeri eſt τὸ *cauſſam*: nam omnes libri *cauſſas* habent. nihil autem certius correctione Paſſeratii, quam eleganter & docte, ut omnia, explicavit atque adſeruit doctiſſimus Gronovius L. 2. Obſervat. C. 9. quem videre debes. Ite, mortales, & navigia contexite, totidem cauſſas leti. BROUKH. *Cauſſas*, Editio quoque princeps A. 1472. VULP.

v. 30. ISTA PER HUMANAS MORS VENIT ACTA MANUS] τὸ *Iſta* δεικτικῶς, quæ naufragio contingit. ut Eleg. 8. lib. 2.

Quamvis iſta mihi mors eſt inhoneſta futura.

Per manus humanas, arte ſcilicet ac manibus fabrorum. Eleg. 18. infra:

Et per maternas omnia geſta manus.

Acta, coacta, vel adacta, impulſa & feſtinata. ut Eleg. 28. lib. 2. *Si forte tibi properarint fata quietem.* & Horatius Ode 3. lib. 1. *Semotique prius tarda neceſſitas Leti corripuit gradum.* PASS.

Graviſſime & pulcherrime Auctor Sapientiæ Salomonis cap. 1. v. 12. Μηδὲ ἐπισπᾶσθε ὄλεθρον ἔργοις χειρῶν ὑμῶν. & v. 16. Ἀσεβεῖς δὲ ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς λόγοις προσεκαλέσαντο αὐτόν. ſcilicet θάνατον, ὄλεθρον. VULP.

Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas:
Naturæ miſeras auximus arte vias.

An-

v. 31. TERRA PARUM FUERAT: FATIS ADJECIMUS UNDAS] Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 7. eadem ſententia:

Quid tibi cum pelago? terrá contenta fuiſſes.

τὸ *fatis* iterandum. & *parum fuerat fatis*, nempe ad fata acceleranda: & *fatis adjecimus undas*. nam in terra multæ fatorum & mortis viæ, incendia, ruinæ, latrocinia, bella, ſupplicia, morbi. Lucanus lib. 3. *Fatiſque per illam Acceſſit mors una ratem*, PASS. Ita omnes omnium libri. unde ſuſpicari licet, τὸ *terris*, quod primum in Aldina apparuit, profluxiſſe ex Hieronymi Avantii officina. poſſet tamen non inepte defendi, ſi per membranas liceret. certe homo ex terra conditus, in terra natus, videtur non debere mori niſi in terra. Senecs Medea v. 303. *Terraſque ſuas poſt terga videns, Animam levibus credidit auris*. eſt magna emphaſis in vocula *ſuas*. inde *terreſtre animal* homo dicitur Columellæ Præfat. L. 1. BROUKH. *Terris* eſt in utraque Aldina, A. 1502. & 1515. VULP.

v. 32. FORTUNÆ MISERAS AUXIMUS ARTE VIAS] Occaſionem enim fortunæ damus, ut in nos ſæviat. Horatio fortuna dicitur *domina æquoris* Ode 35. lib. 1. Noſter Eleg. 17. lib. 1.

Nullane placatæ veniet fortuna procellæ?

Vias dixit, quia *venit fortuna*, *redit*, *abit*, *occurrit*, *tranſverſa incurrit*. Sic Virgilius: *Fata viam invenient*, ac Tibullus; *Leti mille viæ*. *Miſeras vias*, quæ nos miſeros efficiunt. ut Eleg. 2. lib. 1. *Miſeræ luxuriæ*. PASS. Noli ambigere, quin hic fuerit ſcriptum,

Naturæ miſeras auximus arte vias.

M. Seneca L. 7. Controv. 1. *Multas rerum natura mortis vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt*. ------ ad naturæ incommoda acceſſerunt caſus fortuiti, quos ſolent homines fortunæ imputare. *natura* & *fortuna* in vetuſtis codicibus ſæpe inter ſe commutantur. ------- Primi iſti mortales, finibus patriis contenti, ignoto maris uſu, fato ſuo naturali fungebantur, poſt longævam corporis ſalabritatem ſenio aut morbo aliquo paullatim fatiſcentes. Has vias ad mortem, quas ſolas Natura noverat, in immenſuum auxit atque multiplicavit hominum furor atque avaritia, trajectis maribus vaſtiſſimis, ſpretiſque penitus omnibus periculorum caſibus. L. Seneca L. 5. Nat. Quæſt. C. 18. *Non depopulatur nos caſus incurrens: emetiri cuique annos ex commoda licet, & ad ſenectutem deducere. Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata ceſſantia*. BROUKH. *Miſeras auximus arte vias*. Appoſite Valerius Flaccus 1. Argon. v. 502. *Quæque vias cernunt ſibi creſcere Parcæ*. ad quem locum Valerii Nic. Heinſius affert hunc Propertii verſiculum. VULP.

v. 33. ANCHORA TE TENEAT, QUEM NON TENUERE PENATES?] Varro 1. de L. L. apud Priſcianum lib. 1. ait, a multis ſcribi *ancora* (quia ſcilicet Græcis eſt ἄγκυρα.) ergo male aſpiratur. Iſidorus lib. 19. cap. 2. Anchora, quod, quaſi χείρ, ſive hominis manus, dens ille ferreus comprehendat ſcopulos, vel arenas: & apud majores, inquit, non aſpirabatur. vide tamen Servium in 1. Æneid. *Teneat te*, navem tuam firmet adverſus tempeſtatem. Virgilius 1. Æneid.

Hic feſſas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat anchora morſu.

& 6. Æneid. *Tum dente tenaci Anchora fundabat naves*. unde Noſter pro anchoris, *retinacula* dixit Eleg. 22. lib. 2. Eſt autem διλογία in verbo *tenere*. nam alio modo anchora, alio penates tenent; id eſt, dulcedine ſui retinent. Tenemur enim & inviti, & volentes. *Penates*, domus, conjugis, liberorum, & ſoli natalis amor. PASS. *Quem non tenuere penates?* Huc pertinet locus inſignis M. Tullii Epiſt. 1. lib. 1. ad Q. Fratrem. *Quamobrem*, ait, *qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant his rebus omnibus, a quibus nos divulſi eſſe non poſſumus; te autem, alienum hominem, ament ex animo, ac non ſui commodi cauſſa ſimulent? Alienus* hoc loco Ciceronis eſt nullo ſanguinis vinculo conjunctus; quaſi Tullius dicat: *Quomodo ſperare potes, mi frater, te alienum hominem, ab iſtis mercatoribus amatum iri, qui*

patriam,

Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
 Quid meritum dicas, cui ſua terra parum eſt?
Ventorum eſt quodcumque paras: haud ulla carina
 Conſenuit: fallit portus & ipſe fidem.
Fortuna inſidias pontum ſubſtravit avaris.
 Ut tibi ſuccedat, vix ſemel eſſe poteſt.

Saxa

patriam, domum, uxorem, liberos, conſanguineos, cariſſima quæque pignora relinquere potuerunt, & mare tranſmiſerunt, lucro tantum inhiantes? Hoc enim loco vox *alienus* idem ſignificat quod in Lælio ejuſdem Ciceronis: *Itaque cives potiores ſunt quam peregrini, & propinqui quam alieni.* Et pro Cluentio: *P. Ælii teſtamento propinquus exheredatus quum eſſet, heres hic alienus inſtitutus eſt.* VULP.

v. 34. QUID MERITUM DICAS, CUI SUA TERRA PARUM EST?] Nonne quovis malo dignum deputes eum qui ſua terra contentus non eſt? ut loquitur Terentius Heaut. 1, 1. Plautus Milite 2, 6. *Meruiſſe me maximum fateor malum.* Vetus Poeta apud Chariſium lib. 4.

Quid meritus hic ſit, an dubium cuiquam ſiet?

Sua terra, vel elementum homini proprium, vel ſolum natale. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Et, Felix, dicas, quem ſua terra tenet.

Eſt autem hic apoſtrophe ad abſentem & objurgatio. PASS.

Magna profecto audacia, *ut rupto naturæ fœdere terreſtre animal homo, ventorum & maris objectus iræ, ſe fluctibus audeat credere, ſemperque ritu volucrum, longinqui litoris peregrinus ignotum pererret orbem.* verba ſunt L. Columellæ Præfat ad. P. Silvinum. VULP.

v. 35. VENTORUM EST QUODCUMQUE PARAS: HAUD ULLA CARINA CONSENUIT: FALLIT PORTUS ET IPSE FIDEM] Illic venti regnant, vel ventis debetur. dicetur ad illud infra: *Di maris Ægæi*, &c. *Quodcumque paras*, an navem & vela? Eleg. 17. lib. 1.

Ah pereat, quicumque rates & vela paravit.

Item Plautus Milite: *Ego mihi navem paro.* An ſubauditur, adire? ut apud Ciceronem in Epiſtolis, *Cogito Romam.* ſcilicet ire: & *Cogitabam cras*, ſcilicet proficiſci. *Conſenuit, ſenio confecta quievit*, ut Ennius ait de equo. Noſter Eleg. 23. lib. 1.

Putris & in vacua requieſcit navis arena.

Quod ait: *Fallit portus & ipſe fidem*, aliàs dixerat,

Quum ſæpe in portu fracta carina natet.

Sic apud Virgilium, in litore naufragium facit Tarchon. Græcorum proverbia duo contraria: unum; ἐν λιμένι πλεῖν, alterum; ἐν λιμένι προσκρούειν. Nilus Græcus quidam auctor: Μὴ ἐπαίρου, μή πως τὸ ναυάγιον ἐν τῷ λιμένι γένηται. Cicero 1. de Orat. *Naviculam duorum ſcalmorum in portu evertere. Fallit fidem*, ut Eleg. 1. ſup. *Rumpere fidem.* unde Virgilius 2. Æneid. *Statio maleſida carinis.* PASS. *Quodcumque paras*, divitias navigando & mercibus mutandis quæſitas & comparatas. Ita Eleg. 1. lib. 4.

Nam tibi victrices, quaſcumque labore paraſti,
 Eludet palmas una puella tuas.

Haud ulla carina Conſenuit. Catullus tamen Carm. 4. de phaſelo: *Nunc recondita Senet quiete.* VULP.

v. 37. NATURA INSIDIANS PONTUM SUBSTRAVIT AVARIS] τὸ *avaris* iterandum, & *inſidians avaris*, & *ſubſtravit avaris.* Subſternere, eſt male ſtratum & undoſum, æquale ac tranquillum reddere, ut invitet ad navigandum. Virgilius Ecl. 9. *Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor.* Idem 5. Æneid. *Placidi ſtraverunt æquora venti.* Hinc *æquor* & *marmor* dicuntur. Huc ſpectat illud Lucretii lib. 2.

Inſidi maris inſidias, vireſque dolumque
Ut vitare velint; neve ullo tempore credant,
Subdola quum ridet placidi pellacia ponti.

L 2 vide

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga quum vasto Græcia tracta salo est.

Paul-

vide apophthegma ejus qui jacturam fecerat, & in litore placidum mare spectabat: *Tu*, inquit, *iterum merces postulat; sed alium tibi quærito*. Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 10.

Nam simul insidiis hominum, pelagique laboro.

vide ad Eleg. 5. sup. *Quid flamine captet Eurus*. *Insidians*, dolum struens. aliàs legitur, *Insidiae*. forte, ut *damnas*, pro, damnatus. PASS. *Natura*. Legendum *Fortuna*. Natura, optima omnium parens, insidias avaritiæ mortalium struere non potest: neque arbitrium maris est penes illam, sed penes Fortunam, quam *dominam æquoris* vocat Horatius Ode 35. lib. 1. -------- Porro *insidiae* est in libro Groningano; non *insidians*; Modio pridem monitum Novant. Epist. 18. neque aliter habebant Palatinæ Gebhardi membranæ, & editio Beroaldi. quam elegantem lectionem omnino amplecti debemus. *Insidiae maris* tribuerunt Lucretius, & Valerius Flaccus. elegans est Nostri adpositio, qua *pontum* vocat *insidiae avaris sublatas*. Ita Virgilius L. 10. Æn. *Jam quærit sidera, opaca Noctis iter*. Et Valerius Flaccus L. 1. Argon. v. 23. *Pelios gravis & longus populis metus*. BROUKH. Maris tranquillitate homines allecti navigare cœperunt; at illos paullo post cœpti & inventi sui pœnituit. Lucretius lib. 5. describens antiquissima mundi tempora:

Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.

Quamobrem apud Virgilium legas: *Aura vela vocant; lenis crepitans vocat Auster in altum*; & pleraque hujusmodi verba insidiarum. sic & M. Tullius in Lucullo prope finem: *Non solum nauta significat, sed etiam Favonius ipse insusurrat, navigandi tempus esse*. Huc facit locus Maximi Tyrii Differt. 31. Ἐγὼ δὲ ἐν θαλάττῃ ἀπιστῶ, κἂν νήνεμος ᾖ, κἂν γαλήνην ἴδω· ὑποπτεύω γὰρ αὐτῆς τὴν ἡσυχίαν. Et alter Ludovici Areosti Cantu 22. R. F.

Un ventolin, che leggermente all' orza
Ferendo, avea adescato il legno all' onda,
A poco a poco cresce, e si rinforza,
Poi vien sì, ch' al nocchier ne soprabbonda.

Cæli etiam insidiæ ac fraudes occurrunt apud Maronem, 1. Georg. v. 425.

Nunquam te crastina fallet
Hora, neque insidiis noctis capiere serenæ.

& Æneid. 5. v. 851. *Cæli toties deceptus fraude sereni*. VULP.

v. 38. UT TIBI SUCCEDAT, VIX SEMEL ESSE POTEST] Pro, vix potest tibi semel succedere. Sic Horatius Ode 1. lib. 3. *Est, ut viro vir latius ordinet Arbusta sulcis*. & Epist. 12. lib. 1. *Non est, ut copia major Ab Jove donari possit*. Græci quoque: ἔστιν ὡς, & ἔστιν ὅπως. *Succedat*, prospere eveniat. nempe, ut ex animi sententia naviges. vide ad Eleg. 13. lib. 1. v. 27. PASS.

v. 39. SAXA TRIUMPHALES FREGERE CAPHAREA PUPPES] Horatius explicat hanc fabulam Epodo 10. *Quietiore nec feratur æquore, Quam Graja victorum manus, Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio In impiam Ajacis ratem*. Pacuvius in Dulorestе apud Priscianum in Plecto: *Pater Achivos in Caphareis saxis pleros perdidit*. *Puppes triumphales*, classem victricem. ex eo quod sequitur, id quod præcedit. Sic quod Ovidius dixit lib. 2. Amor. Eleg. 12.

Ite triumphales circum mea tempora lauri;

Tibullus Eleg. 7. lib. 1. *Te victrices lauros, Messala, gerentem*. PASS. *Saxa Capharea*. vide Servium in L. 11. Æn. v. 260. Senecam Agam. v. 554. BROUKH. Vide Indicem nostrum Propertianum, verbo *Caphareus*, & verbo *Nauplius*. VULP.

v. 40. NAUFRAGA QUUM VASTO GRÆCIA TRACTA SALO EST] Græcia ὑπερβολικῶς & μετωνυμικῶς, pro Græcis ipsis fere omnibus. ut Eleg. 6. lib. 2.

Ad cujus jacuit Græcia tota fores.

item Eleg. 1. lib. 4.

Et natat exuviis Græcia pressa suis.

Naufraga, παθητικῶς, ut solet. Tibullus ἐνεργητικῶς Eleg. 4. lib. 2.

Naufraga quam vasti tunderet unda maris.

Tracta, pro distracta, disjecta, dissipata. ut Eleg. 8. lib. 2.

Viderat ille fuga tractos in litore Achivos.

nempe distractos & palantes. Sic Eleg. 1. lib. 4. *Græcia pressa*, pro depressa. *Vasto salo*; & immenso & sævo mari. Virgilius 3.

Æneid.

Paullatim sociûm jacturam flevit Ulixes,
In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea:

Vi-

Æneid. *Vastumque cava trabe currimus æquor.* id est, magnum, inquit Nonius. Idem exponit, desertum, incultum, horreus, asperum & ingens. Festus: *Vastum; magnum, vel inane.* Servius ad illud 3. Æneid.

Terra procul vastis colitur Mavortia campis.

aut vastatis, aut magnis exponit. PASS.

v. 41. PAULLATIM SOCIÛM JACTURAM FLEVIT ULIXES] Luxit socios amissos sensim & quasi gradatim, quia eos non simul amisit, sed alios aliis temporibus & periculis; ut apud Cyclopem, & ob Solis boves apud Læstrigonas, apud Circen, & Lotophagos. *τὸ paullatim*, non solum cum *flevit*, sed etiam cum *jacturam* cohæret. an *paullatim*, cito, ut parumper? vide Eleg. 12. infra: ubi Ulixis mala colligit. *Jacturam sociûm;* hic proprie de rebus & corporibus amissis in mari. Sallustius, aut quis alius, Oratione posteriore de Rep. ordinanda: *L. Postumius & M. Favonius mihi videntur quasi magnæ navis supervacanea onera esse: ubi salvi pervenere, usui sunt: si quid adversi coortum est, de illis potissimum jactura fit, quia pretii minimi sunt.* Jacturam tribus locis describit Juvenalis Sat. 12. De ea vide plura ad Eleg. 32. lib. 2. v. 21. *Sociûm*, pro, sociorum; ut equûm, virûm, fabrûm, nummûm, &c. de quibus Cicero in Oratore. Virgilius 5. Æneid.

Oblitus decorisque sui, sociûmque salutis.
PASS.

Flevit Ulysses. In quinquo libris est *flebat;* duo alii habent *Ulixes*, prisca & proba scriptura. BROUKH.

v. 42. IN MARE CUI SOLI NON VALUERE DOLI] An *soli*, pro insoliti; ut Afranius bis *insolum* dixit, pro insolitum, apud Nonium? sed syllaba contumax repugnat. Melius ergo veteres libri, *Soliti*, & Lipsius e conjectura L. 2. Antiqu. Lect. cap. 10. id est assuetæ artes, & fraudes Ulixis. Auratus & Muretus legunt *solum*. *In mare non valuere*, adversus Neptunum sibi infensum nihil profuere; quia malus in improbum, & Cretensis in Cretensem inciderat. De maris perfidia dictum supra. *Valere in mare*, ut Elegia 7. lib. 4.

In scelus hoc animum non valuisse suum.

De Ulixe Cicero 3. de Orat. *Mare Tuscum, in quo ipse quoque Ulixes errasset.* scilicet qui πολύτροπος Homero, *duplex* Horatio. unde *Ulixes* pro versuto. Plautus Pseud. *Visa quid rerum meus Ulixes egerit.* PASS. *Doli*. Homerus lib. 3. Iliad. v. 302. de ipso:

Εἰδὼς παντοίους τε δόλους, καὶ μήδεα πυκνά.

Ulixes legitur etiam in editione omnium principe. VULP.

v. 43. QUOD SI CONTENTUS PATRIO BOVE VERTERET AGROS] διλογία. *Contentus bove*, & *bove verteret*. ut Eleg. 3. supra:

Contentus niveis semper vectabere cycnis.

scilicet, *Contentus cycnis*, & *vectabere cycnis*. *Patrio bove*, suo atque hereditario, non conducto, ut ille apud Virgilium 12. Æneid. *Conductaque pater tellure serebat.* Contra Horatius Epodo 2. *Paterna rura bobus exercet suis.* *Vertere agros*, arare. Virgilius initio 1. Georg. *Terram vertere.* Sed & qui terram occat, versat. unde Vetus Glossarium, *Occo*, βωλοστροφῶ. PASS.

v. 44. VERBAQUE DUXISSET PONDUS HABERE MEA] Existimasset, monita mea gravia esse ac fide digna. Cicero lib. 15. ad Famil. Epist. 4. *Verborum Catonis pondera.* vide adnotata ad Eleg. 25. lib. 2. v. 22. *Ducere*, pro existimare. Nonius in *Ducere*. Cicero ubique. PASS. *Verbaque d. pondus habere m.* M. Tullius lib. 2. de Orat. *Omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum.* *Pondus habere*. Noster Elegia 7. lib. 4.

Nec tu sperne piis venientia somnia portis:
Quum pia venerunt somnia, pondus habent. VULP.

v. 45.

Viveret ante suos dulcis conviva penates,
  Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit hic Pætus stridorem audire procellæ,
  Et duro teneras lædere fune manus.

Sed

v. 45. VIVERET ANTE SUOS DULCIS CONVIVA PENATES] Viveret, qui nunc mortuus. Ovidius 13. Metam.

Viveret, aut certe lætum sine crimine haberet,

vel *viveret*, lætus ageret. Catullus Carm. 5. *Vivamus, mea Lesbia*. Martialis alicubi:

Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

Ante penates, quia ante focum sacrum Penatibus cœnabant, maxime hiberno tempore. Virgilius Ecl. 5.

Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,

Varro lib. 1. de Vita Pop. Rom. apud Nonium in *Cortes*: *Ad focum hieme, ac frigoribus cœnitabant: æstivo tempore in propatulo*. Ovidius 6. Fast.

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat, & mensæ credere adesse deos.

Dulcis conviva, vel commodus & suavis, ut referatur ad mores, quia convivia decet hilaritas & suavitas: vel *dulcis conviva*, qui dulcibus epulis vescitur. Eleg. 10. infra:

Dulciaque ingratos adimant convivia somnos.
PASS.

v. 46. PAUPER, AT IN TERRA, NIL UBI FLERE POTEST] Pauperem dixit, ut qui mercaturis rem non quæreret. sic pauperem vocat, cui tamen & pecus & fines. Eleg. 19. lib. 2.

Et pecus, & fines pauperis agricolæ.

τὸ at, est in vet. lib. Mem. & Corb. & Palmer. quomodo etiam legisse Beroaldus videtur, quia sic exponit: Pauper quidem, sed citra periculum & fletum. vulgo legitur *&*. *Flere nil*, ut Elegia 12. infra:

Neve aliquid de te flendum referatur in urna.

In terra, loco tuto, comparatione maris. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Et, Felix, dicas, quem sua terra tenet.

Potest, enallage temporis ac modorum, pro posset; quia respondet verbo, *viveret*. PASS. *Et in terra, nil ubi flere potest*. Regii & Colbertini habent, *at interea*; & *nisi* pro *ubi*. sæpe in his verbis ita peccant libri scripti. v. Heinsius ad Valer. Flacc. I. 452. p. 208. quo modo & codices Gebhardi. BROUKH. *Nil ubi flere potest*. Ubi licebat illi securo atque otioso degere, caussis doloris & lacrimarum procul amotis. *Potest*, pro *patuit*, more poetarum: nisi legendum *pote*, & subaudiendum *fuit*. Naufragi flere solent, hoc est flendo cupere propinquorum & amicorum carissimos; & honorem sepulcri desiderare. Graphice Ovidius lib. 11. Metam.

Non tenet hic lacrimas: stupet hic, vocat ille beatos,
Funera quos maneant: hic votis numen adorat,
Brachiaque ad cælum, quod non videt, irrita tendens
Poscit opem: subeunt illi fratresque parensque:
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique relictum est.
Halcyone Ceyca movet, Ceycis in ore
Nulla nisi Halcyone est.

& lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Est aliquid fatove suo, ferrove cadentem
In solida moriens ponere corpus humo:
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulcrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Unice hanc sententiam explicat Alciphron Epist. 3. *Χρηστὸν*, ait, *ἡ γῆ καὶ ἡ βῶλος ἀκίνδυνον. οὐ μάτην γοῦν ἀνησιδώραν ταύτην ὀνομάζουσιν Ἀθηναῖοι ἀνιεῖσαν δῶρα δι' ὧν ἔστι ζῆν καὶ σώζεσθαι· χαλεπὸν ἡ θάλαττα, καὶ ἡ ναυτιλία ῥιψοκίνδυνον*. h. e. *Bona est terra, & gleba expers periculi. Proinde non temere anesidoram eam vocant Athenienses, quod summittat dona, per quæ datur vivere, & salutem tueri. Damnosum est mare, & navigatio res in periculo præceps.* Ego vero suspicor, hunc Propertii locum non esse sanum; durior enim locutio & frigidior mihi videtur, *nil ubi flere potest*. VULP.

v. 47. NON TULIT HIC PÆTUS STRIDOREM AUDIRE PROCELLÆ, ET DURO TENERAS LÆDERE FUNE MANUS] Incipit poeta misera-

ratio-

* * *

Sed thyïæ thalamo aut Oriciæ terebinthi
Effultum pluma versicolore caput.

Huic

rationem movere a molli vita & delicata quam domi vixerat adolescens Pætus, antequam animum ad navigandum appulisset. quasi diceret: Is qui modo in pluma & rosa ætatem agebat, laborum omnium & periculorum inscius, nunc subita commutatione fortunæ mala ultima perpeti coactus est. Hæc minus perceperunt interpretes: quapropter corruperunt locum, & Ulixi perperam aptaverunt. VULP. *Non tulit*. Cicero 3. de Orat. *Non tulit Philippus, & graviter exarsit*. Noster Eleg. 8. lib. 1. *Assiduas non tulit illa preces*. & eadem Elegia:

Tunc audire potes vesani murmura ponti?

Hic, tunc. vet. lib. *Hinc*. Scaliger legit ex conjectura, *Non tulit huic pectus*. & de Ulixe exponit. *Stridorem procellæ*. Virgilius 1. Æneid. *Stridens Aquilone procella*. Idem *Sibilum Austri* dixit, Pacuvius autem *Rudentisibilum*. *Duro fune*, aspero rudente. supra hac Elegia:

Omnia detrito vincula fune cadunt.

Lædere, corrumpere, ut Eleg. 15. infra: *Corrumpit duro catena manus*. Solent autem etiam vectores arma nautica tractare. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Ipsa tuâ moveas turgida vela manu.

Juvenalis Sat. 6. de matrona mœchum secuta per mare: *Duros gaudet tractare rudentes*. PASS. *Hic Pætus*. *Hic*, pronomen demonstrativum, quod hoc loco inservit miserationi. Tibullus pariter Eleg. 8. lib. 1.

Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes. VULP.

* * * Videntur nonnulla deesse: nam quæ sequuntur, cum superioribus non cohærent. VULP.

v. 49. SED THYIÆ THALAMO, AUT ORICIÆ TEREBINTHI] Lecto pretioso ex thyïæ arboris ligno, quam eamdem volunt esse cum citro. De ea Plinius lib. 13. H. N. cap. 15. & 16. & de usu ejus in supellectile. Homerus θύον vocat. *Thalamus* & cubiculum & cubile. hic cubile, ut Eleg. 15. lib. 2. v. 14. *Oriciæ terebinthi*, Epeiroticæ; nam Oricos portus & oppidum Epeiri. de quo dictum ad Elegiam 8. lib. 1. v. 20. Meminit Horatius Ode 7. lib. 3. & Cæsar 3. de Bello Civili. Servius in illud 10. Æneid.

Inclusum buxo, aut Oricia terebintho,

Oricos, inquit, civitas est Epeiri, juxta quam nascitur terebinthus, nigrum lignum, habens folia in buxi speciem. τερμινθὸς Græcis dicitur. Latini ergo pro τερμινθὸς sive τερέμινθος, dixere *terebinthus*. Plinius lib. 13. H. N. cap. 6. materiem eam laudat, ut eximii nigerrimique splendoris, & fidelem ad vetustatem. Meminit & lib. 16. cap. 43. Hiat autem versus, ut ille Virgilianus, *Inclusum buxo*, quem protuli. vide hac Eleg. v. 29. PASS. *Sed thyïa thalamo*. libri fere, *Sed chio calamo*. male. de arbore *Thyïa* deque operum ex ea pretio, videndus Plinius L. 13. C. 16. qui an recte reprehendatur a Joanne Goropio, in Vertumno, dispiciant harum rerum peritiores. *Oriciæ terebinthi*. de hujusmodi lectis v. Salmasius ad Solin. p. 417. BROUKH.

v. 50. EFFULTUM PLUMA VERSICOLORE CAPUT] Sive legas *Est fultum*, sive *Effultum*, eadem est sententia. *Fultum* masculino genere; dicitur enim: *Fultus caput*. Ovidius 6. Fast.

Sicut erat, positum cæspite fulta caput.

Virgilius Ecl. 6.

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Fultus caput pluma, cujus caput in pluma reclinatum est, eique incumbit. vide Appulejum lib. 10. A. A. de pulvillis tumentibus pluma, quibus fultum caput. Turnebus lib. 20. Adverſ. cap. 1. citat hunc versum, ut illud Persii exponat e Sat. 5. *Tibi torta cannabe fulto Cœna sit in transtro?* id est, sedenti super rudentes. Item adfert e Plauti Sticho 1, 2. *Mane pulvinum. A. Bene procuras; satis hic fultum est mihi*. Pluma versicolore. Insanus luxus, quasi culcitra plumea delicatior & mollior fiat colore ipso. Lampridius in Heliogabalo: *Nec cubuit in accubitis facile, nisi in iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares, sæpe culcitras mutans*. unde versicolorem plumam, perdicum hic Beroal-

dus

Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues,
Et niger invitam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
Pætus ut occideret, tot coïere mala.

Fleus

dus exponit. & saue id confirmari videtur Eleg. 13. infra:

Aut variam pluma versicoloris avem.

Sic Cicero in Lucullo: *Pluma versicolores columbis*. Versicolor vestia, *de changeant, ou de plurieurs coleure*. vide L. 70. §. *versicoloribus*, & L. 78. §. *coccum*. *de Legat*. 3. & L. 32. §. *Titio*. *de aura & arg. leg.* Baifiua. Veste hujusmodi uti prohibitæ mulieres lege Oppia. Dicitur autem & versicolor & versicolorius; unde versicoloria vestis, & versicoloria lana apud Jurisconsultos. Contra Ovidius 11. Metam.

At medio torus est hebeuo sublimis in autro
Plumeus unicolor. PASS.

Quam syntaxin huic versui accommodet Passeratius, vix percipias. Broukhusius legit *Effulto*. Rea obscura & impedita. VULP.

v. 51. HUIC FLUCTUS VIVO RADICITUS ABSTULIT UNGUES] Palmeriua & Auratus legunt, *vivos*, quia sic & Horatius Sat. 10. lib. 1. Ego, *vivo*, expono, sentienti & videnti; ut Q. Cicero de Petitione Consulatua: *Vivo stanti collum dextra sua secuerit*. Au *vivo radicitus*, id est, penitus ad vivum? Significat, tabulam tenenti firmiter, cui inhæserat, ungues ablatos. naufragi enim ea firmissime tenent quæ semel arripuere. Scaliger ad hunc locum adfert absurda, & aliena a mente Propertii. PASS. Respicere videtur ad Ulixen Homericum, qui lib. 5. Odysseæ v. 434. dum fluctu jactaretur, saxa prendere cupiens, male multatus est:

Ὣς τῶ πρὸς πέτρῃσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν
Ῥινοὶ ἀπέδρυφθεν, τὸν δὲ μέγα κῦμα κάλυψεν.

Sic hujus ad saxo fortibus a manibus
Cutis lacerata erat, eumque ingens fluctus obtexit,

Et Virgilius 6. Æneid. Palinurum periisse canit *Prensantem uncis manibus capita aspera montis*. Non solum autem homini naufrago ungues evelluntur, sed aliquando etiam bovi natanti, si Longum audimus lib. 1. ποιμενικῶν· Οὐδ' ἂν, inquit, ἀπόλοιτο βοῦς νηχόμενος, εἰ μὴ τοῦ χηλῶν οἱ ὄνυχες περιπέσοιεν διάβροχοι γινόμενοι. *Neque facile bos natando perierit, nisi ungulæ aquis maceratæ deciderint*. VULP.

v. 52. ET MISER INVISAM TRAXIT HIATUS AQUAM] Palmeriua, & Lipsius lib. 2. Antiqu. Lect. cap. 10. legunt *niger*, ut μέλαν κῦμα. sed fallitur uterque. Vet. lib. & liber Scaligeri, *Invitam*; unde lego:

Et miseré vitam traxit hiatus aquæ.

ut Virgilius 1. Æneid. *Unda dehiscens*. Propertius infra sui est interpres:

Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus.

nempe *hiatus aquæ*. *Traxit*; ut Eleg. 20. lib. 1.

Prolapsum facili leviter traxere liquore.

Miseri vitam, ut Cato: *Vita deûm immortalium!* pro, dii immortales! ubi Statilius Maximua: Ἐκφώνησις, inquit, ἀρχαϊκά, ὡς ὦ πόποι. Hæc Charisius lib. 2. Noster infra: *Miseros primæ lanuginis annos*. Si *invisam* legimus, aquam significabit quam Pætus horrebat. PASS. Bene Lipsius, *niger*. hac ipsa Elegia:

Quum moribundo niger clauderet ora liquor.

Invitam, Palmerius, & Scaligeri liber, itemque Borrichianus. & recte: nam ne ipsa quidem aqua exitium Pæto festinabat. BROUKH. Legendum existimo:

Et miseri invitam traxit hiatus aquam.

Concurrebat scilicet geminum *i*: facile propterea fuit alterum exteri. VULP.

v. 53. HUNC PARVO FERRI VIDIT NOX IMPROBA LIGNO] Scaliger de Ulixe exponit, qui tandem enatarit, quum Pætua non potuerit. *Nox improba*, sæva & crudelis; ut *Amor improbus* Eleg. 1. lib. 1. & *Improba hiems* apud Ovidium Eleg. 10. lib. 1. Trist. *Vidit*, ut dea, licet in tenebris. Sic Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos.

& Cicero 3. Philipp. *Quis hoc non videt, quod ipsa Fortuna, quæ dicitur cæca, vidit?* *Nox* Eleg. 20. infra dicitur *siderea*, & *sidera sunt oculi mundi*. [vide Catullum

Carm.

Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor:
Dii maris, Ægei quos sunt penes æquora, Venti,
Et quæcumque meum degravat unda caput:

Quo

Carm. 5.] *Ferri*, agi fluctibus. Eleg. 26. lib. 2.

Me licet unda ferat, te modo terra tegat.

Parvo ligno. exigua tabula & navis fragmine, ut solent naufragi. Ovidius 11. Metam.

Alii partes & trunca carinæ
Membra tenent: tenet ipse manu, qua sceptra solebat,
Fragmina naufragii Ceyx.

& in Ibin:

Quumque ego quassa mea complectar membra carinæ,
Naufragii tabulas pugnat habere mei.

Scaliger putat, parvum lignum esse σχεδίην Homero. *celauticam* vertit Ausonius. Fallitur Scaliger. PASS.

v. 54. PÆTUS UT OCCIDERET, TOT COÏERE MALA] *Tot*, pro, multa; scilicet tenebræ, procellæ, fulgura, scopuli, montes undarum. sic Eleg. 2. supra:

Carmina erunt formæ tot monimenta tuæ.

Coïere, convenere in unum, & conspiravere in Pæti perniciem. *Coïre cum furibus*, dixit Ulpianus I. C. D. *Nautæ, caup. stab.* unde *coïtio hominum* Ciceroni pro Plancio, & de Harusp. Resp. & *cœtus* Orat. 1. in Catil. PASS. *Tot coïere mala*. his malis annumerari debet & parvum lignum, scilicet navicula, quam superius *alveum* appellavit. Proverbium vetus est:

Lauda equidem navim parvam, magnæ infere merces.

Catullus Carm. 25.

Et insolenter æstues, velut minuta magno
Deprensa navis in mari, vesaniente vento.

VULP.

v. 55. FLENS TAMEN EXTREMIS DEDIT HÆC MANDATA QUERELIS] Id est, quamvis fleret, tamen hæc mandavit; dixitque novissima verba. Sic Virgilius Ecl. 10.

Tristis at ille, tamen, Cantabitis Arcades, inquit.

vide adnotata ad Eleg. ult. lib. 2. v. 50. *Extremis querelis*, post quas nihil questus est, quia submersus. Catullus Carm. 63.

Hæc extremis mæstam dixisse querelis. Mandare autem seu *mandata dare* solent morientes, ut discedentes a nobis, idque testamento. Ovidius 5. Fast.

Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus.

Virgilius 6. Æneid. *Idem orant mandata dabat*. PASS. *Tamen*. Occidit quidem Pætus in mari submersus; antequam tamen occideret, hæc multis cum lacrimis questus est, ac mandavit. *Dedit mandata*. Tibullus pariter Eleg. 3. lib. 1. *Quum jam mandata dedissem*. Sed hic mandata videntur esse vota & preces. Ovidius lib. 2. Metam.

Inter utrumque tene. Fortunæ cetera mando. VULP.

v. 56. QUUM MORIBUNDA NIGER CLAUDERET ORA LIQUOR] *Liquor niger*. Horatius Ode 27. lib. 3. *Æquoris nigri fremitum*. Græcis ita μέλαν κῦμα, & μέλαν ὕδωρ. Homerus Iliad. π. Κρήνη μελάνυδρος, βαθεῖα, σκοτεινή. *Clauderet ora*. Ulterius loqui vetaret. Ovidius lib. 2. A. A. de Icaro in mare lapso:

Clauserunt virides ora loquentis aquæ.

Moribunda ora, morti proxima. De hujusmodi nominibus in *bundus* vide A. Gellium lib. 11. cap. 15. Virgilius 5. Æneid. *Fulva moribundum extendit arena*. Verum 6. Æneid. *moribunda membra*, sunt morti obnoxia, & semper quasi morientia. PASS.

v. 57. DII MARIS, ÆGEI QUOS SUNT PENES ÆQUORA, VENTI] Sic Virgilius 5. Æneid. *Dii quibus imperium pelagi*. Est autem anastrophe, ut apud Horatium ad Pisones: *Quem penes arbitrium est*. Festus in *Apud*: *Apud, personam cum loco significat: penes, dominium ac potestatem, & trahitur a penitus*. Idem Jurisconsulti tradunt L. 63. *de Verb. Sign.* Imperium maris penes ventos est. ideo sup. hac Elegia: *Ventorum est quodcumque paras*. Tibullus Eleg. 9. lib. 1. dixit *freta ventis parentia*. Virgilius & Horatius tempestatibus, id est, ventis, ut diis, agnam immolant. Vetus Poeta apud Ciceronem 5. Tusc. *Te, Apollo sancte, fer opem,*

Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Adtulimus longas in freta vestra manus.

Ah

opem, teque omnipotens Neptune invoco, Vosque adeo venti. Virgilius 5. Æneid., *Ventosque in vota vocavit. Ægei maris dii*, quasi aliis aquis alii præsint. Sic Horatius, *Notus arbiter Hadriæ & dux.* De mari Ægeo dictum ad Eleg. 6. lib. 1. v. 2. PASS. Scaligeri Editio,

Dii maris, Ægei quos sunt penes æquora ponti;

quod nescio unde in eam irrepserit: nam omnes antiquiores, etiam omnes scripti, magno consensu habent *venti*. quod non erat loco movendum, quum & venti quoque putarentur dii, & aras suas haberent, & votis damnarent. Seneca L. 5. Natur. Quæst. C. 17. *Divus Augustus templum illi [Circio vento] quum in Gallia moraretur, & vovit & fecit.* -- In lapida antiquo apud Reinesium p. 186, a naviculario mercatore, post confectam ventis secundis navigationem, colitur Orithyïa quoque, ut Aquilonis Thracii conjux. ------- Præterea Ægeum pontum numquam puto dixisset Noster. neque ita solent Romani. Virgilius dixit *alto Ægeo*, Horatius *patenti Ægeo*. neque alia ratio *Ionii*. Virgilii est & Catulli, *Ionii fluctus, Ionium magnum*; Ovidii, *Ionium immensum*; Papinii, *Ionium ingens*. Idem Papinius 1. Achill. *Video jam mille carinis Ionium Ægeumque premi.* Claudianus vero Præfat. in Rapt. Proserp.

Jam vagus irrupit pelago, cælumque secutus
Ægeas hiemes, Ioniumque domat. BROUKH.

v. 58. ET QUÆCUMQUE MEUM DEGRAVAT UNDA CAPUT] Sic Eleg. ult. lib. 4.

Et quæcumque meos implicat unda pedes.

Degravat caput. quod Ovidius 11. Metam. *Rupta mersum caput obruit unda.* Livius lib. 4. *Etiam peritos nandi lassitudo & vulnera & pavor degravant.* Ovidius 4. Fast.

Hæc gremium, laxos degravat (floribus) illa sinus.

Noster Eleg. 26. lib. 2. dixit:

Nec jam humore graves tollere posse comas.
PASS.

v. 59. QUO RAPITIS MISEROS PRIMÆ LANUGINIS ANNOS?] Scilicet, an in profundum, & in loca ignota & invisa? Horatius Ode 25. lib. 3. *Quo me, Bacche, rapis?* Idem Epist. 1. lib. 1.

Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.

Miseros primæ lanuginis annos. id est, me juvenem miserum. ut Eleg. 6. lib. 1. *Tua ætas*, pro, tu. παῖδος ab ætate, quæ infelix, quum felix esse in aliis soleat. ut contra, *Mala ætas*, senectus. Supra dixit, *Primo miser excidit ævo. Anni lanuginis primæ*; pilare incipientes, sive pilos emittere: Afranius & Novius apud Nonium. Virgilius 10. Æneid. *Flaventem prima lanugine malas.* Pacuvius apud Festum in *Genæ*:

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

γενειὰς dicitur Theocrito in Pharmac. unde γενειάσκω, pubesco. Vide Macrobium in Somnium Scipionis de barbæ initio, & Censorinum de Die Natali. Suetonius in Othone cap. 12. *Id instituisse a prima lanugine, ne umquam barbatus esset*, & in Nerone cap. 34. lanuginem a propinquis solitam excipi, ait. PASS.

v. 60. ATTULIMUS LONGAS IN FRETA VESTRA MANUS] Id est, venimus cum longis manibus. ut Eleg. 6. lib. 4.

Non illa attulerat crines in colla solutos.

Laberius apud Macrobium: *Quid in scenam affero? Decorem formæ, an dignitatem corporis?* Cicero pro Quintio: *Afferre gratiam in judicium. Longas manus*, formosas explicant, ut Eleg. 2. lib. 2. *Fulva coma est, longæque manus*, ubi notatum. Aliter Ovidius Epist. Helenæ:

An nescis longas regibus esse manus?

Sed altera lectio placet, *A. longas i. f. v. moras.* nempe, diu cunctati sumus, nec navigare statim voluimus, & longum morati sumus. Sic Eleg. 9. infra:

Tuta sub exiguo flumine nostra mora.

Id est, nos qui moramur. Sententia fuerit: Quum vos reveriti simus morando, parcite. Scaliger priorem lectionem retinet, & exponit. quem vide. P. Borrichianus, *in freta longa*: Regii & Colbertini, *in freta vasta*, quorum neutrum videtur admittendum, quum nihil ad rem faciat. BROUKH. *Longas manus, Perjurio non debilitatas*, inquit Scaliger, & ad hanc

expli-

Ah miser, alcyonum ſcopulis adfigar acutis.
In me cæruleo fuſcina ſumta deo eſt.

At

explicationem tuendam trahit vel invitos quoſdam Horatii verſus ex Ode 8. lib. 2. ad Juliam Barinen. *Integras ponllo ante, morque manilotos fluctuum colliſione*, ait Douza pater. Quorum neutri ſuffragari poſſum; nam utraque explicatio longius petita videtur quam manus ipſæ longæ fuerint. Ego vero hanc exiſtimo fuiſſe mentem Propertii: Parcite dii maris; non enim ſacrificia veſtra neglexi anteqnam oram ſolverem, immo pelagus intravi ſupplicibus palmis & ad vos protentis. Solebant veteres quum diis ſupplicarent, ἀνατείνειν τὰς χεῖρας, ut innuit Pollux Onomaſtici lib. 1. cap. 1. Ariſtoteles etiam alicubi: Πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι. Homerus pariter Iliad. 1. v. 351. de Achille Thetidi matri ſupplicante:

Πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς.

& Orpheus in Argonauticis v. 329.

Δὴ τότ' ἐγὼ πρὸς χεῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
Χεῖρας ἐπαντείνας, τὰ δ' ἀπὸ γλώσσης ἀγόρευσα.
Ὠκεανοῦ μεδέοντες, &c.

hoc eſt: *Tunc ego ad fluxum multum reſonantis maris Manus protendens, hæc linguâ ſum locutus: Dii qui Oceano imperatis*, &c. Hic ſane Orphei locus Propertio noſtro facem unice accendit. Addendus Auctor Arimaſpiorum (quem Ariſteam vel Ariſtæum Proconneſium fuiſſe tradunt Herodotus lib. 4. & Strabo lib. 1.) apud Longinum de Sublimi Sect. 10. in deſcriptinne tempeſtatis:

Ἦ που πολλὰ θεοῖσι φίλας ἀνὰ χεῖρας ἔχοντες
Εὔχονται σπλάγχνοισι κακῶς ἀναβαλλομένοισι.
Sæpe ſupinatas tendunt ad ſidera palmas
Inceſſum, votiſque obſtant ardentibus exta.

Quod recte interpretatur Boileavius:

Et les bras étendus, les entrailles émûës,
Ils font ſouvent aux Dieux des prières perduës.

Græcos imitantur Latini. Catullus Carm. 65. *Quam multis illa deorum, Levia protendens brachia, pollicita eſt*. Horatius Ode 23. lib. 3. *Cælo ſupinas ſi tuleris manus Naſcente Luna, ruſtica Phidile*. Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Tu modo cum multa brachia tende prece.

Quid, quod *longa manus* interdum uſurpatur pro extenſa & porrecta? Martialis Epigr. 20. lib. 7. de ſordido quodam conviva: *Colligere longâ turpe nec putat dextrâ Analecta, quidquid & canes reliquerunt*. Non dubito, quin cordatis viris hæc interpretatio noſtra, ut maxime ſimplex, arriſura ſit. Adſtipulatur Ovidius, qui Epiſt. Ariadnæ prope finem ita deſcribit nobis miſerabilem ſupplicis geſtum:

Has tibi, plangendo lugubria pectora laſſas,
Infelix tendo trans freta longa manus.

Quid, ſi habuit ante oculos verſum Propertii, dum hæc litteris mandaret? audis enim & *freta*, & *longa*, & *manus*, & pares numeros. Locum a nemine adhuc explicatum, pace veterum interpretum, ſatis feliciter me primum expoſuiſſe opinor. VULP.

v. 61. AH MISER, ALCYONUM SCOPULIS ADFIGAR ACUTIS] Impingam in ſcopulos, ubi nidificant alcyones, ibique hærebo confixus. De iis Ovidius 11. Metam.

Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis.

unde *pendentibus* niſi e ſcopulis? *Affigi ſcopulis*, dictum ut a Virgilio 1. Æneid. *Scopuloque infixit acuto*. ubi etiam legitur *inflixit*, ut hic, *affligar*. PASS. Variant libri. Borrichianus, *affligat*. noſter primus, *ego figar*: alter, *affligar*. Regii, *affligar*. Colbertini, cum Groningano, *affigar*. Codex Palat. Gebhardi, *infigar*. Douzæ F. ac Gebhardi editiones retinuerunt *affligar*. quod tamen verbum eſt nihili hoc quidem loco: qui poſtulat *infigar*, vel *adfigar*. Ti. Donatus in L. 1. Æn. *Hic etiam illud intelligi poteſt, idcirco eum infixum ſcopulo, ne delatus fortaſſis ad litus ſepulturæ ſaltem beneficium reperiret*. nempe hoc ipſum erat, quod metuebat Pætus noſter. BROUKH.

v. 62. IN ME CÆRULEO FUSCINA SUMTA DEO EST] Pro, a deo cæruleo. Neptunus ab Ovidio 1. Metam. vocatur *Cæruleus frater* (Jovis); & *Cæruleus rex* lib. 1. Triſt. Eleg. 2. Sic Noſter Eleg. 26. lib. 2. *Cærula Cymothoë*, a fluctibus maris cæruleis. *Sumta eſt*; hic ſignificat minantem, ut in Amphitr. Plauti, *Si ego fuſtem ſumſero*. Virgilius 2. Georg.

Et gens illa quidem ſumtis non tarda pharetris.

At ſaltem Italiæ regionibus evehat æſtus.
Hoc de me, ſat erit, ſi modo matris erit.
Subtrahit hæc ſantem torta vertigine fluctus:
Ultima quæ Pæto voxque dieſque fuit.

O cen-

Fuſcina, τρίαινα, tridens Neptuni & Tritonis, qua uterque ſævit & commovet mare. Cicero 1. de Nat. Deor. *Dans Deo clypeum, haſtam, fuſcinam, fulmen*. In Priapejis: *Neptuni fuſcina telum*. Attius:

Aut forte Triton fuſcinâ evertens ſpecus.

Piſcatores fuſcina configunt anguillas cœno merſas, & extrahunt. Palæphatus ob triplicem vim aquæ, ait tridentem Neptuno dari; quod liquida, quod fecunda, quod apta potioni. Vetus Gloſſarium: *Fuſcina*, τριόδυς. PASS. *In me e. fuſcina ſumta d. e.* nimirum, qua me infigat ſcopulis, ut ſepulcri honore caream. VULP.

v. 63. AT SALTEM ITALIÆ REGIONIBUS EVEHAT ÆSTUS] Ita Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 3.

Ut ſaltem patria contumularer humo.

Donatus in Adelphos: *Saltem*, τὸ ἔσχατον, *natumque a captivis, qui nihil aliud præter ſalutem a victore petunt*. Idem in Andriam: *Deſperatis rebus ſolam petentes ſalutem hoc verbo utimur*. Virgilius 4. Æneid. *Extremam hanc oro veniam*. Hic tamen non eſt ſalutem & vitam, ſed ſepulturam petentis. Eadem fere Servius in 4. Æneid. & A. Gellius lib. 12. cap. 14. qui ex Nigidio alteram notationem verbi adfert; *ſaltem* dictum, pro, ſi aliter fieri non poteſt. & tamen neutram etymologiam valde probat. *Æſtus, eſt & Solis & aëris fervor. Item marini impetus & commotiones*: Nonius. Iſidorus lib. 13. cap. 18. *Æſtus eſt quum mare accedit, vel recedit*. Feſtus: *Æſtuaria, qua mare tum accedit, tum recedit*. Plautus Aſinar. *Quam magis te in altum capeſſis, æſtus te in portum refert*. ubi *refert æſtus*, ut hic *evehat*. *Æſtus* itaque fervor maris, tempeſtas ipſa, freta æſtuoſa, & fluctuum reciprocatio. *Evehat*, vehendo ejiciat, & evolvat: nam vehuntur corpora aquis; ut Eleg. 3. ſupra:

Saucia mærenti corpora vectet aqua.

Evehere, extra vehere. Varro 4. de L. L. & 1. de R. R. De hac autem evectione & ejectione cadaverum Petronius: *Video corpus humanum circumactum levi vortice ad litus deferri*. ac paullo poſt: *Inviolatum et fluctus convertit in terram*. Ovidius 11. Metam. in fabula Ceycis: *Fluctibus actum Fit propius corpus*. mox: *Jam jamque propinquat Admotum terræ*. *Regionibus Italiæ*, ad oras Italas. PASS. *Advehat*, editio Scaligeri. at ſeptem ſcripti, & primitus cuſi, habent *evehat*. quod non erat mutandum. Livius L. 25. C. 27. *Duæ claſſes infeſtæ circa promontorium Pachynum ſtabant; ubi primum tranquillitas maris in altum evexiſſet, concurſuræ*. Quintilianus L. 6. C. 1. ſub finem: *Ex his, ſi bene diximus reliqua, poſſidemus jam judicum animos: & confragoſis atque aſperis evecti, tota pandere poſſumus vela*. BROUKH.

v. 64. HOC DE ME, SAT ERIT, SI MODO MATRIS ERIT] Genus iſtud ſermonis, *de me*, explicamus ad Eleg. 12. infra ad eum verſum:

Neve aliquid de te flendum referatur in urna.

Sat erit. dixi ad Eleg. 4. ſup. verſu ult. *Si modo matris erit*. ſi venerit in matris manus, ut ſepeliat. Sic ſupra:

Et mater non juſta piæ dare debita terræ,
Nec poſe cognatos inter humare rogos.

& Virgilius 10. Æneid.

Iſtic nunc metuende jace: non te optima mater
Condet humi.

In vocibus autem; *Si modo, dum modo, poſtmodo*, τὸ *modo* productio vocis eſt. ut Eleg. 18. lib. 1.

Si modo ſola queant ſaxa tenere fidem.

& aliàs ſæpe. PASS.

v. 65. SUBTRAHIT HÆC FANTEM TORTA VERTIGINE FLUCTUS] *Vertigo torta*; ut vortex aquæ ſe torquens & circumagens. Virgilius 1. Æneid.

Illum ter fluctus ibidem
Torquet, agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.

Petronius Arbiter: *Et illum quidem vociferantem in mare ventus excuſſit, repetitumque*

inſtlo

O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso subponere brachia mento.
Non poterat vestras ille gravare manus.

At

infesto gurgite procella circumegit, atque hausit.. *Subtrahit*, ex oculis raptim aufert, & subducit. Virgilius 1. Æneid. *Teque aspectu ne subtrahe nostro*. Scaliger huc torquet versus Homeri ex Odysseæ 5. sed absurde. P.

v. 66. ULTIMAQUE HÆC PÆTO NOXQUE DIESQUE FUIT] *τὸ nox*, ambigue & tenebræ ipsæ in medio die, & tempus nocturnum: ideo dixit, *Noxque diesque*, quia dies ille sine Sole nox, & nox mors. *Ultima nox*, suprema Virgilio 6. Æneid. *Ut supremam falsa inter gaudia noctem Egerimus, nosti*. & lib. 2. *Venit summa dies*. Aliàs hìc legitur, *Ultima quæ Pæto n. d. f.* Pro, *Noxque*, legitur &, *vexque*; quam lectionem amplectitur Douza pater. PASS. Noster secundus, *vaeque*. optime. BROUKH. Adstipulatur Editio omnium princeps A. 1472. VULP.

v. 67. O CENTUM ÆQUOREÆ NEREO GENITORE PUELLÆ] Sic Eleg. 17. lib. 1.

At vos æquoreæ formosa Doride natæ.

Centum vero esse credebantur, inquit Plato in Critia. Ovidius 6. Fast.

Excipit illæsum Panope, centumque sorores.

Albinovanus ad Liviam:

Consortesque deæ centum, longævaque magni
Oceani conjunx, Oceanusque pater.

Euripides tamen vocat non semel *πεντήκοντα κόρας Νηρῆος*, *quinquaginta puellas Nerei*. Apollonius autem Rhodius lib. 1. terna millia Nereidum facit. *Puellæ Nereo genitore*, ut Eleg. 32. lib. 2. *Bacchus docta cuspide*; [& Eleg. ult. ejusd. libri: *Gallus formosa Lycoride*.] Virgilius quoque 3. Æneid. dixit: *Achæmenides genitore Adamasto*. PASS. Hesiodus in Theogonia v. 264. tradit, Nereïdas fuisse quinquaginta. Numerum Propertius duplicavit: hoc genus enim omnia sibi licere postulat. Clericus animadvertit, Cerberum, quem Hesiodus vocat *πεντηκοντακέφαλον*, *quinquaginta capitum*, a Pindaro appellari *ἑκατοντακέφαλον*, *centum capitum*. VULP.

v. 68. ET TU MATERNO TACTA DOLORE THETIS] Quæ sensisti eum luctum & dolorem quo matres afficiuntur amissis liberis. [Amisit enim Thetis Achillem filium.] Tangimur & bonis & malis. bonis, ut Eleg. 2. sup.

Gaudeat ut solito tacta puella sono.

malis, ut hìc, & apud Virgilium Æneid. 9. *Nec solos tangit Atridas Iste dolor*. Lucretio lib. 1. deorum natura

Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Sed vett. hìc habent, *tracta*; ut & Eleg. 11. infra v. 60. ubi vulgo legitur, *gloria fracta*. De Thetidis luctu Ovidius in Epicedio Tibulli:

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas tristia fata deas.

Albinovanus quoque ad Liviam:

Illi (Achilli) *cæruleum Panope matertera crinem*
Solvit; & immensas fletibus auxit aquas.
Et Thetis ante omnes.

Plautus item Trucul. *Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio*. *Thetis* vocandi casu, *ἀττικῶς*. PASS. Sunt qui legant, *nocturno tacta dolore*. sed perperam, & invitis codicibus. BROUKH. Nereïdum ac Thetidis planctum in funere Achillis pluribus persequitur Q. Smyrnæus lib. 3. Derelictorum ab Homero a versu 580. Simile *πάθος* apud Maronem Æneid. 9. v. 292.

Percussæ mente dederunt
Dardanidæ lacrimas: ante omnes pulcher Iulus,
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.

Et magis ad rem nostram lib. 10. v. 823. ubi Æneas quum in eo esset ut adolescentem Lausum occideret,

Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit:
Et mentem patriæ subiit pietatis imago.

Pio enim heroi venit in mentem Ascanii filii. VULP.

v. 69. VOS DECUIT LASSO SUBPONERE BRACHIA MENTO] Debuistis & par fuit sublevare natantem subjectis mento manibus; quod vulgo dicitur, *Soustenir le menton*. Ovidius lib. 2. Pontic. Eleg. 3.

Mitius

At tu, sæve Aquilo, numquam mea vela videbis.
Ante fores dominæ condar oportet iners.

ELE-

Mitius est lasso subponere brachia menta,
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.

& Eleg. 6. ejusdem libri:

Brachia da lasse potius prendenda natanti,
Nec pigeat menta subposuisse manum.

Isidorus lib. 11. *Mentum dictum, quod inde mandibulæ oriantur, vel quod ibi jungantur.* ridicule. Mentum Virgilius & bubus tribuit, & hircis menta. PASS. Ovidiana Sappho, e Leucadio promontorio corpus missura, ut obstinatum amorem animo expelleret, simili affectu ventos & Cupidinem precatur v. 177.

Quidquid eris, melius quam nunc erit. auræ, subitæ:
Hæc mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pennas subpone cadenti:
Ne sim Leucadiæ mortua crimen aquæ.

Pulcre Valerius Flaccus lib. 2. Arg. v. 604.

Neque enim scopulis me & fluctibus actam
Frangit hiems; celeri extemplo subiere ruentem
Cymothoë Glaucusque manu.

Et prior Naso lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Subposuisse manus ad pectora lubricus amnis Fertur,

In divinis quoque litteris Psalmo 36. v. 24. *Quum ceciderit, non collidetur: quia Dominus subponit manum suam.* VULP.

v. 70. NON POTERAT VESTRAS ILLE GRAVARE MANUS] Etiamsi vellet, gravis esse ille tam tener & levis, non poterat. Hinc corrigendus Appulejus in extremo lib. 7. A. A. *Non prius me desiit obtundere, quam victis fessisque viribus, suopte pondere degravatis* (vulgo *degravatus*) *manibus ejus fustis esset elapsus.* PASS.

v. 71. AT TU, SÆVE AQUILO, NUMQUAM MEA VALA VIDEBIS] Id est, veliferam carinam; ut Eleg. 6. lib. 1. *Ducere vela salo. Aquilo videbis*, ut sup. hic *Vidit nos*, v. 53. Venti dii finguntur & videre & audire. PASS.

v. 72. ANTA FORES DOMINÆ CONDAR OPOARAT INAAS] Videlicet quia hoc fatum meum est; ut Eleg. 8. lib. 2. *Mecum moriaris oportet.* & Eleg. 14. lib. 2.

Vestibulum jaceam mortuus ante tuum.

Condar, sepeliar, vel humer. *Iners*, proprie; quia a navi navus: & iners, ignavus, qui non navigat. ut dictum ad Eleg. 8. lib. 1. v. 10. vel *iners*, nequam, & turpi fractus amore, quia amor est inertia, & nequitia. Est & iners qui nihil potest in re venerea. Horatius Epodo 12.

Lesbia quærenti taurum, monstravit inertem. PASS.

Condar oportet. subticetur particula *ut*, more Latinis auctoribus valde usitato. Catullus Carm. 88. *Magus ex matre & nato nascatur oportet.* Ovidius Epist. Penelopes:

Increpet usque licet: tua sim, tua dicar oportet.

Varro lib. 2. de R. R. cap. 4. *Scrofa in sua quæque hara suos alat oportet porcos.* Cicero lib. 2. de Orat. *Teneat oportet venas cujusque generis.* Idem Paradoxo 6. *Animus oportet tuus te judicet, non hominum sermo, neque possessiones tuæ.* Sannazarius denique, poeta mundus & elegans, ac diligens veterum imitator, Ecl. 2. v. 71.

Vitantur venti: pluviæ vitantur & æstus:
Non vitatur amor. mecum tumuletur oportet. VULP.

ARGU-

ELEGIA VIII.

DUlcis ad extremas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis & insanæ tot maledicta tuæ.
Dum furibunda mero mensam procellis, & in me
Projicis insana cymbia plena manu.

Tu

ARGUMENTUM ELEGIÆ VIII. LIBRI III.] Ait, amorem sine rixis insuavem esse: paucis deinde rivalem suum insectatur. V.

v. 1. DULCIS AD HESTERNAS FUERAT MIHI RIXA LUCERNAS] Jucunda mihi fuit contentio tecum, & tamen hesterno in convivio. Genus oxymori, *dulcis rixa*, ut apud Catullum Carm. 65.

Dulcia nocturnæ portant vestigia rixæ.

quia, ut Terentius Andria: *Amantium iræ amoris integratio*. *Fuerat*, pro fuit; enallage temporis, ut Eleg. 29. lib. 2. *Sed nudi fuerant*, pro erant. *Ad lucernas*, in nocturno convivio, quia cœnabant ad lucernas. Horatius Ode 8. lib. 3. *Vigiles lucernas Perfer in lucem*. Lucretius lib. 2.

Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

Martialis lib. 14. in lemmate: *Lucerna polymyxos:*

Illustrem quum tota meis convivia flammis,

Totque geram myxos, una lucerna vocor.

De nocturnis conviviis Seneca Epist. 123. *Ad lucernas; Appositis lucernis*, ut loquitur Eleg. 15. lib. 2. [Horatius Epist. 2. lib. 2. *Ad lumina prima*.] Suetonius in Cæsare cap. 37. *Ascenditque Capitolium ad lumina*. Plinius lib. 9. H. N. cap. 34. *Ut neptis ejus Lollia Paulina quadringenties operta spectaretur ad lucernas*. *Hesternas*, ut Eleg. ult. lib. 2. *Hesternis corollis*. PASS. *Ad extremas lucernas*. ita est in codicibus septem. at illud librorum typis editorum *hesternas* Beroaldo debetur, neque prorsus malum est: sed genuinam lectionem nobis servavit secundus noster codex, in quo clare legitur *extremas lucernas*. vocat autem *extremas*, quia in ipsam usque lucem protrahebantur. quod tempus *noctem ultimam* dixit Ovidius L. 2. Fast. quas *extremas* Noster, eas Martialis *seras* appellitavit L. 10. Epig. 19. adposite Petronius: *Lucernæ quoque, humore defectæ, tenue & extremum lumen spargebant*. De pervigiliis mulierum Romanarum vide insignem locum Sapientis Romani Epist. 95. BROUKH. *Extremas*, præfert etiam Editio princeps A. 1472. Rem ita nos expressimus in heroico quodam poematio:

Marcentes oculos invadit somnus: & ipsi
Languidulo segnes connivent lumine lychni.

Confer Ovidium lib. 2. A. A. a versu 447. VULP.

v. 2. VOCIS ET INSANÆ TOT MALEDICTA TUÆ] *Convicia* vocat infra hic, versu 11. & *Jurgia* Eleg. 6. sup. v. 18. & Eleg. 3. lib. 1. versu 18. *Vocis insanæ*, qualis esse solet insanorum. Sic Plautus: *Quid insane clamas?* Monet autem Horatius, Ode 8. lib. 3. ut ejusmodi clamor procul sit a convivio: *Procul omnis esto Clamor & ira*. & Ode 27. lib. 1. *Lenite clamorem, sodales*. *Vocis insanæ maledicta*; ut infra: *Rabida jactat convicia lingua*. PASS.

v. 3. QUUM FURIBUNDA MERO MENSAM PROPELLIS, ET IN ME PROJICIS INSANA CYMBIA PLENA MANU] *Furibunda*, furentis in morem. vide A. Gellium lib. 11. cap. 15. de nominibus in *bundus*. Glossarium Vetus: θυμικός, *animosus*, *furibundus*. *F. mero*, quia vinum insaniam parit, ut est Eleg. 33. lib. 2. *Mensam propellis*, porro pellis; ut mox *Projicis*, porro jacis. Horatius Ode 4. lib. 4. *Nido laborum propulit inscium*. Noster Eleg. 29. lib. 2. *Opposita propellens suavia dextra*. id est, procul repellens. Mensam autem propellunt & evertunt irati in convivio. Ovidius 12. Metam.

Protinus eversæ turbant convivia mensæ.

& 6. Metam. in fabula Terei:

Thra-

Tu vero nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota.

Tu

Thracius ingenti mensas clamore repellit.

Suetonius in Nerone cap. 43. *Litteras prandenti sibi redditos concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos gratissimi usus solo illisit.* *Projicis;* non significat, pocula pertulisse ictum, sed irrita cecidisse. vel porro jacis. Virgilius 10. Æneid. *Projecto dum pede lævo Aptat se pugnæ.* vide Macrobium lib. 6. Saturn. cap. 4. & Nonium in *Projectum* ex Cicerone. *Cymbia plena*, duplex insania, & *Cymbia*, & *plena*. Poculi genus, cymbium; de quo Macrobius lib. 5. Sat. cap. 25. Athenæus lib. 10. & 11. Festus & Nonius in, *Cymbium*, & Servius in illud 5. Æneid.

Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.

Poculo, inquit, *ad formam cymbæ navis*. De ebriorum pugna, quæ committitur poculis, dictum ad Eleg. 6. lib. 2. De projectis scyphis ab ebriis Plinius in fine lib. 14. H. N. Juvenalis Sat. 5.

Jurgia proludunt: sed mox & pocula torques,
Saucius & rubrâ deterges vulnera mappâ.

Insana manu, & irata & furenti. vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 1. v. 16. PASS. *Cur f. m. mensam propellis.* in pluribus libris non *Cur* est, sed *Cum*: de quo faciendum videtur *Dum*, sententia sic melius procedente. deinde *procellis* legendum, quod de libro Palatino deprompsit Gebhardus. Glossæ Latino-Græcæ: *Procello, is*, περιτρέπω. *verbum est probæ notæ*. Servius in L. 1. Æn. v. 89. *Procella est vis ventorum cum pluvia. dicta procella, quod omnia procellat, hoc est moveat.* ita recte editiones veteres. nam Fabricius, & Petrus Daniel, minus bene *percellat* ediderunt. Plautus Milit. Act. 3. Sc. 1.

Neminem eorum hæc asseverare audias:
Sed procellunt se, & procumbunt dimidiati, dum appetunt.

hic etiam intruserant *percellunt*, invitis membranis. vide quæ magnus Vossius notavit in Etymol. L. L. verbo *Cello*. est autem istud *procello* idem quod *percello*, hoc est, interprete Nonio Marcello, *everto*. Varro Parmenone: *Alius teneram abietem solus percellit.* Plautus Epid. Act. 4. Sc. 2. *Perii, plaustrum perculi.* h. e. everti, ut Donatus exponit ad Eunuch. A. 2. Sc. 3. & Festi mutilator Paullus. elegante tralatione Suetonius Neron. cap. 35. *Nullum adeo necessitudinis genus est, quod non scelere perculerit.* BROUKH. *Mensam propellis.* Lucianus Dialogo Meretricio Cochlidis & Parthenidis: Καὶ τὴν τράπεζαν μεταξὺ δειπνούντων ἀνέτρεψε, καὶ τὸν κρατῆρα ἐξέχεεν ἐπιστρέψας. loquitur de milite furibundo, ægre admodum rivalem ferente. Apud Demosthenem Orat. de Falsa Legat. mulier quædam Olynthia indignis modis accepta, προσπίπτει πρὸς τὰ γόνατα τοῦ Ιατροκλέους, καὶ τὴν τράπεζαν ἀνατρέπει. *ad genua Jatrocli accidit, & mensam subvertit.* Facile autem propelli ac subverti poterant mensæ antiquorum: unico enim pede plerumque innitebantur, neque adeo amplæ erant. *Projicis i. cymbia plena m.* Heliodorus lib. 1. Hist. Æthiop. non procul ab initio: Κρατῆρες ἀνατετραμμένοι, καὶ χειρῶν ἔνιοι τῶν ἐσχηκότων ἀπορρέοντες, τῶν μὲν πινόντων, τῶν δὲ ἀντὶ λίθων κεχρημένων. lege sis & quæ sequuntur. *Cymbia.* vide Martialem Epigr. 6. lib. 8. VULP.

v. 5. TU VERO NOSTROS AUDAX INVADE CAPILLOS] At tu ultra sexum audax involа in crines meos. Ovidius lib. 1. A. A.

Ille ego sim, cujus laniet furiosa capillos,
Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas.

Terentius Eun. Act. 5. Sc. 2. *Vix me contineo, quin involem in capillum.* ubi Donatus: *Minæ feminarum in alios unguibus sævientium.* PASS. Comam igitur alebat Propertius: vel certe ad cutem tonsus non erat, VULP.

v. 6. ET MEA FORMOSIS UNGUIBUS ORA NOTA] Niveis manibus & eburneis digitis lania vultum, carpe faciem, & rade genas. Eleg. 9. lib. 4.

Phyllidos iratæ in vultum conjicit ungues.

Ibidem:

Et mea perversâ verberat ora manu.

ubi hac de re plura dicam. & Eleg. 6. lib. 1. v. 16. PASS.

v. 7.

Tu minitare oculos subjecta exurere flamma:
  Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
  Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quæ mulier rabida jactat convicia lingua,
  Et Veneris magnæ volvitur ante pedes:

Casto-

v. 7. TU MINITARE OCULOS SUBJECTA EXURERE FLAMMA] Plautus Menæchm. Act. 5. Sc. 2. *Ecce Apollo mihi ex oraculo imperat, Ut illi exuram oculos lampadibus ardentibus.* VULP. *Perii, mi pater; minatur mihi oculos exurere.* Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Et mihi sint duræ leges: laudare nec ullam
Possim, quin oculos appetat illa meos.

Tu minitare, neque tamen facias. PASS. Quum oculi pars corporis nobilissima, præ ceteris membris cari habeantur, magna profecto in illo est vis amoris, qui rem tanti pretii flammæ objicere paratus sit, ut puellæ animum recte habeat exploratum. Sunt apud Theocritum Idyllio 11. magnifica hæc Polyphemi verba Galateam depereuntis:

Καιόμενος δ' ὑπὸ τεῦ καὶ τὰν ψυχὰν ἀνεχοίμαν,
Καὶ τὸν ἕν' ὀφθαλμόν, τῷ μοι γλυκερώτερον οὐδέν.
Et perferre possum, ut etiam anima mea a te combureretur,
Et unicus ille oculus, quo mihi nihil dulcius est. VULP.

v. 8. FAC MEA RESCISSO PECTORA NUDA SINU] Lacera vestem meam, ut nudum pectus appareat. *Facere nudum*, pro nudare; ut Eleg. 18. lib. 2.

Et faceret scissas languida ruga genas.

ubi vide hujus locutionis exempla. In amatoria rixa vestes lacerabant. Sic Eleg. 5. lib. 2.

Nec tibi perjuro scindam de corpore vestes.

Terentius Adelphis: *Discidit vestem, resarcietur.* *Rescindere*, pro, scindere; ut rescindere vallum, & scindere: renunciare, pro, nunciare. Horatius Epist. 3. lib. 1. *An male sarta Gratia nequicquam coit, & rescinditur?* *Sinus*, pars vestis, pro veste sinuosa; ut ad Eleg. 2. lib. 1.

Et tenues Coa veste movere sinus.

Eleg. 4. lib. 4.

Strymonis abscissa fertur aperta sinu. PASS.

v. 9. NIMIRUM VERI DANTUR MIHI SIGNA CALORIS] Scilicet, ex eo conjicio me ex animo amari. inde intelligo non simulatos ignes, nec fictum amorem. Sic infra:

Hos didici certos sæpe in amore notos.

Signa dare. ut Virgilius 1. Georg. *Sol tibi signa dabit.* Ibidem: *Æquora ponti Signa dabunt.* *Verus calor*, ut Eleg. 9. lib. 1. *Vero nec tangeris igni.* *Verus amor*, Eleg. 15. lib. 2. v. 30. PASS. Vide Lucianum Dialogo meretricio Ampelidis & Chrysidis. VULP.

v. 10. NAM SINE AMORE GRAVI FEMINA NULLA DOLET] Nulla irascitur alicui adolescenti mulier, quem non vehementer amet. Dolere, pro irasci. ex eo quod præcedit, id quod sequitur; quia dolorem sequitur ira & querela. Eleg. 18. lib. 1.

Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita sæva tamen veneris ira mea.

vide adnotata ad Eleg. 5. lib. 2. v. 10. *Gravi amore*, acri & vehementi. Sic Eleg. 21. infra:

Ut me longa gravi solvet amore via.

Horatius Epodo 11. *Amore percussum gravi.* Huc pertinet Epigramma Catulli 82. & 90. PASS.

v. 11. QUÆ MULIER GRAVIDA JACTAT CONVICIA LINGUA, ET VENERIS MAGNÆ VOLVITUR ANTE PEDES] Ea graviter amat quæ maledicta sæpe jacit. *Jactat convicia*; at Virgilius 10. Æneid. *Querelis Haud justis assurgis, & irrita jurgia jactas.* Sic *jacies verba* Eleg. 8. lib. 2. *Gravidâ linguâ*, plena & quasi fœta maledictis: ut *gravidâ sagittis pharetrâ* Horatio Ode 22. lib. 1. Sed melius Scaliger e conjectura *Rabidâ*.

Custodum gregibus seu quum se stipat euntem,
Seu sequitur medias Mænas ut icta vias:

Seu

inde enim rabulæ dicti. Appulejus lib. 1. Florid. *Quæ enim facilior res, quam linguæ rabies? Rabidæ linguæ convicia*, ut sup. *Vocis insanæ maledicta*. unde Hecuba canis fingitur, totaque vagatur Urbe furens. Eleg. 16. lib. 1. dixit: *Petulantia linguæ*. *Et Veneris m. volvitur ante pedes*. ab ea scilicet ultionem expetens. ut Eleg. 4. lib. 1.

Nullas illa suis contemnet fletibus aras.

Ante pedes; ut Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 13.

Ipse feram ante tuos munera vota pedes.

vide adnotata ad Eleg. 28. lib. 2. v. 45. Volvi ante pedes, ut advolvi genibus dicuntur supplices. Statius lib. 5. Silv. in Abascantii pietate:

Effuso dum pectore prona sacrates
Ante pedes avide domini tam magna merentis
Volveris. ---- Ritus hic priscæ religionis, de quo Plinius lib. 2. H. N. cap. 28. *In adorando dextram ad osculum referimus: totum corpus circumagimus. quod in lævum fecisse Galliæ religiosius credunt*. Lucretius lib. 5.

Nec pietas ulla est velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem.

Veneris magnæ. sic Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Num Veneris magnæ violavi numina verbo?

Eadem ratione apud Virgilium: *Magni Jovis*, *Junonis magnæ*: *Magnæ Cereri*: *magnus Apollo*. Noster Eleg. 10. lib. 4. *Magnam Pallada*. & alibi: *Magnus Amor*. PASS. Omnes libri, *gravida*: quod corruptum fuit ex *ravida*, ut monitum jam olim illustri Scaligero. Virgilius L. 7. Æneid.

Geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore,

BROUKH. *Quæ mulier r. j. e. l.* Suspenditur syntaxis usque ad versum 17. ubi demum est ἀνακόλουθον. *Et volvitur*. nulla hic est ellipsis, ut male putabat Passeratius. *Veneris magnæ*: numerabatur scilicet Venus in duodecim diis, quos & magnos & consentes appellabant. De his exstat celebre distichon Ennii. *Volvitur ante pedes*. Noster infra Eleg. 17.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.

Genibus autem pedibusque potissimum advolvebantur; quæ deprecandi ratio Q. Haterio senatori exitialis pæne fuit. vide Corn. Tacitum lib. 1. Annal. Hinc lucem capiunt illa Elegiæ 6. supra, quæ minus acute considerantibus subobscura videri poterant:

Pœna erit ante meos sera, sed ampla pedes.

nimirum Propertius ipse novi amoris transfuga, humilior jam factus, inquit Cynthia, ad pedes meos procumbet, veniam rogaturus. Male igitur Scioppius lib. 3. Verisimilium cap. 20. mutabat, *ante ejus*. *Pœnam* pro illo qui supplicio affectus est, ita dixit poeta, ut alibi *scelus* pro scelesto; *dolorem* pro dolente; *amorem* pro amante; & si quæ sunt alia generis ejusdem. VULP.

v. 13. CUSTODUM GREGIBUS SEU QUUM SE STIPAT EUNTEM, SEU SEQUITUR MEDIAS, MÆNAS UT ACTA, VIAS] *Stipat se*, circumdat. Stipare, & stipatores, custodes corporis, a stipe quam accipiunt, & quia cingunt denso agmine: Festus. Varro tamen inde stipem deducit; quia stipum, densum, & æs grave dense condebatur, 4. & 6. de L. L. Virgilius 4. Æneid.

Tandem progreditur magna stipante caterva.

Horatius Sat. 3. lib. 1.

Rex ibis, neque te quisquam stipator, ineptum
Præter Crispinum, sectabitur.

Custodes mulieribus aut a maritis addebantur, ut Eleg. 13. lib. 2.

Custodum & nullo septa timore places.

aut ab ipsis mulieribus adhibebantur, ut acrius urerent amantes, nec esset conveniendi copia. sic infra Eleg. 14.

At nostra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via.

Greges hic vocat, quam illic *ingentem turbam*; & *stipare*, quod ibi *circumdare*. *Grex*, inquit Donatus, *& bonorum & malorum*, *sed levium*. Sic apud probatos auctores, *Ancillarum greges*, *grex venalium*, *grex Catilinæ*, *grex scenicorum*. Servius in 3. Georg. *Armenta sunt equorum & boum: greges*, *capellarum & ovium*. Sed etiam Grex generis nomen est; unde Cicero: *Cecidit greges armentorum*. Virgilius Ecl. 6. de tauro Pasiphaës: *Aut aliquam e magno sequitur grege*. [ubi magnus grex, armentum.] *Seu sequitur vias medias*, per mediam urbem fer-

Seu timidam crebro dementia ſomnia terrent,
Seu miſeram in tabula picta puella movet:
His ego tormentis animi ſum verus aruſpex.
Has didici certas ſæpe in amore notas.

Non

fertur furentis more. ut 4. Æneid. *Incenſa per urbem Bacchatur;* quod eſt projecti pudoris. *Sequimur vias*, quia viæ nos ducunt & ferunt. An medias vias, id eſt, per medias vias? ut Eleg. 28. lib. 2.

Iuo etiam prima terras ætate vagata eſt.

Et ſequitur amatorem; quod eſt intemperantiæ. ut dictum ad illud:

Colchis & ignotum nouue ſecuta virum?

Mænas, παρὰ τὸ μαίνεσθαι, ab inſaniendo; proprie ſacrificula Bacchi. Ovidius 4. Faſt.

Mentis inops capitur, ut quas audire ſolemus
Threïcias fuſis Mænadas ire comis.

Sed infra Eleg. 13. v. 64. ponitur pro Phœbade [ſeu Caſſandra Phœbi furore correpta.] *Acta*, agitata furore. Virgilius 5. Æneid. *Ecce etiam Trojanis matribus actis Exuſſit fœde puppes*. Aliàs, *icta*; quod confirmatur Ovidii teſtimonio 2. A. A.

In ferrum flammaſque ruis, poſitoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta dei.

id eſt: percuſſa thyrſo Liberi patris. PASS. *Circum ſe ſtipat*. alii *circa*. noſter ſecundus, *ceu eum;* pro *ſeu quum*. quod pridem receptum non debebat effurcillari. *Mænas ut icta*. v. Delrius Adv. in Senec. Med. v. 382. p. 17. BROUKH. Placet lectio Scaligeri:

Cuſtodum gregibus circum ſeu ſtipat euntem.

ſcilicet, pædagogos amanti præficit, ut conſueverant patres liberis prætextatis. Ex horum numero, quibus poetam ſuum commendaverat Cynthia, fuit Baſſus ille, de quo Noſter Eleg. 4. lib. 1. *Nec tibi me poſthac committet Cynthia, nec te Quæret*. Ipſe viciſſim puellam ſuam cuidam Lynceo mandaverat cuſtodiendam; cujus perfidiam criminatur Eleg. ult. lib. 2.

Cur quiſquam faciem dominæ jam credat amori?

De cuſtodibus ab uxore datis marito vide Martialem Epigr. 54. lib. 2. & Epigr. 59. lib. 10. Quo pacto autem Propertius dixit, *gregibus cuſtodum*, hoc Juvenalis 1. Sat. *gregibus comitum*. *Mænas ut acta*. Catullus Galliambo:

Alios age incitatos, alios age cubidos. V.

v. 15. SEU TIMIDAM CREBRO DEMENTIA SOMNIA TERRENT] Sic Virgilius 4. Æneid. *Quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent? Somnia*, ἐνύπνια. Noſter Eleg. 25. lib. 2.

Quum ſatis una tuis inſomnia portet ocellis.

ἐνύπνια quoque, id eſt inſomnia feminino genere, dementes reddit. Cæcilius Plocio apud Nonium in *Inſomnia*: *Conſequitur comes inſomnia; ea porro inſaniam adfert*. De viſis nocturnis Cynthiæ Eleg. 3. lib. 1. ubi vide adnotata. *Timidam terrent;* id eſt, ſuapte natura timidæ metum majorem & concutientem addunt. dictum ut a Virgilio: *Labantem impulit. incenſum inflammavit*. & 8. Æneid.

Jam tum relligio pavidos terrebat agreſtes.

Plautus Amphitr. *Eadem nos formido timidos terrore impulit*. Huc facit illud Apollonii R. lib. 3.

Δειλὴ ἐγών· οἷόν με βαρεῖς ἐφόβησαν ὄνειροι. PASS.

v. 16. SEU MISERAM IN TABULA PICTA PUELLA MOVET] Male habet & turbat & amantem & ſollicitam & zelotypam puella picta apud dilectum juvenem. De zelotypia ex picturis & tabulis Eleg. 6. lib. 2.

Me juvenum facies picta, me nomina lædunt. PASS.

Vide Plautum Aſin. Act. 4. Sc. 1. BROUKH.

v. 17. HIS EGO TORMENTIS ANIMI SUM VERUS ARUSPEX] Iram & zelotypiam tormenta vocat, quod, ut & aliæ perturbationes, torqueant & crucient animum. Horatius Epiſt. 2. lib. 1.

Invidiâ Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

vel quod, ut in tormentis & equuleo, illarum operâ veritas exprimatur. Idem Horatius Epiſt. 18. lib. 1.

Arcanum neque tu ſcrutaberis ullius unquam,
Commiſſumque teges, & vino tortus & ira.

Hìc agitur de ira. *Animi* κατ' ἀναλογίαν:

Non eſt certa fides, quam non injuria verſat.
Hoſtibus eveniat lenta puella meis.

In

& tormentis animi; *& animi aruſpex*, qui divinat & ſentit quid ſit in animo cujuſque. Cicero in Topicis: *Facit etiam neceſſitas fidem; quæ ab animis eſt, aut corporibus. A corporibus, quia verberibus torti, & in igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere: ab animis, at a perturbationibus eorum, dolore, iracundia, metu.* Tormenta a tortu dicta ſunt reſtes funeſque. Iſidorus lib. 19. cap. 4. *Tormentum funis in navibus longus, quo prora ad puppim extenditur: quo magis conſtringantur.* Sunt & tormenta, bellicæ machinæ, atque etiam ipſa tela, quæ torquentur & mittuntur, apud Cæſarem. *Verus aruſpex*, qui bene conjicio, atque ideo vates perhibeor optimus. Sic Eleg. 9. lib. 1.

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere quos juvenes quæque puella domet.

Haruſpex, ab harioga inſpicienda, id eſt, hoſtia in hara includi ſolita. Donatus in Phormionem. Varroni 4. de L. L. *arviga* dicitur, ubi tamen Scaliger legit *aringa*. Heſychius: Ἀρίχα, ἄῤῥην πρόβατον, id eſt, aries. Feſtus: *Harviga dicebatur hoſtia, cujus adhærentia inſpiciebantur exta.* Idem: *Prodigiatores, haruſpices, prodigiorum interpretes.* qui vulgo vani & mendaces. unde *vanus aruſpex* infra Eleg. 13. & Cato apud Ciceronem 2. de Divinat. *Mirari ſe ajebat, quod non rideret aruſpex quum aruſpicem videret.* PASS. Hic verſus elegantiſſimus eſt, ac mire ingenioſus. *Tormentis*. Horatius Ode 21. lib. 3. ad vini teſtam: *Tu lene tormentum ingenio admoves Plerumque duro.* VULP.

v. 18. HAS DIDICI CERTO SÆPE IN AMORE NOTAS] *Veri ſigna coloris* dixit hic ſupra. *Nota*, τεκμήριον rhetoribus. an σημεῖα, σύμβολα? Dictum a notis vini, vel pecoris, vel iis quibus defoſſa notantur. Sic a Cicerone in Lucullo: *Nota veri & falſi.* *Certus amor*, ut Eleg. 8. lib. 1.

Nec mihi rivalis certos ſubducet amores.
PASS.

Noſtri duo, cum Borrichiano, *Has didici certo*. Groninganus, *Has certe didici*. Vaticanus Livinejo inſpectus, *Has certas didici*: rotunde, &, ut opinor, vere. BROUKH.

Editio omnium princeps, *Has didici certe. Notas*; In Carmine Libero Epigr. 66. *nota virilis* eſt ἀνδρεῖον αἰδοῖον. VULP.

v. 19. NON EST CERTA FIDES, QUAM NON INJURIA VERSAT] Fidelem amatorem injuriæ, & repulſæ, & faſtus oſtendunt. Nota ſententia. Ennius: *Amicus certus in re incerta cernitur.* Sic Eleg. 24. lib. 2.

Nil ego non patiar: nunquam me injuria mutat.

ubi multa in eam ſententiam. *Injuria*, puta *faſtus iniqui*, *injuſta repulſa*. *Verſat*, agitat, exercet in omnem partem, & male habet. Eleg. 14. lib. 1. proprie: *Miſerum toto juvenem verſare cubili.* Plautus Perſa 5, 2. *Quid ais, crux? ſtimulorum tritor, quid me hodie verſavisti?* PASS. Nihil potes tibi polliceri de fide puellæ tuæ, niſi eam variis injuriis laceſſiveris; niſi in omnem partem verſaveris, ut ſolent converti res venales, explorandi pretii ergo. nam quæ deſiſtit ab amore ſimul ac læditur, illa non amat vere. callidum præceptum, & quo vel præcipue Amazonas ſuas inſtruxit peritus campi doctor Naſo L. 3. Artis Amat.

Quamlibet extinctos injuria ſuſcitat ignes.
En ego (confiteor) non niſi læſus amo.

eſt autem τὸ *verſat* admodum efficax verbum. ---- Noſter infra Eleg. 11.

Quid mirare, meam ſi verſat femina vitam?

Cicero id aliis verbis *excutere*, & *in manibus jactare* vocavit, Orat. pro Muræna C. 12. *Quæ dum erant occulta, neceſſario ab eis qui ea tenebant, petebantur: poſtea vero pervulgata, atque in manibus jactata, & excuſſa, inaniſſima prudentiæ reperta ſunt, fraudis autem & ſtultitiæ pleniſſima.* Orat. pro Plancio C. 12. *Facilis eſt illa occurſatio & blanditia popularis: aſpicitur, non attrectatur: procul apparet, non excutitur, non in manus ſumitur.* Dixerat Virgilius proprie L. 8. Æneid. *Interque manus & brachia verſat.* BROUKH.

v. 20. HOSTIBUS EVENIAT LENTA PUELLA MEIS] Vide Proverbium, *Si quid mali, in Pyrrham.* Sic Ovidius Epiſt. Paridis:

Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris.

& lib. 2. Amor. Eleg. 10.

Hoſti-

In morſo æquales videant mea vulnera collo:
Me doceat livor mecum habuiſſe meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem:
Sive meas lacrimas, ſive videre tuas.

Teſta

Hoſtibus eveniat vita ſevera meis.
& alibi non ſemel. Horatius Ode 27. lib. 3. *Hoſtium uxores puerique cæcos Sentiant motus orientis Auſtri.* vide ibi Lambinum. *Lenta puella*, quæ iraſci & commoveri nequeat. unde Ciceroni *lentitudo*, ἀοργησία. PASS. V. Briſſonium Formul. L. 1. BROUKH. Illud non diſſimile Eleg. 4. lib. 2.

Hoſtis ſi quis erit nobis, amet ipſe puellas.

Lenta. Itali dicimus *fredda*, *indifferente*. VULP.

v. 21. IN MORSO ÆQUALES VIDEANT MEA VULNERA COLLO: ME DOCEAT LIVOR MECUM HABUISSE MEAM] Sic Eleg. 9. lib. 4.

Imponitque notam collo, morſuque cruentat.

vide Eleg. 3. lib. ejuſd. Ovidium quoque lib. 1. Amor. Eleg. 7. & 8. item lib. 3. Eleg. 13. Horatium Ode 13. lib. 1. Tibullum Eleg. 6. & 8. lib. 1. Lucretium lib. 4. Legati regis Demetrii, apud Plutarchum in Demetrio, quum Lyſimachus rex iis oſtentaret cicatrices ex ore & unguibus leonis, cui objectus fuerat ab Alexandro; *Et noſter*, dixere, *rex Demetrius feræ Lamiæ morſus in collo geſtat*. Erat autem nobilis meretrix nomine Lamia: quum Lamiæ ſint etiam in fabuloſis monſtris, ut Empuſæ. Lege eumdem Plutarchum in Pompejo, de Flora meretrice. *Livor*, color ille plumbeus, qualis in contuſis partibus corporis apparet. *Doceat*, oſtendat, monſtret. Cicero 3. de Leg. *Docuit, ſe, quoad vixit, ut opprimeret C. Popilium nocuiſſe reipublicæ*. *Mecum habuiſſe meam*. me cum amica limaſſe caput. Habere & haberi verba ſunt ejus rei. Ariſtippus apud Laërtium: Ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. quod Cicero Epiſt. ult. lib. 9. ad Famil. vertit: *Habeo*, (Laïdem) *non habeor* a Laïde. vide Muretum lib. 6. Var. Lect. cap. 7. *Meam*, eleganter, pro amica mei ſolius. ut Eleg. 14.

At noſtra ingenti vadit circumdata turba.

Valerius Cato in Diris:

Luna tua eſt tecum, cur non eſt & mea mecum?

Horatius Ode 15. lib. 1. *Non hoc pollicitus tuæ*. PASS. Nic. Heinſius, Caſtigat. Vellejanis, malebat *Immorſo*, unica voce. quod nolim ſperni. nam cur minus *immordere* dicatur, quam *præmordere*, quam *remordere*, *demordere*, *commordere*, diſpicere non poſſum. ----- Certe Papinius Statius L. 2. Thebaid. v. 628.

Stabat adhuc, donec tranſmiſſa morte per artus
Labitur, immorſâque cadens obmutuit haſtâ.

repetunt verbum Scholia antiqua, quæ Barthius habuit: *Moriens dentibus immordet haſtam per adverſum os infixam*. exponit & Gloſſa ibidem: *Immorſâ, fortiter morſâ*. BROUKH. Hinc jocum petivit Cicero Orat. 7. in Verrem: *Scilicet eſt metuendum, ne ad exitum defenſionis tuæ vetus illa Antoniana dicendi ratio atque auctoritas proferatur: ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus Romanus aſpiciat, ex mulierum morſu veſtigia libidinis atque nequitiæ*. *Æquales*, ἡλικιῶται, qui ſunt eadem ætate; pares, ut loquitur Horatius Epiſt. ad Piſones: de puero: *Geſtit paribus colludere*. *Livor*. de hoc vide Tibullum Eleg. 6. lib. 1. VULP.

v. 23. AUT IN AMORE DOLERE VOLO, AUT AUDIRE DOLENTEM: SIVE MEAS LACRIMAS, SIVE VIDERE TUAS] Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Non bene, ſi tollas prælia, durat amor.

& 2. A. A.

Felicem, de qua læſa puella dolet!

Legendus Ælianus lib. 2. Var. Hiſt. de Pauſania & Agathone. *Audire dolentem*, de me querentem amicam. Audiuntur querelæ: videntur lacrimæ. inde aurium & oculorum voluptas. De lacrimis, quibus delectatur Amor, dictum ad Eleg. 12. lib. 1. v. 16. PASS.

v. 25.

Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua quum digitis scripta silenda notas.
Odi ego quos numquam pungunt suspiria somnos.
Semper in irata pallidus esse velim.

Dul-

v. 25. TECTA SUPERCILIIS SI QUANDO VERBA REMITTIS, AUT TUA QUUM DIGITIS SCRIPTA SILENDA NOTAS] *Remittis verba*, reddis, respondes. nam mittere verba, loqui; ut Eleg. 17. lib. 2.

Aut per rimosas mittere verba fores.

Sic Virgilius 12. Æneid. *Vocem late nemora alta remittunt*. *Tecta superciliis*, sub nutu superciliorum quasi latentia, arcana, tacita, occulta. Cicero lib. 9. ad Famil. *Tectus verbis sermo*. & alibi: *Tectus vir*, callidus & versutus. Superciliis quasi loquimur, quum annuimus iis. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 4.

Verba superciliis sine voce loquentia dicam:
Verba leges digitis, verba notata mero.

vide eumdem lib. 2. Amor. Eleg. 5. & lib. 3. Eleg. 10. Idem lib. 1. A. A.

Multa supercilio, multa loquare notis.

[ut semel dicam, paucæ admodum sunt Ovidii sententiæ amatoriæ, quarum semina ipse non petiverit ex Elegiis Tibulli ac Propertii.] Supercilium, inquit Festus; quod supra cilium sit. nempe, integumentum oculi superius. Idem docet, esse supercilia in Junonis Lucinæ tutela, & Isidorus lib. 11. *Supercilia*, inquit Plinius lib. 11. H. N. cap. 7. *homini, & pariter, & alterne mobilia; in iis pars animi*. Et Cicero 1. Offic. ex iis colligi habitum animi dicit. Supercilium pro ripa; Virgilius 1. Georg. & apud Livium: *Supercilium montis, aut tumuli*. *Notas*, compendio & breviter scribis. Suetonius in Augusto cap. 64. *Nepotes & litteras & notare docuit*. unde *notarii*. PASS. *Tecta superciliis s. q. verba r.* Hinc oculi proprio quasi epitheto *loquaces* poetis dicti. ------- Naso Epist. Helen. v. 81.

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio pæne loquente dari!

v. Columna ad Ennium p. 311. *Digitis scripta silenda notas*. id est, si Passeratio credimus, compendio & breviter scribis. nihil ad Bacchum. superiore versu egerat de oculorum colloquio; nunc agit de eo quod fit vario articulorum motu & compositu. Hinc & manus *loquaces* passim & *argutæ* poetis dicuntur, quorum loca congerere jam quidem nihil attinet. & viget etiam nunc mutus ille amantium sermo, ut qui maxime, apud Hispanos. tamen quid huc faciat τὸ *scripta*, ego quidem nusquam hodie divinabo. aptius esset *dicta*. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 5.

Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino
Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.

---- sed membranæ nihil juvant meam conjecturam. --- Idem Naso elingue hoc colloquendi artificium *digitis loqui* vocat L. 1. A. A. v. 137.

Nil opus est digitis, per quos arcana loqueris:
Nec tibi per nutus accipienda nota est.

v. Barthius ad Papin. T. 1. p. 507. sq. BROUKH. Hæc omnia cum rivalibus arcana mulierum colloquia urunt amatores, & iis caussam dolendi præbent. VULP.

v. 27. ODI EGO QUOS NUMQUAM PUNGUNT SUSPIRIA SOMNOS] Id est non placent. ut Græcis μισῶ· μισῶ μνάμονα, μισῶ σοφιστήν. *Odi*, ingrati mihi sunt illi somni quos suspiria non stimulant, & interrumpunt. nam, *Quos*, melius, meo judicio, legitur, quam, *Quæ*. Ejusmodi somnus Cynthiæ Eleg. 3. lib. 1. *Raro ducti suspiria motu*. Si legamus *Quæ suspiria*, ficta intelliget. de quibus Lucretius lib. 4.

Nec mulier semper ficto suspirat amore.

Pungunt; ut Cicero 2. Tusc. *Pungit dolor*. & 5. Tuscul. *Aliquid pungit*; id est conscientia. & sæpe in Epistolis: *Pungit me*, scilicet molestum est. PASS. *Odi ego q. n. p. s. s.* vide Ovidium tota Eleg. 19. lib. 2. Amor. VULP.

v. 28. SEMPER IN IRATAM PALLIDUS ESSE VELIM] Pallore metum testari ob iram amicæ, ne in me sæviat. Pallor in Propertio duplex. unus ex amore, isque perpetuus; de quo Eleg. 5. lib. 1.

Nec jam pallorem toties mirabere nostrum.

alter ex metu; de quo Eleg. 9. lib. 4.

Pallueramque ipso labra soluta mero.

Pallidus in iratam; ut Ovidius 1. A. A.

Pal-

Dulcior ignis erat Paridi, quum Graja per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suæ.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.

Aut

Pallidus in Lyricen silvis errabat Orion.
Dictum de hac sententia ad Eleg. 10. lib. 2.
Tu cave ne tristi (iratæ) *cupias pugnare puella*. PASS.
Legendum *in irata*; quomodo semper loquuntur poetæ Latini, ubi amoris aut desiderii res est. Ovidius Epist. Penelopes:
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.
L. 3. Amor. Eleg. 6.
Pallidus in Lyrice silvis errabat Orion:
Pallidus in lenta Naide Daphnis erat.
Noster L. 1. Eleg. 13.
Perditus in quadam tardis pallescere curis Incipit.
Sic *ardere*, *uri*, *deditum esse*, *commoveri in* aliqua, vel aliquo, dixerunt optimi Latinitatis auctores. BROUKH.

v. 29. DULCIOR IGNIS ERAT PARIDI, QUUM GRATA PER ARMA TYNDARIDI POTERAT GAUDIA FERRE SUÆ] Nempe, jucundior amor. *ignis*, pro amore; ut adnotatum ad Eleg. 9. lib. 1. v. 17. Sic *Dulcis amor* Catullo, Virgilio, & Horatio. *Grata per arma*, quia malebat pugnare, quam reddere Helenam. vide Eleg. 3. lib. 2. Sed vetus liber, *Grata*. & Palmerius, *Graja*. ut Eleg. 9. lib. 4. *Graja* *felius* legendum, pro grata. Et *Graja arma* exponit Martem Grajis faventem, quia sequitur, *Dum vincunt Danai*. *Per arma*, inter bella. vel, quum per bella ei liceret. Respicit ad locum Homeri Iliad. 3. de Paride & Menelao. *Ferre gaudia*, ut *ferre oscula* Eleg. 18. lib. 2.
Et cana toties oscula ferre coma.
An *per arma ferre gaudia*, & osculari per galeam? Sic Virgilius 12. Æneid.
Summaque per galeam delibans oscula fatur.
& Ovidius in Epist. Laodamiæ:
Arma dabit, dumque arma dabit, simul oscula sumet.
sed sequentia repugnant. PASS. Eadem locutione in eadem re usus est Naso Remed. Amor.
Hoc & in abducta Briseide flebat Achilles,
Illam Plisthenia gaudia ferre toro. BROUKH.

v. 31. DUM VINCUNT DANAI, DUM RESTAT BARBARUS HECTOR] Dum superiores Græci in pugna. Aut victoriam Menelai significat, de qua 3. Iliad. aut eam pugnam, in qua referentes pedem Trojani rursus per Hectorem confirmantur lib. 13. Iliad. Virgilius quoque communem illum Martem attingit 1. Æneid.
Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus.
Barbarus. Phryx. Catullus Carm. 63.
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Restat, resistit, repugnat. Ovidius 2. Fast.
Postmodo victa cades, melioribus, Ardea, restas.
vide adnotata ad Eleg. 21. lib. 2. v. 17. An *restat*, superest, adhuc vivit? quo ademto leviora tolli Pergama. Sane in Hectore præsidium genti suæ. Virgilius 11. Æneid.
Quidquid apud magnæ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Grajûm
Hæsit, & in decumum vestigia retulit annum. PASS.
Sine caussa hic fluctuat Passeratius. *restare* est obniti, resistere, repugnare. vide Lucretium lib. 1. v. 112. Silius Italicus L. 7.
--- *Effera sævit,*
Atque impasta truces ululatus turba luporum
Exercet, morsuque quatit restantia claustra.
--- Lucius Septimius lib. 4. C. 2. *Interim Ajaces, & qui cum his aderant pedites contra quos steterant cadere, ac restantes detrudere umbonibus, mox que repulsos obtruncare*. elegans ibi oppositio τοῦ *stare* cum *restare*. utrumque est verbum militare. Virgilius L. 3. Georg. de Romano milite: *Hosti Ante exspectatum positis stat in ordine castris*. inde compositum *restare*. --- vice versa *resistere* dixit Lucilius pro restare, superesse, apud Nonium:
Id solum adversæ fortunæ reique resistit.
pro, id solum adversæ fortunæ & rei pauperculæ superest, id unum restat. BROUKH.

v. 32. ILLE HELENÆ IN GREMIO MAXIMA BELLA GERIT] In sinu & amplexu amicæ,

Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude quod nulla eſt æque formoſa: doleres,
Si qua foret: nunc ſis jure ſuperba, licet.
At tibi, qui noſtro nexiſti retia lecto,
Sit ſocer æternum, nec ſine matre domus.

Cui

cæ, arma Veneris tractat, ut ſolent homines nequam. vida adnotata ad Eleg. 4. ſup. v. 15. *Maxima bello*. irriſio, quia *militat omnis amans*, & *armă* [illegible] vocat Eleg. 3. lib. 1. v. 16. ubi vide adnotata. PASS. Nec ſine fructu, factus aliquot liberorum parens. Lucius Septimius L. 5. C. 5. *Paullo poſt ex his qui ex arce deſcenderant, cognoſcitur, Alexandri filios, quos ex Helena ſuſceperat, caſu camera exſtinctos: hique erant Bunomus, Corithus, atque Idæus*. iis quartum addit Iſacius Tzetzes *Agavum*. BROUKH. Ita Virgilius Æneid.

At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella,

Tibullus quoque Eleg. 10. lib. 1. *At Veneris tunc bella calent*. VULP.

v. 33. AUT TECUM, AUT PRO TE MIHI CUM RIVALIBUS ARMA SEMPER ERUNT: IN TE PAX MIHI NULLA PLACET] Aut arma mihi tecum erunt, aut tu futura belli cauſſa. quod ad te attinet, pacem odi, & dulcis mihi rixa. De rivalibus dictum ad Elegiam 8. lib. 1. v. pænult. Sitis amor eſt, unde translatio. Ovidius 3. Metam. de Narciſſo:

Dumque ſitim ſedare cupit, ſitis altera crevit.

In te; ut Eleg. 20. lib. 2.

In te ego & ferratas rumpam, mea vita, catenas. PASS.

Aut tecum, aut pro te. Groninganus, *aut per te*. ſed illud malim. Horatius L. 4. Od. 9.

Non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus. BROUKH.

v. 35. GAUDE QUOD NULLA EST ÆQUE FORMOSA: DOLERES, SI QUA FORET: NUNC SIS JURE SUPERBA, LICET] Nullam eſſe quæ forma cum Cynthia poſſit comparari, ipſe ait Eleg. 4. lib. 1. ab eo verſu *Tu licet Antiope*. & Eleg. 2. & 3. lib. 2. *Doleres*, ægra ferres, & invideres. ut Eleg. 26. lib. 2.

Et tibi præ invidia Nereïdes increpitarent.

τὸ *nunc* autem diſſimilitudinem notat. Sic Eleg. 9. lib. 1.

Quid ſi non eſſet facilis tibi copia? nunc tu
Inſanus medio flumine quæris aquam.

Sis jure-ſuperba, tuo jure potes ſuperbire, & merito gloriari; quod Horatius Oda 30. lib. 3. *Sume ſuperbiam Quæſitam meritis*. Sequitur autem formam ſuperbia. iccirco Eleg. 1. lib. 2.

Gaudet laudatis ire ſuperba comis.

Jure-ſuperba, ut *Jure-triumphat*, Eleg. 8. lib. 2. PASS. *Doleres, Si qua foret*. Hoc minus intellexit doctiſſimus Paſſeratius. Si quam te formoſiorem, inquit poeta, invenira poſſem, non ſine magno periculo in me convicia & maledicta jactares: non enim eſſem tot injuriarum patiens, tequa dofererem ad aliam confugiens; quod tibi dolorem pareret: nunc formæ præſtantiam tibi gratulara, cujus præſidio freta impune mihi conviciari potes. nam

Ferre ego formoſam nullum onus eſſe puto. VULP.

v. 37. AT TIBI, QUI NOSTRO TENDISTI RETIA LECTO] Formula imprecantis. Virgilius 2. Æneid. v. 535.

At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Dî, ſi qua eſt cælo pietas, quæ talia curet,
Perſolvant grates dignas.

Noſter Eleg. ult. infra:

At te celatis ætas gravis urgeat annis.

Tendiſti retia lecto. Cicero id *inſidiari ſomno maritorum* dixit. & Propertius vocabit mox, *furari*. An alludit ad Martis, Veneris & Vulcani fabulam? non opinor. Sed ἀλληγορικῶς dixit, Qui mihi & amori meo inſidia-

Cui nunc si qua data est fraudatæ copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

diatus, & dolo avertere Cynthiam aggressus es. Ita Eleg. 32. lib. 2.

Tendit iners docte retia nota mihi.

Diomedes autem lib. 1. & Priscianus lib. 10. (quod admonuit Lucas Fruterius L. 2. Verisimil. cap. 10.) non *tendisti*, sed *nexisti* hic legit, a præsenti necto. Sic Horatius Epist. 19. lib. 1.

Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit.

Lecto, amori, conjugio, amicæ. ut Eleg. ult. lib. 1.

Lecto te solum, lecto te deprecor uno. P. Omnes libri scripti habent *tendisti*. credo quod librarios terrebat insolentior flexio τῦ *nexisti*. quo modo ex Charisio probe correxit Scaliger; ex Diomede Fruterius ----- ex Prisciano insignis Turnebus L. 16. C. 6. præstat autem in hoc negotio Grammaticis priscis credere, quam rudibus librariis. Lucillius etiam ita extulerat, L. 5. Sat. apud Priscianum L. 9.

Hic solus vigilavit, opinor,
Et quum id mi visus facere est, tum retia nexit. BROUKH.

v. 38. SIT SOCER ÆTERNUM, NEC SINE MATRE DOMUS] Soceri generis plerumque sunt iniquiores, & ad eos filiæ de maritis querelas deferunt; ut in Menæchmis Plauti. Aliquando etiam socer diu vivens hereditatis exspectatione frustratur generum. vel huic rivali Propertii morosus & difficilis socer contigerat. Similis imprecatio apud Plautum: *Uxor tibi superstes ætatem ut fiet.* & apud eumdem vir de uxore querens: *Vivit, victura est, est immortalis.* Græcis uxoris pater πενθερός. De Soceri appellatione Jurisconsultus L. 4. *de Gradibus*. *Æternum*, adverbium. Virgilius 6. Æneid. *Sedet, æternumque sedebit Infelix Theseus. Nec sine matre domus*; quod ei dura mater esset: aut quod liberis grandioribus molestæ sunt. Horatius Epist. 1. lib. 1.

Ut piger annus
Pupillis quos dura premit custodia matrum.

vide Ciceronem pro Cluentio, & Asinariam Plauti. *Nec sine matre.* & cum matre. ut Eleg. 8. lib. 2. *Non sine matre ducet*. PASS. *Sit socer æternum*. Etiam senes patres incommodi. Catullus Carm. 67. v. 142.

Ingratum tremuli tolle parentis onus.

Æternum. non est adverbium, sed nomen. subaudiri enim debet *tempus*. VULP.

v. 39. CUI NUNC SI QUA DATA EST FURANDÆ COPIA NOCTIS] Oblata occasio noctis mihi surripiendæ. Sic enim *surripere operam* in Amphitr. Plauti. *Furta*, pro adulteriis. *Data copia*. Virgilius 9. Æneid. *Data copia matri*. Alio modo Elegia 20. lib. 2.

Interdum lecti copia facta tui.

Furandæ, pro furatæ. ut Eleg. 13. infra: *Mænas habenda*, pro habita. & apud Virgilium: *Volvendi menses*, pro volutis. *Furari noctem*; quomodo A. Gellius lib. 20. cap. ult. *Furari otium*; & Cicero pro Balbo: *Furari civitatem*. PASS. In Groningano est, *fraudata copia noctis*, quod & in Comelini libro Gebhardus invenerat. amplector, & sequor. *fraudatam noctem* vocat, qua ipsum fraudaverat sua Cynthia. BROUKH.

v. 40. OFFENSA ILLA MIHI, NON TIBI AMICA DEDIT] Ut me ulcisceretur, cui irata erat, non quod tibi bene vellet. Venusta antithesis, *Offensa*, *amica*, *mihi*, *tibi*. Beroaldus hic *Infensa* reposuit, quum prius esset *Offensa*. *Offendere*, inquit Nonius, *lædere, vel percutere*. ergo offensus, iratus, quia læsi dolent. unde offensio, quum impingitur, ab ob, & fendo. Suetonius in Claudio: *In pontificatu pontificibus offensior*. nempe iratior. Apud eumdem sæpe accipitur & pro invisus. Translatio est a capitis, vel pedis læsione, quum impingit. [Tibullus Eleg. 3. lib. 1. *Mihi tristia dixi*
Offensum in porta signa dedisse pedem.]
Ovidius pariter 2. Fastor. *Offensa procubuisse pede*. Idem lib. 2. Pontic. Eleg. 14. de navi in scopulos impingente:

Ad veteres scopulos iterum devertor, & illas
In quibus offendit naufraga puppis aquas.
PASS.

Et Muretus veram lectionem e libris reposuerat. Plancus ad Ciceronem L. 10. ad Famil. Epist. 16. dixit, Hominem *offensum mibi*. & deinde Epist. 23. *Nimium pertinaciter Lepido offensus*. Appulejus etiam Apolog. *An ut testamento, quod irato filio scribebat,*

filium potius, sui offensa erat, quam me, cui devincta, heredem relinqueret. BROUKH. *Offensa*, id est, ut Græci loquuntur, ἀπηχθομένη. Ita locutus & Sallustius B. Jugurth. cap. 76. *Metellus .... Marium, fatigantem de profectione, simul & invitum, & offensum sibi parum idoneum ratus, domum dimittit*. VULP.

ELEGIA IX.

MÆcenas eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam:

Quid

ARGUMENTUM ELEGIÆ IX. LIBRI III.] Alios aliis magis aptos esse: sibi vero Mæcenatis moderationem exemplo fore, ne grandia nimis, nisi eo duce, aggrediatur. V.

v. 1. MÆCENAS EQUES ETRUSCO DE SANGUINE REGUM] In clientela fuisse Mæcenatis & Propertium, constat ex Eleg. 1. lib. 2. in cujus extremo:

Mæcenas nostræ spes invidiosa juventæ.

Eum equestri ordine contentum fuisse, notum est; ideoque Eques sæpe dicitur, Horatio præcipue. Martialis vocat *Tuscum equitem*. *Etrusco de sanguine regum*: e gente Cilnia, unde reges Etruriæ; nam Arretiæ genus Cilnium præpotens. ita vett. libr. Livii lib. 10. quamvis & Licinii Cæcinæ Etrusci; unde reges, e quibus oriundus Mæcenas. Horatius Ode 1. lib. 1. *Mæcenas atavis edite regibus*. & Ode 29. libri 3. *Tyrrhena regum progenies*. vide etiam Sat. 6. lib. 1. Albinovanus in obitum Mæcenatis: *Regis erat genus Etrusci*. Martialis lib. 12. Epigr. 4.

Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni
Mæcenas atavis regibus ortus eques.

Scaliger in Catalecta: Menodori filius fuit Mæcenas, qui Cæsari contra Pompejum affuit: Menodoro Menippus pater: Menippo Cæcina rex Etruscorum, atavus Mæcenatis. Sane apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 4. in Epist. Augusti ad Mæcenatem *Laser Aretinum* dicitur; ut constet, gente Etruscum, domo Aretinum fuisse. & ad ejus ortum videtur alludere Silius Italicus lib. 7. Punic.

Cilnius Areti, Tyrrhenis ortus in oris,
Clarum nomen erat.

De sanguine. Sic Virgilius 10. Æneid. *Tusce de sanguine vires*. *Hetrusco*. in vett. libris & lapidibus sine aspiratione. Servius tamen in illud 11. Æneid. *Hetruscique duces*, Hetruria, inquit, dicta quod ejus fines erant usque ad ripas Tiberis, quasi ἑτερόρια, & per syncopen ἑτρόρια. nam ἕτερος, alter: & ὅρος, finis. PASS. C. Cilnii Mæcenatis, laudatissimi viri, nomen quam varie exaretur, nemo ignorat. hodie fere obtinuit eruditorum consensu, ut diphthongus *æ* in prima syllaba ponatur. quo modo constanter exhibet codex Groninganus. neque aliter scribi in Romano Virgilii codice, inque monumentis quæ in ipsis hortis Mæcenatianis eruta sunt, locuples testis est vir elegantissimæ doctrinæ Joannes Pierius Valerianus Castig. in L. 1. Georg. v. 2. & Aldus Manutius Ortograph. p. 493: Lambinus, Dausquejus, alii. nummum argenteum, SCto in honorem ejus cusum, cum effigie & epigraphe, S. C. MAECEN. exhibet in suo Mæcenate Henricus Meibomius C. 5. quo libro, docto sane atque elegante, vir industrius complexus est quidquid de genere, moribus, fortuna, rebusque gestis C. Cilnii Mæcenatis hodie sciri potest. Andreas vero Dacerius nuper Mæcenati status controversiam movit, in Notis ad Horat. L. 1. Od. 1. ubi contendit, omnes interpretes, qui Mæcenati regium genus dederant, esse lapsos; nec bene percepisse, *reges* apud optimum quemque scriptorem vocari optimates, aut etiam opulentos homines, eorumque uxores *reginas*. itaque *atavis regibus editum* debere exponi, natum ex illustri & antiqua familia equestri. De ea notione *regis*, & *reginæ*, scimus abunde, neque nunc primum docendi eramus. Verum de Mæcenate tum credemus, ubi bonis rationibus ostensum erit, antiquos illos Etruriæ reges non fuisse revera reges, sed tantum optimates, aut homines opulentos. Tum & hoc excuti debebit, utrum *prosapia*

eque-

equeſtris, in ſermone ſerio, recte dici poſſit *genus regium*. quod ſi rite atque ordine ita liceat loqui; jam ego contendam P. Ovidium Naſonem proavis regibus fuiſſe progeneratum. nam certe huc ipſe ducat L. 3. Amor. Eleg. 15.

Si quid id eſt, uſque a proavis vetus ordinis hæres,
Non modo militiæ turbine factus eques.

& in Ponticis, L. 4. Epiſt. 8.

Si genus excuties, equites ab origine primo
Uſque per innumeros inveniemur avos.

nemo tamen poeta ideo dixiſſet,

O Naſo proavis edite regibus.

atque poſtquam in enumeratione proſapiæ equeſtris quibus verbis ſit utendum luculenter oſtendiſſet Marcus Cicero, ortus & ipſe loco equeſtri, Orat. pro Plancio C. 13. *Sed quum ſit Cn. Plancius is eques Romanus, ea primum vetuſtate equeſtris ordinis, ut pater, ut avus, ut majores ejus omnes equites Romani fuerint, ſummum in præfectura florentiſſima gradum tenuerint & dignitatis & gratiæ* &c. Clientes, aſſeclæ, ſalutatores, paraſiti, patronos ac dominos ſuos amicoſque potentes vocitare *reges* ſolebant. exemplorum feſtiva copia eſt apud Plautum, Terentium, Martialem, ipſumque adeo Horatium. eleganter nitidiſſimus ſcriptor Columella Præfat. L. 1. *An honeſtius duxerim mercenarii ſalutatoris mendaciſſimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, ſomniumque regis ſui rumoribus inaugurantis? neque enim roganti, quid agatur intus, reſpondere ſervi dignantur.* & credamus Horatium hoc verbo appellitaſſe majores Mæcenatis, ubi extollere volebat antiquum generis ac natalium ſplendorem? eſto itaque Mæcenas *Tyrrhena regum progenies*; neque confundantur equites Romani cum regibus Etruſcorum. Quæ Jeſuita Rodellius contra Dacerium attulit *de Mæcenatis ſtirpe vere regia*, qualia ſint, tutemet ubi voles poteris arbitrari. ego potiora duco, quæ doctiſſimus Meibomius diſputat libri laudati C. 2. quæque vir ſummus Thomas Reineſius Epiſt. ad Rupert. 35. BROUKH. Memorabilis eſt locus T. Livii lib. 10. Hiſt. *Etruriam*, inquit, *rebellare*, *ab Arretinorum ſeditionibus motu orto*, *nuntiabatur: ubi Cilnium genus præpotens*, *divitiarum invidia pelli armis cœptum*. VULP.

v. 2. INTRA FORTUNAM QUI CUPIS ESSE TUAM] Qui vis te continere intra fines fortis, conditionis, & ordinis tui. Sic Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 4.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Horatius pariter Sat. 1. lib. 1. *Intra Naturæ fines viventi*. Idem fere eſt Sat. 6. lib. ejuſd. *Quoniam in proprio non pelle quieſſem*. Adde Perſium Sat. 4.

Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſupellex.

Cupis eſſe, pro es cupide, & libenter manes. ut Eleg. 10. lib. 1.

Tu cave ne triſti cupias pugnare puellæ. P. Livinejus legebat *Infra*; &, quod miror, Nic. Heinſius, Not. ad Ovid. L. 3. Triſt. Eleg. 4. v. 25. male uterque. *intra fortunam ſuam eſſe*, valet, citra limites fortunæ conſiſtere, gerere ſe modeſtiorem quam quidem per fortunam licere poſſet. Sic *intra modum*, *intra domnum*, *intra præturam*, *intra priorem paupertatem*, *intra juventam*, *intra gloriam*, *intra paſtorem*, *intra naturale deſiderium*, dixerunt Cicero, Tacitus, Florus, Silius Italicus, Q. Curtius. BROUKH. Sententia eſt: Qui acquieſcis fortunæ tuæ, qui contentus es fortuna tua. Hoc loco verbum *cupere* idem ſignificat, quod ſæpe ſcriptoribus Græcis ἀγαπᾷν. Plutarchus in Publicola: Ἀγαπᾷν τὴν δευτέραν τάξιν. ſecundo ordine contentum eſſe. quod ſimillimum eſt hujus Propertiani. Vel quem delectant minora illis quæ fortuna offert ac exhibet. Ita locutus Florus lib. 4. cap. 11. de Cleopatra: *Regina ad pedes Cæſaris provoluta tentavit oculos ducis: fruſtra; nam pulcritudo intra pudicitiam principis fuit*. major enim Cæſaris caſtitas, quam forma Cleopatræ erat. Quintilianus item Inſt. Orat. lib. 11. cap. 3. *Scripta Hortenſii intra famam ſunt*. minora ſcilicet quam ejus fama. Sic & Mæcenatis animi minores erant fortuna ipſius, quum ob Cæſaris amicitiam omnia conſequi poſſet, ſi vellet. Illud Senecæ Medea, diſſimile, immo contrarium:

Fortuna ſemper omnis infra me ſtetit.

Ceterum, ſi proprie loqui velimus, neminem cupere poſſe id quod habet, diſputat Plato in Convivio, Edit. Serrani Tomo 3. p. 200. Locus M. Tullii non prætermittendus Orat. pro Cluentio, ubi de commodis equeſtris ordinis: *Tunc C. Flavius Puſio, Cn. Titinnius, C. Mæcenas* (fortaſſe pater hujus Mæcenatis, qui ſummus Auguſti fuit amicus:

O 2 nam

Quid me ſcribendi tam vaſtum mittis in æquor?
Non ſunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe eſt, quod nequeas, capiti committere pondus;
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.

Omnia

nam ut Menodorum vocatum fuiſſe patrem ejus putem, vix adduci poſſum; Græcum enim nomen eſt Menodorus) *illo robora populi Romani, ceterique bujuſcemodi ordinis, non fecerunt idem quod nunc Cluentius, ut aliquid culpæ ſuſcipere ſe putarent, recuſando: ſed apertiſſime repugnarunt, quum hæc recuſarent, & palam fortiſſime atque honeſtiſſime dicerent, ſe potuiſſe judicio populi Romani in ampliſſimum locum pervenire, ſi ſuo ſtudio ad honores petendos conferre voluiſſent: ſe ſe vidiſſe, in ea vita qualis ſplendor ineſſet, quanta ornamenta, quæ dignitas: quæ ſe non contemſiſſe, ſed ordine ſuo patrumque ſuorum contentos fuiſſe; & vitam illam tranquillam & quietam, remotam a procellis invidiarum, & bujuſcemodi judiciorum anfractu, ſequi maluiſſe*. Legeſis quæ deinceps. De Mæcenate, ejuſque moribus videndi Vellejus Paterculus lib. 2. Hiſt. Dio Caſſius lib. 53. Lævinus Torrentius ad Horatii Oden 1. v. 1. Andreas Dacerius ad ejuſd. Oden 20. lib. 1. & Sat. 1. lib. 1. v. 50. VULP.

v. 3. QUID ME SCRIBENDI TAM VASTUM MITTIS IN ÆQUOR?] Jubes me in mare ingens ſcribendi ingredi, ſeu tractare immenſam materiem rerum geſtarum Auguſti? De hac translatione dictum ad Eleg. 3. ſup. ad illud, *Cymba ingenii*. Sic *mare bonorum & malorum* in Proverbiis; atque ita Catullus de poſſeſſionibus ac latifundiis Mamurræ, *Cetera ſunt maria*. Æquoris quoque nomen convenit ipſis cereis tabulis. Titinnius apud Chariſium lib. 2. *Velim ego eſſe arare campum cereum*. id eſt, oſſeo ſtylo. Vide T. Livium initio lib. 3. qui pari translatione uſus eſt. Horatius Ode ult. lib. 4. *Ne parva Tyrrhenum per æquor Vela darem*. PASS. Antiquis tabella cerata, in qua graphioli acie litteræ pangebantur, *æquor* dicta fuit: quod Italice diceres *il piano del foglio*. Auſonius Epigr. 138. ad notarium celerrime excipientem: *Tibi mea aures ambigunt, Nec occupatur pagina, Et mota parce dextera Volat per æquor cereum*. Prudentius quoque, Chriſtianus poeta, Hymno 9. περὶ στεφάνων, de ſupplicio Caſſiani martyris:

Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur:
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.

A Propertio tamen non alluſum ad has tabulas, verſus qui proxime ſequitur, ſatis oſtendit. VULP.

v. 4. NON SUNT APTA MEÆ GRANDIA VELA RATI] Sic Ovidius 3. A. A.

Conveniunt cymbæ vela minora meæ.

Rates & cymbæ, quæ minutæ ſunt naves, minutis velis & remis aguntur. iccirco Eleg. 27. lib. 2. *Inſerva triſtia vela ratis*. nempe cymbæ. In eadem tamen navi & majus & minus velum. minus, quod in prora ponebatur, *Mendicum* dicebant: Feſtus. vide Plinium in proœmio lib. 19. H. N. *Grandia vela:* bene; nam & *Grande carmen* dicitur, & *Grandiloqui poetæ*. Eadem allegoria Ovidius lib. 2. Triſt.

Sæpe dedi noſtra grandia vela rati.

& initio 2. Faſt.

Nunc primum velis, Elegi, majoribus itis. PASS.

v. 5. TURPE EST, QUOD NEQUEAS, CAPITI COMMITTERE PONDUS] Temeritatis eſt ac ſtultitiæ ſupra vires niti. unde Virgilius 10. Æneid.

Quo moriture ruis, majoraque viribus audes?

Horatius Epiſt. ad Piſones:

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

& Martialis in fine libri 12.

Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt.

Committere pondus capiti, mandare, & tradere ferendum. ut Eleg. 18. lib. 2. *Noli committere famæ*. Sic *epiſtola commiſſa*, Afranio, tradita ferenda. Et conjunctum aliquando cum periculo; ut ſe itineri &

viæ

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur una jugo.

Glo-

viæ committere. Non tantum vero humeris & cervice, sed etiam capite quædam gestantur. Ovidius lib. 2. Metam.

Illa forte die, castæ de more puellæ
Vertice supposito, festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.

& lib. 3. Pontic. Eleg. 8.

Suppositoque gravem vertice portat aquam.

Juvenalis Sat. 3.

Vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quas recto vertice portas.

Noster Eleg. 4. lib. 4.

Urgebat medium fictilis urna caput.

vide Festum in *Arculum*. τὸ *Nequeas* ἐλλειπτικῶς, ut Terentius Eun.

Atqui audieram, illos mulierum amatores esse maximos,
Sed nihil potesse. PASS.

In eamdem sententiam Livius lib. 24. *Magis nullius interest, quam tua, T. Otacili, non imponi cervicibus tuis onus, sub quo concidas.* Seneca pariter lib. 3. de Ira cap. 6. *Facile est levia aptare cervicibus, & in hanc aut in illam partem transferre sine lapsu: at quæ alienis in nos manibus imposita ægre sustinemus, victi in proximos effundimus, & dum stamus sub sarcina, impares oneri vacillamus.* Huc etiam pertinent verba Ciceronis lib. 2. Tusc. Disput. *Onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: simillime animus intentione sua pellit pressum omnem ponderum: remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere.* VULP.

v. 6. ET PRESSUM INFLEXO MOX DARE TERGA GENU] *Pressum*, pro, oppressum onere, per aphæresin; ut Eleg. 15. lib. 2. *Pressi membra multo mero. Dare terga*, pronum cadere: nam ut dat terga & ostendit, qui fugit, sic qui cadit pronus. Vel etiam supinum cadere. Ausonius Epigr. 115.

Faustulus insidens formicæ, ut magno elephanto,
Decidit, & terræ terga supina dedit.

ex Græco Lucillii:

Ἱππείου μύρμηκος Μενέστρατος, ὡς ἐλέφαντι,
Δύσμορος, ἐξαπίνης ὕπτιος ἐξέπεσεν.

Genu inflexa, poplite labente & succiduo. Lucanus Panegyr. ad Pisonem, dixit eodem modo:

Et tremefacta cadunt succiso poplite membra.

Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Jam, fera, Cæsaribus, Germania, totus ut orbis,
Victa potes flexo succubuisse genu.

licet aliter hoc explicari possit de supplice. PASS.

v. 7. OMNIA NON PARITER RERUM SUNT OMNIBUS APTA] Omnes res æque omnibus non conveniunt. Sic Horatius Epist. ad Pison. *abdita rerum.* & Ode 1. lib. 2. *cuncta terrarum.* Seneca quoque in Consolat. ad Marc. cap. 25. *æterna rerum.* Appulejus denique Apolog. 1. *futura rerum præsagire. Omnia omnibus*; ut Virgilius: *Non omnia possumus omnes.* vide Fabium Quintil. toto cap. 9. lib. 2. & cap. 10. lib. 12. P. Homerus multo ante dixerat Iliad. 23. v. 670. Οὐδ' ἄρα πως ἦν ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι. *Neque enim ulla modo licet In omnibus operibus peritum virum evadere.* Pulcre M. Seneca Præfat. lib. 3. Excerpt. Controvers. *Magna quoque ingenia, a quibus multum abesse me scio, quando plus quam in uno eminuerunt opere? Virgilium illa felicitas ingenii, in oratione soluta reliquit. Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit. Orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur. Eloquentissimi viri Platonis oratio, quæ pro Socrate scripta est, nec patrono, nec reo digna est. Hoc non ingeniis tantum, sed corporibus videmus accidere: quorum vires non ad omnia quæ viribus efficiuntur, apta sunt.* Lege reliqua, si vacat. VULP.

v. 8. FAMA NEC EX ÆQUO DUCITUR UNA JUGO] Idem nomen eademque laus non manat ex eodem fonte. *Ducere famam ex jugo*, translatum ab aquis quæ ducuntur & derivantur in locis superioribus. Noster Eleg. 11. infra: *Dunis & Euphratem medium.* Cicero 3. Offic. *A quatuor fontibus honestatis officia ducimus.* Frequens est sermo: *Ducere rivos, & ducere aquam. Jugum*, pro origine, fonte, principio, quia flumina oriuntur ex montium jugis. de quibus Eleg. 19. lib. 2. *Flumina fusa jugis.* Cicero 3. de Orat. *Ut ex Apennino fluminum;*

sic

Gloria Lysippo est animosa effingere signa:
Exactis Calamis se mihi jactat equis.

In

sic ex communi sapientium juge sunt doctrinarum facta diverticula. Inde *conjugata* rhetoribus & philosophis, quæ ex eodem jugo & capite ducta varie inflectuntur. Lipsius autem lib. 3. Var. Lect. cap. 17. pro *ulla* recte correxit, *una*: cui vetus liber assentitur. Exponit autem, *ex æquo juga*, id est etiam ex eadem arte non unam nec eamdem famam ad artifices pervenire. & adfert ex Ciceronis Oratore: *Una fingendi ars est, in qua præstantes fuerunt Myron, Polycletus, Lysippus. qui omnes inter se dissimiles fuerunt; sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ratioque picturæ: dissimillimi tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quisquam est cui quidquam in arte sua deesse videatur.* Sic Horatius Ode 1. lib. 1. alios alio studio teneri, & diversis viis ad laudem tendi, ostendit. PASS. *Fama nec ex æquo ducitur ulla juga.* Duo Regii, noster secundus, Groninganus, libri Gebhardi: *Flamma nec ex æquo.* primus noster:

Palma nec ex æquo clauditur ulla juga.

Flamma & *clauditur* etiam in Borrichiano legitur. deinde Regii: *illa raga*: Colbertini, *ulla raga*. legendum cum Lipsio L. 3. Var. Lect. C. 17.

Fama nec ex æquo ducitur una juga.

optime Lipsius: nam istud *una* erat in Passeratii libro. & crebro *illa* vel *ulla* scripserunt librarii pro *una*. -------- Aliter Jo. Fred. Gronovio visum fuisse in Diatribe Statiana non ignoro. quem, qui volet, sequatur. BROUKH.

V. 9. GLORIA LYSIPPO EST ANIMOSA EFFINGERE SIGNA] Gloria cum tertio casu, ut Eleg. 3. lib. 2.

Gloria Romanis una es tu nata puellis.

De Lysippo statuario, (nam & alter pictor fuit) & ejus operibus Plinius lib. 34. H. N. cap. 7. Horatius Epist. 1. lib. 2.

Edicto vetuit ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum simulantia.

quod & Plinius refert lib. 7. H. N. cap. 37. *Effingere*, quod Horatio, *Ducere æra simulantia vultum*. & Virgilio 6. Æneid. *Vivos ducent de marmore vultus.* *Effingere*, sive cælo, sive penicillo exprimere formam aliquam; unde *effigies* dictæ. Cicero 1. de Legib. *Tum speciem ita formavit oris, ut in ea reconditos mores penitus effingeret.* *Signa*, inquit Festus in *Litura*, *ut rerum, ita æs sculpta ipsa, aut lapides, aut ferrum, & si qua sunt ejusmodi quæ sculpantur: & pocula, & simulacra ad hominum effigiem conformata.* *Animosa*, spirantes animos mittentia, ut ait Noster Eleg. 7. lib. 4. Virgilius 2. Georg.

Quas animosi Euri assidue franguntque, feruntque.

id est, valde spirantes. Propertius ipse Eleg. 1. lib. 4.

Quid valeant Pisces, animosaque signa Leonis.

Sic signa quædam & animata, & virtutem spirantia, ut Alexander Lysippi. Vide notata ad illud Eleg. 31. lib. 2. *Vivida signa boves.* Vetus Glossarium: *Animosa, animalis.* ἔμψυχος. PASS. Quintilianus L. 12. C. 10. *ad veritatem Lysippum & Praxitelem accessisse optime, affirmant.* & poterat de iis arbitrari Propertius, testis oculatus. De operibus Lysippi Vellejus lib. 1. cap. 11. & Plinius lib. 34. cap. 8. BROUKH. *Gloria Lysippo est a. e. s.* Tibullus eodem pacto Eleg. 1. lib. 2.

Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis. V.

V. 10. EXACTIS CALAMIS SE MIHI JACTAT EQUIS] Plinius lib. 34. cap. 7. *Duo pocula Calamidis manu cælata.* & cap. seq. *Ipse Calamis & alias bigas quadrigasque, fecit, equis sine æmulo expressis.* meminit & lib. 36. cap. 5. Item Pausanias in Corinthiacis & Eliacis. Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 1.

Vindicat & Calamis laudem, quos fecit, equorum.

Se mihi jactat, se venditat, & ambitiose commendat opere non verbo. Afranius *Epistula*, apud Nonium in *Tristis*, pro iratus:

Jactabit sese (vulgo jactavit) jactet, mihi erit tristiae.

Exactis equis, ad unguem factis. ἐξεσμένοις. Ovidius 1. Metam.

Non exacta satis, rudibusque simillima signis.

Vide

In Veneris tabula ſummam ſibi ponit Apelles:
Parrhaſius parta vindicat arte locum.
Argumenta magis ſunt Mentoris addita formæ:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.

Phi-

Vide notata ad Eleg. 2. ſup. v. 8. PASS. Cicero tamen in Bruto C. 18. *Quis enim eorum qui hæc minora animadvertunt, non intelligit, Canachi ſigna rigidiora eſſe quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, ſed tamen molliora quam Canachi.* Similia fere Fabius lib. 12. cap. 10. BROUKH.

v. 11. IN VENERIS TABULA SUMMAM SIBI PONIT APELLES] De Apelle dixi ad Eleg. 2. lib. 1. v. 22. *Ponit ſibi ſummam*, ſtatuit in ea præcipuam artis ſuæ laudem; hoc eſſe vult caput omnium operum ſuorum. Sic Lucillius apud Lactantium: *Hic omnia ponit. Summa*, τὸ κεφάλαιον, τὸ σύμπαν. ductum a rationibus. Terentius Phorm. 2, 2. *Ad te ſumma rerum redit.* Cicero 5. de Finib. *In homine ſumma omnis animi eſt.* nempe, cetera levia. & 4. ejuſd. oper. *Quibus ſumma eſt in voluptate.* De Venere, quæ ἀναδυομένη vocatur, quam e mari exeuntem pinxit Apelles, Ovidius 3. A. A.

Si Venerem Cous numquam pinxiſſet Apelles,
Merſa ſub æquoreis illa lateret aquis.

Vide Ciceronem 1. ad Famil. Epiſt. 9. & 2. ad Attic. Epiſt. 21. Auſonium Epigr. 104. ex lib. 4. Ἀνθολογίας. Pinxit & aliam Venerem Cois Apelles etiam ſuperaturus illam priorem: ſed invidit mors peracta parte: Plinius. PASS.

v. 12. PYREÏCUS PARVA VINDICAT ARTE LOCUM] Pyreïcum humilia ſecutum, & ſummam humilitatis laudem adeptum eſſe, ſcribit Plinius lib. 35. cap. 10. Sed veteres libri omnes *Parrhaſius*; & Beroaldus ſe fatetur mutaſſe, approbante Pico Mirandula. Plinius tamen ibidem & ſummam ſubtilitatem Parrhaſio tribuit, quæ fortaſſe hic parvitas dicitur. Horatius Ode 8. lib. 4. *Artium Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas.* Nota ſubtilitas ejus lintei picti qua Zeuxin fefellit. *Vindicat locum*, ſibi deberi laudem inter pictores contendit, & ſibi aſſerit famam bene pingendi. Vindicare ductum a jure civili, & injectione manus, cum hac voce Meum eſt. Ovidius, Cicero, Feſtus. *Locum*, ordinem, numerum, dignitatem. Q. Cicero ubique, & Nonius in *Locus*. ductum ab ordine ſedendi vel accumbendi, vel ambulandi; quia medius locus honoratiſſimus. Eleg. 3. lib. 2.

Romano accumbes prima puella loco. PASS.

Pyreicus intruſerat Beroaldus, iuque eo facinore ultro etiam gloriatur. *Parrhaſius* eſt in octo libris ſcriptis: quod rite atque ordine Scaliger reſtituit in ſuam ſedem. idem feliciſſime *parta* emendavit ex corrupto *parva*. Sane *parere artem* ita dicitur, ut *parere laudem*, *gloriam*, *amicos*, *imperium*, *pacem*, *bellum*, & quæ ſunt id genus ſexcenta tanta. Plinius L. 35. C. 10. *Parrhaſius Epheſi natus, & ipſe multa conſtituit. Primus ſymmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venuſtatem oris, confeſſione artificum in lineis extremis palmam adeptus.* hæc eſt illa ars, quam Parrhaſius peperiſſe perhibetur. BROUKH.

v. 13. ARGUMENTA MAGIS SUNT MENTORIS ADDITA FORMÆ] De opere Mentoreo Noſter Eleg. 14. lib. 1. v. 1. *Argumenta*, vel fabulæ, pictæ, ſculptæ, textæ, vel hiſtoriæ dicuntur. Virgilius 7. Æneid.

At levem clypeum ſublatis cornibus Io
Auro inſignibat; jam ſetis obſita, jam bos
Argumentum ingens.

Cicero 6. in Verrem: *Argumenta erant in valvis.* quod quid ſit, intelligitur ex Eleg. 31. lib. 2.

Et valvæ Libyci nobile dentis opus.

Sunt addita, ſic adjuncta & adpoſita ut eximi poſſent. Opinor ergo & credo emblemata ſignificari, quæ vaſis ita detrahi poterant, ut vaſa pura remanerent ſine cælatura & argumento; ut conſtat ex 6. Verrina Ciceronis multis locis. Virgilius 1. Æneid. dixit: *Quale manus addunt ebori decus. Formæ*, operi formato & ficto, ut poculo, vel ſigno. Sic Eleg. 2. lib. 4. *Mamuri, formæ cælator ahenæ.* nempe ſtatuæ. Ennius apud Ciceronem:

Aſpicite, o cives, ſenis Ennii imaginis formam,

Sic

Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno;
Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.

Est

Sic *species* apud eumdem lib. 1. de Divinat. PASS. Obscura & perplexa mihi videtur sententia hujus versus, quales haud raro in Propertio occurrunt. VULP.

v. 14. AT MYOS EXIGUUM FLECTIT ACANTHUS ITER] Plinius Myos argenti cælatoris meminit, cujus venatio in scyphis magnam famam habuerit. Martialis Epigr. 51. lib. 8.

Quis labor in phiala? docti Myos? anne Myronis?

& Epigr. 34. lib. ejusd.

Archetypum Myos argentum te dicis habere.

vide Pausaniam in Arcadicis. *Acanthus*, herba topiaria, ἄκανθος ἢ μελάμφυλλον, vulgo *branca ursina*, cælabatur in poculis. Theocritus Idyll. 1.

Πάντα δὲ ἀμφὶ δέπας περιπέπταται ὑγρὸς ἄκανθος.

Plinius herbam esse ait quæ in Ægypto nascatur. adhibebant & pingendis vestibus acu Phrygia. unde *flexum acanthum* ipsum Virgilius vocat 4. Georg. *Flectit iter*, flexuose errat per poculum ansas amplectens. Idem Virgilius Ecl. 3.

Et molli circum est ansas amplexus acantho.

Sic & 5. Æneid. *Flecto viam velis*. *Exiguum*, quia breve spatium & angustum poculi, ubi non longius errat, sed in se reflectitur. PASS. *Myos*, Hic artifex vocatus fuisse videtur Μῦς; cujus obliquus Μυός. Martialis Epigr. 95. lib. 14. de phiala aurea cælata:

Quamvis Callaïco rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam Myos iste labor. VULP.

v. 15. PHIDIACUS SIGNO SE JUPPITER ORNAT EBURNO] Hunc *Jovem Eleum* vocat Noster Eleg. 2. sup. *Pisæum* Statius 3. Silv. in Hercule Surrentino. Martialis Epigr. 55. lib. 7.

Phidiaco si digna Jovi dare templa paravit,
Has petat a nostro Pisa Tonante manus.

De Phidiæ Jove Olympio, & aliis ejusdem simulacris, quibus nihil in eo genere perfectius, vide Plinium lib. 7. H. N. cap. 38. & lib. 34. cap. 8. Suetonium in Caligula cap. 22. Plutarchum in Pericle, & Pausaniam in Eliacis. *Se ornat*, induit eam formam, ut augustior videatur. summa laus artificis, ex cujus opere ornamentum ipse quærat Juppiter. Sic Coquus Plautinus in Pseudolo: *In eum odorem cœnat Juppiter quotidie*. & Cicero in Bruto, *Jovem si Græce loquatur, Platonis sermone loqui*. PASS. In Groningano, & Commeliniano Gebhardi, erat *se Jupiter armat*: quod aliquando multum se mihi commendabat. vidi deinde verius esse vulgatum *ornat*: neque enim Jupiter ille Eleus tenebat fulmen, uti videre est ex illa diligentissima atque operosissima hujus nobilissimi operis descriptione apud Pausaniam in Eliacis prioribus, sive L. 5. Passim quoque alii laudarunt a pulcritudine atque ab ornatu inimitabili. Quintilianus L. 12. C. 10. *Phidias in ebore longe citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset: cujus pulcritudo adjecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur. adeo majestas operis deum æquavit*. vide & Columellam Præfat. L. 1. Juvenalis Sat. 8.

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur.

adde Valerium Maximum L. 3. C. 7. extern. 4. De Phidiæ Minerva v. Cicero Præfat. Paradox. p. 544. inibi Aldus p. 408. 6. BROUKH. *Phidiacus J*. In Carm. Libero, Epigr. 9. *Nec sum Phidiaco manu politus*. Primam syllabam in *Phidias* corripuit Ausonius Epigr. 12. ubi de signo Occasionis:

Cujus opus? Phidiæ, qui signum Pallados, ejus
Quique Jovem fecit: tertia palma ego sum. VULP.

v. 16. PRAXITELEM PARIUS VINDICAT ARTE LAPIS] Eum sibi artificem postulat marmor Parium, nec vult ab alio sculpi ob ejus artis præstantiam. Ita malo exponere quam per hypallagen: Praxiteles vindicat lapidem Parium. *Parius lapis* candidissimus. unde Virgilius 3. Æneid. *niveam Paron* dixit. Plinius lib. 36. H. N. cap. 5. *Praxiteles*, inquit, *marmoris nobilitate superavit etiam semet*. Libro autem 7. cap. 38. *Praxiteles marmore maxime nobilitatus est, Gnidiaque Venere*. & alibi. In Catalectis:

Non

Eſt quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ,
Eſt quibus in celeres gloria nata pedes.

Hic

Non me Praxiteles, Scopaſve fecit. vide lib. 4. Anthologiæ de ejus Venere. Pro *Parius* legitur etiam *propria*, quia ea laos Praxitelis, in qua omnes illi ceſſerunt, & ſe ipſe ſuperavit, ut ait Plinius. Sed *τὸ lapis* poſtulat *Parius*. PASS. In octo libris ſcriptis, & editionibus primis, legitur, *propria vindicat urbe lapis*. quo modo & duo libri Gebhardi. *τὸ arte*, quod nullæ membranæ agnoſcunt, videtur Hier. Avantii eſſe figmentum: nam primum comparuit in editionibos Aldinis. iſtud autem *propria* corruptom puto ex *Paria*. etenim *Parius* habere quoſdam codices, teſtatur Beroaldos.------- Itaque ſcribendum opinor,

Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.

Parium marmor ſolum dignum eſt, in quo ſe exerceat Praxitelis artificium nulli imitabile. Paros, Cycladum una in mari Ægeo, babebat urbem ſibi cognominem; patriam Archilochi poetæ. vide Stephanum Byzaotium. *lapis urbe Paria* ſic dicitur ut *ficus Zacyntho*, *vinum Lesbo*, & quæ ſunt id genus mulra veterum munditiarum. de quibus cum cura egit eruditus ſcriptor noſtras Auſonius Popma L. 2. de uſu Antiq. Locot. C. 11. BROUKH. Probo feliciſſimam, elegantiſſimam, certiſſimamque Broukhoſii conjecturam. Editio princeps habet:

Praxitelem propria vindicat urbe lapis.

VULP.

v. 17. SUNT QUIBUS ELEÆ CONCURRIT PALMA QUADRIGÆ] Sic Horatius Ode 1. lib. 1. *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegiſſe juvat*. *Concurrit*, ſignificantius quam convenit, quia concorſus certamen & frequentiam indicat. Cicero 2. de Divinat. *Somnia caſu nonnumquam temere concurrunt*. An eſt hypallage pro, quadriga concurrit palmæ; id eſt, ad palmam & victoriam ludorum Olympicorum? *Elea quadriga*, quæ Piſam Elidis venit ad ludos Olympicos. qua de re Eleg. 8. lib. 1.

Et quas Elis opes ante-pararat equis.

Quadriga autem ſingolari numero; ut adnotatum ad Eleg. ult. lib. 2. v. 38. Statius lib. 10. Thebaid. de quo:

Natus ad Eleas melior quis ſurgere palmas?

Palma autem commune omnium certaminom præmium, etſi aliud alii proprium: Plutarchus Sympos. vide A. Gellium lib. 3. cap. 6. PASS. Hic & in ſeqoente verſu pro *ſunt* babeot *eſt* noſtri duo com Groningano, alteroqne Colbertino, ac Borrichiano. eleganter, & ad morem Atticorum, quod illuſtratum dedit Theodorus Marcilius ad Horat. L. 1. Od. 1. reliqui libri *ſunt*, *ſunt*. & ſic fere editiones vulgatæ.----- Brevi ad has delicias obrutuit infelix palatum hominum quorumdam inepte doctorum, quibus ſordet & putet quidquid eſt Venerum transmarinarum. BROUKH. In editione A. 1472. omnium principe legitur *eſt*, *eſt*. Ἑλληνισμὸς, in quo verbum ſingularis numeri jungitor nomini pluralis numeri. Plato in Minoë, allatos a Jacobo Gretſero cap. 1. Græcæ Syntaxeos n. 8. Πολλῶν γὰρ ὄντων ἀνθρώπων καὶ ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, οὐκ ἔστιν οἵτινες ἀπέχονται συμποσίων ἢ Κρῆτες. *Quum enim multi ſint homines & Græci & Barbari, non ſunt qui a ſympoſiis abſtineant, præter Cretes*. quamquam poſtea negat ipſe Gretſerus, hoc Latinis ſcriptoribus licere. Sed obſtat auctoritas Propertii, qui profecto, ſi libro Scaligeri & aliis veteribus fides habenda eſt, ita ſcripſit. Quid, ſi in hac locutione ſit ellipſis? ut ſubaudiatur *genus hominum*. *Eſt* genus hominum, *quibus* &c. VULP.

v. 18. SUNT QUIBUS IN CELERES GLORIA NATA PEDES] Qui eam habent laudem a natura, ut velocitate pedum omnibus præſtent, & optimi ſint curſores, ut Achilles, Camilla, Ladas, Talus. *Natus in rem aliquam*. Sic Horatius Ode 27. lib. 1. *Natis in uſum lætitiæ ſcyphis Pugnare, Thracum eſt*. *Celeres pedes*. unde *Celeripes* apud Ciceronem 9. ad Attic. Græcis ὠκύπους. Statius 9. Thebaid. elevat hanc laudem celeritatis & curſus pedum. Juvenalis Sat. 13.

Quid enim velocis gloria plantæ
Præſtat, & eſuriens Piſææ ramus olivæ?

PASS.

Hypallage, pro, *quibus celeres pedes in gloriam nati*. VULP.

Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis.
Naturæ sequimur semina quisque suæ.
At tua, Mæcenas, vitæ præcepta recepi,
Cogor & exemplis te superare tuis.

Quum

v. 19. Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis] Sati ad pacem poetæ. *Natura quietum hominem* vocat hunc Q. Cicero de Petitione Consulatus. *Serere* dicuntur auctores vitæ, ut natura, & parentes. Inde *Sator divûm* Juppiter Virgilio. &, *Sate sanguine divûm*. & *Satu*, pro generatione, Attius Pelopidis: *Ajo me heredem ex tuo esse conceptum satu*. Idem in Telepho: *Profecto haudquaquam est ortus mediocri satu*. id est, genere & sanguine. Cicero 1. de Legib. *Exstitisse quamdam maturitatem serendorum hominum*. Agit ibidem de seminibus deciduis e cælo, unde homines. De se autem Propertius confitetur Eleg. 6. lib. 1. quod hic ait:

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis.

ubi, *Idoneus armis*, qui hic, *utilis armis castrensibus*. Ovid. 2. Fast.

Nam puer impubes, & adhuc non utilis armis.

Utilem bello dixit Horatius Ode 12. lib. 1. *Castrensibus*, quia sunt & *arma oratorum* Ciceroni. & infra Eleg. 21. *Demosthenis arma*. & *arma Ulixis* apud Virgilium doli & fraudes. Pass. Si *campestribus armis* legere malis, fuerint exercitationes campi Martii. Horatius Epist. ad Pison. v. 379.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,

vide quid adnotaverim ad illud Tibulli Eleg. 4. lib. 1.

Si volet arma, levi tentabis ludere dextra.
Vulp.

v. 20. Naturæ sequitur semina quisque suæ] Eo quisque fertur, quo rapit vis insita. suæ quisque paret naturæ, & ingenio. eo quisque tendit, quo natura ducit. Demosthenes adversus Pantænetam: φύσει μάχεσθαι οὐκ εὔπορόν ἐστι. Horatius Epist. 10. lib. 1.

Naturam expelles furca licet, usque recurret.

Cicero sæpe; *Sequi naturam ducem*, &, *Convenienter naturæ vivere*. *Semina naturæ*, ut Cicero 1. de Legib. 5. de Finib. & 3. Tusc. *Igniculos & semina* vocat *virtutum*, quæ habeamus a natura, quos tamen igniculos prava consuetudo, & opinio exstinguit. Idem 3. de Nat. Deor. *Semina injustitiæ, & intemperantiæ*. vide ad illud Elegiæ 7. sup.

Semina curarum de capite orta tuo. Pass. Non dubito, a poetæ manu fuisse *sequimur*; unde detritis paullatim duobus lineolis enatum fuit istud *sequitur*. nomina collectiva & partitiva, ut magistri vocant, singularia eleganter cum verbo plurali ponuntur. Virgilius L. 6. Æn. *Quisque suos patimur manes*. T. Livius L. 27. C. 51. *Tum enimvero ætas omnis currere obvii; primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudii cupientes*. sed in promtu sunt ubique exempla. Broukh.

v. 21. At tua, Mæcenas, vitæ præcepta recepi] In animum admisi, ut hospitem, & recondidi tua præcepta, id est, *exempla*, ut mox vocat, & documenta re non verbis tradita. *Rationem vitæ* vocat Lucretius. Sic Horatius Sat. 4. lib. 2.

Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ.

Significat autem illud Epicuri dogma & decretum λάθε βιώσας. *Recepi*, plus quam accepi; nam & recondere simul notat; ut Eleg. ult. lib. 4. *Ubi portitor æra recepit*. Sic & *recipere ferrum* dicuntur gladiatores, nempe admittere in jugulum. & apud Horatium: *Fremitumque recepit*, pro admisit. Pass.

v. 22. Cogor et exemplis te superare tuis] Mihi necesse est, tenuius vivere & humilius, & sequi parva: nam parvum parva decent. quum te magnum & nobilem hominem videam intra fortunam tuam manere, cui sim multo inferior & genere & fortuna. eo te supero, quod tu rempublicam aliqua ex parte attingas urbis custos, & Augusti comes in bellis. *Exemplis tuis*: præceptis, supra dixit. Me

doces

Quum tibi Romano dominas in honore secures,
 Et liceat medio ponere jura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
 Atque onerare tuam fixa per arma domum:

doces quomodo debeam vivere; itaque te sequor. Sic Eleg. 15. lib. 2.

Exemplo juncta tibi sint in amore columba.

Coger, non vi ac minis; sed officio & ratione. cogimur etiam voluntate: Terentius & Donatus. Amat id verbum Propertius. adnotatum ad Eleg. 1. lib. 1. v. 8. PASS. Libentius legam *Conor*. Horatius L. 1. Epist. 1. v. 18.

Nunc in Aristippi furtim pracepta relabor,
Et mihi res, non me rebus subjungere conor.

Exemplis te superare tuis. marmor vetus Arimini in templo S. Bartoli, quod a Steph. Pighio descriptum Gruterus publicavit, CIↃXCIV. 2. QVOD. LIBERALITATES. IN. PATRIAM. CIVESQ. A. MAIORIBVS. SVIS. TRIBVTAS. EXEMPLIS. SVIS. SVPERAVERIT. BROUKH.

v. 23. QUUM TIBI ROMANO DOMINAS IN HONORE SECURES, ET LICEAT MEDIO PONERE JURA FORO] Quum liceat tibi, vel Romæ vel in provinciis esse cum imperio; liceat magistratus, imperia & triumphos assequi. *In honore*, magistratu; puta pratura, vel consulatu. Eleg. 16. lib. 2.

Cynthia non sequitur fasces, non curat honores.

unde *Tergemini honores* Horatio Ode 1. libri 1. & identidem apud Ciceronem; ut quum ait: *Consulatus est honorum populi finis*. & apud Jurisconsultos *de Muneribus & Honoribus*, Honor est administratio reipublicæ cum dignitatis gradu. *Ponere secures*, hic est statuere, ut faciunt lictores quum in foro cum securibus apparent. Nam Horatius aliter Ode 2. lib. 3. *Nec sumit* (virtus), *aut ponit secures Arbitrio popularis aura*. *Dominas*, vim imperii præ se ferentes, ut *Domina Roma* Horatio & Martiali. *Jura ponere*, statuere & condere leges, & ferre ac dicere jus, vel edicta proponere, quod est ædilium, prætorum, & consulum. Eleg. 10. lib. 4.

Ponit vix fuscis tristia jura labris.

Sic Virgilius 1. Æneid. per dilogiam, ut hic, dixit: *Moresque viris & mœnia ponet*. *Medio foro*, quia & in comitio & in foro jus dicebatur; & illic edicta proponebantur, ut & proscriptiones fiebant. Quid forum, docet Festus in *Forum*. Sententia hæc de Mæcenate est apud Paterculum posteriore volumine: *Quippe vixit angusto clavo pane contentus: nec majora consequi non potuit, sed non tam concupivit*. Item apud Dionem lib. 55. PASS.

v. 25. VEL TIBI MEDORUM PUGNACES IRE PER HOSTES] Quum tibi liceat hostium cuneos perrumpere. genus sermonis simile illi Flori poetæ: *Ego nolo Cæsar esse: Ambulare per Britannos: Scythicas pati pruinas*. Horatius Ode 16. lib. 3. *Aurum per medios ire satellites amat*. *Hostes Medorum*, pro hostes Medos: genitivus pro epitheto. ut Eleg. 10. lib. 2.

Jam negat Euphrates equitem post terga tueri Parthorum.

& Medi, pro Parthis. ut Eleg. 12. infra v. 11. *Pugnaces*, bellicosos. Horatius Ode 3. lib. 3. *Pugnaces Achivos*, dixit. PASS. Groninganus, *pugnatos*. quod valeret, depugnatos, debellatos. BROUKH.

v. 26. ATQUE ONERARE TUAM FIXA PER ARMA DOMUM] Sic Ovidius 3. Fast. *Ulcisci justa per arma patrem*. pro, armis. *Onerare*, implere. Virgilius 12. Æneid. *Cumulantque oneratis lancibus aras*. Vel *onerare*, pro decorare. Servius ad illud 1. Æneid. *Spoliis Orientis onustum*. *Oneratus, qualicumque pressus pondere, honustus, cui nunc ipsum honori est, ut si quis hostium spolia ferat. Sed oneratus aspirationem non habet, quia ab onere venit: honustus vero quia etiam ab honore descendit, retinet aspirationem*. Quod hic *onerare domum*, id Plautus Trucul. 2, 6. *Filium peperisti, qui ædes spoliis opplebit tuas*. Albinovanus ad Liviam: eadem de re:

Mæsta domus plangore sonat, cui figere lætus
Parta sua dominus voverat arma manu.

Cicero Philipp. 2. *Rostra & spolia in vestibulo domus Pompeji*. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
Tempore tam faciles insinuentur opes:
Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.

Cre-

Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hestiles præferat exuvias.

vide Plinium lib. 35. H. N. cap. 2. PASS. *Fixa per arma*. proprio *figendi* verbo utitur, quo & sæpe Livius in hac re usus est, & poetæ complures. BROUKH. *Fixa per arma*. Ita loquuntur haud raro scriptores optimi. Horatius Ode 13. lib. 3. *Per exactos ego letus annos*. Ovidius Epist. Phyllidis:

Oscula per longas jungere pressa moras.

Idem Epist. Dejaniræ: *Esurot terna per ora canes*. Rursus Epist. Leandri: *Freta ventis Turbida, perque cavas vix adeunda rates*. Et lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Sive es docta, places raras dotata per artes.

Manilius lib. 2. Astron. v. 142.

Et gaudente sui mundo per carmina vatis.

Auctor Culicis v. 69.

Florida quum tellus gemmantes picta per herbas
Vere notat dulci distincta coloribus arva.

Noster denique lib. 2. Eleg. 28. *Vexata per multa pericula vita*. & hoc libro Eleg. 2.

Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem.

VULP.

v. 27. ET TIBI AD EFFECTUM VIRES DET CÆSAR, ET OMNI TEMPORE TAM FACILES INSINUENTUR OPES] Id est, ad id efficiendum. Noster Eleg. 13. infra:

Semper & effectus promeruere bonos.

Livius lib. 34. *Motus sine effectu*. Plancus apud Ciceronem 10. ad famil. Epist. 16. *Ad effectum consiliorum pervenire*. & Cicero sæpe. Liber Beroaldi, *affectum*; & exponit, ad desiderium, ut ipse cupit. *Vires*, pro opibus, ut nervi; & potens dicitur dives: & *fortis familia* apud Nonium. & vires, pro potentia. Albinovanus ad Liviam:

Nec vires errasse tuas campoque foroque.

De hac re idem Albinovanus Eleg. in Obitum Mæcenatis:

Omnia quum posses, tanto tam carus amico,
Te sensit nemo velle nocere tamen.

Opes faciles, nullo labore parabiles, ut quæ ultro offerantur. ut Eleg. 9. lib. 1. *facilis copia*. *Insinuentur*, clam velut in sinum non petenti recondantur. nam sinu gestari solitam pecuniam, dixi ad Eleg. 16. lib. 2. *Ponderat illa sinus*. Nonius, *Insinuari*, *immitti*, *quasi sinu accipi*. Sisenna: *Agmen perturbatum pedites insinuant, ac loco commovent*. id est, oblique invadunt. Ennius apud Varronem 4. de L. L.

Inde venit pullis divinitus insinuans se
Ipsa anima. PASS.

Et tibi ad effectum vires det Cæsar. Tacitus tamen lib. 3. Annal. cap. 13. *Mæcenas ætate provecta speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit*. narraverat enim Mæcenas Terentiæ uxori arcanum quoddam a Cæsare sibi commissum: quod deinceps, ut mulieres plenæ rimarum sunt, in vulgus effluxerat. VULP.

v. 29. PARCIS, ET IN TENUES HUMILEM TE COLLIGIS UMBRAS] Albinovanus de hac re in Obitu Mæcenatis:

Majus erat potuisse tamen, nec velle triumphos,
Major res magnis abstinuisse fuit.

Parcere, pro abstinere & parce uti. Virgilius 8. Æneid.

Nec componere opes norunt, aut parcere parto.

Sed hic ἁπλῶς, ut Virgilius 6. Æneid. *Tuque prior, tu parce*. *Colligis te*, contrahis; & quasi collectis coactisque bonis tuis, minorem te ostendis, ut minus multa in vita tua pateant, quæ fortuna feriat. Virgilius 12. Æneid.

Alitis in parvæ subito collecta figuram.

& alibi: *In spiram se colligit anguis*. *Humilem*, parvum, quasi humi serpentem. ut *humilis poeta* dicitur Eleg. 7. lib. 1. *In tenues umbras*; id est, ita te adstringis reducisque collecta cupiditate, ut non procul umbram jacias. Translatum a collocatione arborum, ad contractionem & amputationem cupiditatis & luxus. nam luxuriantes arbores majorem umbram jaciunt. Virgilius 2. Georg.

Tum fortes late ramos, & brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.

Vide

Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos
Judicia, & venies tu quoque in ora virûm.
Cæsaris & famæ vestigia juncta tenebis.
Mæcenatis erunt vera tropæa fides.

Noo

Vide Plinium lib. 36. H. N. cap. 12. de Thalete. PASS. Appolejus Apologia: *Cupio me ad pauciora coërcere, tanto beatior futurus, quanto collectior.* τὸ *umbras* oppouit luci & splendori aulæ. ------ potiis & ad studium hortorom referre, qoo flagrabat Mæcenatis animus. Pedo Albinovaous:

Maluit umbrosam quercum, Nymphasque canentes,
Paucaque pomosi jugera certa soli.
Pieridas, Phœbumque colens in mollibus hortis
Sederat argutas garrulus inter aves. B.

Vide quæ adnotavi ad Eleg. 1. lib. 1. & ad Eleg. 3. hujus libri v. 1. Fuerunt & alii non dissimili moderatione animi, ante Mæcenatis ætatem. Suetonios in Augusto cap. 2. *At Cajus (Octavius) ejusque posteri, seu fortuna, seu voluntate in equestri ordine constitere usque ad Augusti patrem.* & paullo post: *Avus Augusti, municipalibus magisteriis contentus, abundante patrimonio, tranquillissime senuit.* Verùm de Mæcenatis mollitie, & loxuria legendus est Seneca libro de Providentia cap. 3. VULP.

v. 30. VELORUM PLENOS SUBTRAHIS IPSE SINUS] Alia translatio, a re nautica: Quum vides, inquit, ventis secondis vela tua nimium tumentia, ea subducis, & inhibes cursum. Sic Horatius Ode 10. lib. 1. *Sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela.* Cicero lib. 1. ad Attic. Epist. 13. *Contraxi vela, metuens inopiam judicum.* pro, nolui ulterios progredi. *Sinus velorum*, quæ aliter *vela sinuosa* vocat Eleg. 1. lib. 4. Virgilius 5. Æneid.

Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus.

Plenos, ut Eleg. 6. lib. 4.

Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis. PASS.

v. 31. CREDE MIHI, MAGNOS ÆQUABUNT ISTA CAMILLOS JUDICIA, ET VENIES TU QUOQUE IN ORA VIRÛM] Sane parem te facient Camillis, & viris illis antiquis bello & pace maximis. De Camillo Cicero, Livius, Horatios, Plutarchus. *Judicia*, pro decreto animi, & proposito ac instituta vitæ ratione certo consilio. Ita Cicero: *Judicio suscipere aliquid.* *Æquabunt*, ut Eleg. 1. sup.

Nec mea Phæacas æquant pomaria silvas.

Camillos magnos, ut Virgilius 2. Georg.

Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit hæc, Decios, Marios, magnosque Camillos. PASS.

Judicia. Horatius pariter Epist. 1. lib. 1. v. 70.

Si me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar isdem;
Nec sequar aut fugiam, quæ diligit ipse vel odit. VULP.

v. 33. CÆSARIS ET FAMÆ VESTIGIA JUNCTA TENEBIS] Proximus ibis gloriæ Augusti, nec ab eo recedes. Ibis alter ab illo. *Tenere vestigia*, est firmiter insistentis. Virgilius 5. Æneid. *Vestigia presso Haud tenuit titubata solo.* Paullo aliter dixit, *Heret pede pes.* Palmerius legit *fastigia*, e conjectura: sed male conjicit. Vestigium pedis humani veteres appellabant *pedam*: Festus. [Itali hodie, *pedata*.] Quasi diceret, Secundus eris; nam a proxime seqoendo secundus. Atqui de eodem dixit Eleg. 1. lib. 2.

Bellaque resque tui memorarem Cæsaris: & tu
Cæsare sub magno cura secunda fores. PASS.

v. 34. MÆCENATIS ERUNT VERA TROPÆA FIDES] Virtutis tuæ monimentum verum & certum erit tua in Augustum fides. & *vera* ambigue: *vera tropæa*, & *vera fides*. Vere triumphat qui vitia subegit; unde hic *tropæa*. De fide Mæcenatis Albinovanus in Obitum ejus:

Fidus erat vobis nam propter Cæsaris arma,
Cæsaris & similem propter in arma fidem.

Sublesta tamen ejus fides aliquando, ut videre est apud Suetonium in Augusto. PASS. Ita Eleg. 1. lib. 2. vocat eumdem Mæcenatem

Et sumta, & posita pace, fidele caput.

Syn-

Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
Cadmi, nec semper prœlia clade pari:

Nec

Syntaxis illa apud Lucanum simillima lib. 9. v. 811. *Sanguis erant lacrimæ*. VULP.

v. 35. NON EGO VELIFERA TUMIDUM MARE FINDO CARINA] De velis grandibus intelligendum, ut supra:

Non sunt apta mea grandia vela rati.

& sequitur *tumidum mare*. id est, iratum, tumultuosum. Virgilius 1. Georg. *Freta ponti Incipiunt agitata tumescere*. De hac allegoria vide Eleg. 3. sup. v. 22. PASS.

v. 36. TUTA SUB EXIGUO FLUMINE NOSTRA MORA EST] Tuto moramur in fluviolo. vide adnotata ad Eleg. 3. sup. v. 23. & 24. & Eleg. 7. v. 60. *Sub*, pro In, ut Eleg. 17. lib. 7.

Jam licet & Stygia sedeat sub arundine remex.

Pro, *mora*, alii libri habent, *ratis*. PASS. Ita legendum videtur. Supra dixerat L. 2. Eleg. 3.

Tranquillo tuta descendis flumina cymba.

& hujus libri Eleg. 2.

Alter remos aquas, alter tibi radat arenas.
Tutus eris: medio maxima turba mari est.

Ovidius Trist. L. 1.

Non ideo debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.

Aliæ tamen editiones, *Tota*. BROUKH. *Sub*. eo dicit, quod carina est infima pars navis, & ideo saburrâ onerata sub flumine mergitur. VULP.

v. 37. NON FLEBO IN CINERES ARCEM SEDISSE PATERNOS CADMI, NEC SEMPER PRŒLIA CLADE PARI] Sic Statius 3. Thebaid.

Veteris quum regia Cadmi
Fulmineum in cinerem monitis Junonis iniquæ
Consedit.

Sedisse in cineres, collapsam esse, incendio absumtam. Alta, quum cremantur, collabuntur, & sensim subsidunt. Aliter Virgilius 9. Æneid.

An non viderunt manu Troja
Neptuni fabricata manu considere in ignes?

Tacitus quoque lib. 3. Hist. de excidio Cremonæ: *Quum omnia sacra profanaque in igne considerent, solum Mephitis templum stetit ante mœnia, loco, seu numine defensum*. *Arcem Cadmi*, partem urbis Thebarum editissimam & munitissimam, a conditore Cadmo Cadmeam dictam: Plutarchus in Pelopida. Strabo autem lib. 9. Cadmeam illam ab Epigonis eversam cum urbe tota, scribit. Pausanias Corinthiacis eam arcem ait ab urbe separatam fuisse. *Cineres paternos*. an Cadmi ejus arcis conditoris & velut parentis? non liquet. An paterni cineres, patrii, quia patria ipsa deflagrarit una cum arce? Sic sane Eleg. 2. lib. 4.

Accipe Vertumni signa paterna dei.

An bustum Semeles? Statius 10. Thebaid. *En cineres Semelesque busta tenentur*. Hyginus Fab. 9. scribit, Amphiona & Zethum muro cinxisse Thebas usque ad Semelæ sepulcrum. Scaliger aliter; quem videsis. *Semper prœlia clade pari*. an uno verbo *semper-prœlia, ut semper-amor, semper-amans*? Sic Eleg. sup. prox. *Mihi cum rivalibus arma Semper erunt*. Bella autem ex bellis apud Thebas, vel ante urbem conditam, quum ex dentibus Draconis exorti armati mutuis vulneribus conciderunt. Deinde gestum bellum a septem ducibus, mox interemti fratres, & victi obsessores, postea eos ulti Epigoni. vide Proverbium: Καδμεία νίκη, ad quod hic alludit. Meminit Pausanias initio Bœotic. ubi ait, Cadmeam victoriam dici quum victores eadem quæ victos opprimit calamitas. Sed quidam libri pro *semper*, habent *fratrum*; de quibus dixi ab Eleg. 9. lib. 2. v. 50. PASS. *Sedisse*. melius opinor *sidisse* scribemus. ------- sed quid respondebo Prisciano? (is L. 10. dicit: *Ab eo quod est Sido præteritum non inveni*.) nimirum, commutari crebro duo ista verba *Sidero* & *Sedere*, in primis autem in compositis? hic vero loco nihil mutandum, idque auctore Papinio Statio? L. 5. Silv. 3. *Necdum rogus ille deorum Sederat*. Nequaquam. inveniri ejus verbi præteritum, ------ firmavit pridem magnus

ille

Nec referam Scæas, & Pergama Apollinis artes,
Et Danaûm undecimo vere rediſſe rates,
Mœnia quum Grajo Neptunia preſſit aratro
Victor Palladiæ ligneus arcis equus.

Inter

ille Gronovius L. 4. Obſerv. C. e6. correcto ſimul Papinio; & verbo *Siderat*, quod male effarcillatum erat, in ſedem ſuam reducto. Quinimo ipſe Priſcianus ſe retexit libro eodem, p. 893. *Sido præterto Sidi facit*. BROUKH. *Non flebo*, non carmine flebili canam. Sic Eleg. 9. lib. 1.

Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ. VULP.

v. 39. NEC REFERAM SCÆAS, ET PERGAMA APOLLINIS ARCES] Scææ, portæ munitæ, arces dicuntur. quarum mentio apud Homerum; ut Iliad. Σ.

Πᾶν δ' ἦμαρ μάρναντο περὶ Σκαιῇσι πύλῃσι.

& alibi. Plautus Bacchid. 4, 9.

Ilio tria audivi fuiſſe fata, quæ illi forent exitio:
Signum ex arce ſi periiſſet: alterum etiam eſt Troili mors:
Tertium quum portæ Scææ limen ſuperum ſcinderetur.

meminit & Virgilius identidem, & Strabo. PASS. Leve mendum omnem ſenſus elegantiam evertit. ſcripſerat poeta, *Apollinis artes*. fabula eſt notiſſima, neque hic repetenda. Ovidius Epiſt. Oenonæ:

Me fide conſpicuus Trojæ munitor amavit.

& Epiſt. Paridis:

Ilion adſpicies, firmataque turribus altis
Mœnia, Phœbeæ ſtructa canore lyræ.

quod quis fecit, aut condidit, id dicitur ejus *ars*. Virgilius L. 5. Æn. *Clypeum, Didymaonis artes*. Ovidius L. 6. Metam.

Multa dabant animos: ſed enim nec conjugis artes,
Nec genus amborum, magnique potentia regni
Sic placuere illi, quamvis ea cuncta placerent,
Ut ſua progenies.

Niobe iſtic appellat *conjugis artes* urbem Thebarum, quam vir ſuus Amphion lyræ canore conſtruxerat, ut Trojam Apollo. BROUKH.

v. 40. ET DANAUM DECIMO VERE REDIISSE RATES] Virgilius 12. Æneid. *Decimum quos diſtulit Hector in annum*. *Rediiſſe* non omnes, quia, ut ait vetus poeta: *Plera pars pefſumdata eſt*. & Eleg. 7. ſup.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes. P. *Danaûm decimo vere*. ſyllaba ultima vocis primæ abſorpſit primam ſequentis: nam certe ratio temporis poſtulat *undecimo*. quod notius eſt, quam ut debeat operoſe probari. bene autem dixit *vere*. nam veris initio a Troade ſolverunt Graji victores. Servius ad L. 11. Æneid. v. 259. *ſcit triſte Minervæ Sidus*] *Re vera conſtat Græcos tempeſtate laboraſſe æquinoctio vernali, quando manubiæ Minervales, id eſt fulmina, tempeſtates graviſſimas commovent. unde perite dicendo SIDUS, utrumque complexus eſt. nam SIDUS & tempeſtatem ſignificat, & re vera ſidus. Hæc autem numina, quæ inter ſidera non videmus, licet ſua ſigna propria non habeant, cum aliis poteſtate ſunt permiſta: ut Ophiuchus ipſe eſt Æſculapii: Gemini, Apollinis & Herculis eſſe dicuntur: ſic Minerva Aries eſſe dignoſcitur*. BROUKH.

v. 41. MŒNIA QUUM GRAJO NEPTUNIA PRESSIT ARATRO] Hypallage, pro, impreſſit Grajum aratrum mœnibus Neptuniis. Horatius enim eadem de re Ode 16. lib. 1. *Imprimeretque muris Hoſtile aratrum exercitus inſolens*. ubi vetus Interpres: *Et condendis & evertendis urbibus aratrum inducebatur*. Modeſtinus L. *Si uſusfructus* D. *Quibus modis uſusf. vel uſus amittitur: Si uſusfructus*, inquit, *civitati legetur, & aratrum in eam inducatur, civitas eſſe deſinit, ut paſſa eſt Carthago. ideoque quaſi morte deſinit habere uſumfructum*. *Preſſit*, aphæreſis; de qua v. 8. ſup. *Mœnia Neptunia*, mœnia Trojæ, a Neptuno ſtructa. Auſonius: *Iliaci Neptunia mœnia muri*. Ovidius Epiſt. Briſeid.

Perdere quos melius poſſis, Neptunia præbent Mœnia.

vide eundem 13. Metam. & Horatium Ode 3. lib. 3. PASS.

v. 42. VICTOR PALLADIÆ LIGNEUS ARCIS EQUUS] Id eſt, victoriæ cauſſa. Sic Virgilius 2. Æneid. *Victorque Sinon incendia miſcet*. Aliter idem dixit: *Victoreſque oſtentat equos*. *Arcis Palladiæ*, quia Pallas fabrica-

& ar-

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Dore poeta, tuis.
Hæc curent pueri, hæc curent scripta puellæ,
Meque deum clament, & mihi sacra ferant.

Te

& architectis præerat. De hac re legendus Euripides initio Troïadum. Vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 25. Pass. Putant adludi locum Virgilii L. 2. Æn.

Instar montis equum divina Palladis arte Ædificant.

sed falluntur, qui ita putant. legendum est *arcis:* idque verum esse, evincet ipse Virgilius, libro laudato:

Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari.

& rursus:

Instamus tamen immemores cæcique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.

unde post paullo descendentes Graji urbem ipsam invaserunt. - - - - recte itaque dicitur equus ille *victor arcis Palladiæ*. legesis Demodoci cantilenam apud Homerum, sub finem L. 8. Odyss. & Hyginum cap. 108. Broukh.

v. 43. Inter Callimachi sat erit placuisse libellos] Satis erit si lauder & legar cum elegis Callimachi; quos per *libellos* intelligit: quia & graviora scripsit Callimachus, ut Hymnos, & Αἴτια. de quibus Eleg. ult. lib. 2.

Et non inflati somnia Callimachi.

Placuisse dixit, ut Eleg. 7. lib. 1. *Doctæ solum placuisse puellæ.* & poetis propositum id ut placeant. Terentius in prologo Andriæ: *Populo ut placerent quas fecisset fabulas.* Pass.

v. 44. Et cecinisse modis, Coe poeta, tuis] De Coo Phileta dictum ad Eleg. 1. sup. v. 1. Sed Scaliger legit *pure;* pro, *Coe*. *Tuis modis*, numeris, versibus. Eleg. 22. lib. 2. *Varios incinit ore modos*. Pass. Omnes omnium libri scripti habent, *dure poeta;* etiam ii quibus Beroaldus usus fuit, ac Scaliger. illius est τὸ *Coe*, quod vulgatas jam olim insedit: hujus τὸ *pure*. sed legendum *Dore*, mutato *u* in *o*, ut recte atque eleganter observavit ingeniosissimus Petrus Scriverius Animadvers. in librum Spectaculorum, qui Martiali solet præfigi, Epigr. 31. *Dorus* autem est *Dorius*, vel *Doricus*. cujus metaplasmi insignia istic exempla. Sic in codice pervetere Valerii Flacci, quem codicem possedit Thaddæus Ugoletus, lib. 2. Argon. v. 573. legebatur *nox durita*, pro *Dorica*. quod rectum est. Broukh.

v. 45. Hæc curent pueri, hæc curent scripta puellæ] Curæ habeant, & voluptati. libenter & cupide legant hæc ἐρωτικά. hic curam impendant. ut curare valetudinem, negotia. & Eleg. 16. lib. 2. *Non curat honores*. Sed arbitror legendum:

Hæc urant pueros, hæc urant scripta puellas.

id est, amare doceant, & uri: nam id conformatur Eleg. 7. lib. 1.

Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro
Ardoris nostri magne poeta vale. Pass.

Hiatus est in hoc versu, a quo non abstinebant interdum optimi poetæ. Vide Frid. Taubmannum ad Ecl. 3. Virgilii v. 6.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Diomedes vero Montesperellius, Perusinus, homo minime malus, cui sub nomine Orelpidii Academici Insensati latere placuit, in Notis ad Propertium editis Perusiæ A. 1653. ex Typographia Camerali apud Sebastianum Zecchinum, quem libellum pauci noverunt, ita scribit in hunc locum: *Festinanter hæc scribebat Propertius. Virgilius etiam Æn. lib. 3. Insulæ Ionio in magno. lego enim, ne versus claudicet: Insulæ in Ionio. Nec me fugit, produci aliquando a poetis brevem syllabam, & corripi longam. Exemplum insigne Homeri notat ad similem locum Catulli de Berecynthia, & Aty Muretus:*

Ἠ' κροτάλων, τυμπάνων τ' ἰαχὴ, σύν τε τρόμος αὐλῶν.

exprimit quodammodo tympanorum crepitum. Sed hæ licentiæ (sine simili artificio) cur præsupponuntur? Menda potius. Eum libellum perbenigne mihi utendum dedit Vincentius Cavalluccius, vir doctus; quem honoris caussâ nomino. Vulp.

v. 46. Meque deum clament, et mihi sacra

Te duce vel Jovis arma canam, cæloque minantem
Cœum, & Phlegræis Oromedonta jugis:
Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo:

Edu-

SACRA FERANT] His utantur verbis me venerantes præ admiratione : *Deus ille*. Virgilius Ecl. 5.

Ipsa sonant arbusta, Deus, deus ille, Menalca.

& Ecl. 1. *Namque erit ille mihi semper deus*. Cicero 2. de Orat. *In qua* (dispositione) *tu mihi deus videri soles*. Vide Plautum Pseud. 1, 3. & Athenæum lib. 7. cap. 13. *Mihi sacra ferant*, me colant ut deum. Ovidius in calce Remed. Amor.

Postmodo reddetis sacro pia vota poetæ
Carmine sanati femina, virque meo.

Sacra autem *ferebant* qui ea tractabant, & iis præerant, ut adnotavi ad illud Eleg. 1.

Itala per Graios orgia ferre choros.

Deinde qui sacrificabant, ut hic & apud Virgilium 3. Æn.

Sacra Dionææ matri divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum.

nam sequitur, *Mactabam*. PASS.

v. 47. TE DUCE VEL JOVIS ARMA CANAM, CÆLOQUE MINANTEM CŒUM, ET PHLEGRÆIS OROMEDONTA JUGIS] τὸ *vel* exemplum rei majoris ; ut Eleg. 28. lib. 2.

Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno.

Jovis arma, in Titanas & Gigantes bellum, de quo dictum ad Eleg. 1. lib. 2. *Cæloque minantem Cœum*. Virgilius lib. 1. Georg.

Et conjuratos cælum rescindere fratres.

Apollodorus lib. 1. Cæli & Telluris filios facit ἑκατόγχειρας, Briareum, Gyan, Cœum. & paullo post, ex iisdem parentibus, Oceanum, Cœum, Hyperiona, Crium & Iapetum Titanas. vide Hesiodi Theogoniam. At Oromedon, cujus hic mentio, mihi quidam est, quod dicitur, Terræ filius, quia ignotissimus. nomen tamen Giganti & fabulæ aptum possidet, ὁ μέδων τῶν ὀρῶν, quasi montibus imperaret, quum alios aliis imponeret. vide Hortibonum in Theocritum. *Phlegræis jugis*, verticibus montium Thessalorum, Ossæ, Pelii, Olympi, de quibus Eleg. 1. lib. 2. Phlegra & Phlegræus campus duplex, unus in ora maritima Italiæ juxta Cumas, quam *oram Giganteam* vocat Eleg. 20. lib. 1. Alter in Thessalia, de quo hic & Eleg. 11. infra. Legendus etiam Euripides in Herc. Fur. Apollodorus lib. 3. & Solinus. PASS. Ab hoc Gigante nomen traxisse montem excelsum in insula Co, tradit eruditissimus Casaubonus Lection. Theocrit. C. 6. restat tamen ut amplius inquiramus : neque enim fuisse ignobilem, vel ex hoc uno loco palam est. BROUKH. Montis Oromedontis mentio fit apud Theocritum Idyll. 7. v. 46. ad quem locum Scholiastes vetus, postquam varias multorum explicationes attulit, tandem ita concludit : Τὸ δὲ ἀληθές, Ὠρομέδων ἐστὶν ὄρος ἐν Κῷ ὑψηλότερον τῶν ἐν τῇ Κῷ ἑτέρων ὀρέων. Hic autem mons ita dictus fuerit ἀπὸ Ὠρομέδοντος τοῦ τῆς νήσου βασιλεύσαντος. hoc est, a quodam Oromedonte, qui ejus insulæ regnum olim obtinuisset. Honoratus Fasitellus, excellens poeta, Theocritum secutus Carm. 13.

Vobis non modo collium superbas
Septem assurgere gratulemur arces,
Sed magnum Oromedonta, & ipsum Olympum.

Beroaldus vero ad Propertium: *Cœus & Oromedon nomina sunt Gigantum*. Basilius etiam Zanchius Poematum lib. 4. in Epithalamio Pauli & Ægis :

Hic conjuratus magnorum in prælia divûm
Fecerat Anguipedes : tædas jam inferre parabat
Oromedon, solioque Jovem detrudere Cœus
Centimanus.

Adde Augustinum Favoritum in Ophigenia :

Centimanumque Gygen, atque Oromedonta minacem.

Hic certe de Gigante mentio, non de monte : præsertim quum Phlegram Propertius memoret. quid enim rei est Co cum Phlegra? VULP.

v. 49. CELSAQUE ROMANIS DECERPTA PALATIA TAURIS ORDIAR, ET CÆSO MŒNIA FIRMA REMO] Canere incipiam urbis ori-

Eductosque pares silvestri ex ubere reges.
Crescet & ingenium sub tua jussa meum.

Pro-

originem. Ordiri, verbum textorum: & significat componere, incipere. vide Nonium, & Festum. *Ordior Palatio*, ut Eleg. 1. lib. 4.

Mœnia namque pio conor disponere versu.

Est vero enallage numerorum; nam Palatium unus e septem Romæ collibus, ceteris editior. Noster Eleg. 1. lib. 4.

Atque ubi navali stant sacra Palatia Phœbo,
Evandri profugæ concubuere boves.

& Eleg. 10. libri ejusdem:

Venit ad invictos pecorosa Palatia montes.

Palatium dictum, quod illuc Palantæi cum Evandro venerunt, vel quod Palatini, qui & Aborigenes, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt. Alii a Palatia uxore Latini derivare malunt. Eumdem hunc locum a pecore (*Pecuscum*) dictum putant quidam. itaque Nævius Balantium appellat; a balatu scilicet ovium: vel quod palare, id est, *errare*, ibi pecudes solerent. Alii, quod ibi Hyperborei filia Palanto habitaret, quæ ex Hercule Latinum peperit. Alii, quod Pallas ibi sepultus sit. Inde *Palatina*, dea quæ præerat Palatio, & *palatuar*, sacrificium pro Palatio, Vide Varronem 4. de L. L. Pompejum Festum, Liviam lib. 1. Dionysium Halic. lib. 1. & Plinium H. N. lib. 4. cap. 6. *Decerpta Palatia tauris*, detonsa & depasta a tauris & pecore Romuli. nam nondum Roma erat. aut *Romanis*, pro Italis, quia *Itali boves* dicti. vel est prolepsis, ut illa Virgilii 6. Æneid. *Portusque require Velinos*. Vide Tibullum Eleg. 5. lib. 2. Virgilius 8. Æneid. ab Evandro conditam Romam scribit. *Caso Remo mœnia firma*. Maros enim sanctos ea cæde præstitit Romulus, ac ita cavit ne quis violare auderet. *Mœnia* (etiam Mœne singulari numero Ennio) muri, & alia mœniendæ urbis gratia facta. Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Romulus æterna nondum formaverat urbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo.

Remo caso; vel a Romolo, quod malle videtur Livius, vel a Celere tribuno, quod Plutarchus, interfecto. Vide hac de re Dionysium lib. 1. Livium lib. 2. Plutarchum in Romulo, Horatium Epodo 7. Ovidium 5. Fast. Lucanum lib. 1. Utrique fratri nomen inditum putat Plutarchus a mamma lupæ, quæ *rumis* dicitur. PASS. *Ordior Palatia*. Silius Italicus sic ad poema suum de secundo Bello Punico scribendum aggreditur:

Ordior arma, quibus cælo se gloria tollit
Æneadum. VULP.

v. 51. EDUCTOSQUE PARES SILVESTRI EX UBERE REGES] Id est, nutritos. Varro de Liberis Educandis, apud Nonium: *Educit obstetrix: educat nutrix: instituit pædagogus: docet magister*. Sed Cicero, Terentius, & alii confundunt. Sic Virgilius 6. Æneid. *Educet silvis regem*. Donatus in illud Adelph. *Eduxi a parvulo*. *quod nos educare dicimus*, inquit, *veteres educere dixerunt*. proprie, *eslever*, *Pares reges*; an quod simul initio regnarint? an heroas? Horatius Ode 2. lib. 4. *Seu deos, regesque canit deorum Sanguinem*. An *pares*, pro geminis, duobus? Festus in *Paribus æquis*, & in *Parorium æs*; at maxime in *Fratrare*; ubi *fratres* pro paribus, & contra *pares* pro fratribus. & in *Sororiare*. Virgilius 8. Æneid. de lupa: *Geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros*. Noster Eleg. 6. lib. 2.

Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.

& Eleg. 4. lib. 4.

Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Servius ad illud 1. Æneid. *Potens armis atque ubere glebæ*; *Uber*, inquit, *proprie fecunditas*. & in illud 7. Æneid. *Divitis uber agri*. pro *ubertas*; *unde ubera mulierum a fecunditate & copia lactis*. τὸ ex autem vacat, ut Eleg. 17. infra: *Pampinque ex ordine colles*. *Silvestri*, ferino, lupino, quia lupi silvis gaudent. Virgilius Ecl. 8.

His ego sæpe lupum fieri, & se condere silvis
Mœrim ..... vidi.

Sic *agrestes sues*, feros Elegia 19. lib. 2. PASS.

v. 52. CRESCET ET INGENIUM SUB TUA JUSSA MEUM] Uberior erit mihi vena, & amplior facultas pangendi carminis, quum imperabis ut scribam. An alludit ad illud Epicureorum apud Lucretium:

Cre-

Prosequar & currus utroque ab litore ovantes,
Parthorum astutæ tela remissa fugæ:
Claustraque Pelusî Romano subruta ferro,
Antonîque graves in sua fata manus.

Mol-

Crescere sentimus pariterque senescere mentem? Virgilius Ecl. 7.

Pastores, hedera crescentem ornate poetam. *Sub tuo jusso*, ut Eleg. 4. sup. *Sub tua jura fluent.* τὸ *sub* notat alienum imperium. ut Eleg. 1. lib. 2.

Cæsare sub magno cura secunda furet. PASS. Ausonius copiose hoc explicavit, scribens ad Theodosium Augustum:

Scribere me Augustus jubet: & mea carmina poscit
Pane rogans. blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Cæsar sed jussit; habebo.
Cur me posse negem, posse quod ille putat?
Invalidos vires ipse excitat, & juvat idem
Qui jubet. obsequium sufficit esse meum.

VULP.

v. 53. PROSEQUAR ET CURRUS UTROQUE AB LITORE OVANTES] Comitabor currum Augusti triumphantis. nam prosequimur amicos officii gratia. sequebantur autem triumphantem milites sui. de qua re ad illud Eleg. 1. sup.

Scriptorumque meas turba secuta rotas.

An *prosequar* non pedibus meis, sed versuum meorum? Virgilius 3. Georg. *Quid postemo versu Prosequar?* An *ovantes* καταχρηστικῶς? nam ovatio multum differt a triumpho. Plutarchus in Marcello. Servius in 4. Æneid. *Ovatio*, inquit, *proprie minor triumphus. Qui enim ovationem meretur, is & uno equo utitur, & a plebejis, vel equitibus Romanis deducitur ad Capitolium: & de ovibus sacrificat: unde & ovatio dicta.* Festus: *Ovantes, lætantes; ab eo clamore quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites geminata O littera.* An revera *ovantes*? nam Augusto principe primus Tiberius ovans curru urbem ingressus est; contra morem. Suetonius in Tiberio cap. 9. *Ab utroque litore*, Eoo & Hesperio. Virgilius 3. Georg.

Et duo rapta manu diverso ex hoste tropæa:
Bisque triumphatas utroque ab litore gentes.

Ovidius 2. Metam.

Litora replevit sub utroque jacentia Phœbo.

Hinc Hispani, Cantabri, Britanni domiti: illinc Indi, Persæ, & alii. PASS.

v. 54. PARTHORUM ASTUTÆ TELA REMISSA FUGÆ] De simulata Parthorum fuga dictum ad illud Eleg. 4. sup. *Tela fugacis equi.* ἀντιπτώτως: *Prosequar* (versibus) *tela fugæ astuta Parthorum*, eaque *remissa*. Canam ut tandem remiserint Parthi arcus & sagittas: pugnare desierint. Horatius Ode 8. lib. 3. *Jam Scythæ laxo meditantur arcu Cedere campis.* Idem Ode 27. lib. 3. *Et remisso Filius arcu.* Ergo *tela remissa*, quæ non amplius contenduntur & diriguntur. Sic Virgilius 12. Æneid.

Non ut telo tamen, non ut contenderet arcum.

Tela fugæ Parthorum; eorum scilicet fugientium. ut Eleg. 4. sup. *Tela fugacis equi.* An *remissa tela fugæ*, arma Romana retorta in fugam Parthorum? An *remissa*, retro missa? Virgilius 3. Georg.

Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis.

Astuta fuga Parthorum. ut Eleg. 3. lib. 4.

Subdolus & versis increpat arcus equis.

Astu, astutus, astutiæ ab ἄστυ, urbs. quia in urbe versati, cauti & acuti solent esse. An legendum,

Parthorum ac tuta tela remissa fuga?

Sane Ovidius in Remed. Amor. *Parthus adhuc tutus ab hoste fuga est.* PASS.

v. 55. CASTRAQUE PELUSÎ ROMANO SUBRUTA FERRO] Subversa, revulsa, refracta Romanis armis. tamen Dio lib. 51. proditione capta scribit. Plutarchus in Antonio subdubitat. Ergo de industria dixit *ferro*, ut elueret maculam proditionis. *Pelusium*, inquit Servius in 1. Georg. *esse unum e septem ostiis Nili.* sed fallitur. nam Pelusium est oppidum, ut ait Strabo lib. 17. paludibus cinctum & angustiis viarum: unde hic *Claustra* legendum putat Palmerius, quod credibile sit, Pelusiaco ostio Augustum esse ingressum Ægyptum. Petronius:

Actiacosque sinus, & Apollinis arma tenentes,
Et Libya cornu, & tua, Nile, gementia claustra.

Mollia tu cœptæ fautor cape lora juventæ,
Dexteraque immiſſis da mihi ſigna rotis.

Clauſtra Peluſii, ut urbem Patavî, mare Hadria: id eſt Peluſium ipſum, clauſtra Ægypti, quibus revulſis patuit Auguſto Ægyptus. Captum ab eo Peluſium, ſcribit Plutarchus in Antonio, & vulgatam famam, a Seleuco proditum ei juſſu Cleopatræ. PASS. Acuta eſt & capitalis Jani Melleri Palmerii emendatio, *Clauſtraque Peluſi*. quæ tamen ipſa apud Lipſium legitur Com. in L. 2. Annal. Taciti C. 59. *Equitibus Romanis illuſtribus ſepoſuit* [Auguſtus] *Ægyptum: ne fame urgeret Italiam, quiſquis eam provinciam, clauſtra terræ ac maris, quamvis levi præſidio adverſus ingentes exercitus inſediſſet*. A. Hirtius lib. De bel. Alexand. C. 26. *Tota Ægyptus maritimo acceſſu Pharo, pedeſtri Peluſio, velut clauſtris, munita exiſtimatur*. Ita Florus L. 2. C. 7. *Flaminino duce invios antea Chaonum montes, Aoumque amnem per abrupta cadentem, id eſt, ipſa Macedoniæ clauſtra penetravimus*. & Cicero Corinthum poſitu ſuo *clauſtra locorum Græciæ tenere* dixit Agrar. 2. C. 32. ita Symplegadas *maris clauſtra* vocat Seneca Med. v. 342. BROUKH.

v. 56 ANTONÍQUE GRAVES IN SUA FATA MANUS] Plutarchus in Antonio, & Dio lib. 51. narrant ut ſibi manus attulerit, quum idem feciſſe Cleopatram ei falſo nuntiatum eſſet. Semianimis tamen ad illam delatus, & in ejus complexu animam afflavit. *Graves in ſua fata*, infeſtas & ſævientes in ſuam ipſius perniciem. Dicitur, gravis alicui, & in aliquem. ut Eleg. 20. lib. 2.

Si fallo, cinis heu ſit mihi uterque gravis.

Elegia vero 1. lib. 4.

Et grave Saturni ſidus in omne caput.

Fatum, pernicies, peſtis; ut Eleg. 1. lib. 2.

Huic miſero fatum dura puella fuit.

Et Ovidius lib. 5. Triſt. Eleg. 2.

Ut taceam ſtrictas in mea fata manus. PASS.

v. 57. MOLLIS TU CŒPTÆ FAUTOR CAPE LORA JUVENTÆ] Regendam ſuſcipe juventam, & ferocem ætatem, quæ freno conſilioque indiget. Ductum ab equite vel auriga. ut vox Iſocratis de Theopompo & Ephoro: In altero ſe frenis, in altero uti calcaribus. Ovidius pariter 1. Faſt. ad Cæſarem Germanicum:

Si licet, & fas eſt, vates rege vatis habenas.

Plautus Mercat. 5, 2. *Jam currum conſcendi, jam lora in manus cepi meas*. Donatus in Adelphos: *Lora apud veteres laura dicebant a laura triumphorum, ſub qua mos erat captivos vinciri, ducique per pompam*. Sed illic lora cædundis ſervis, unde lorarii: hic vero *lora*, habenæ. Virgilius 2. Georg.

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Chariſius lib. 1. *Lora e corio vincula*. unde *lorica*. *Mollis fautor*, benignus & facilis. ut Eleg. 7. lib. 1.

Sint modo fata tuis mollia carminibus.

An *mollis juventæ*; id eſt, teneræ? Fautores autem qui favitores Plauto, proprie in ſcena. unde recte dicitur Mæcenas fautor, qui faveat ingeniis. Horatius Epiſt. 18. lib. 2.

Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Cœptæ juventæ. ineuntis ætatis & primæ. Eleg. 5. ſupr.

Me juvat in prima coluiſſe Helicona juventa.

& Eleg. 1. lib. 2.

Mæcenas noſtræ ſpes invidioſa juventæ.

An ut Virgilius Ecl. 8.

Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus. PASS.

Mihi non eſt dubium fuiſſe ab auctoris manu & calamo, *mollia*. multoties errorem iſtum errarunt indocti homines, ut extrita vocali vocis ultima, intruſerint inficetum ſuum atque illepidum *ſ*. Sic L. 2. Eleg. 25. habuimus,

Triſtia ad Archemori funera victor equus.

lucumones iſti ſcripſerant *triſtis*. altera ab hinc Elegia legitur:

Conjugis obſcæni pretium Romana popoſcit Mœnia.

ubi *conjugii* legendum eſſe, haud vana conjectura oſtenderunt viri docti. Ovidius in Ibin:

Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino.

olim *infantis* legebatur. - - - - - plurima hujus generis menda etiam nunc deturpant

Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis: & a te eſt
Quod ferar in partes ipſe fuiſſe tuas.

non unum poetam. *mollia* autem *lora*, ut in eadem re *mollia prata* dixit ſupra Elegia 3.

Mollia ſunt parvis prata terenda rotis.

Virgilius pariter L. 3. Georg. & L. 9. Æneid. *haud mollia juſſa*. priore autem loco alloquitur ipſum Mæcenatem. id autem deprecatur Noſter, ac Mæcenatem orat, ut liceat ſibi deductum dicere carmen, quale ſcilicet conveniens erat ætati teneræ, cui lodum dare optat. Broukh.

v. 58. Dexteraque immissis da mihi signa rotis] Translatum a circo, ubi dabatur ſignum agitatoribus e carceribus proficiſcendi, quum prætor mappam miſiſſet. Martialis Epigr. 29. lib. 12.

Cretatam prætor quum vellet mittere mappam.

Ennius apud Ciceronem 1. de Divinat.

Exſpectant, veluti conſul quum mittere ſignum
Vult, omnes avidi ſpectant ad carceris oras
Quam mox emittat pictis e faucibus currus.

Livius lib. 8. *Quia L. Plautius prætor gravi morbo forte implicitus erat, ſignum mittendis quadrigis daret. Dextera*, fauſta. ductum ab auſpiciis, ut adnotatum ad Eleg. 1. ſup. *Nobis & Baccho & Apolline dextro. Immiſſis rotis*, aliàs *admiſſis*, quod idem eſt, concitatis & effuſis ad curſum. Albinovanus ad Liviam:

Vade age, & immiſſis labere pronus aquis.

vide notata ad Eleg. 1. ſup. v. 13. Noſter Eleg. 8. lib. 4. ſic dixit: *Effuſis per tua ſaxa rotis*. De hoc genere allegoriæ vide ad Eleg. 3. ſup. v. 18. Pass. Vide Hieronymi Columnæ Comment. ad Ennii Fragmenta p. 22. Non diſſimile eſt illud Ovidii lib. 3. Amor. Eleg. 2. de agitatore circenſi:

Favimus ignavo. ſed enim revocate Quirites,
Et date jactatis undique ſigna togis. V.

v. 59. Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis: at a te est Quod ferar in partes ipse fuisse tuas] Hunc laudis campum Muſæ noſtræ aperis, & tibi debetur quod dicar te ſecutus in bello pro Auguſto. ut Eleg. 10. lib. 2.

Et Romana mei dicere caſtra ducis.

A te eſt. Cicero Epiſt. 1. libri ad Brutum: *Ejus beneficii magna pars a te eſt. Ferar*, dicar cum laude. ut & Eleg. 17. infra:

Virtutiſque tuæ, Bacche, poeta ferar.

In partes fuiſſe tuas, pro, in partibus. Sic Plautus Amphitr. *Nunc vero mihi in mentem fuit*. Terentius Eunucho: *Eſſe in tantum honorem*. Cicero pro Lege Manilia: *Fuiſſe in prædonum poteſtatem*. Contra Eleg. 11. infra: *Quid rapiem in crimine divos?* pro, in crimen. *Partes* dicuntur, inquit Tullius 13. Philipp. proprie in foro. ubi male reprehendit Antonium, qui partes dixerit de cauſſa alterutra in bello, quum ipſe ita ſæpe uſurpet. pleni exemplorum libri. P. *Partes* hic translate accipit Noſter, de ſtudio nimirum & vitæ genere. Didicerat enim a Mæcenate moderationem animi. Sane Propertius a militia abhorruit; quod ipſe teſtatur Eleg. 7. lib. 2. Sunt autem quædam caſtra & partes illorum qui privatam vitam degunt ac tranquillam, ab avaritia & ambitione longe remoti. Horatius diſerte admodum Ode 16. lib. 3. *Nil cupientium Nudus caſtra peto; & transfuga divitum Partes linquere geſtio*. Vulp.

ELEGIA X.

MIrabar quidnam misissent mane Camœnæ,
 Ante meum stantes Sole rubente torum.
Natalis nostræ signum misere puellæ,
 Et manibus faustos ter crepuere sonos.

Tran-

ARGUMENTUM ELEGIÆ X. LIBRI III.] Puellam edocet, quo cultu suum ipsa natalem celebret. VULP.

v. 1. MIRABAR QUIDNAM MISISSENT MANE CAMŒNÆ] Libenter Elegiam orditur ab hoc verbo, ut Eleg. 11. infra, Eleg. 2. lib. 4. & Eleg. 3. lib. 2. Virgilius Ecl. 1.

Mirabar, quid mæsta deos, Amarylli, vocares.

ergo τὸ *nam* παρέλκει, ut Eleg. 7. supra:

Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?

Misissent. alii libri, *Jussissent*. An *Risissent*: ut duo fuerint fausta signa, risus & plausus Musarum? Horatius Ode 3. lib. 4. *Quem tu Melpomene semel Nascentem placido lumine videris*. An alludit ad munera quæ mittebantur natali die? An missa sibi a Musis ait somnia? Virgilius 6. Æneid.

Sed falsa ad cælum mittunt insomnia Manes.

& Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes.

Visus sum, inquit, mane (quo tempore vera sunt somnia) audire plausus Musarum. vide Tibullum Eleg. 4. lib. 3. *Camœnæ*, Musæ. Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 3. *Musas esse mundi cantum etiam rustici sciunt, qui Camœnas vocant a canendo, quasi canenas*. PASS. *Signum mittere*, est signum dare ------ moneo, in omnibus libris scriptis inveniri lectionem vulgo receptam; ne uno quidem aliorsum eunte. BROUKH. *Mirabar*. Confer Ovidium lib. 5. Trist. Eleg. 5. de natali uxoris. VULP.

v. 2. ANTE MEUM STANTES SOLE RUBENTE TORUM] Somniantes se putant objectas imagines videre lecto suo imminentes. ut Eleg. 7. lib. 4.

Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro.

Tibullus Eleg. ult. lib. 2.

Mæstaque sopito stes feror ante torum.

Ovidius 11. Metam.

Luridus, exanimi similis, sine vestibus ullis
Conjugis ante torum miseræ stetit.

Sole rubente, exoriente. ut Eleg. 13. infra:

Quos Aurora suis rubra colorat equis.

quia sidera putabant ignea. PASS. *Sole rubente*. Virgilius L. 7. Æn.

Jamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Lucanus item (ne infinitam sumamus operam) L. 2.

Jam Phœbum urgere monebat
Non idem Eoi color ætheris, albaque nondum
Lux rubet, & flammas propioribus eripit astris. BROUKH.

Stantes ante torum. Sic Somnium a Jove missum Agamemnoni, apud Homerum lib. 2. Iliad. Στῆ ὑπὲρ κεφαλῆς. *stetit supra caput*. VULP.

v. 3. NATALIS NOSTRÆ SIGNUM MISERE PUELLÆ] Unde misere? nam stabant ante torum. Sed mittere signum, est signum dare, ut vocem mittere, loqui. Virgilius 1. Georg.

Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes.

Seneca Thyeste: *Tertia misit buccina signum*. *Natalis nostræ puellæ*. Diem natalem amicæ celebrat, ut Tibullus lib. 2. & 2. Messalæ & Cerinthi, Horatius vero Mæcenatis. Vide Censorinum de Die Natali. Fictum autem puellæ natalem Noster commemorat Eleg. 5. lib. 4.

Ingerat Aprilis Iole tibi, tundat Amycle
Natalem Majis Idibus esse suum. PASS.

v. 4. ET MANIBUS FAUSTOS TER CREPUERE SONOS] Applausere feliciter, edidere sonos lætos. Crepare cum quarto casu. Horatius: *Pauperiem crepat*. [Idem Epist. 7. lib. 1. *Sulcos & vineta crepat mera*.] Vide Nonium in *Crepare*. Virgilius 9. Æneid.

dixit,

Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
Ponat & in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobæ lacrimas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis:
Increpet absumtum nec sua mater Ityn.

Tuque,

dixit, *Sonitum increpat*. *Crepuere ter manibus*. Ovidius in Ibin: de ejus natali:

Terque cruentatas increpuere manus.

Manibus, addit, quia & pedibus plauditur. Virgilius Æneid. 6. *Pars pedibus plaudunt choreas*. Sunt & alia genera plausus, de quibus Suetonius in Nerone. Consule de hoc loco Turnebum lib. 18. Adversf. cap. 12. PASS.

v. 5. TRANSEAT HIC SINE NUBE DIES, STENT AERE VENTI, PONAT ET IN SICCO MOLLITER UNDA MINAS] τὸ *Transeat*, prætereat. Tibullus Eleg. 4. lib. 1. *Transeat atas*. Virgilius 1. Æneid.

Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.

Sine nube dies. *Innubis* Senecæ Herc. Furente. Sic aër ἀνέφελος Aristoteli de Mundo. *Stent aëre venti*. quiescant, nec agitent aërem. *Aëre*, pro in aëre. ut Eleg. 6. lib. 4. *Stetit aquore moles Pinea*. Obiter venti naturam ostendit; quia ventus, fluens & agitatus aër. Per stantes ventos, νηνεμίαν ἀνέμων; per undarum minas positas, γαλήνην significat. Plato in Convivio. Sic Virgilius Ecl. 9.

Et nunc omne tibi stratum silet aquor, & omnes,

Aspice, ventosi ceciderunt murmuris aura.

Horatius Ode 12. lib. 1. *Concidunt venti, fugiuntque nubes, Et minax (sic dii voluere) ponto Unda recumbit*. *Ponat minas*, detumescat, & penitus subsidat. nam tument irati, & iidem minantur. *Sic ponere iram* dixit Horatius in Epist. ad Pisones. Noster Eleg. 15. infra eadem mente: *Magnos quum ponunt aquora motus*. Seneca Troade, & Medea: *Ventus abjecit minas*. *In sicco*, subaudi litore. Virgilius 1. Georg. *In sicco ludunt fulica*. Idem 6. Æneid. *In litore sicco*. Mare agitatum, sævit in litus, & longius evagatur: quum desæviit, siccum litus manet, ac placide alluitur. PASS. Non dubito quin Propertius a Lucretio sumserit, lib. 5. v. 1000.

Sed temere, incassum mare fluctibus sæpe coortis

Sævibat, leviterque minas ponebat inanes.

Ponere, activa significatione, de ventis detumescentibus Horatius usurpavit Ode 3. lib. 1. *Quo (Noto) non arbiter Hadria Major, tollere, seu ponere vult freta*. Neutra vero Virgilius 7. Æneid. *Quum venti posuere*. VULP.

v. 7. ASPICIAM NULLOS HODIERNA LUCE DOLENTES] Rideant omnes, neminem tristem videam, mœstum, iratum, invidum. nam *dolens* late patet. *Hodierna luce*, δὶς τὸ αὐτὸ. ut Ciceroni: *Hodiernus dies*. PASS. *Ex hodierno lumine*, dixit Lucretius lib. 3. v. 1105. VULP.

v. 8. ET NIOBÆ LACRIMAS SUPPRIMAT IPSE LAPIS] Flere desinat, quæ antea Niobe, nunc lapis. Ergo non Niobe ipsa lapis, sed ipse lapis quondam Niobe. Appositio; ut Eleg. 9. lib. 1.

Nedum tu possis spiritus iste levis.

An *Niobæ* secundo casu, a recto Nioba? De Niobe dictum ad Eleg. 20. lib. 2. v. 7. PASS. *Et Niobæ l. s. i. l.* hæc est lectio libri Groningani, quam nolim sollicitari. auctor est Callimachus, Hymno in Apollinem, Thetidem, etsi miseram matrem atque orbam, non plorare amissum Achillem quoties *Io Paan*, *Io Paan*, audiverit: Nioben quoque in lacrimosum saxum induratam, intermittere tum æternos suos dolores. id Noster urbanissime transtulit ad natalem suæ Cynthiæ. de vocabulo *lapis* vide notata ad Callimachum illustri Spanhemio. p. 60. 61. BROUKH.

v. 9. ALCYONUM POSITIS REQUIESCANT ORA QUERELIS] Rostris & gutturi alcyonum sit pausa querendi. Alcyonum querelæ,

Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge, & poſcentes juſta precare deos.

Ac

læ, ob iuſelicem fortunam Ceyeis, & conjugis Alcyones. Ovidius Epiſt. Leandri:

Alcyones ſola, memores Ceycis amati,
Neſcio quid viſa ſunt mibi dulce queri,

Albinovauus ad Liviam:

Alcyonum tales ventoſa per æquora queſtus
Ad ſurdas tenui voce ſonantur aquas.

Vide Ariſtotelem lib. 5. Hiſt. Animal. Euripidem Iphigenia in Tauris, & Statium 9. Thebaid. Dixi ad Eleg. 17. lib. 1. v. 21 PASS.

v. 10. INCREPET ABSUMTUM NEC SUA MATER ITYN] Ne Progne reſonet, ſæpe canat & gemat flebiliter, lamentetur, & leſſum faciat filio. *Increpare*, canere, inquit Nonius in *Crepare*. Turpilius Pedio: *Age tu Hymenæum increpa*. vide notata ad Eleg. 17. lib. 1. v. 6. Nec eſt objurgantis, ſed vicem ſuam & alienam dolentis. *Mater ſua*, ut *ſuus pater* in XII. Tabb. & apud Cicernnem identidem. Terentius Hecyr. 4, 4. *Mater quod ſuaſit ſua, adoleſcens mulier fecit*. nbi Donatus, *ſua*, pro *ejus*. male. nam cognationis eſt ea appellatio; ut *ſuus heres*. Plautus Aſin. 3, 1. *Ait, te facturum divitem, ſi moriatur mater ſua*. *Abſumtum*, & interemtum & comeſum. Virgilius 4. Æneid.

Non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriiſque epulandum apponere menſis?

De Prognes, Philomelæ, Tereos, & Ityos fabula Noſter Eleg. 20. lib. 2. verſ. 5. & 6. Ovidius 6. Metam. Apollodorus lib. 3. Hyginns Fab. 45. Pauſanias in Atticis & Phocicis, Homerus lib. 19. Odyſſeæ; denique Strabo lib. 9. PASS. Procnen intellige; ſive hirundinem, inamabile triſſantem. eam fabellam aliter atque aliter apud veteres narrari non ignoro: ſed nunc luſcinia locum hic habere nullum poteſt. pulchre poeta præſtantiſſimus Petrus Angelius Bargæus, de hirundine quæ pullos ſuos ſtrangulaverat:

Proh ſcelus infandum! quis jam te, barbara Progne,
Credat Ityn manibus non laceraſſe tuis?

BROUKH.

v. 11. TUQUE, O CARA MIHI, FELICIBUS EDITA PENNIS, SURGE, ET POSCENTES JUSTA PRECARE DEOS] *Cara mihi*, luce magis dilecta. ut alibi:

Eripitur nobis jampridem cara puella.

An legendum *cura*, pro cara, ut ſimile ſit illi Eleg. 25. lib. 2.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori?

Edita, nata, generata. Horatius Ode 1. lib. 1. *Mæcenas atavis edite regibus*. Noſter Eleg. 1. lib. 4.

Umbria te notis antiqua penatibus edit.

Pennis felicibus, bonis avibus, fauſtis ominibus. & ad pennas Amoris alludit. Virgilius 3. Æneid. *Præpetis omina pennæ*. id eſt, volucris. nam aves præpetes dicuntur in auguriis, non earum pennæ. licet idem dixerit 6. Æneid.

Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo.

Nam *pennis*, ibi eſt volatu; quomodo & hic accipi poteſt, pro augurio ex volatu felici avium. Ovidius 1. Faſt. ad aves:

Nec tamen hoc falſum eſt; nam diis ut proxima quæque eſt,
Nunc penna, veras nunc datis ore notas.

Poſcentes juſta precare deos. ambigue, & qui juſta & debita ſibi exigunt, & tu juſta, quæ reddis ſuum cuique, atque adeo debitum diis cultum. Sed melius: *Juſta precari*, petere a diis honeſta & recta. Sic Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 3. *Juſta precor*; & Plautus: *Jus bonum orat*. *Poſcentes*, annuentes, ut Eleg. 1. lib. 2. *Poſcentes ſomnus declinat ocellos*. Ductum a dominis, qui nutu ſervos potius, quam verbis poſcunt, præſertim in cœna. Porro mane & veſperi ſalutabant & precabantur deos. Quidam libri habent: *præſentes*. id eſt, faventes. Virgilius Ecl. 1. PASS. *Pennis*, avium volatu. unde auguria atque omina captaſſe priſcos ſcimus. Valerius Flaccus lib. 1. de Idmone vate:

Seu plenum certis interroget aëra pennis.

Servius ad L. 1. Æn. v. 397. *In auguriis conſiderandæ ſunt non ſolum aves, ſed etiam volatus*. BROUKH. Lucanus quoque lib. 1. Pharſaliæ v. 587. de Arunte vate:

Fulminis edoctus motus, venaſque calentes
Fibrarum, & monitus volitantis in aëre pennæ.

Item

Ac primum pura ſomnum tibi diſcute lympha,
Et nitidas preſſo pollice finge comas.
Dein qua pridem oculos cepiſti veſte Propertî,
Indue; nec vacuum flore relinque caput.

Et

Item Silius Italicus lib. 4. Punic. v. 120.

Huic ſuperae ſentire monentes
Ars fuit, & pennâ monſtrare futura magiſtrâ.

Salvianus denique Maſſilienſis lib. 6. de Gubernatione Dei: *Numquid non Conſulibus & pulli adhuc gentilium ſacrilegiorum more paſcuntur, & volantis pennae auguria quaeruntur? Paſcentes juſta*, annuentes ea quæ juſta ſunt. CETERUM, ſi fas eſt vitia ſummorum auctorom non diſſimulare, in Propertii carminibas nonuollæ occorrant ſententiæ obſcaræ propterea, ambiguæ, atque impeditæ, quod multiplici ratione explicari poſſint; a quo vitio diligenter ſibi caviſſe Ovidius videtur. VULP.

v. 13. AC PRIMUM PURA SOMNUM TIBI DISCUTE LYMPHA] Expergiſcere & lava. nam ſomniculoſi, quum vix ſurgunt & nitontur, diſcatiunt ſomnum. Somnus ipſe apud Ovidium 11. Metam.

Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens,
Summaque percutiens nutanti pectora mento,
Excuſſit tandem ſibi ſe.

vel, viſa nocturna, & ſomnia disjice, & procol amove. nam ſomniis obnoxia erat Cynthia. ut Eleg. 3. lib. 1. Eleg. 29. lib. 2. Eleg. 6. ſup. & Eleg. 7. lib. 4. Sic Eleg. 26. lib. 2.

Quum mihi diſcuſſit talia viſa metus.

Pura lympha, apta purgationi & luſtrationi; fluviali, vel fontana, ſive *pura de fonte petita*, Eleg. 1. ſup. Sic Eleg. 8. lib. 4. *Purâ limina tergit aquâ*. Ovidius 4. Faſt.

Et manibus puram fluminis hauſit aquam.
Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.

De expiatione ſomniorom, quæ vel aſperſione, vel ablutione fieret, Noſter Eleg. 4. lib. 4.

Sæpe illa immeritæ cauſſata eſt omina Lunæ,
Et ſibi tingendas dixit in amne comas.

ubi de hac ſuperſtitione dicetur. PASS. Proprium in ea re verbum *diſcutere*. Lactantius de Mort. perſecut. C. 46. *Diſcuſſo deinde ſomno, notarium juſſit acciri*. Minucius Felix: *Quum diſcuſſa caligine, de tenebrarum profundo in lucem ſapientiæ & veritatis emergerem*. Boëthius L. 1. de Conſol. Philos.

Tunc me diſcuſſa liquerunt nocte tenebræ,
Luminibuſque prior rediit vigor.

Apulejos L. 1. Metam. *Ut primum nocte diſcuſſa Sol novus diem fecit, & ſomno ſimul emerſus & lectulo*, &c. Idem L. 11. *Confeſtim diſcuſſa pigra quiete, alacer exſurgo, meque protinus, purificandi ſtudio, marino lavacro trado*. BROUKH. Eleganter Lucianus in Amoribus: Τὸν ἐπὶ τῶν ὀμμάτων ἔτι λοιπὸν ὕπνον ἀπονιψάμενος ὕδατι λιτῷ. *Poſtquam reſidentem in oculis ſomnum reliquum aqua ſimplici abſterſit*. VULP.

v. 14. ET NITIDAS PRESSO POLLICE FINGE COMAS] Come ſcilicet, pone in ordine. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Et manibus canas fingere velle comas.

Virgilius 4. Æneid. *Mollique fluentem Fronde premit crinem, fingens*. *Fictor*, inquit Iſidorus, *a componendo & fingendo: velut qui capillos mulierum linit & pertractat, ungit & nitidat*. *Preſſo pollice*. digitis qnadam arte leniter admotis. Sic Eleg. 1. lib. 2.

Miramur, faciles ut premat arte manus.

vel *pollice*, pro tota manu. ut Eleg. 5. lib. 4.

Quum fallenda meo pollice clauſtra forent.

An compreſſo intra manum, ut contraria ſignificatione *verſo pollice* inſenſus animus notatur? *Pollices, quum favemus, premere proverbio jubemur*, inquit Plinius lib. 28. H. N. cap. 2. *Nitidas comas* [ſplendentes, unguento delibutas.] Ovidius initio lib. 3. Faſt. *Nitidas caſſide ſolve comas*. Horatius Epiſt. 14. lib. 1.

Quem tenues decuere togæ, nitidique capilli.

Virgilius 4. Georg.

Cæſariem effuſæ nitidam per candida colla. P. Horatius Epiſt. ad Alb. Tibullum:

Me pinguem & nitidum bene curata cute viſes.

Hinc *nitida palæſtra* poetis dicitur, quod athletæ oleo & ceromate ungerentur, ad facilius evadendos adverſarii nexus. VULP.

v. 15. DEIN QUA PRIMUM OCULOS CE-

Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit & tota flamma secunda domo:

Sir

DISTI VESTE PROPERTI, INDUE, NEC VACUUM FLORE RELINQUE CAPUT] Oculos nempe meos. ut Eleg. ult. lib. 2. *Cynthia versu laudata Properti*. Indue, inquit, eam vestem qua veste me tuum fecisti spectando. amantes enim capiunt & capiuntur oculis invicem. ut Eleg. 1. lib. 1. *Me cepit ocellis*. *Veste*, ostrina tunica, vel casta & candida veste; ut Eleg. 29. lib. 2. v. 26. & 27. vel *Coa*, ut Eleg. 2. lib. 1. & 1. lib. 2. Ovidius lib. 5. Trist. Eleg. 5. de Natali uxoris:

Quaque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.

Nec relinque caput vacuum flore. cave caput vacet, & careat sertis. *Relinque vacuum*: sic Virgilius 7. Æneid. *Nil linquere inausum*. *Vacuum flore*, ut Eleg. 17. infra: *Vacuum servitio*. & *Flore*, pro, floribus. ut Eleg. 20. lib. 1. *Florem prætulit officio*. Floribus autem Genius colebatur a viris, ut apud Horatium: *Piabant floribus & vino Genium*. & Appulejus Critiæ flores mittit in die natali. Sed & mulieres Junonem (suum Genium) colebant floribus. Ovidius lib. 3. Fast.

Ferte deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc dea. de tenero cingite flore caput.
PASS.

Altero ab hinc versu τὸ *primum* habuimus, quod segniter & odiose hic repetitur. noli dubitare, quin scriptum fuerit *pridem*. sic L. 2. Eleg. 7.

Eripitur nobis jam pridem cara puella.

in secundo nostro est *dehinc*, pro *dein*. BROUKH. *Indue, qua veste c. o. P.* Simile est illud Virgilii: *Urbem quam statuo, vestra est*. Subaudi *urbs*. & illud Terentii: *Populo ut placerent, quas fecisset fabulas*, Subaudi *fabulæ*. VULP.

v. 17. ET PETE, QUA POLLES, UT SIT TIBI FORMA PERENNIS] An a Junone Genio muliebri? an a Venere & Amore? an a Juventate? an a Jove? *Petere*, orare. ut Eleg. 7. lib. 4. *Petere ventos*. & Nonius in *Famulenter*, sic supra: *Precare deos*. *Ut sit tibi forma perennis*. numquam senescat vel deflorecat. Eleg. 2. lib. 2.

Hanc utinam faciem nolit mutare senectus.

Sed id tamen fieri non potest. Noster Eleg. 28. lib. 2.

Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis.

Qua polles; in qua una tua omnis potentia consistit. sic Eleg. 5. lib. 2. *Cynthia forma potens*. ubi vide adnotata. PASS.

v. 18. INQUE MEUM SEMPER STENT TUA REGNA CAPUT] Perpetuo mihi, licet superbe, imperes. *Stent regna*, firma maneant. ut Horatius Ode 3. lib. 3. *Stet Capitolium fulgens*. *Regna* [ἐρωτικὰ βασίλεια] ut Eleg. 16. lib. 2.

Et subito felix nunc mea regna tenet.

In meum caput, in me liberum hominem, ut Eleg. 8. lib. 1. *An usque In nostrum jacies verba superba caput?* PASS. Infra L. 4. Eleg. 7.

Longa mea in libris regna fuere tuis.
BROUKH.

v. 19. INDE CORONATAS UBI TURE PIAVERIS ARAS] τὸ *inde* ordinis est adverbium, non loci, ut apud Virgilium sæpe. *Piaveris*, placaveris, propitiaveris. ut Eleg. 1. lib. 1. *In magicis sacra piare focis*. *Aras*, pro, ipsos deos. ut Eleg. 20. infra: *Qui pactas in fœdera ruperit aras*. Charisius lib. 1. *Aræ pro penatibus*. An ergo hic penates & lares, ut *ornatum focum*? Ovidius 6. Fast. & lib. 5. Trist. Eleg. 5. de Natali uxoris:

Et velet tepidos nexa corona focos.

Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 2. ex Varrone lib. 5. Rerum Divin. docet, aras dictas fuisse & asas, tamquam ansas. Servius ad 2. Æneid. *Superorum & aræ sunt & altaria: Inferorum tantum aræ; & aræ dictæ à precibus, quas Græci ἀρὰς dicunt*. Varro 4. de L. L. *Ara, quod pura, ut loca pura in urbe area: vel ab ardore*. *Coronata ara*, verbenis, floribus, vittis cinctæ. Horatius Ode 11. lib. 4. *Ara castis vincta verbenis*. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 13. de natali:

Fami-

Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiæ libera verba tuæ.

Dul-

Fumida cingatur florentibus ara coronis.
Virgilius Ecl. 8.

Sparge molam, & molli cinge hæc altaria vitta.
Statius 10. Thebaid. de accensis ignibus in aris:

Ille coronatos jamdudum amplectitur ignes.
Ture. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 13.

Micaque solenni turis in igne sonet.
& Tibullus lib. 4. Carm. 5.

Magne Geni, cape tura libens, votisque faveto. PASS.

v. 20. LUXERIT ET TOTA FLAMMA SECUNDA DOMO] Lætum auspicium flammæ, quum sponte sua emicuit. Virgilius 4. Georg.

Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.
vide eumdem Ecl. 8. Noster Eleg. 6. l. 4. *Nova flamma Luxit in obliquam ter sinuata facem.* Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 9.

Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara:
Detque bonum voto lucidus omen apex.
Legendi Tibullus in Panegyr. Messalæ, Suetonius in Tiberio cap. 14. Plutarchus in Cicerone, & Virgilius 2. & 7. Æneid. de Ascanio, & Lavinia. *Flamma secunda,* læta, prospera, a ventis secundis, vel repetitis auspiciis. Sic *vela secunda* Eleg. 17. infra. Proprie, *flatus secundi* Eleg. 25. lib. 2. PASS. *Luxerit e. t. f. s. d.* Seneca Oedip. v. 309. sqq. BROUKH.

v. 21. SIT MENSÆ RATIO, NOXQUE INTER POCULA CURRAT] Ratio habeatur convivii, curetur cœna, ut indulgeatur Genio natali die, sicuti consuevit. Horatius Ode 11. lib. 4. Tibullus lib. 4. Censorinus & Plautus. *Nox currat,* decurrat, tota celeriter transeat, & citius opinione dies illucescat potantibus. Nox enim curru vehi dicitur a poetis; & nihil tempore celerius. Horatius Ode 5. lib. 2. *Currit ferox ætas.* unde *fugaces anni.* *Inter pocula,* ut Eleg. ult. infra: *Inter convivia.* Catullus: *In joco atque vino.* Horatius: *Inter vina.* & *Inter jocosi munera Liberi.* Cicero: *Inter scyphos.* De nocturnis conviviis dictum ad Eleg. 8. sup. v. 1. PASS.

v. 22. ET CROCINO NARES MURRHEUS UNGAT ONYX] *Onyx,* vas ex onyche gemma; ut Eleg. 5. sup. v. 4. *Gemma,* pro poculo gemmeo. vide adnotata ad Eleg. 13. lib. 2. v. 30. *Onyx murrheus,* myrrha plenus, ut *myrrhea coma* Tibullo, & *myrrheus crinis* Horatio. Vas unguentarium, in quo myrrha odor Arabicus recondi solita. *Crocinum,* unguentum quod ex aromatibus fiebat, & croco in oleo macerato; ut ait Dioscorides lib. 1. & Plinius lib. 13. & lib. 21. H. N. ubi etiam *crocomagma* dicitur. Dictum a croco, *crocinum,* sicuti ab amaraco, amaracinum. subaudi, unguentum. [Lucretius lib. 4. *Postisque superbos Ungit amaracino.*] Plautus Curcul. 1, 2. *Tu crocinum & casia es.* *Ungat nares,* ut propius odor sentiatur. notum est, consuevisse veteres caput ungere in convivio. legendi Catullus, Horatius, Plautus. Onyx autem ungere nares dicitur, ut Eleg. 17. infra: *Crater fundit vinum.* PASS. *Crocinum* unguentum non est idem cum *crocomagmate,* quod Passeratius putabat, deceptus prava scriptura apud Plinium L. 21. C. 22. quem locum emendavit Salmasius Exercit. p. 108. & prior Marcellus Vergilius Annot. in Dioscorid. L. 1. C. 26. *Onyx,* (inquit Acro in Horatium L. 4. Od. 12.) *metallum gemmæ simile. de hoc ad unguenta odorata parva fiebant vasa.* rectissime lapidem onychem distinguit ab onyche gemma. Plinius L. 36. C. 8. *Hunc* [onychem] *aliqui lapidem alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur.* Vocant vero *myrrheum* a colore flavo, qui in hoc lapide laudatissimus perhibetur. Plinius ibidem. myrrhæ autem probatissima talem habet colorem. inde *fulvam* Ovidius vocat L. 15. Metam. BROUKH. *Onyx.* vas onychinum. Horatius Ode 12. lib. 4. *Nardi parvus onyx.* VULP.

v. 23. TIBIA NOCTURNIS SUCCUMBAT RAUCA CHOREIS] Defessa fit canendo, & impar saltationibus. deficiat tibicen ipse

R 2 potius,

potius, quam qui choreas ducunt. Sic Eleg. 2. sup.

Et defessa choris Calliopea meis.

Succumbimus imparea oneri, quum sub ipso labimur. vide Eleg. 9. sup. Ita *succumbere culpæ*, dixit Virgilius; *succumbere fortunæ & dolori*, Cicero. *Nocturnæ choreæ*, quæ ducuntur ad lumina. Sic fere Horatius Ode 4. lib. 1.

Jam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna.

Tibiarum usus io sacris & conviviis. *Rauca tibia*, qnerula, qoia is tibiæ souus Horatio & Lucretio. & conquerendo raocescimus. ideo Eleg. 16. lib. 1. *Raucum querela*. Noster supra Eleg. 3. *Rauco cornu*. PASS. Exilis & raucus tibiæ sonitus obruatur penitos strepitu saltaotium, ut vix exaodiri possit. Hæc est verissima hujus loci explicatio, ooo illa qoam attulit Passeratius. Dabis autem, lector, qoisquis es, mihi hanc veniam, ut Propertianam locutionem similibus optimorum scriptorum locutionibus copiose illustrem. quod tibi, ut spero, voluptati erit, non molestiæ. Primum omniom Homerus lib. 23. Odyss. v. 146. strepitum saltatorum ὑπὸ φόρμιγγι γλαφυρῇ mirifice describit:

Τοῖσιν δὲ μέγα δῶμα περιστεναχίζετο ποσσὶν
Ἀνδρῶν παιζόντων καλλιζώνων τε γυναικῶν:

Postbæc magno domus reboabat undique pedibus virorum ludentium, pulcrizonarumque mulierum. Quamobrem eo strepitu facile premebator tibiæ cantus, præsertim si tibia esset ἄγλωττος, καὶ ἄφθογγος, qualem commemorat Pollox Onomastici lib. 4. cap. 9. *lingula* scilicet *expers*, & *minus sonoro*. Hanc rem varie admodum & eleganter expresserunt scriptores, quum scilicet minorem sonum cum majore conferre vellent. Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 317.

Vox tamen Alcimedes planctus supereminet omnes.

Femineis tantum illa furens ululatibus obstat,
Obruit Idæam quantum tuba Martia buxum.

Idæa buxus, tibia erat buxea, qua Corybantes utebantur. *Obstare ululatibus*, est, eos ingenti clamore superare. Lucanus lib. 3. v. 540.

Innumeræ vasto miscentur in æthere voces,
Remorumque sonus premitur clamore: nec ulla
Audiri potuere tubæ.

Ovidios lib. 11. Metam. v. 15. ubi de Orphei cæde:

Cunctaque telo forent cantu mollita: sed ingens
Clamor, & inflato Berecynthia tibia cornu,
Tympanaque, plaususque, & Bacchei ululatus
Obstrepuere sono citharæ.

Lucianus mirifice ad rem nostram in libello de Domo: Καὶ προσέτι γυμνὴν καὶ τὴν φωνὴν αὐτὴν ἐπιταράττεται, ἐν ὅπως εὐφώνῳ, καὶ ἀχηέντι οἴκῳ λέγων. ἀντιφθέγγεται γὰρ, καὶ ἀντιφωνεῖ, καὶ ἀντιλέγει· μᾶλλον δὲ ἐπικαλύπτει τὴν βοὴν, οἷον τι καὶ σάλπιγξ δρᾷ τὸν αὐλὸν, εἰ συναυλοῖεν, ἢ τοὺς κελευστὰς ἡ θάλαττα, ὁπόταν πρὸς κύματος ἦχον ἐπᾴδειν τῇ εἰρεσίᾳ θέλωσιν. ἐπικρατεῖ γὰρ ἡ μεγαλοφωνία, καὶ κατασιωπᾷ τὸ ἧττον. h. e. *Præterea & vocem ipsam turbat, qui in adeo vocali, & resonante domo dicit. nam illa respondet, & ex adverso resonat, & contradicit: immo etiam dicentis vocem obruit: quale quiddam & tuba facit tibiæ, si pariter inflentur: aut hortatoribus mare, quoties illi ad fluctus strepitum remigationi occinere volunt. vincit enim magnitudo vocis, idque supprimit quod minus est.* Idem Necyomantia, de Diogene apud inferos lamentationibus divitum obstrepente: Αἴδει μάλα τραχείᾳ καὶ ἀπηνεῖ τῇ φωνῇ, τὰς οἰμωγὰς αὐτῶν ἐπικαλύπτων. Scholiastes Theocriti, ad ejus Idyll. 18. v. 7. Τὸ δὲ ἐπιθαλάμιον ᾄδουσιν αἱ παρθένοι πρὸ τοῦ θαλάμου, ἵνα τῆς παρθένου βιαζομένης ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἡ φωνὴ μὴ ἐξακούηται· λανθάνει δὲ κρυπτομένη διὰ τῆς τῶν παρθένων φωνῆς. Cum quo concinit Servius ad illud Eclogæ 8. *Sparge, marite, nuces.* *Nam illud*, inquit, *vulgare est, ideo spargi nuces, ut, rapientibus pueris, fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis, possit audiri.* Vide Plinium lib. 15. H. N. T. Livius lib. 39. Hist. ubi de Bacchanalibus: *Occulebat vim, quod præ ululatibus, tympanorumque & cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra & cædes, exaudiri poterat.* quod & inferius repetit. Idem lib. 24. *Imber .... sonitu primo largioris procellæ, strepitum demolientium portam exaudiri prohibuit*, Lexicon Academicorom *della Crusca*, verbo *boce*, o *voce*: *Cuoprire ad altrui la voce, vale Impedire con suono maggiore che altri non sia inteso.* id Græcam φράσιν, ἐπικαλύπτειν φωνὴν exprimit accorate. Jacobos Sannazarios ad fistolam, in Arcadia: *Il tuo umile suono mal si sentirebbe tra quello delle spaventevoli buccine, e*

delle

Dulciaque ingratos adimant convivia somnos:
Publica vicinæ perstrepat ara viæ.

Sit

delle reali trombe. Laurentius Magalottus, vir doctrina & ingenio præstans, Epist. 4. part. 1. *Un gravicembalo in una orchestra par che resti affogato, non è dubbio, dagli altri strumenti; e pure egli è quello che gli regge tutti*. Dantes vero Aligherius Inferni Cantu 31.

Ma io senti sonare un alto corno,
Tanto ch' avrebbe ogni tuon fatto fioco.

& simplicius Purgatorii Cantu 19.

Adhæsit pavimento anima mea,
Sentia dir lor, con sì alti sospiri,
Che la parola appena s' intendea.

Præcipue autem verbum *vincere* & *pervincere* in hac re adhibuerunt Latini auctores. Cicero lib. 5. de Finib. non procul ab initio: *Noli, inquit, ex me quærere, qui in Phalerium etiam descenderim: quo in loco ad fluctum ajunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere*. Contra Quintilianus Declamat. 388. *Fragor undarum, audientium auribus minorem excludebat sonum*. Horatius Sat. 6. lib. 1. *Magna sonabit Cornua quod vincatque tubas*. Idem Epist. 1. lib. 2.

Nam quæ pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?

Silius Italicus lib. 12. v. 210. *Vincebat clamore tubas*. & lib. 4. v. 96.

Quadrupedante cornu tellus gemit; ac simul acer
Vincentum lituos hinnitus sævit equorum.

Ceterum, ad lucem quoque, dolorem & alia translatæ fuerunt hujusmodi locutiones. Seneca Epist. 92. *Paullo ante dicebam, igniculum nihil conferre lumini Solis: claritate enim ejus, quidquid sine eo lucet, absconditur*. Hippocrates Aphorismo 46. Sect. 2. Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον. Cicero 2. Tusc. Quæst. prope finem: *Debes æstimare, aut non esse malum dolorem, aut, etiamsi quidquid asperum, alienumque a natura sit, id appellari placeat malum; tantulum tamen esse, ut a virtute ita obruatur, ut nusquam appareat*. Plato Apologia Socratis: Καὶ αὐτῶν αὕτη ἡ πλημμέλεια ἐκείνην τὴν σοφίαν ἀπέκρυπτεν. *Et hic ipsorum error sapientiam illam abscondebat*. sive, *sapientiæ illius luminibus obstruebat*. *Tibia succumbat choreis*. Cicero pariter Catone Majore: *Intentum enim animum, tamquam arcum, habebat* (Appius), *nec languescens succumbebat senectuti*. Sed ohe jam satis est: manum de tabula. VULP.

v. 24. ET SINT NEQUITIÆ LIBERA VERBA TUÆ] Sic Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Ipse dent tacito permisit vela ministro,
Ederet ut multo libera verba mero.

Noster Eleg. 23. lib. 2. *Rejecto quæ libera vadit amictu*. id est, sine pudore & metu. Nævius apud Festum in *Liberalia*: *Liberâ linguâ loquemur ludis Liberalibus*. Alio modo *libera verba* Eleg. 9. lib. 1. v. 2. Sententia est: Verba nupta & obscœna tibi usurpare liceat, ut nequam es & lasciva. Ea fortasse verba intelligit de quibus Eleg. 15. lib. 2.

Quam multa appositâ narramus verba lucernâ! PASS.

Fescennino sermone uti non pudeat in sacris natalitiis; ebrietas enim verborum licentiam excusabit. VULP.

v. 25. DULCIAQUE INGRATOS ADIMANT CONVIVIA SOMNOS] Horatius Ode 25. l. 1. *Nec tibi somnos adimunt*. Idem Ode 16. lib. 3. dixit *Auferre somnos*. *Dulcia convivia*, ut Eleg. 7. *Dulcia convivo*. & Horatius, *Dulces epulæ*. nisi libum significet, [seu mellitam placentam, quæ mittebatur die natali.] *Ingratos somnos*, injucundos; quia non libet tunc dormire, sed magis delectat vigilare. Ingratus etiam ideo vocari potest somnus, quia reddit immemores; & quia non sentit. ut *ingratus cinis*. Noster Eleg. 3. lib. 1.

Omniaque ingrato largibar munera somno. PASS.

Nulli homines liberalius ridentur, quam qui obdormiscunt in convivio. Petronius: *Vino Falerno inundamur, excepti etiam pluribus ferculis ----- Cum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur, illa, quæ injuria depulsa fuerat, ancilla totam faciem ejus fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra humerosque sopionibus pinxit*. Suetonius Claudio C. 8. *Quoties post cibum*

obdor-

Sit fors & nobis talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Quum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis & instituet sacra ministra Venus:

Annua

obdormisceret, quod ei fere accidebat, olearum ac palmularum ossibus incessebatur: interdum ferula flagrove, velut per ludum, excitabatur a copreis. Solebant & manibus stertentis socci induci, ut repente expergefactus faciem sibi confricaret. Apud Horatium Nereus L. 1. Od. 15. *Ingrato celeres obruit otio Ventos. Convivia.* Mensæ rationem jam ante habuit. itaque nihil huc faciunt *convivia*. credo scriptum a poeta *convicia*, h. e. cantus amœbæos juvenum ac puellarum; quales ferme in nuptiis fuerunt Fescennini. ideo *dulcia* vocat *convicia*, sicut *festa* Tragicus Romanus Med. v. 113.

Festa dicax fundat convicia Fescenninus.

v. Horatium II. Epist. 1. v. 145. ----- Dicteria & joci improbiores convicia dicebantur, nec non cantilenæ prurientes. Papinius L. 5. Silv. 5. v. 66.

Non ego mercatus Pharia de pube loquaces
Delicias, doctumve sui convicia Nili
Infantem, linguaque simul salibusque protervum
Dilexi.

quæ *convicia* tetigit quoque L. 2. Silv. 1. v. 74. ------- Pulcre ad rem nostram Macrobius VII. Saturn. 3. p. 483. Br.

v. 26. PUBLICA VICINÆ PERSTREPAT ARA VIÆ] Aræ quædam erant privatæ. unde Cicero: *Hic aræ, hic foci, hic dii penates.* Aliæ publicæ, ut publici sacerdotes, augures, feriæ, sacra. Ejusmodi aræ publicæ quædam in via. Plautus Mostell. 5, 1. *Aram in via Tranio occupat.* & Curcul. 1, 1. *Ara Veneris ante lenonis ædes.* Fortasse quum alicujus dies natalis esset, vicinia in compitis saltabat. *Perstrepat*, personet cantu & plausu. Terentius Eun. 3, 5. *Perstrepunt; ita fit, domini ubi absunt.* Sic Cicero pro Sex. Roscio: *Animi & aurium caussa tot homines habet. Ut cantu vocum, nervorum, tibiarum, nocturnisque conviviis tota vicinitas personet.* PASS. in sex libris *aura* legitur; in duobus Regiis *ora*. atque hoc Posseratio placuit. melius ac verius *ora* rescripsit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 12. Metam. v. 430. de quo nec ambigendum. certe *ora* quid huc faciat, non video. BROUKH. Nimirum *o* & *au* in vetustis codicibus haud raro inter se permutantur. *Ora via* tamen dura locutio & insolens mihi videtur. *Aura*, exhibet editio omnium princeps. VULP.

v. 27. SIT SORS ET NOBIS TALORUM INTERPRETE JACTU] Sortiamur talis, id est, sortium vicem nobis tali præbeant, quasi interpretentur sortes, & voluntatem deorum. Talis sortiebantur συμποσίαρχον, seu convivii magistrum & regem. Horatius Ode 4. lib. 1. *Nec regna vini sortiere talis.* Cicero 2. de Divinat. *Quid enim est sors? idem quod micare, quod jacere talos, & tesseras.* Ex eorum igitur jactu divinabant quid esset, fuisset, futurum esset. Quærebant autem inter pocula, quis quam amaret, & quo successu. PASS.

v. 28. QUEM GRAVIBUS PENNIS VERBERET ILLE PUER] Ille omnibus notus, sed mihi præcipue Cythereæ puer ales (nempe, Amor) cui sit iratus & infestus. Ductum ab avibus, quæ ut rostro & unguibus, sic & alis sæviunt. Virgilius 12. Æneid.

Turni se pestis ad ora
Fertque refertque sonans, clypeumque everberat alis.

Contra Ovidius Remed. Amor.

Debilibus pennis irritus exit Amor.

& Noster Eleg. 9. lib. 2. memorat *Amoris faciles alas*. Beroaldus hic videtur legisse, *gravius*. id est, quis nostrûm amet ardentius, quem amor magis urgeat. PASS. Illustris translatio a dimicatione avium generosarum. Lævinus Torrentius hunc locum laudans ad Horat. L. 1. Od. 27. *torqueat* scripsit, pro *verberet*, perspicuo errore memoriæ. BROUKH.

v. 29. QUUM FUERIT MULTIS EXACTA TRIENTIBUS HORA] Postquam effluxerit tempus convivii. *Hora*, pro tempore, non pro duodecima parte diei, aut noctis. nam dixit: *Non inter pocula curret*. Sic Hora-

tius

Annua ſolvamus thalamo ſolennia noſtro,
Nataliſque tui ſic peragamus iter.

ELE-

tius Ode 13. lib. 3. *Flagrantis atrox hora Caniculæ*. *Exacta*, præterita; ut Eleg. 3. lib. 1. *Exactis ſideribus*. & *exacta ætas*. *Multis trientibus*, multis poculis, longa potatione. Martialis Epigr. 86. lib. 6.

Setinum, dominæque nives, denſique trientes.

Triens, unciæ quatuor, ſeu tertia pars aſſis. Triens igitur hic, calix continens quatuor cyathos. Perſius Sat. 3. *Calidumque trientem Excutit a manibus*. An quod miſcerent tot cyathos aquæ calidæ, vini quot eſſent? Martialis lib. 2. Epigr. 1.

Te convivа leget mixto quincunce, ſed ante
Incipiet poſitus quam tepuiſſe calix.

Vide Budæum de Aſſe, & Georgium Agricolam libro de ponderibus & menſuris. Horatius tres cyathos juſtam menſuram bibendi ſtatuit intra ſobrietatem. Ergo hic additur uncia ſingulis poculis. Vide Lipſium lib. 3. Antiqu. Lect. PASS.

v. 30. NOCTIS ET INSTITUET SACRA MINISTRA VENUS] Fieri præcipiet. ut Virgilius Ecl. 2. *Pan primus inſtituit*. id eſt, auctor fuit ejus rei. & τὸ *Noctis* iterandum: & *miniſtra noctis*, & *ſacra noctis*. Venus miniſtra Noctis, quaſi ejus deæ camilla; nam tenebras ſequitur. Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Celari vult ſua furta Venus*. Sic apud Noſtrum Eleg. 22. lib. 2. Sol & Luna cælo miniſtrant. An *ſacra miniſtra noctis*, quibus noctu operantur? *Sacra noctis* ſunt quæ furta etiam dicuntur. Auſonius ea intelligit: *Etenim fabula de nuptiis eſt, &, velit nolit, aliter hæc ſacra non conſtant*. Noſter Eleg. 20. infra: *Sacra marita*. Vetus Poeta apud Hephæſtionem etiam *Veneris orgia* dixit. PASS.

v. 31. ANNUA SOLVAMUS THALAMO SOLENNIA NOSTRO] Reddamus ea tamquam debita; ut Eleg. 28. lib. 2.

Votivas noctes & mihi ſolve decem.

Sic *Juſta ſolvere*. *Annua ſolennia*, δὶς τὸ αὐτό. ut Eleg. 7. ſup. *Juſta debita*. nam in ſolenni annuam ineſt. vide adnotata ad Eleg. 33. lib. 2. v. 1. Suetonius Auguſto cap. 53. dixit, *Dies ſolennes*. At die natali id præſtabatur quod petit Virgilius Ecl. 3.

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola.

& Horatius Ode 11. lib. 4. Phyllida invitat ad Mæcenatis natalem celebrandum. *Thalamo noſtro*, conjugio & lecto tamquam jugali; ut Eleg. 8. ſup. *Noſtro nexiſti cetia lecto*. PASS.

v. 32. NATALISQUE TUI SIC PERAGAMUS ITER] Potando & ludendo ſpatium illud diei & noctis conficiamus. *Sic*. ut Eleg. 14. lib. 2.

Nec ſic incolumem Minoïs Theſea vidit.

id eſt, tanto cum gaudio. *Peragamus iter*. Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 7. de Sole:

Biſque ſuum tacto Piſce peregit iter.

Iter, de ſpatio temporis. Noſter Eleg. 18. infra:

Phœbe, moratura contrahe lucis iter.

Sed hic ἀφροδισίως. ut Eleg. 15. infra: *Noſcere amoris iter*. vide adnotata ad Eleg. 33. lib. 2. v. 22. PASS. Groninganus habet *ter peragamus*. ------ *peragere iter natalis* valet, celebrare diem natalem, quam longus eſt. --- *iter* autem *natalis* dicitur, ut *iter lucis*, *iter mortis*, *iter vitæ*. Dixerunt Propertius, Minucius Felix, Auſonius. BROUKH.

ARGU-

ELEGIA XI.

QUid mirare, meam ſi verſat femina vitam,
Et trahit addictum ſub ſua jura virum?

Cri-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XI. LIBRI III.] Exemplis mulierum quæ viris imperaverint, ſe femineo amori mancipatum tueri conatur adverſus reprehenſores: opportune Cleopatræ ſuperbiam, & ab illa acceptam cladem apud Actium deſcribens. VULP.

v. 1. QUID MIRARE, MEAM SI VERSAT FEMINA VITAM?] Sic Terentius in prologo Heaut. *Ne cui ſit veſtrûm mirum*. Atque ita exorditur Noſter Eleg. 2. lib. 4. & Iſocrates Orationem πρὸς Φίλιππον: *μὴ θαυμάσῃς, ὦ Φίλιππε*. *Quid mirare*, & reprehendis? Donatus. τὸ *femina* contemtim in ſexum. Vetus Poeta: *Sed feminea vir, femineo intecimor manu*. Suetonius in Cæſare cap. 21. *Negante quodam facile hoc ulli feminæ fore* (molli Cæſari) *reſpondit, & in Aſia regnaſſe Semiramin*. *Verſat vitam meam*; ambigue: & regit pro arbitrio, ut Virgilius Ecl. 9. *Fors omnia verſat*. ut torquere, pro regere: & *verſat*, male habet in omnes partes vertendo. ut Eleg. 8. ſupra:

Non eſt certa fides, quam non injuria verſat.

Vitam meam, ætatem meam, me ipſum. ut Eleg. 2. lib. 1. *Eris noſtræ gratiſſima vitæ*. PASS. *Verſat femina vitam*. Gravi verbo eſt uſus atque inmiti. Plautus Ciſtell. Act. 1. Sc. 1. *Mihi iſtum hominem vellem dari, Ut ego illum verſarem!* loquitur meretrix. Hortorum Eſquilinorum cuſtos apud Horatium L. 1. Sat. 8. de ſagis: *Carminibus quæ verſant atque venenis Humanos animos*. Catullus LXI. [63.] 80.

Queis anguſta malis quum mœnia verſarentur.

ita enim iſtic loci habent codices Achillis Statii. BROUKH. *Quid mirare*. Sic Eleg. 2. lib. 4.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?

pro miraris. Terentius pariter Hecyra 3, 1, 13. *Quid conſolare me?* pro conſolaris. Idem Heaut. 1, 1, 13. *Proinde quaſi nemo ſiet, Ita tute attente illorum officia fungere*. Plautus Merc. 1, 1, 72. *I hinc directus: nugare in re capitali mea*. Varro de Re Ruſt. lib. 2. cap. 1. *Ego opinor, inquit, incipiam primus, quoniam in me videre conjeciſſe oculos*. Luccejus Ciceroni Epiſt. 14. lib. 5. ad famil. *Si ſolitudine delectare, quum ſcribas & aliquid agas eorum quorum conſueſti, gaudeo*. & infra: *Doleo, quia doles, & angere*. Sexcenta ſimilia occurrunt apud Latinos ſcriptores: verum tirones monendi erant. *Meam ſi verſat femina vitam*. Amantes in rota Cupidinis, ut Plautinis verbis utar, miſere diſtrahuntur, & ab unius mulierculæ nutu ſerviliter pendent. vere iccirco atque eleganter Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Namque agor, ut per plana citus ſola verbere turbo,
Quem celer adſueta verſat ab arte puer.

nec abludit Davus Horatianus Sat. 7. lib. 2.

Tu, mihi qui imperitas, aliis ſervis miſer, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

i. e. nihil arbitratu tuo facis, ſed omnia libidinum imperio. VULP.

v. 2. ET TRAHIT ADDICTUM SUB SUA JURA VIRUM] Cogit ſibi parére. Ovidius Epiſt. Paridis:

Damnatumque ſibi modo ſub ſua jura Cupido
Retrahit.

vide Eleg. 4. v. 4. ſup. & Eleg. 6. v. 28. *Addictum*, mancipatum, judicatum, damnatum, & quaſi traditum a prætore. Translatio a reis debendi, qui addicebantur creditoribus; & a verbis prætoriis, *Do, dico, addico*. unde addicti nexi Juriſconſultis ubique. Varro 5. de L. L. *Nefaſti dies, per quos nefas fari prætorem, Do, dico, addico*. Noſter infra hac Eleg. *Addictos in ſua regna patres*. Feſtus: *Addicere, eſt damnare*. Nonius: *Addictum eſt quaſi devotum, & obnoxium*. Cicero 2. Tuſc. *Quæ certis quibuſdam deſtinatiſque ſententiis quaſi*

addi-

Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam melius præsagit navita noctem:
Vulneribus didicit miles habere metum.

Ista

addicti, *consecrati sunt*. Plautus Captiv. *Quasi fundum vendam, meis me addicam legibus*. PASS.

v. 3. CRIMINAQUE IGNAVI CAPITIS MIHI TURPIA FINGIS] Me hominem liberum iosimulas inertiæ, & mollitiæ. ut Eleg. 12. lib. 1.

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen?

Ergo *crimina*, pro crimen, per enallagen. De crimine desidiæ vide adnotata ad locum memoratum. Addo Ciceronem 1. in Catil. *Me jam inertiæ; nequitiæque condemno*. Turpis autem ignavia. Apud Plautum in Captiv. *Non igitur nos soli ignavi fuimus*. quia alii qooque capti sunt. Capi & vinciri turpe est. Eleg. 3. lib. 2.

Turpia perpessus vates est vincla Melampus.

vide Horatii locom insignem Ode 5. lib. 3. Servius in illud 1. Æneid. *Ignavum fucos pecus*. *Inutile*, inquit, *nec aptum industriæ*. *nam gnavos industrios dicimus*. Festus: *Navus, celer, strenuus, a navium celeritate*. Immo a nautarum industria. Donatus in Eunuch. *Naviter a navi, quia in alto nullum diversorium est. unde ignavire verbum*. Attius Decio, apud Nonium: *Sæpe ignavit fortem in spe exspectatio*. *Mihi*, in me. sic Statios 11. Thebaid.

Orbaque Parrhasiis ululat mihi mater in antris. PASS.

In doobus Gebhardi erat *Carminaque*. sed vulgatam defendit ipse Propertius L. 1. Eleg. 12.

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen?

BROUKH.

Sodalem suum imitatur Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Quid mihi, Livor edax, ignavos objicis annos;

Ingeniique vocas carmen inertis opus?

VULP.

v. 4. QUOD NEQUEAM FRACTO RUMPERE VINCLA JUGO] Ipsas amoris pedicas perfringere, & evadere. Ovidius Eleg. 10. lib. 3. Amor.

Scilicet asserui jam me, fregique catenas.

In eam sententiam tota Elegia. Lucretius lib. 4. dixit: *Validos Veneris perrumpere nodos*. Persius Sat. 5. *Rupi jam vincula dicas*. Aliter Noster Eleg. 15. lib. 1.

Sanguinis & cari vincula rupit amor.

An hìc vincula intelligit quibus clauditur jugum? Tibullos Eleg. 1. lib. 2. *Solvite vincla jugis*. *Fracto*, plus qoam excusso, qoia jugum amoris hæret tenacius. Ovidius lib. 5. Trist. Eleg. 2.

Subtrahis & fracto tu quoque colla jugo.

PASS.

v. 5. VENTURAM MELIUS PRÆSAGIT NAVITA NOCTEM: VULNERIBUS DIDICIT MILES HABERE METUM] Hos conjungit etiam Eleg. 1. lib. 2. v. 43. & seq. *Melius præsagit*, facilius & doctius, quia navita ventorum rationem & siderum tenere dicitur. Virgilius 1. Georg.

Navita tum stellis numeros & nomina fecit.

& 5. Æneid. de Palinuro. *Præsagit*, præsentit, & prævidet. nam sagire est acote sentire. Festos: *Præsagire est prædivinare, præsipere. Sagax enim est acutus & sollers*. Idem: *Præsagitio dicta, quod præsagire est acute sentire. unde saga dicta anus, quæ multa sciunt, & sagaces canes, qui ferarum cubilia præsentiunt*. Cicero 1. de Divinat. *Qui ante sagit, & sentit, quam res oblata est, dicitur præsagire*. Plautos Bacchid. *Præsagitur* dixit, pro præsagit. notat Nonius. *Noctem*, tempestatem noctis comitem. ut Eleg. 17. lib. 1. v. 10. Sat tibi *sit pœna nox*. *Didicit*, cum malo conjunctum, ut adnotatum ad Eleg. 1. lib. 1. v. 5. Bene conjongit discere, & timere. Horatius ad Pisones:

Tibicen didicit prius, extimuitque magistrum.

Habere metum, ut habere spem & fiduciam. Cicero pro Milone: *Adeste animis, & timorem, si quem habetis, deponite*. *Habere metum*, minus audax esse & caotius pugnare. Tirones autem solent audaciores esse veteranis, quia uso carent. PASS. Miror eorum pertinaciam, qui lectionem non nauci, *mortem*,

Ista ego præterita jactavi verba juventa:
Tu nunc exemplo disce timere meo.

Colchis

tam studiose fovent. jam plus quam duo sunt sæcula, postquam monuit Beroaldus, in priscis codicibus legi *noctem*, id est, tempestatem, sive hiemem, ut poetæ loquuntur, quam peritus nauta non difficulter e cæli facie præsagit, sæpe eam expertus nimirum, non autem sæpe mortuus. L. Attius Prometheo: *Navem ut horrisono freto Noctem paventes timidi adnectunt navita*. pulcre Lucretius lib. 4. *Tetra nimborum nocte coorta*. Virgilio quoque frequens vox est. L. 3. Æn.

Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, & inhorruit unda tenebris.

& L. 1.

Eripiunt subito nubes cælumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra,

videre autem omnino debes initium L. 5. divini operis. Crebræ sunt apud bonos scriptores hæ tralationes a rebus maritimis desumtæ. *Miles habere metum*. miles pessime commendatur a metu. mihi certum est, a poetæ manu fuisse *habere modum*. elementa *t* & *d* millies inter se commutant; nec minus *e* atque *o*. *habere* autem *modum* Latinissime dicitur. Usi sunt Noster, Plautus, Terentius, Horatius, Cicero, itaque sensus erit: Miles pugnarum vetus, & sæpe vulneratus, didicit ardoris sui modum habere, cautiusque pugnare quam fecerat tiro, neque periculis quibusvis objicere injussum caput. BROUKH. Quomodo hæc sententia cum superioribus, & argumento Elegiæ connectatur, nemo interpres quærit, nec scire laborat. Ita scilicet connectitur: Qui numquam amavit, vim amoris ac tyrannidem ignorat; sicuti qui numquam ratem pelago commisit, existimat, marinos fluctus rem ludicram esse, neque adeo pertimescendam: qui vero urbanis deliciis est innutritus, pugnas & prœlia, tamquam somnia, & aniles fabellas audire solet. Amator contra, miles, & nauta, sua quisque pericula serio pendunt; malo enim suo timere didicerunt; neque rem facilem putant, amoris jugum excutere, tempestatem vel hostem superare. *Venturam noctem*. Silius Italicus lib. 1. v. 687.

Ut sæpe e celsa grandævus puppe magister
Prospiciens signis venturum in carbasa Corum,
Summo jamdudum substringit lintea malo.

& lib. 2. v. 289.

Ut, qui stelligero speculatur sidera cælo,
Venturam pelagi rabiem, Caurique futura
Prædicit miseris haud vanus flamina nautis.

Valerius Flaccus pariter lib. 5. v. 53. de Tiphy vita functo:

Adsis, umbra, precor, venturi præscia cæli,
Rectoremque tuæ moneas ratis.

vide Horatium Ode 13. lib. 2. & Platonem in Lachete. Cicero lib. 2. de Divinat. *Nam & medici, & gubernatoris, & imperatoris præsensio est rerum futurorum: num igitur aut haruspex, aut augur, aut vates quis, aut somnians melius conjecerit, aut ex morbo evasurum ægrotum, aut periculo navem, aut ex insidiis exercitum, quam medicus, quam gubernator, quam imperator? Præsagit*. Elegantissime Lucretius lib. 4. *Quum jam præsagit gaudia corpus*. *V. d. miles habere metum*. Qui *modum* legere malunt, præsertim nullis codd. auctoribus, falluntur, neque mentem Propertii satis percepisse videntur. metus enim hoc loco non est pavor forti milite indignus, verum providentia & præsensio futuri periculi. quapropter v. 8. infra ait poeta: *Exemplo disce timere meo*. Quid apertius? Illud Horatii simillimum, quamvis in re dissimili, Epist. 18. lib. 1.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. VULP.

v. 7. ISTA EGO PRÆTERITA JACTAVI VERBA JUVENTA] Ita magnifice locutus sum, [ut tu nunc loqueris, quisquis es qui me reprehendis.] sic *Jactare voces*. Cicero pro Cœlio, & Virgilius 2. Æneid. quod jactatur autem, perditur. Ergo nequicquam locutus sum, *Præterita*, non plane exacta, sed superiore juventa, quum liber eram, & ferox. ut initio Eleg. 1. lib. 1. & Elegia 13. lib. ejusd.

Nec tibi præteritos posse est succedere fastus.
PASS.

Simili confessione utitur Franciscus Petrarcha (*nella Canzone 4.*) *Lagrime ancor non*

mi

Colchis flagrantes adamantina ſub juga tauros
Egit, & armigera prœlia ſevit humo:
Cuſtodiſque feros clauſit ſerpentis hiatus,
Iret ut Æſonias aurea lana domos.

Auſa

mi bagnava il petto, Nè rompea il ſonno: e quel ch' in me non era, Mi pareva un miracolo in altrui. Laſſo, che ſon? che fui? La vita il fin', e'l dì loda la ſera. VULP.

v. 8. TU NUNC EXEMPLO DISCE TIMERE MEO] Fac alieno malo feliciter ſapias. vide adnotata ad Eleg. 7. lib. 1. v. 14. Terentium item Heautont. 1, 2. PASS.

v. 9. COLCHIS FLAGRANTES ADAMANTINA SUB JUGA TAUROS EGIT, ET ARMIGERA PRŒLIA SEVIT HUMO] Medea ipſa apud Apollonium lib. 3.

Δοιώ μοι πεδίον τὸ Ἀρήιον ἀμφινέμονται
Ταύρω χαλκόποδε, στόμασι φλόγα φυσιόωντε·
Τοὺς ἐλάω ζεύξας.

Feres mihi campum tondent Martium Æripedes tauri, qui flammas exhalant ore. Eos agito junctos. Ovidius 7. Metam.

Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes tauri.

Egit ſub juga. uno verbo, ſubegit, ſubjugavit, domuit. Horatius Epodo 3. hac de re: *Ignota tauris illigaturum juga Perunxit hoc Iaſonem.* Apollonius libro prædicto adamantinum aratrum, ſed jugum æreum fuiſſe ſcribit. Sed Hyginus Fab. 22. *Tauros*, inquit, *qui flammas naribus ſpirabant jungeret adamanteo jugo. Sevit prœlia humo armigerâ.* ſparſit dentes draconis, unde nati armati, qui inter ſe dimicarunt. *Prœlia*, prœliorum cauſſas. ut Eleg. 1. lib. 2. v. ult. *Fatum*, pro fati cauſſa. Fabula autem hæc eſt apud auctores ante laudatos. Tangit & Ovidius Epiſt. Hypſipyles. videſis. PASS. *Armigerâ humo.* Livinejus conjiciebat *armiferâ*; quod tamen eodem redit, ac tantumdem valet. nam *gerere* & *ferre* promiſcue uſurpantur. ita Noſter Parnaſum vocat *laurigerum* Eleg. 11. quum altero verbo utatur Plinius L. 15. C. 30. *lauriferam tellurem illam* appellans. Virgilius L. 2. Georg.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos.

Papinius L. 9. Thebaid. *armigerum campum* dixit. BROUKH. *Adamantina ſub juga:* non ex adamante gemma, ut ego quidem exiſtimo, ſed ex chalybe duriſſimo, & δυσδαμάστῳ. Ita Heſiodus in Theogonia, ἀδάμαντα uſurpat ἀντὶ τοῦ σιδήρου. vide ibi Scholiaſten. Eodem modo accipiendum crediderim illud Horatii Ode 6. lib. 1. *Quis Martem tunica tectum adamantina Digne ſcripſerit?* Sane Marti ferrum, & arma ferrea olim dicata. *Armigera humo.* Tibullus Eleg. 4. lib. 2.

Quidquid & herbarum Theſſala terra gerit.
VULP.

v. 11. CUSTODISQUE FEROS CLAUSIT SERPENTIS HIATUS] Sopitus ille draco pharmacis & carminibus Medeæ. vide Apollonium lib. 2. & 4. Ovidius lib. 7. Metam.

Pervigilem ſupereſt herbis ſopire draconem,
Qui criſta, linguiſque tribus præſignis, & uncis
Dentibus, horrendus cuſtos erat arboris aureæ.

Feros hiatus, ora draconis metuenda, qui hiabat, ut voraret. Sic Eleg. 16. infra:

Sæva canum rabies morſus avertit hiantes.

& Virgilius 6. Æneid. *Atris immanis hiatibus Hydra Sævior.* PASS. *Feros hiatus.* χάσμ' ὀδόντων, ut ait Anacreon Ode 2. *Feros.* Tibullus pariter Eleg. 4. lib. 3.

Nec flammam volvens ore Chimæra fero.
VULP.

v. 12. IRET UT ÆSONIAS AUREA LANA DOMOS] Ut Iolcon aveheretur vellus aureum, ubi Æſon pater Iaſonis. Catullus *Auratam pellem* vocat Carm. de Nuptiis Pel. ac Th. *Iret domos*; ut Eleg. 8. lib. 2.

Quo ſine Thebanam noluit ire domum.
PASS.

Nihil hac fabula decantatius. ſi tamen aliquid ultra vulgares nænias ſcire deſideras, adi Hadrianum noſtrum Junium L. 5. Animad. C. 12. Petr. Bellonium L. 1. Obſerv. C. 52. Mart. Ant. Delrium Comment. in Senecæ Medeam v. 365. & Iſ. Voſſium Obſerv. in Catull. p. 190. BROUKH. *Aurea lana.* Ovidius Epiſt. Medeæ:

Ponitur ad patrios aurea lana deos. VULP.

Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
Mæotis Danaûm Penthesilea rates.
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.

Ompha-

v. 13. AUSA FEROX AB EQUO QUONDAM OPPUGNARE SAGITTIS MÆOTIS DANAÛM PENTHESILEA RATES] Id est, belli Trojani tempore Græcorum classem impetere. *Ausa* præter sexum: & temeritatis infelicis est. Virgilius 1. Æneid. de eadem: *Audetque viris concurrere virgo*. Noster Eleg. 10. lib. 4.

Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini.

& hac Elegia infra:

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin.

Ferox. Virgilius 1. Æneid. *Penthesilea furens*. *Ab equo* addit, quia sagittarii, ut plurimum, pedites. sed Scythæ, & Parthi, equites. *Ab equo*. sic Humerus 9. Odyss. Ἐπιστάμενοι μὲν ἀφ' ἵππων Ἀνδράσι μάρνασθαι. sic Livius lib. 1. dixit: *Ex equo tum forte Metius pugnabat*. & Virgilius 5. Æneid. *Oculosque suorum Lustravere in equis*. id est, equitando. *Mæotis*, Scythica, a Mæotide palude. Juvenalis Sat. 15.

Tale quid excusat Mæotide sævior ara
Ægyptus.

id est, Scythicâ, & Tauricâ. Noster Eleg. 3. lib. 2. *Mæotica nix*. De Penthesilea Diodorus lib. 1. cap. 12. Hyginus Fab. 112. qui Martis filiam ait fuisse, & occisam ab Achille. Ovidius Epist. Cydippes:

Non ego constiteram sumtâ peltata securi,
Qualis in Iliaco Penthesilea solo.

ubi datur ei securis, ut Amazonibus fit, quum tamen hic sagittis armetur, quia Mæotica & ex Scythia. PASS. *Quondam oppugnare sagittis*. *contra oppugnare*, noster secundus, & unus Colbertinus. quam ego lectionem non insuper habendam reor. Græci oppugnabant urbem Trojanam: Penthesilea ut vicem redderet, injectis sagittis oppugnabat naves Græcorum. vide Cointum Smyrnæum Paralip. L. 1. BROUKH. *Mæotis*. A. Sabinus Epist. Demophoontis, de Theseo:

Qui modo peltiferas fudit Mæotidas armis.

nempe Amazonas. Editio princeps, pro *Mæotis*, habet *Injectis*: quæ lectio non contemnenda. VULP.

v. 15. AUREA CUI POSTQUAM NUDAVIT CASSIDA FRONTEM] Detexit. Virgilius 1. Æneid. *Trajectoque pectore ferro Nudavit*. vide Martialem Epigr. 57. lib. 9. v. 6. 7. & 8. Citat hunc versum Charisius lib. 1. in *Cassis* & *Cassida*, & illum Virgilii 11. Æneid.

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida.

ubi tamen Servius vult esse accusativum, pro nominativo. sed sic Varro apud Nonium in *Viscum*, & *Compedes*, *compedam* dixit, pro compede; & *chlamyda*, pro *chlamys*, apud eumdem in *Chlamys*: & *tunida*, pro tunis: Festus. Dicebatur & *Cassila*: idem Festus *l*. pro *d*. *Aurea*: Suetonius in Caligula cap. 19. *Cum aurea casside*. unde Pallas χρυσεοπήληξ, Callimacho εἰς λοῦτρα, v. 43. PASS. *Nudavit cassida frontem*. Mirum genus loquendi. cassida enim operit frontem, non aperit aut nudat. Sed videlicet poeta ipsi cassidæ tribuit, quod Achilli ejus vincula solventi, & a fronte Penthesileæ detrahenti, proprie tribuendum erat. V.

v. 16. VICIT VICTOREM CANDIDA FORMA VIRUM] Genus ὀξύμωρον, ut apud Horatium Epist. 1. lib. 2. *Græcia capta ferum victorem cepit*. & Virgilium 2. Æneid. *Victoresque cadunt Danai*. vide Proverbium: *Mars communis*. Alludit autem ad potentiam formæ, de qua dictum Eleg. 5. lib. 2. *Candida forma*; honesta, egregia, eximia pulchritudo. sic Eleg. 29. lib. 2.

Heu quantum per se candida forma valet!

Sed Diodorus lib. 2. & Hyginus, Penthesileam congressam cum Achille, scribunt, & ab eo interfectam, nulla amoris mentione. PASS. Mirum unde hoc hauserit Noster. Hyginus quidem ab Achille interfectam commemorat Penthesileam, Fab. 112. Ptolemæus autem Hephæstio, apud Photium, auctor est, occisum a Penthesilea Achillem, Thetidis matris precibus in vitam revocatum, & Penthesilea interemta rursum ad Orcum rediisse. nulla hic amoris mentio. Sed juvare aliquid videri potest

Ser-

Omphale in tantum formæ processit honorem,
  Lydia Gygæo tincta puella lacu,
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu.

Per-

Servius, ad L. 1. Æn. v. 494. PENTHESILEA, inquiens, *Martis & Otreræ filia fuit, quam Achilles quum adversum se pugnantem peremisset, post mortem ejus adamavit, eamque honorifice sepelivit*. tum ad L. 11. v. 661. *Seu quum se Martia curru Penthesilea refert*] *MARTIA. aut bellicosa, aut Martis filia; quæ ab Achille occisa, ac mortua adamata est. ut nonnulli vera adserunt, cum Achille concubuit, & ex eo Caystrum filium edidit, a quo flumen Lydiæ ita appellatur*. Cointus autem Smyrnæus Paralip. L. 1. pulcerrimis versibus ejus cum Achille certamen describens, primo quidem vulneratam ait supra papillam dexteram, deinde etiam transfixam hasta una cum ipso equo, cui insidebat. mortuæ galeam lucentem quum detraheret Achilles, adeo obstupuit egregio formosissimi vultus decôre, ut gravissime animo excuciaretur, quod eam necasset, ac non potius divinitus ublatam uxorem duxisset. cadaver quoque & arma & equum reddiderunt Atridæ petenti Priamo; qui eam cum equo & armis crematam intulit in monumentum Laomedontis. Noster contra indicare videtur, Achillem eam in pugna victam captamque deinde in deliciis atque in amoribus habuisse. Lucius vero Septimius, satis ferociter ab Achille occisam quum narrasset, L. 4. C. 3. addit: *Placitum omnibus, uti, quoniam naturæ sexusque conditionem superare ausa esset, in fluvium, reliqua adhuc ad persentiendum spiritu, aut canibus dilanianda jaceretur. Achilles interfectam eam sepelire cupiens, mox a Diomede prohibitus est. Is namque percontatus circumstantes quidnam de ea faciendum esset, consensu omnium pedibus attractam in Scamandrum præcipitat; scilicet pœna postrema desperationis atque amentiæ*. adeo frustra in fabulis ullam quæras constantiam. *Vicit victorem* c. s. v. Ovidius Epist. Dejaniræ v. 2.

Victorem victa succubuisse queror. BROUKH.

v. 17. OMPHALE IN TANTUM FORMÆ PROCESSIT HONOREM] In tantam laudem & celebritatem formæ venit. Noster Eleg. 24. lib. 2.

Qui sese in tumidum jactando venit honorem.

Donatus in Eun. *Procedere*, ait, *esse dignitatis*. Festus: *Procedere, vel succedere, vel porro cedere*. Virgilius Ecl. 9.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Cicero lib. 3. de Finib. *Processit aliquantum ad virtutis aditum*. De Omphale Donatus ad illud Eun. 3. 8. *Qui minus quam Hercules servivit Omphale? Omphale*, inquit, *Lydiæ regina fuit, quæ Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit; quum ipsa calathum, colum, cultusque femineos sagittis, clava, & leonis tegmine mutasset*. Legendi Athenæus lib. 6. Plutarchus in Theseo, Ovidius lib. 2. A. A. & in Epist. Dejaniræ, Apollodorus lib. 2. & Palæphatus. Meminit & Pausanias in Atticis. PASS. Adde Lactantium lib. 1. Div. Instit. V.

v. 18. LYDIA GYGÆO TINCTA PUELLA LACU] Regina Lydiæ, ut Eleg. 5. sup. *Lydus Crœsus*. & *puellam* de regina dixit, ut Eleg. 12. infra:

Et thalamum Ææa flentis fugisse puella.

id est, Nymphæ & deæ. Tincta ergo, & puella, & Lydia, & mollissima, quæ tamen imperavit Herculi. *Tincta*, quæ se in eo lacu abluit. ut Eleg. 20. lib. 1.

Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes.

Gygæus lacus, γυγαίη λίμνη Homero in Catalogo navium sub finem. Strabo lib. 13. Gygæum lacum, qui postea Coluus dictus est, 40. stadia ab urbe Sardibus abesse, scribit. Plinius lib. 5. H. N. cap. 29. *Hyde civitas* (Mæoniæ) *clara stagno Gygæo*. Dictus a Gyge rege lacus, notissimo ob fabulosum illum anulum, de quo plura Herodutus, & Platu. Sic *Gygæum Caystrum* vucat Propertius Eleg. 22. infra. PASS. Herodutus in Clio: *Λίμνη δὲ ἔχεται τοῦ σήματος μεγάλη, τὴν λέγουσι Λυδοὶ ἀείναον εἶναι. καλέεται δὲ αὕτη Γυγαίη*. VULP.

v. 19. UT QUI PACATO STATUISSET IN ORBE COLUMNAS] Quia stantes manent, & ita ponuntur. Horatius Ode 35. lib. 1.

Inju-

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus:

Et

Injurioso ne pede proruat stantem columnam. De columnis Herculis Apollodorus lib. 2. Ἔστησε σημεῖα τῆς πορείας ἐπὶ τῶν ὅρων Εὐρώπης ἢ Λιβύης ἀντὶ στοίχων δύο στήλας. Strabo lib. 3. & Plinius lib. 3. *Pacato in orbe*, purgato monstris ac tyrannis; unde pax & tranquilla libertas consecuta. Sic Virgilius Ecl. 4.

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

& Lucretius lib. 1.

Pacatumque nitet diffuso lumine cælum.

Sic *pacatæ provinciæ* & *regiones* Ciceroni ubique. PASS.

v. 20. TAM DURA TRAHERET MOLLIA PENSA MANU] Lanam mollem carperet ea manu quam callosam effecerat laboriosum Martis opus. Horatius Ode 18. lib. 2.

Nec Laconicas mihi Trahunt honestæ purpuras clientæ.

Mollia pensa, ob mollitiem lanæ. Virgilius 4. Georg. *Dum fusis mollia pensa Devolvunt*. Et est antithesis, *Mollia*, *dura*. ut Eleg. 1. sup.

Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ:
Non faciet capiti dura corona meo.

& Eleg. 9. lib. 4. v. 46. 47. 48. PASS. Belle Ovidius in Epist. Dejaniræ:

Ah quoties digitis, dum torques stamina, duris
Prævalidæ fusos comminuere manus!

Pedo quoque Albinovanus in Obitum Mæcenatis:

Te propter multos percussit Lydia nodos:
Te propter durâ stamina rupta manu. V.

v. 21. PERSARUM STATUIT BABYLONA SEMIRAMIS URBEM] Primum Babylon Assyriorum, deinde Medorum, postremo Persarum fuit. ergo retulit ad sua tempora, non ad urbis conditæ. Semiramis statuit Babylona, ut testantur Q. Curtius lib. 5. Herodotus lib. 1. Justinus lib. 1. Suidas in verbo, *Semiramis*, Diodorus lib. 2. cap. 4. Solinus Polyhist. cap. 60. Plinius lib. 6. H. N. cap. 26. Plutarchus in Alexandro, Strabo lib. 2. & Ovidius lib. 4. Metam. Sed Herodotus lib. 2. a multis Assyriorum regibus conditam paullatim ait. Stephanus vero περὶ πόλεων, a Babylone Medi filio. Ammianus denique Marcellinus lib. 23. mœnia quidem a Semiramide fatetur structa, sed arcem a rege Belo. vide Proverbium apud Junium 23. Cent. 2. PASS. Pomponius Mela L. 1. C. 2. de Syria: *Olim, ac diu potens: sed quum eam regno Semiramis tenuit, longe potentissima. Operibus certe ejus, insignia multa sunt: duo maxime excellunt: constituta urbs miræ magnitudinis Babylon, ac siccis olim regionibus Euphrates & Tigris immissi*. etiam Noster hæc duo potissimum commemoranda duxit. BROUKH. *Statuit Babylona Semiramis*. Altero ab hinc versu præcessit, *statuisset*. nimirum a proxima ejusdem vocis repetitione non adeo sibi cavebant veteres, & hæc minuta negligebant. Vide Indicem nostrum Propertianum verbo, *Semiramis*. VULP.

v. 22. UT SOLIDUM COCTO TOLLERET AGGERE OPUS] Τὸ *ut*, pro, ita ut. Plautus Pœnulo 1, 2. *Olent, salsa sunt, tangere ut non velis*. Au, ut idem Pseudulo 1, 5. *Ut rus irem constituerem*. & A. Gellius lib. 16. cap. 19. *Pecuniam dedisse, ut haberet? Solidum opus*; verbum castrense *opus*, de magno molimine ad oppugnandum, vel muniendum. Cæsar ubique. Virgilius 4. Æneid. *Pendent opera interrupta, minæque Murorum ingentes*. Festus in *Pluteï*: *Crates quæ solent opponi militibus opus facientibus*. Varro 4. de L. L. *Oppido; quia opere muniebant mœnia*. Opus ergo, totum: agger, pars. *Solidum*, durum ac firmum adversus oppugnationem. Festus in *Solitaurilia*. Solida dicuntur quæ nulla parte laxata, tavaque sunt. vulgo, *massif*. unde ad alia transfertur, quæ plena & integra. sic *solidum beneficium*, *solidum infortunium*. *Agger*, inquit Isidorus lib. 15. cap. 9. *proprie terra aggesta, quæ vallo facto propius ponitur. Sed abusive & muros, ut hic, & munimenta omnia aggerem dicimus. alius est agger viarum, & agger tumuli*. quæ Isidorus omnia sumsit a Servio in 10. Æneid. Varro 4. de L. L. *Quod exaggerabant, agger, & quod aggerem contineret, murus*. Ergo *le rempart*. *Cocto aggere*. Hunc locum explicat Ovidius 4. Metam. quum ait v. 57.

Ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.

Pli-

Et duo in adverſum immiſſi per mœnia currus
Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.

Duxit

Plinius lib. 35. H. N. cap. 15. *Caltis quoque uſum præbuit* (bitumen) *ita ferruminatis Babylonis muris*. Juſtinus lib. 1. *Hæc* (Semiramis) *Babylona condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, arenæ vice bitumine interſtrata. quæ materia in illis locis paſſim e terra exæſtuat*. Q. Curtius lib. 5. *Coctili latercula ſtructi ſunt* (Babylonis muri): *totum opus bitumine adſtringitur*. Juvenalis Sat. 10.

Quum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit.

Ubi ſic Vetus Interpres: *Coctili latere munita urbe, quem hodie dicimus ordinarium lapidem*. Lucanus lib. 6.

Fragili circumdata teſtâ
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.

Vide Proverb. 23. Cent. 2. apud Junium. Herodotum lib. 1. Diodorum lib. 2. Vetus Gloſſarium: *Later coctus*, *βῶλοι*. *Tolleret*, educeret. ut Virgilius 3. Æneid *Arcemque attollere tectis*. PASS. *Solidum opus*. Itali dicimus *maſſiccia*. unde verbum *ammaſſicciare*, quo uſus Dantes Aligherius Purgatorii Cantu 9. v. 100.

Lo terzo (ſcaglione), *che, di ſopra, s' ammaſſiccia,*
Porfido mi parea sì fiammeggiante,
Come ſangue, che fuor di vena ſpiccia.

Cocto aggere. Martialis quoque lib. 9. Epigr. 56.

Non ſilice duro, ſtructilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit.

Vide & Vitruvium lib. 1. Architect. cap. 5. Lucanus coctum laterem teſtam vocavit. argilla ſcilicet igne cocta dureſcit in teſtam. Vaſa quoque fictilia igne perfecta teſtæ dicuntur. Graphice Herodotus in Euterpe de murorum Babylonis ædificatione: Ὀρύσσοντες ἅμα τὴν τάφρον, ἐπλίνθευον τὴν γῆν ἐκ τῆς ὀρύγματος ἐκφερομένην· ἑλκύσαντες δὲ πλίνθους ἱκανάς, ὤπτησαν αὐτὰς ἐν καμίνοισι· μετὰ δὲ, τέλματι χρεώμενοι ἀσφάλτῳ θερμῇ, καὶ διὰ τριήκοντα δόμων πλίνθου ταρσοὺς καλάμων διαστοιβάζοντες, ἔδειμαν πρῶτα μὲν τῆς τάφρου τὰ χείλεα· δεύτερα δὲ, αὐτὸ τὸ τεῖχος τὸν αὐτὸν τρόπον. VULP.

v. 23. ET DUO IN ADVERSUM MISIT PER MŒNIA CURRUS] Fecit ut mitti & agi poſſent; tantum erat ſpatii. *Duo*, pro, duos. Virgilius 11. Æneid.

Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra viros.

Chariſius lib. 1. *Duo*, pro *duos*: Attius ἐπὶ ναυσὶ μάχη: *Martes armis duo congreſſos crederes*. De hiſce mœnibus Q. Curtius lib. 5. *Murus inſtructus laterculo coctili, bitumine interlitus: ſpatium duorum & triginta pedum latitudinem amplectitur. quadrigæ inter ſe occurrentes, ſine periculo commeare dicuntur*. Hic ergo *duo currus in adverſum*, quadrigæ inter ſe occurrentes. Diodorus lib. 2. ait agi potuiſſe ſex currus per muri latitudinem. *In adverſum*: an uno verbo, ut *inante* lib. 2.? Certe Feſtus in *Mutini* dixit *adverſum murum*, pro, e regione muri. A. Gellius lib. 7. cap. 12. *Adverſum ſpeculum ornari*. Terentius Phorm. *Exadverſum tonſtrina erat*. Aliter Eleg. 26. lib. 2. [μνημονικὸν ἁμάρτημα]

Miſit in adverſum pocula Piritheum.

nam duo verba ſunt. ut *in incertum* Eleg. 26. lib. ejuſd. PASS. Gebhardi codices, cum uno noſtro, ac Borrichiano & Groningano, *miſſi* habent. ſcripſerat omnino poeta *immiſſi*, cujus vocis primam ſyllabam abſorpſit ultima τῦ *adverſum*. frequens id in libris, & quotidianum. Vide ſis Jo. Pierium Valerianum Caſtig. in L. 4. Æn. v. 669. Cicero Orat. de Haraſp. reſponſ. C. 22. *Niſi eum, inquam, exercitum* (C. Cæſaris) *ſignis infeſtis in curiam ſe immiſſurum minitaretur*. in re curuli Noſter uſus eſt ſupra Eleg. 7. v. 58. Galba ad Cicer. L. 10. ad famil. Epiſt. 30. *Repente equum immiſi ad eam legionem tironum, quæ veniebat ex caſtris*. Hinc ad ignem tranſtulit Maro L. 5. Æneid.

--- Furit immiſſis Vulcanus habenis
Tranſtra per, & remos, & pictas abiete puppes.

ad aquam Albinovanus Conſolat. ad Liviam:

Vade, age, & immiſſis labere pronus aquis.
BROUKH.

v. 24. NE POSSENT TACTO STRINGERE AB

Duxit & Eufratem medium, qua condidit arces,
Juſſit & imperio ſurgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimine divos?
Juppiter infamat ſeque ſuamque domum.

Quid?

AB AXE LATUS] Ita ut non poſſent prætereuntes ſe contingere, & in ſe leviter incurrere. *Stringere latus*, prætereundo detergere, & velut abradere. id enim eſt ſtringere. Virgilius 8. Æneid. *Stringentem ripas*. quod Lucretius lib. 5. *Ripas radentia flumina rodunt*. & Virgilius 10. Æneid.

Tandem etiam magno ſtrinxit de corpore Turni.

Statius lib. 6. Thebaid. hac de re: *Axibus axes Inflicti, radiiſque rota*. hoc eſt latus currûs. & mox:

Multaque tranſverſis perſtringitur ungula campis.

Latus currûs, ut Ovidius 1. Faſt.

Ipſe ſolum colui, cujus placidiſſima lævum
Radit arenoſi Tybridis unda latus.

Et *latus navis* Horatio & Virgilio. In latere currûs modioli & extremi axes ſunt, qui prominent, & ſtringuntur in anguſtiore ſpatio. τὸ *ab* autem vacat. ut Eleg. 1. ſupra: *Nomen ab ævo excidet*. PASS. Tibullus pariter Eleg. 5. lib. 1.

- - - Turbo
Quem celer adſueta verſat ab arte puer. V.

V. 25. DUXIT ET EUFRATEM MEDIUM, QUA CONDIDIT ARCES] Induxit, immiſit, ut influeret effecit, & quaſi urbem divideret. Sic *ducere aquam, aquæductus, & ducere rivos*. De Eufrate dictum ad Eleg. 10. lib. 2. Q. Curtius lib. 5. ubi de Babylone: *Eufrates interfluit, magnaque molis crepidinibus coërcetur*. Diodorus lib. 2. non inductum Eufraten, ſed in ejus utraque ripa conſtructas domos, & ita conditam urbem ſcribit. Herodotus lib. 1. Eufraten ait per mediam urbem fluere, delapſum e montibus Armeniæ, & inde rapidiſſime decurrere in mare rubrum. *Qua*, nempe, qua parte urbis; & ſitum loci notat. *Condidit*, exſtruxit. Virgilius Ecl. 2. *Pallas, quas condidit, arces Ipſa colat*. Diodorus lib. 2. narrat, Semiramin, quum Eufrati miræ magnitudinis pontem impoſuiſſet, in extremo ponte, utrimque geminas arces, ac regias condidiſſe. Q. Curtius arcem commemorat XX. ſtadia ambitu ſuo complexam, ſupra quam penſiles horti. Sed Herodotus lib. 1. arcem, & regiam in media urbis parte ponit, alterius partis diviſæ a fluvio. Arcem a rege Belo conditam ſcribit Ammianus Marcellinus lib. 23. PASS.

V. 26. JUSSIT ET IMPERIO SURGERE BACTRA CAPUT] Voluit præcipuam urbem totius Imperii eſſe, alias inter urbes caput efferre. *Surgere*, attolli, ut Eleg. 31. lib. 2. *Surgebat marmore templum*. An *ſurgere*, pro aſſurgere Imperio Babylonis, [nempe illud revereri, & ſe minorem fateri?] *Caput*, ut *Orbis Roma caput*. Ovidio & Tacito *caput rerum*. vide adnotata ad Eleg. 24. lib. 2. v. 6.

Non ego nequitiæ dicerer eſſe caput.

Bactra [urbs Perſarum] capta a Nino Semiramidis aſtu. vide adnotata ad Eleg. 1. ſup. v. 16. PASS.

V. 27. NAM QUID EGO HEROAS, QUID RAPTEM IN CRIMINE DIVOS?] Eſt ἀναφορὰ, pro, quidnam, ut Eleg. 14. lib. 1.

Nam quis divitiis adverſo gaudet amore?

Sic notat Donatus in Phorm. Plautus Amphitr. *Nam quid ille revertitur?* Virgilius 4. Georg.

Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos?

Raptem in crimine, accuſem. Raptare, pro rapere. Virgilius 3. Georg.

Sed me Parnaſſi deſerta per avia dulcis
Raptat amor.

Cicero in Lucullo dixit, *Rapi in invidiam*. & ſæpe, *Vocare in crimen & odium*. Eſt autem ἀρχαϊσμὸς *in crimine*, pro crimen. ut Eleg. 14. infra:

Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.

& Eleg. 17. *Veſanum in vite Lycurgum*. & Eleg. 19. *Æquus in hoſte fuis*. Plautus Aulul. *In ædibus volo intromitti neminem*. *Heroas*, alios minores ſcilicet, ut Herculem ſupra, & Achillem Eleg. 8. lib. 2. PASS. *Quid raptem in crimina divos?* libri

melio-

Quid? modo quæ noſtris opprobria vexerat armis,
Et famulos inter femina trita ſuos,
Conjugii obſcœni pretium Romana popoſcit
Mœnia, & addictos in ſua regna patres.

Noxia

meliores legunt, *in crimine*. BROUKH. Adſtipalatur Editio princeps A. 1472. *Raptem i. e.* Sic in altero argumento Amphitruonis Plautinæ: *Atque invicem Rapiant pro mœchis*. VULP.

v. 28. JUPPITER INFAMAT SEQUE SUAMQUA NOMUM] Dedecore afficit ſe ac ſuos. Afranias apud Noniam: *Experjurabant, exſecrabant ſe ac ſuos*. Terentius Hecyra 2, 1. *Quæ me & te & familiam dedecoras*. *Infamat*; quia ſtuprum proprie eſt dedecus & infamia. Sic Eleg. 24. lib. 2. *Viles feminæ percius infamant*. *Infamat domum*: iccirco Eleg. 19. infra:

Infamis ſtupro ſtat Pelopea domus.

De Jovis furtis vide Eleg. 30. lib. 2. v. 28. 29. 30. Ovidium 6. Metam. in fabula Arachnes, Plautum prologo Amphitr. PASI. Eleganter Lactantius in aureo libello de Mortibus Perſecutorum, cap. 9. *Exinde inſolentiſſime agere cœpit*, (Maximianus) *ut ex Marte ſe procreatum & videri & dici vellet, tamquam alterum Romulum; maluitque Romulam matrem ſtupro infamare, ut ipſe diis oriundus videretur*. BROUKH.

v. 29. QUID? MODO QUÆ NOSTRIS OPPROBRIA VEXERIT ARMIS] Tò *Quid*, ſtomachantis, & alio tranſeantis; ἐλλειπτικῶς: ut Virgilius Ecl. 10.

Quid, quæ te pura ſolum ſub nocte canentem
Audieram?

Plene autem 1. Georg.

Quid dicam, jacta qui ſemine cominus arva
Inſequitur?

Quæ vexerit noſtris armis opprobria. Armis, virtutique Romanæ magnum dedecus attulerit bellum inferendo. Vehere opprobria, invehere, & inferre. & alludit ad claſſem Cleopatræ. Horatius Ode 29. lib. 3. *Quod fugiens ſemel hora vexit*. pro, ſecum attulit. & Virgilius 1. Georg. *Quid veſper ſerus vehat*. Cicero 4. Tuſc. *Quemcumque caſum fortuna invexerit*. Attius: *Nec tantum invexit triſtis Euryſtheus mali*. unde invehi in aliquem, eſt nocere cupientis. *Opprobria*, dedecora, quia ob probrum alicui objiciuntur. Horatius Ode 12. lib. 4. *Cecropiæ domus Æternum opprobrium*. PASS. In noſtro ſecundo, inque Groningano, eſt *vexerat*; quod probo, ita exigente ſenſu. BROUKH. *Quæ n. a. v. a.* Abſtinet prudens a Cleopatra nominanda, tamquam a re fœdiſſima, & peſſimi ominis. feminam tantummodo per contemtum appellat, & reginam meretricem. & merito ejus nomen reticet, quæ nomen urbis Romæ, ac Romani Imperii delere paraverat. VULP.

v. 30. ET FAMULOS INTER FEMINA TRITA SUOS] Te & iterandum. *& femina; & trita inter famulos ſuos*. Sed vetus liber, *Heu*; non dolentis, ſed indignantis. *Femina*, ut v. 1. hujus Elegiæ, & infra: *Si mulier patienda fuit*. *Trita inter famulos*. quæ ſe famulis & eunuchis ſuis ſubſtraverit, & exercita ſtupro cum eis fuerit. *Teri*, libidinis eſt; unde tribades, & pædotribæ. Noſter Eleg. 20. infra:

Forſitan ille alio pectus amore terit.

Plautus Captiv. 4, 1. *Boja bojam terit*. *Liberorum quærendorum cauſſa ei, credo, uxor data eſt*. Petronius: *Mutuis libidinibus attriti derident ſolitudinem meam*. *Famulos*; eunuchos, amatores mulierum maximos. Horatius Ode 37. lib. 1. de Cleopatra: *Contaminato cum grege turpium Morbo virorum*. Idem Epodo 9. de milite Romano: *Et ſpadonibus Servire rugoſis poteſt*. PASS. Seneca Epiſt. 87. *Chelidon, unus ex Cleopatræ mollibus, patrimonium grande poſſedit*. videtur Noſter ſignificare, Chelidonem iſtum, & reliquum gregem eunuchorum Cleopatræ, impudicos & cinædos fuiſſe, nec minus tritos, quam reginam ipſam. VULP.

v. 31. CONJUGIS OBSCŒNI PRETIUM ROMANA POPOSCIT MŒNIA, ET ADDICTOS IN SUA REGNA PATRES] Albinovanus in Obitum Mæcenatis:

Hic modo miles erat, ne poſſet femina Romam
Dotalem ſtupri turpis habere ſui.

Sed hic legendum, *Conjugii*. alludit ſcilicet ad matrimonium per coëmtionem;

Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo,

Tres

quasi dotalem urbem ab Antonio petierit. *Obscœnum conjugium* & mali ominis (nam omina & auspicia captabantur in nuptiis), & spurcum ac libidinosum. vide Festum in *Obscœnum*. *Pretium*, merces stupri, unde meretrices. Cicero Epist. 13. lib. 1. ad Atticum: *Noctes certarum mulierum judicibus pro mercedis cumulo fuerunt*. Hac de re Eutropius lib. 7. *Hic* (M. Antonius) *quoque ingens bellum civile commovit, cogente uxore Cleopatra, regina Ægypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in urbe regnare*. Florus lib. 4. cap. 1. *Ægyptia ab Romano imperatore pretium libidinum, Romanum Imperium petiit: & promisit Antonius, quasi facilior esset Partho Romanus*. *Poposcit*, quia *quidlibet impotens sperare, dulci fortunâ ebria*, ut ait Horatius. *Addictos in sua regna patres*. nempe, Senatum Populumque Romanum, sibi suoque regno mancipari, & adjudicari volebat. *Regna*; enallage numerorum, pro, regnum. nisi dicamus, regnum Ægypti e pluribus conflatum. *Addici in regna*; ut Cæsar 2. de Bello Civili: *Qui verba atque orationem adversus rempublicam habuissent, eorum bona in publicum addicebant*. PASS. *Conjugii obscœni pretium*. sic *pretium* & *mercedem stupri*, dixerunt Ovidius, & Seneca Tragicus. recte autem Noster *obscœnum conjugium* vocat: nam conjugii nomine culpam prætexebat Antonius in Epistola ad Augustum, cujus nobis particulam Suetonius servavit C. 69. *Quid te mutavit? quod reginam ineo? uxor mea est*. urebat id nomen populum Romanum haud leviter. & vel unus Maro dixerit, Æn. L. 8.

> *Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis*
> *Victor ab Auroræ populis, & litore rubro*
> *Ægyptum, viresque Orientis, & ultima secum*
> *Bactra vehit; sequiturque (nefas) Ægyptia conjux*.

nimirum matrimonium petere e gente devicta, fœdum antiquis visum atque indecorum. & notarunt in Alexandro Macedones sui. vide Justinum L. 12. C. 10. notavit & in L. Pisone Tullius Orat. post reditum in Senatum. BROUKH. *C. a. p. Romana poposcit Mœnia*. Rumor erat inter Augusti milites, M. Antonium, si ei Actiaca pugna prospere cessisset, Cleopatræ Romam dono daturum, & majestatem Imperii in Ægyptum & Alexandriam translaturum fuisse: ita ut Imperium ipsum non amplius Romanorum, sed Alexandrinum, vel Ægyptium deinceps appellaretur. vide Dionem Cassium lib. 50. Octaviani tamen fortuna inceptis tam turpibus obstitit. Eodem fere pacto olim, captis Vejis, *ille quoque actio movebatur, quæ post captam utique Romam a Gallis celebratior fuit, transmigrandi Vejos. Ceterum partim plebi, partim senatui destinabant habitandos Vejos; duasque urbes communes reipublica incoli a Romano populo posse*. verba sunt Livii lib. 5. & inferius, eodem libro Camillus testatur: *Quotidie se frui monimenta gloria sua, & ante oculos habere urbem* (Vejos) *latam in triumpho suo. insistere omnes vestigiis laudum suarum, sed nefas ducere desertam ac relictam ab diis immortalibus incoli urbem: & in captivo solo habitare populum Romanum, & victrica patria victam mutari*. Sic & Maximianus Galerius, teste Lactantio de Mortibus Persecutorum cap. 28. *titulum Romani nominis immutari volebat, ut non Romanum imperium, sed Daciscum cognominaretur*. ipse enim e Dacia oriundus erat. VULP.

v. 33. NOXIA ALEXANDRINA DOLIS APTISSIMA TELLUS] Funesta nomini Romano. Sic Lucanus lib. 8.

> *Noxia civili tellus Ægyptia fato*.

vet. lib. *Alexandria*. *i.* pro *ei*. ut Eleg. 9. lib. 4. *Erythia*. Priscianus notat, Alexandria pro *ea* vel *eia* dici. Urbem Propertius cum regione conjunxit, ut Virgilius *Ilia tellus*. Nisi legamus, *Alexandrea*, ut apud Horatium Od. 14. lib. 4. De illa vide Auctorem de Bello Alexandrino, Strabonem lib. 17. qui totam describit, Plinium lib. 5. H. N. cap. 10. Q. Curtium lib. 4. Plutarchum in Alexandro. Fuerunt aliæ multæ hujus nominis urbes, sed hæc omnium celeberrima nomen retinet hodieque. *Dolis aptissima*. Suetonius in Cæsare cap. 35. *Solertissimum hostem* vocat *Alexandrinos*. Auctor Belli Alexandrini: *Quum uno tempore & natio eorum & natura cognoscatur*,

Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos.
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.

sceatur, aptissimum esse hoc genus ad proditionem, dubitare nemo potest. Ibidem: *Cæsar etsi fallacem gentem, semperque alia cogitantem, alia simulantem bene cognitam habebat, tamen petentibus dare veniam utile esse statuit*. Seneca in Consolat. ad Helviam cap. 9. & 17. *Ægyptum infidam* vocavit, Martialis lib. 10. Epigr. 26. *Nilum fallacem*. vide & Theocritum Idyllio 15. Hinc αἰγυπτιάζειν, pro dolose agere, apud Synesium in Encomio Calvitii, & Erasmum in Adagiis. *Aptissima dolis*. ut Eleg. 22. infra:

Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ. PASS.

Noxia Alexandrina. omnes editiones insedit hic error: in libris est *Alexandria*, Passeratio jam monitum. Ei. autem Græcorum nunc in I vertebant Romani, nunc in E. tamen in hujus urbis nomine videntur E maluisse. v. Abramus in Cicer. Orat. P. 1. p. 608. b. edit. major. sic in argenteis denariis M. Æmilii Lepidi, apud Steph. Vin. Pighium, ab uno latere est urbis Alexandrinæ facies, cum corona murali turrita, cui subscriptum ALEXANDREA. Sic in lapide Neapolitano, apud Gruterum CCCLXXVI. 3. item in altero DXXV. 2. item in optimis illis membranis Horatii, quæ sunt penes principem in his literis virum, Jo. Geor. Grævium. etiam apud Ciceronem sic habet liber Vaticanus eximiæ bonitatis, Philipp. 8. C. 8. quam scriptionem esse veterem, locuples testis est Priscianus L. 2. monens tamen, in nominibus urbium talibus variare auctores. Sed vide Servium ad L. 1. Æn. v. 257. Cur Alexandriam peculiari titulo *noxiam* vocaverit Noster, optime tibi exponet imperator idem & scriptor optimus Julius Cæsar L. 3. Bel. Civ. C. 110. cui addere potes Commentarium A. Hirtii de bello Alexandrino, passim quidem, tamen vel præcipue C. 24. BROUKH.

v. 34. ET TOTIES NOSTRO MEMPHIS CRUENTA MALO] Nam Gabinius armis reduxit Ptolemæum in regnum, multique milites illic remanserunt. Deinde Pompejus illic interfectus. Postea Cæsar Alexandriæ obsessus, & difficillimo implicitus bello. Postremo M. Antonius ibidem obsessus, multique Romanorum utrimque cæsi. De Memphi Martialis in lib. Spectaculorum, Diodorus lib. 1. Strabo lib. 17. Plinius lib. 5. H. N. cap. 9. Herodotus lib. 2. Hodie *le grand Caire*. *Cruenta malo nostro*, clade & pernicie Romanorum. Cruenti dicuntur & suo, & alieno cruore. Suo, ut Eleg. 9. lib. 2.

Et dominum lavit mærens captiva cruentum.

Alieno, ut Eleg. 13. lib. ejusd.

Quam fuerant Phthii busta cruenta viri. P.

v. 35. TRES UBI POMPEJO DETRAXIT ARENA TRIUMPHOS] Victus Pompejus, & fœde interfectus in ipso litore, omnem vitæ superioris laudem, & gloriam amisit. itaque arena ipsa, & litus ubi cæsus est, illi videtur triplicis triumphi gloriam detraxisse. Cicero pro Sextio: *Is qui tripertitas orbis terrarum oras tribus triumphis adjunctas huic imperio notavit*. An *donavit*? Plinius lib. 7. H. N. cap. 26. ter triumphasse scribit Pompejum. primum Sicilia recepta, & subacta Africa. deinde in ditionem redacta Hispania. postremo pacato mari, victo Mithridate, & Oriente pæne subacto. Vide Vellejum lib. 2. Ciceronem pro Corn. Balbo, Varronem apud Interpretem Persii Sat. 2. Albinum lib. 1. rerum Romanarum apud Priscianum lib. 7. Meminit & Lucanus lib. 7. & lib. 9. item Petronius in poemate de bello Civili. PASS. *Tres u. Pompejo d. a. triumphos*. Pompejus triumphavit primum de Hiarba rege Africano, deinde, confecto Hispaniensi bello, de Sertorio, postremo de Mithridate & piratis. quem triumphum, *piraticam lauream* vocat Lucanus lib. 1. v. 22. *Detraxit arena* 1. Simile quodammodo illud Elegiæ 1. lib. 4.

Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.

Graviter & miserabiliter Cicero lib. 2. de Divinat. *An Cn. Pompejum censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria lætaturum fuisse, si scisset, se in solitudine Ægyptiorum trucidatum iri amisso exercitu; post mortem vero ea consecutura quæ sine lacrimis non possumus dicere?* V.

v. 36. TOLLET NULLA DIES HANC TIBI, ROMA,

Issent Phlegræo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine inusta nota,

Ausa

ROMA, NOTAM] Quia omnia delentur vetustate, dixit *nulla dies*. ut Eleg. 15. lib. 2. *Numquam solveret ulla dies*. Sic dixit Eleg. 3. lib. ejusd.

Differtur, numquam tollitur ullus amor.

Cicero in Pompejana: *Delenda vobis est illa macula*. Herbâ lepidio, ut obiter moneam, stigmata & notæ olim delebantur. Columella de Cultu Hortorum v. 124.

Ponitur & , lactis gustum quæ condiat herba
Deletura quidem fronti data signa fugarum.

PASS.

v. 37. ISSENT PHLEGRÆO MELIUS TIBI FUNERA CAMPO] An *tibi funera*, pro tua funera, tua mors? Tu ipse honestius mortuus esses, & elatus & crematus in campo Thessalico, sive Pharsalico, sive Philippensi. de quo Eleg. 9. sup. v. 48. *Ire funera*, an ut mors venire dicitur? ut mens sit poetæ: Melius ad te funus & mors venisset. An ut *funera duci* dicuntur Virgilio & Ciceroni, & Terentio *funus procedit?* An significat morbum Pompeji in Campania, de quo Cicero 1. Tusc. & Juvenalis Sat. 10.

Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas?

sed quæ hic sequuntur, repugnant. PASS. *Issent tibi funera*. Potentium enim virorum funus longâ pompâ ducebatur, majorum imaginibus ordine præcedentibus. Noster lib. 2. Eleg. 13.

Nec mea tunc longâ spatietur imagine pompâ.

Quod ibi *spatietur*, hic *issent*. Virgilius 4. Æneid. de formicis: *It nigrum campis agmen*. *Phlegræo campo*. vide adnotata ad Eleg. 9. sup. v. 48. VULP.

v. 38. VEL TUA SI SOCERO COLLA DATURUS ERAS] Etiamsi, o Pompei, præbiturus fuisses cervices & jugulum Cæsari. *Vel*, pro etiam. ut Eleg. 28. lib. 2.

Hoc tibi vel poteris conjux ignoscere Juno.

Lucanus de Pompeji cæde lib. 8.

Involvit vultus, atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput.

& alibi:

--- *Ne cede pudori,*
Auctoremque dole fati: quacumque feriris,
Crede manum soceri.

Socerum autem Pompeji fuisse Cæsarem, notum ex Cicerone, Plutarcho, Virgilio 6. Æneid. Lucano, Catullo. *Daturus colla*; ut Seneca Suasoria 6. de Cicerone: *Prominenti ex lectica, præbentique immotam cervicem, caput abscissum est*. PASS.

v. 39. SCILICET INCESTI MERETRIX REGINA CANOPI] In Epigrammate Augusti Glaphyre dicitur. Erat autem scortum Glaphyra, mater Archelai, quem Antonius regem Cappadociæ fecit; Dio lib. 49. De Cleopatra autem Plinius lib. 9. H. N. cap. 35. *Hæc, quum exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis, superba simul ac procaci fastu, ut regina meretrix, lautitiam ejus omnem apparatumque obtrectans, quærente eo quid astrui magnificentiæ posset, respondit, una se cœna centies H-S. absumturam*. Sic Appulejus Apolog. 2. *Puellæ meretricis blandimentis captus*. & apud Ciceronem: *Mulier meretrix*. *Incestus Canopus*, ob incestum regum Ægyptiorum cum sororibus. Lucanus lib. 8.

Ultima Lagæ stirpis, perituraque proles,
Degener, incestæ sceptris cessure sororis.

Auctor Octaviæ Tragœdiæ: *Hausit cruorem incesto Romani ducis Ægyptus iterum*. Seneca in Apocolocynthosi: *Athenis dimidium licet, Alexandriæ totum*. Turnebus lib. 18. Advers. cap. 13. docet ex Philone, apud Ægyptios licuisse ἀπνόας ἀδελφὰς ἄγεσθαι, [sorores quasvis promiscue ducere:] quum Athenis liceret germanas tantum, sive eodem patre natas; Lacedæmone vero uterinas tantum. *Incestus, inquit Nonius, flagitium in affines admissum*. Cognatos debuit dicere. Festus: *Incestus a Græco, nam illi facinus dicunt ἀνίκεςον*. Servius in 12. Æneid. *Incestus est quæcumque pollutio*. Sunt qui dictum putent, quasi *incastum*. Alii derivant a cæstu, zona Veneris pellicea, quæ nuptias legitimas ligabat. hanc violare putabantur, qui aliquam ex iis uxorem duxissent,

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;

Roma-

xissent, quas legibus aut moribus ducere prohiberentur. *Canopi*. Servius in illud 4. Georg. *Pellæi gens fortunata Canopi: Canopus civitas juxta Alexandriam, dicta a Canobo, gubernatore Menelai*. Plinio lib. 5. H. N. cap. 31. est insula; unde Canopicum ostium Nili, Straboni lib. 17. Auctori de bello Alexandrino est promontorium. De luxuria Canopi legendus Seneca Epist. 51. *Famosum* vocat Juvenalis Sat. 15. vide Junium Prov. 18. cent. 8. PASS. Canopus oppidum Ægypti, Daphne suburbium Antiochiæ, ac Bajæ in Campania, tria loca fuerunt corruptelis ac deliciis plena. *Meretrix regina*. Juvenalis de Messalina, Claudii principis uxore, Sat. 6.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos. V.

v. 40. UNA PHILIPPEO SANGUINE ADUSTA NOTA] Infamia genti & sanguini Philippi & Alexandri ita hærens, ut tolli numquam possit. Translatum a notis quæ inuruntur vel mancipiis, vel pecori; quod ipsum Festo dicitur *dignorare*. Virgilius 1. Georg.

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Eadem translatione Eleg. ult. lib. 4.

Hæc cura & cineri spirat inusta meo.

Scaliger omnino hic legendum ait *Inusta*. audacter. *Sanguine*, pro sanguini; ut Eleg. 6. sup.

Si placet, insultes, Lygdame, morte mea.

& sanguis pro gente & cognatione. ut Eleg. 9. sup. *de sanguine regum*. Ridiculus Beroaldus qui *Philippeum sanguinem*, Romanum exponit, quod in Philippis Romani pugnarint. Interpretatio petenda est ex Q. Curtio lib. 9. *Ptolemæus*, inquit, *sancius regis sollicitudinem in se converterat. sanguine conjunctus erat, & quidam Philippo genitum esse credebant. certe pellice ejus ortum constabat*. Vide Martialem Epigr. 85. lib. 13. de Alexandrinis. Ita Virgilius 4. Georg. dixit: *Pellæi gens f. Canopi*. *Una nota*; non sola, sed insignis & præcipua: nam & alii degeneres Ægypti Reges. Contra & in laude dicitur *unus*. PASS. Bene repositum est a Scaligero *inusta*, etiamsi libris invitis. neque Passeratium hic audio. Paterculum potius L. 2. C. 64. *Hæc sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inussit notas*. ipsumque illum Tullium Orat. pro Cluent. C. 46. *Qui pretio adductus eripuerit patriam, fortunas, liberos civi innocenti, is censoriæ severitatis nota non inuretur?* atque ita passim. BROUKH. Adde T. Livium lib. 3. Hist. *Orabat, ne Claudiæ genti eam inustam maculam vellent, ut carcere & vinculis viderentur digni*. & lib. 8. *Neu unico juveni, neu patri ejus clarissimo viro, neu Fabiæ genti eam inureret ignominiam*. Lucanus variavit l. 8. v. 285.

Multusque in pectore vano est
Hannibal, obliquo maculat qui sanguine regnum.

Eleganter quoque Martialis Epigr. 64. lib. 6.

At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Vivet, & hærebit totoque legetur in orbe:
Stigmata nec vafrâ delebit Cinnamus arte.

Cinnamus hic fuit medicus, vel tonsor, qui splenio, panniculo scilicet, seu fascia imposita, vel emplastro illito, servorum fugitivorum frontes compunctas & litteris inscriptas, æquare atque emendare solitus erat, ne turpes notæ apparerent. Insignes autem fuerunt notæ censoriæ. Livius extremo libro 29. *Pravum certamen notarum inter censores*. Homerus lib. 2. Odyss. v. 86. dixit μῶμον ἀνάψαι. Græci alii scriptores αἰσχύνην προσάπτειν. Ita fere Xenophon lib. 8. Cyripædias: Ἀνελευθερίας ἔμοιγε δοκεῖ προσάπτειν. *Illiberalitatis notam, mea quidem sententia, inurit*. VULP.

v. 41. AUSA JOVI NOSTRO LATRANTEM OPPONERE ANUBIN] Quasi adversum in acie collocare. In Actiaca pugna commissos deos Romanorum, & Ægyptiorum significat. Virgilius 8. Æneid.

Omnigenûmque deûm monstra, & latrator Anubis
Contra Neptunum, & Venerem, contraque Minervam
Tela tenent.

ubi Servius: *Anubis canina facie, quia Mercurium eo significant, quia nihil cane sit sagacius*. Iccirco Juvenalis Sat. 15. de cultu canis apud Ægyptios:

Oppi-

Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtro,
Baridos & contis roſtra Liburna ſequi;

Fœda-

Oppida tota canem venerantur, nulla Dianam.

Lucanus lib. 8. Ægyptum allocutus:

Nos in templa tuam Romana accepimus Iſin,
Semicaneſque deos, & ſiſtra moventia luctum.

vide Plutarchum de Iſide, & Oſiride, & Euſebium lib. a. Præparat. Evang. Diodorus Siculus ait, Anubin, patrem Oſirin ad bella ſecutum, geſtaſſe canis inſigne in clypeo: alii tradunt, canem adjuviſſe Iſidem in Oſiridis corpore inveſtigando. De Anubi legendus Juvenalis Sat. 6. Huc facit etiam locus Ovidii memorabilis 9. Metam. a verſu 686. *Auſa*, ſolius voluntatis & impotentis eſt. unde Virgilius lib. 6. Æneid.

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.

Opponere. Idem 10. Æneid. *Medias illis opponere turmas*. *Jovi noſtro*, vel Jovi Latio, ut Eleg. 4. ſup. v. 6. vel faventi. Juvenalis Sat. 12. *Hic noſtrum placabo Jovem*. PASS. *Anubin latrantem*. Cynocephalum vocat Minucius Felix in Octavio. Gallus Confeſſor Serm. C. 5. ubi loquitur de tranſitu maris rubri: *Quod cernentes cultores ſimiarum, & caniformis Anubis, Neptunum jam ſupervacue placandum ſibi putabant, ſic undis in partes diviſis*. notabia ibi *ſupervacue* poni pro extra ordinem: more iſtorum temporum. Anubis cum canino capite omnique apparatu myſtico exhibetur apud Janum Jacobum Boiſſardum Parte 6. Ant. Rom. p. 78. ex pulcerrimo marmore in hortis Julii tertii P. M. BROUKH.

v. 42. ET TIBERIM NILI COGERE FERRE MINAS] Superba pati imperia, quod eſt ſervorum. ut Eleg. 7. lib. 1. *Injuſtas ſæpe tuliſſe minas*. *Cogere*: ſolo conatu accipi debet, non etiam effectu. ſic Eleg. 4. lib. 1.

Mutatum domina cogit abire mea. PASS.

Concinit Ovidius lib. 15. Metam. v. 826.

Romanique ducis conjux Ægyptia tædæ
Non bene fiſa cadet: fruſtraque erit illa minata
Servitura ſuo Capitolia noſtra Canopo.

Vide & Senecam lib. 5. de Beneficiis cap. 16. ubi de M. Antonii ingrato adverſus patriam animo. VULP.

v. 43. ROMANAMQUE TUBAM CREPITANTI PELLERE SISTRO] Superare ſono, vincere & fugare; ut pelli dicuntur hoſtes & acies. Virgilius 11. Æneid. *Pone animos, & pulſus abi*. *Tubam Romanam*. Tuba quæ directa eſt appellatur: Vegetius lib. 3. de Re Milit. cap. 5. Eam ab Etruſcis habuere Romani, teſte Strabone lib. 5. Livius tamen lib. 25. innuit, Romanam tubam ab aliis diverſam fuiſſe. *Terrorem*, inquit, *& tuba audita ex theatro faciebat. Nam & Romana erat a proditoribus* (Tarenti) *ad hoc ipſum præparata; & inſcienter a Græco inflata, quis aut quibus ſignum daret, incertum efficiebat*. *Crepitanti ſiſtro*, arguto crepitaculo. Siſtrum deſcribunt Appulejus lib. 11. A. A. & Plutarchus de Iſide & Oſiride. Heſychius cymbala interpretatur. vide Turnebum lib. 26. Adv. cap. 33. Siſtrum, *παρὰ τὸ σείειν*, ab agitando & concutiendo. Interpres Hephæſtionis. Cujuſmodi fuerit, videre eſt in Valentiniani Imperatoris numis, ubi Onocephali, & ipſius Valentiniani imago, & Ægypti. Servius ad illud 8. Æneid.

Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro;

ait, per ſiſtri motum quod gerit Iſis in dextra, Nili acceſſus & receſſus ſignificari. Iſidorus autem lib. 3. ait, ab Iſide inventum, & eo concitari ad bellum Amazones. PASS. De ſiſtro vide quid attulerim ad Tibullum Eleg. 3. lib. 1. VULP.

v. 44. BARIDOS ET CONTIS ROSTRA LIBURNA SEQUI] Inſequi & oppugnare naves Auguſti Liburnicas roſtratas. Eleg. 8. lib. 2. *Sectetur & umbras*. id eſt, inſectetur. vel aſſequi conari, & earum æquare curſum. ut Virgilius 12. Æneid. *Arduo pennis Aſtra ſequi*. *Contis*, perticis longioribus, quibus altitudo aquæ exploratur, & aguntur naviculæ. unde Virgilius 6. Æn. *Ipſe ratem conto ſubigit*. inde *percontari* Feſto & Nonio. Eſt & contus genus haſtæ longioris: Nonius. [Juvenalis Sat. 10.] *Baridos*. genus navigii, & cymbæ apud Ægyptios Baris eſt, qua vehebantur ad ſepulturam cadavera. Diodorus lib. a. & Herodotus in Euterpe, [qui eam diligenter deſcribit.] & Æſchylus Perſis, ut notat Victorius lib. 10. Var. Lect. cap. 9.

Sequi

Fœdaque Tarpejo conopea tendere ſaxo,
Jura dare ſtatuas inter & arma Marî.

Quid

Sequi Liburna r. quia celerrima. Liburnicæ naves a Liburnis, qui populi inter Hiſtriam & Dalmatiam. Croaciam hodie vocant. De his navibus Victorius dicto loco ex Appiani lib. 2. de Bello Civili, Horatius item Ode 37. lib. 1. & Epodo 1. Eſt & Liburnum genus vehiculi apud Juvenalem Sat. 3. *Ingenti curret ſuper ora Liburno.* PASS. Noſter extenuat omnia Ægyptiorum, ad infamandam Antonii memoriam. At res ipſa longe aliter ſe habuit, prodente L. An. Floro L. 4. C. 11. teſtatur enim, Cleopatræ ducentas naves *turribus atque tabulatis allevatas, caſtellorum & urbium ſpecie,* quæ *non ſine gemitu maris, & labore ventorum ferrentur.* non igitur poterant contis propelli, quod Noſter invidioſe admodum finxit. BROUKH. *Roſtra Liburna.* Naves Auguſti Liburnicas, mediocri magnitudine, agiles, & ad invadendum hoſtem expeditas, numero quadringentas, ut refert L. Florus lib. 4. cap. 11. Viri docti, a Liburnicis navibus derivant vocabulum *Livorno*, nomen ſcilicet oppidi & portus in Etruria hodie celeberrimi. *Liburnus ingens* apud Juvenalem Sat. 3. v. 240. non eſt vehiculi genus, ut Paſſeratius putabat: ſed ſervus e Liburnia, proceræ admodum ſtaturæ, qui divitis lecticam portabat. Sic idem poeta Sat. 6. v. 349.

Nec melior, ſilicem pedibus quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.

Roſtra Liburna ſequi. Inſectari, & in fugam vertere. Sic Eleg. 27. lib. 2.

Seu pedibus Parthos ſequimur, ſeu claſſe Britannos. VULP.

v. 45. FŒDAQUE TARPEJO CONOPEA TENDERE SAXO] Id eſt, figere; quia reſtibus opus eſt. unde dicta tentoria, & tendere ἁπλῶς. Virgilius 2. Æneid. *Hic ſævus tendebat Achilles. Conopea,* abjecto i, ut vox corripiatur. ſic Eleg. 7. ſup. *Caphorea ſaxa.* Horatius quoque corripuit Epodo 9. *Interque ſigna turpe militaria Sol aſpicit conopeum.* Juvenalis produxit Sat. 6.

Ut teſtudineo tibi, Lentule, conopeo, &c.

κωνωπεῖον, velum ad culices excludendos & arcendos, quos κώνωπας Græci dicunt. vide Interpretem Juvenalis, a quo dicitur *Culicare.* Varro lib. 1. de R. R. cap. 10. *Fœtas noſtras, quæ in conopeis jaceant dies aliquot.* Culices autem in Ægypto frequentes. Herodotus lib. 2. *Tarpejo ſaxo.* Capitolio. Virgilius 9. Æneid. *Capitoli immobile ſaxum. Rupes Tarpeja* etiam dicitur, & *ſaxum* tantum; unde, *De ſaxo dejici.* Hic

A duce Tarpejo mons eſt cognomen adeptus,

ut Noſter ait Eleg. 4. lib. 4. & Plutarchus in Romulo. *Tarpejus collis* primum vocatus, deinde ab invento illo humano capite *Capitolium.* Dionyſius Halic. lib. 3. Invidioſe autem dixit poeta, *ſaxo Tarpejo,* quaſi diceret: Non in foro, ſed in arce. Horatius Ode 37. lib. 1. *Dum Capitolio Regina dementes ruinas, Funus & imperio parabat.* & Lucanus lib. 10.

Terruit illa ſuo, ſi fas, Capitolia ſiſtro. PASS.

Conopea. De uſu tamen conopeorum apud Romanos queritur Varro lib. 2. R. R. cap. 10. aitque, puerperas quæ iis uterentur *ejuncidas* eſſe *& contemnendas.* VULP.

v. 46. JURA DARE STATUAS INTER ET ARMA MARÎ] Jus dare, & dicere, idem eſt. ſic Eleg. ult. lib. 4.

Det pater hic umbræ mollia jura meæ.

Jus autem dat & dicit qui merum imperium habet. & reges olim id palam faciebant. Virgilius 1. Æneid. de Didone regina: *Jura dabat, moreſque viris.* & dat jura etiam victor, ut leges. Horatius Ode 3. lib. 3. *Triumphatiſque poſſit Roma ferox dare jura Medis.* In τῷ *dare* autem poſterior ſyllaba producitur ob litteras ſequentes *St.* ut apud Lucanum lib. 5. *Quippe ſtimulo, fluctuque furoris Compages humana labat. Inter ſtatuas & arma Mari.* in ipſo Capitolio, ubi Marii ſtatuæ, armaque hoſtibus erepta, & tropæa. De quibus Marianis monimentis a Cæſare in Capitolio repoſitis Plutarchus in Cæſare. & Suetonius cap. 11. *Tropæa de Jugurtha, Cimbris & Teutonis.* PASS. Excidit vocula *&;* legendumque, *Jura dare & ſtatuas.* quod quanto ſit alacrius ac vividius, nemo non intelligit. fruſtra Orbilius aliquis mihi objiciet poſteriorem in *dare* produci propter duas ſequentes

con-

Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,

Si

consonas, idque magno exemplorum numero probatum ibit, confusis diversissimarum ætatum auctoritatibus. Non tam veternose deliciabantur Augustæi temporis poetæ. BROUKH. *Statuor inter & arma*. optime Rycquius in libro de Capitolio hæc interpretatur de tropæis, quæ simulacrum armati hominis referebant. Janus Broukhusius qunm ad versum illum Elegiæ 5. lib. 1. Tibulli,

Pro segete spicas, pro grege ferre dapem,

ita commentaretur: *Multi libri* Pro segete & spicas *habent: nimirum a liberalitate eorum, qui ut versus staret metuebant. Sed tu consule Terentianum Maurum, in corpore Grammaticorum Putschii p. 2406. & nostrum Vossium L. 2. de Arte Gramm. C. 15.* oblitus credo fuerat, se olim ea scripsisse ad hunc versum Propertii, quæ modo ex ejus Annotationibus attulimus. Adeo pauci sunt qui semper & omnino sibi constent. VULP.

v. 47. QUID NUNC TARQUINII FRACTAS JUVAT ESSE SECURES] A contentione minorum. Si tyranno superbo parendum, ferendus potius rex Tarquinius, quam superba femina & impudica. *Quid juvat?* quid refert? quid prodest? ut Eleg. 22. lib. 2.

Quid juvat in nullo pondere verba loqui?

Fractas secures; fractum imperium, [cujus insigne secures.] Horatius Ode 35. lib. 1, *Ne populus frequens imperium frangat*. Virgilius 3. Æneid. *Opes fractæ Teucrum*. Noster Eleg. 6. lib. 4.

Fracto per lonias sceptra vehuntur aquas.

Interdum re vera fasces frangebantur [securibus circumpositi,] ut apud Livium videre est, & Ciceronem in Pisonem. *In ea tumultu fracti fasces*. Regibus XII. fasces, totidemque lictores, more ducto ab Hetruscis: apud quos regi creato, singuli e duodecim populis lictores singulos dabant. Livius lib. 1. & Strabo lib. 5. De fascibus regiis Virgilius 6. Æneid. *Fascesque videre receptos*. Vide plura ad Eleg. 9. sup. v. 23. PASS.

v. 48. NOMINA QUAM SIMILI VITA SUPERBA NOTAT] *Notat nomine s.* designat; quia verba rerum notæ: vel infamat. Ovidius 2. Fast.

Forsitan & quæras, cur sit locus ille Lupercal,
Quæve locum tali nomine caussa notet.
PASS.

Cicero Philipp. 3. cap. 4. *Atque ille Tarquinius, quem majores nostri non tulerunt, non crudelis, non impius, sed Superbus habitus est & dictus. quod nos vitium in privatis sæpe tulimus, id majores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt*. Omnes libri habent *notat*, quod rectum est, & jam aliis monitum plus semel. signanter Florus L. 1. C. 7. *Postremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum*. & paullo post: *Ipse in senatum cædibus, in omnes superbia, quæ crudelitate gravior est bonis, grassatus, quum sævitiam jam domi fatigasset, tandem in hostes conversus est*. Latinus Pacatus Paneg. ad Theodosium C. 20. *Denique ipsum illum Tarquinium exsecratione postrema hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt* Superbum, *& putaverunt sufficere convicium*, erat sane convicium, & quidem validum atque efficax: tamen τὸ *notat* apud Nostrum simpliciter capiendum est pro nominat, vel pro designat. Ovidius L. 1. Fastor.

Africa victorem de se vocat: alter Isauras,
Aut Cretum domitas testificatur opes.
Hunc Numida faciunt, illum Messana superbum:
Ille Numantina traxit ab urbe notam. BR.

Nomine q. simili v. superba notat. qui ut vitâ, factis & moribus vim & superbiam præferebat, ita simile nomen, Superbi scilicet, promeritus & adeptus est. *Notat*, insignit, & discernit a Tarquinio priore, frugi rege ac strenuo, quem *Priscum* appellant. Editio tamen omnium princeps habet *vocat:* quod ferri posset; Ovidius enim lib. 1. Fast. *Africa victorem de se vocat*. Apud Sallustium in Catil. cap. 2. superbia opponitur æquitati. *Verum*, inquit, *ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate, lubido atque superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur*. Et cap. 6. *Ubi regium imperium, quod initio conservandæ libertatis atque augendæ reipublicæ fuerat, in superbiam*

Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuæ Romula vincla manus.

Bra-

biam dominationemque convertit. Sane *Superbus* originem ducere videtur a Græco ὑπέρβιος, quod significat maxime violentum, & ὑπερήφανος, qui spiritus nimios & ingentes sibi sumit. Eo ferme pacto πλεονέκτην vocant avarum hominem, & plus justo habere cupientem. Auctori ad Herennium lib. 2. *Majus maleficium est stuprare ingenuam, quam sacrum legere: quod propter egestatem alterum, alterum propter intemperantem superbiam fiat*. Superbi nihilominus caussantur, quod ait Isocrates in Panathenaico: Τὴν ὑπερηφανίαν σεμνότητος μετέχειν, εὐδαίμων πράγματος, ἢ δοκεῖν ἅπασι μεγαλοπρεπεστέρους εἶναι τοὺς τοιούτους, ἢ τοὺς τῆς ἰσότητος προεστῶτας. VULP.

v. 49. SI MULIER PATIENDA FUIT? CAPE, ROMA, TRIUMPHUM] Virum non tulimus, feremus mulierem? verbo inest flagitium. *Mulierem pati*, ut *pati muliebria*. *Cape triumphum*; accipe & admitte triumphum, ac triumphantem Augustum de Cleopatra. De Augusti triumpho Alexandrino, & ejus magnificentia Dio lib. 51. & Suetonius in Augusto cap. 51. PASS. *Cape, R. triumphum*. Sic apud Nepotem Phocione legimus: *Summos magistratus cepit*. & in Attico: *Honores & divitias capere*. VULP.

v. 50. ET LONGAM AUGUSTO SALVA PRECARA DIEM] Longum vitæ spatium. Noster Eleg. 18. lib. 2. *Anus futura quum sit haud longa die*. Similis precatio apud Horatium Ode 2. lib. 1. *Serus in cœlum redeas*. Noster Eleg. 4. sup.

Ipsa tuam prolem serva Venus: hoc sit in ævum,
Cernis ab Ænea quod superesse, caput.

Vixit autem annos LXXVI. imperavit LVI. Ausonius:

Augustus post lustra decem sex prorogat annos.

Salva, servata incolumis per eum. Hac Elegia: *Salvo Cæsare*. ut Eleg. 28. lib. 2. *Per magnum est salva puella Jovem*. PASS. *Longam diem*. In quibusdam libris est *longum*, quod eodem tendit: tamen poetæ *diem* fere notant genere sequiore. cujus rei exemplu nihil attinet coacervare. BROUKH. *Longum* editio quoque princeps. *Longam A. salva precare diem*. Huc pertinet acclamatio populi ad principem:

De nostris annis tibi Juppiter augeat annos.

Flavius Vopiscus in Tacito: *Acclamatum est a populo, Felicissime. Tacite Auguste, dii te servent, & reliqua, quæ dici solent ex more*. Sed præcipue huc spectant versus L. Varii de Augusto, quos nobis servavit Horatius Epist. 16. lib. 1. v. 27. præclaram, & supra quam existimari potest magnificam sententiam continentes:

Tē ne magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulis & tibi & Urbi,
Juppiter. VULP

v. 51. FUGISTI TAMEN IN TIMIDI VAGA FLUMINA NILI] Ipse Propertius, Cleopatram in Nilum fugisse, ait & Eleg. 6. lib. 4.

Illa petit Nilum cymbâ male nixa fugaci.

Tangit haoc fugam Virgilius quoque 8. Æneid. quum ait de Nilo:

Terta veste vocantem
Cæruleum in gremium, latebrosaque flumina victos.

& Noster Eleg. 16. lib. 2. de M. Antonio victo ab Augusto:

Hunc infamis amor versit dare terga carinis
Jussit, & extremo quærere in orbe fugam.

Vaga flumina. errantia, exercita cursu. perpetuo epitheto. sic Eleg. 20. lib. 1. *Vaga fluminis hospitia*. *Nili timidi*; vel quia timidi & imbelles Ægyptii, vel quia consternati erant, ut solent victi. *Debilem* vocat Eleg. 1. lib. 2. *Mærentem* Virgilius 8. Æneid. Idem 6. Æneid. *Trepida ostia Nili*. An *tumidi*, ob incrementum Nili, & veterem superbiam? Horatius Ode 3. lib. 3. *Qua tumidus rigat arva Nilus*. Mens est Propertii: Licet superba, & minax, fugisti tamen, & delituisti. vel *tamen*, pro, tandem. ut Eleg. 5. lib. 2. *Inveniam tamen unam*. PASS. Quid si *Nilum* propterea *timidum* vocet, quod ab incendio Phaëthontis, ut fabulæ perhibent, caput absconderet? Huic explicationi favet Ovidius lib. 2. Metam.

Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris:
Et trahere occultum membra ſoporis iter.

Non

Nilus in extremum fugit perterritus orbem ,
Occuluitque caput , quod adhuc latet .

Vaga flumina . unicus interpres fuerit Seneca lib. 4. Nat. Quæſt. cap. 2. de hoc ipſo flumine : *Circa Memphim demum liber , & per campeſtria vagus , in plura ſcinditur flumina , manuque canalibus factis , ut ſit modus in derivantium poteſtate , per totam diſcurrit Ægyptum* . VULP.

v. 52. ACCEPERE TUÆ ROMULA VINCLA MANUS] Catenis Romanis vincta es , & ducta in triumphum . Statius 3. Silv. in Propemptico Metii Celeris :

Auguſtamque domum , blanda quæ morſa veneno
Actiaç Auſoniæ fugit Cleopatra catenas .

Ergo Propertius non de ipſa Cleopatra , ſed de ejus effigie loquitur , quæ in triumphum ducta , ut ſcribit Dio lib. 51. Vide Elegiam 6. lib. 4. & Horatium Ode 37. lib. 1. *Accepere vincula* , ut *accipere frenum* Virgilius 12. Æneid. Sic accipere leges , vulnus , plagam , injuriam : Cicero , Virgilius . *Romula vincla* . Tibullus pariter lib. 4. Carm. 1. *Libera Romanæ ſubjectis colla catenæ* . Seneca de morte Claudii : *Dare Romuleis colla catenis juſſit* . *Romula vincla* , pro , Romulea . Sic Eleg. 4. lib. 4. *Romula haſta ; Gens Romula* Horatio ; *Tellus Romula* Virgilio . PASS. Silius Italicus lib. 13. v. 793.

Si nunc fata darent , ut Romula facta per orbem
Hic caneret vates . VULP.

v. 53. BRACHIA SPECTAVI SACRIS ADMORSA COLUBRIS] Effigiem victæ Cleopatræ in culcita jacentis latam in triumpho ſcribit Dio lib. 51. nihil vero de ſerpentibus . Plutarchus in Antonio , effigiem illam ait fuiſſe cum aſpide mordicus inhærente brachio ; quod geminæ maculæ in brachio mortuæ apparuiſſent . Virgilius 8. Æneid. de eadem regina :

Nec dum etiam geminos a tergo reſpicit angues.

Horatius Ode 37. lib. 1. *Auſa - - & aſperas tractare ſerpentes* . Conſentiunt Vellejus lib. 2. Florus lib. 4. cap. 11. & Plutarchus . Aſpis autem Iſidi ſacra ; & in pompa ejus præferebatur . De qua Ovidius 9. Metam.

Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis .

vide Appulejum lib. 11. & Plutarchum de Iſide & Oſiride . Vel *ſacri colubri* , ſunt diri . *Sacris cultris* , inquit ipſe Eleg. 22. lib. 2. *Colubræ* . colubri & colubræ , Nonius . *Coluber* , inquit Iſidorus lib. 2. cap. 4. *dictus quod colat umbras , vel quod lubricus ſit , & facile labatur* . *Admorſa* , dente aſpidis ſaucia . Plautus Pſeud. *Jam admordere hunc mihi libet* . Eſt autem enallage , *brachia* , pro brachium . PASS. Non ſatis conſtat de certo Cleopatræ exitu ; veneno periiſſe conſtat . memorabile eſt quod refert Dio , acu comatoria veneno infecta , quod ejus fuerit naturæ , ut , ſanguine tacto , ilico hominem ſine ullo dolore perimeret , ſibi brachia pupugiſſe . quam opinionem ſecutus eſt Vir & genere , & literis , & rebus fortiter geſtis nobiliſſimus Janus Douza L. 2. Salin. Epigr. 13. Altera illa receptior de aſpide ſententia placuit duobus illuſtribus inter Italos poetis , Balthaſari Caſtilioni , & Auguſtino Favorito : quorum utriuſque CLEOPATRAM , me indice , non invitus leget , quiſquis Romanas Muſas merito honore dignatur . ipſa Cleopatræ ſtatua , quam illi celebrarunt eſt hodie in *Belvedere* . Vid. Montfaucon T. I. Diar. Ital. p. 278. v. etiam Vigneul-Marville T. I. des Melang. p. 187. 188. BROUKH. *Spectavi* ; abhorrens videlicet a militia , & ſpectator ſolum ac planſor . Supra Elegia 4. v. 15.

Inque ſinu caræ nixus ſpectare puellæ
Incipiam , & titulis oppida capta legam.

& paullo poſt :

Præda ſit hæc illis , quorum meruere labores :
Mi ſat erit media plaudere poſſe via .

Sacris colubris . aſpidibus , quas Ægyptii colebant , crepituque digitorum ad eſcam ex cavis vocabant , ut poſtea cicures factæ cum pueris innoxie verſarentur . vide Ælianum lib. 17. περὶ ζώων cap. 5. Ob hoc Iſidem , Ægyptiorum deam , Valerius Flaccus aſpide coronatam deſcribit 4. Argon. v. 416.

Hæc procul Io
Spectat ab arce Phari , jam divis addita , jamque
Aſpide cincta comas , & ovanti perſona ſiſtro .

Cice-

Non hæc, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis aſſiduo lingua ſepulta mero.

Septem

Cicero Tuſc. 5. *Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravis erroribus, quamvis carnificinam prius ſubierint, quam ibim, aut aſpidem, aut felem, aut crocodilum violent. Brachia admorſa c.* Reginæ ſimulacrum, non regina ipſa, pompam triumphi ornavit. cui Auguſtus etiam *pſyllos admovit qui venenum ac virus exſugerent: quod periiſſe morſu aſpidis putabatur.* idque, ut intactam triumpho ſervaret: teſte Suetonio in Aug. cap. 17. Sed omnia fruſtra: illa etenim, vi veneni prævalente, moriens ignominiam evaſit. Verba Plutarchi ſunt in Antonio: Ἐν γὰρ τῷ θριάμβῳ τᾶς Κλεοπάτρας αὐτῆς εἴδωλον ἐκομίζετο, καὶ τῆς ἀσπίδος ἐμπεφυκυίας. Dionis vero lib. 51. Ἡ Κλεοπάτρα ἐπὶ κλίνης ἐν τῷ τοῦ θανάτου μιμήματι παρεκομίσθη. Demetrius etiam Phalereus, in eodem iſto Ægypti regno, aſpide ad corpus admota, vitâ privatus eſt. Cicero pro C. Rabirio. VULP.

v. 54. ET TRAHERE OCCULTUM MEMBRA SOPORIS ITER] Concipere, & combibere venenum, quod occulta, cæcaque via ſomnum letalem inducit. *Trahere* ſomnum, ut ducere. Horatius Epodo 14. *Pocula Lethæos ducentia ſomnos. Occultum iter*, quia clam ſerpit venenum. Sic Eleg. 4. lib. 2.

Unde tamen veniant tot mala, cæca via eſt.

Soporis iter, pro ſoporem ipſum. ut Eleg. 10. ſup. *Natalis iter*, & Eleg. 7. *Mortis iter*, & infra Eleg. 15. *Amoris iter*. Soporis autem mentio ob aſpidis naturam. Cinna in poematis apud A. Gellium lib. 9. cap. 12. *Somniculoſam ut Pœnus aſpidem Pſyllus.* Vide Lucanum lib. 9. Florus lib. 4. cap. 11. *Admotis ad venas ſerpentibus ſic morte, quaſi ſomno ſoluta eſt.* PASS. Solinus C. 27. Polyhiſt. *Plures diverſaque aſpidum ſpecies, verum diſparis effectus ad nocendum: dipſas ſiti interficit: hypnale, quod ſomno necat, teſte etiam Cleopatra, emitur ad mortem. Aliarum virus, quoniam medelas admittit, minus famæ meretur.* Sed eum nugari, & *hypnalen* eſſe epitheton aſpidis, non ſpeciem, luculenter oſtendit CL. Salmaſius. Venenum ſomniferum Corn. Nepos in Dione, Seneca Epiſt. 83. & L. 5. de Benef. C. 13. M. item Fabius declam. 246. *Soporem*, vocant. B. *Soporis*, torporis ex veneni frigore naſcentis. VULP.

v. 55. NON HÆC, ROMA, FUIT TANTO TIBI CIVE VERENDA, DIXIT ET ASSIDUO LINGUA SEPULTA MERO] Quum tantum civem habeas, non fuit tibi metuenda Cleopatra. Modeſte appellat Auguſtum *civem*, non ducem aut principem: ſed addit *tanto*, ut Eleg. 7. lib. 2. *At magnus Cæſar.* & Cicero in Vatinium de Pompejo: *Quem civem! quem virum!* Confundit autem *vereri* & *metuere*, quæ tamen Cicero pro Quintio, Donatus in Andriam, Livius lib. 39. & Nonius diſtinguunt. Aut id ait: Ne verenda quidem fuit, tantum abeſt ut timenda. τὸ autem *Dixit*, obſcuram & ambiguam ſententiam efficit. Sed altera lectio, *Et ducis*, placet, ſi pro, *Et*, legamus, *Nec*. Non fuit Cleopatra, inquit, timenda tibi, nec ducis lingua ſepulta mero: id eſt, minæ Antonii perpetuo ebrii, cui ſemper lingua & mens vino obruta. De Antonii ebrietate Cicero 2. Philipp. Plutarchus in Antonio, & Plinius lib. 14. H. N. cap. ult. *Lingua ducis*, ut Cicero Epiſt. 2. lib. 9. ad famil. *Vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſumus.* Livius lib. 33. *Si linguas Ætolorum retundere vellemus. Sepulta*, obruta, ſine pulſu, motu, & ſenſu. Virgilius 2. Æneid.

Invadunt urbem vino, ſomnoque ſepultam.

Seneca Epiſt. 12. *Sepelire ſe vino, & epulis.* Petronius: *Inter ſepultos Priamidas nocte & mero.* PASS. Noli mirari, cur Auguſtum Noſter *civem* vocet. nihil gratius apud Romanas aures, nihil popularius. Vellejus L. 2. C. 99. *Tribunitiæ poteſtatis conſortione æquatus Auguſto,* [Tiberius] *civium poſt unum eminentiſſimus*, - - - - Julium ipſum Cæſarem Antonius in illa ſua miſerabili, ut Tullius loquitur, laudatione *civem* vocabat. L. 14. ad Attic. Epiſt. 11. *Quum equidem concionem lego, de tanto viro, de clariſſimo civi, ferre non queo.* Ab his exemplis Claudianus in ſextum Conſ. Honorii:

Hæc ſibi cura ſenum, maturaque comprobat ætas:
Idque inter veteris ſpeciem, præſentis & aulæ
Judicat, hunc civem, dominos veniſſe priores.

V 2 Juſti-

Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.
Hannibalis spolia, & victi monumenta Siphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.

Cur-

Justinus L. 13. C. 1. *Contra Macedones versa vice, non ut civem, ac tantæ majestatis regem, verum ut hostem amissum gaudebant.* ----- Noster porro satis mordaciter *Ducis linguam* exagitat, quasi qui tantum minis inanibus & poculis plenis bellum faceret populo Romano. Sane & Cicero, prius quam eo ventum foret, *epularum magis cationem habere, quam quidquam mali cogitare*, arbitrabatur L. 4. ad Attic. Epist. 3. BROUKH. Argentarius Declamator apud Senecam patrem Suasoria 6. de M. Antonio: *Explicantur triumviralis regni delicata convivia, & popina tributo gentium instruitur: ipse vino & somno marcidus deficientes oculos ad capita proscriptorum levat.* Macrobius pariter lib. 2. Saturn. cap. 2. *Post Mutinensem fugam quærentibus quid ageret Antonius, respondisse familiaris ejus ferebatur: Quod canis in Ægypto; bibit & fugit.* Vide & L. Senecam Epist. 83. & Quintilianum Inst. Orat. lib. 4. cap. 2. ubi refert verba M. Cœlii de Antonio. VULP.

v. 57. SEPTEM URBS ALTA JUGIS, TOTO QUÆ PRÆSIDET ORBI, FEMINEAS TIMUIT TERRITA MARTE MINAS] Indignatur, urbem tantam, tot rebus gestis, feminam timuisse. *Urbs alta*, quia caput inter alias urbes tantum extulit,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

& 1. Æneid. *Altæ mœnia Romæ. Jugis.* collibus. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 7.

Dumque suis victrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.

Horatius in Carm. sæcul. *Dii quibus septem placuere colles.* Quirinalis, Viminalis, Esquilinus, Cælius, Palatinus, Tarpejus sive Capitolinus, & Aventinus. quibus postea sunt additi Cæliolus, Janiculus, Vaticanus. Cicero lib. 6. ad Attic. Epist. 5. Ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου τινὸς ἂν. Vet. Gloss. *Septimons*, ἑπτάλοφος. *Septimontium*, ἑπτάμορον; Dionysius lib. 4. Servium Tullum quinque collibus duos addidisse, scribit. Rursus Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 4.

Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma, deûmque locus.

Toto quæ præsidet orbi, præest, imperat, jus habet, ut præsides in provincias. Virgilius 6. Æneid. *Quibus altus Apollo Præsidet.* Cicero 2. Philipp. *Senatus ille qui quondam florens orbi terrarum præsidebat.* Sic præsidere ludis, spectaculis, quæstioni. Interdum verbum est militare, unde præsidium. Est vero ἀρχαϊσμὸς *toto* pro toti. ut Eleg. 20. lib. 1. *Poma nullæ debita curæ. Timuit territa Marte.* δὶς τὸ αὐτό. Sic Eleg. 8. sup.

Seu timidam crebro dementia somnia terrent.

Territa Marte, quia Terror & Formido comites Martis; & apparatu tanto belli territos Romanos satis indicat Horatius Ode 37. lib. 1. & Ode 6. lib. 3. *Femineas minas*, impotentes quidem ac superbas, sed infirmas & inanes. Noster Eleg. 9. lib. 4. *Et quantum femina sævit.* & sup. hac Eleg. *Nili minas.* PASS. Quod erat indignissimum ferocia ac virtute populi Romani, gentium omnium domitoris. hunc Noster colorem duxit de suo Cicerone Orat. pro M. Fontejo C. 11. *Tamen esset vobis magnopere providendum, ne quos ita afflictos a vestris patribus majoribusque accepissetis, ut contemnendi essent, eos pertimuisse, & eorum minis & terrore commoti esse videremini.* BROUKH.

v. 59. HANNIBALIS SPOLIA, ET VICTI MONUMENTA SIPHACIS] Videntur duo illi versus qui paullo post sequuntur, *Nunc ubi Scipiadæ classes*, &c. collocandi ante hoc distichon, *Hannibalis spolia*, &c. Sunt autem spolia Hannibalis, præda & victoria de Pœnis & eorum duce. vide veterem Inscriptionem apud Aldum Paulli F. de Orthographia, quæ Scipionum laudes continet hexametris versibus. Juvenalis Sat. 6.

Tolle tuum precor Hannibalem, victumque
Siphacem.

Siphax rex Massæsylorum, victus a Masinissa Romanorum amico; captus & ductus in triumphum a Scipione, si Polybium

audi-

Curtius expletis ſtatuit monumenta lacunis:
Admiſſo Decius prœlia rupit equo.

Cocli-

audimus. De eo Livius a libro 24. ad finem trigeſimi; qui alios auctores ſecntus, ait mortuum Tibure, & ita ſubtractom ei ſpectaculo. Valerius Maximus lib. 6. cap. 2. de Scipione: *Duorum regum Siphacis & Perſa ante triumphales currus catenatæ cervices*. Legendus & lib. 5. cap. 1. & lib. 6. exemplo ultimo. Eotropius lib. 3. *Siphax Numidiæ rex, (qui ſe Pœnis conjunxerat) captus, & cum infinitis ſpoliis* (a Scipione) *Romam miſſus*. Ovidins 6. Faſt.

Poſtera lux melior, ſuperat Maſiniſſa Siphacem.

PASS. *Hannibalis ſpolia*, nempe de Hannibale. Exiſtimo ego, nihil eſſe loco movendum: *Hannibalis* autem *ſpolia*, *monumenta Siphacis*, & *Pyrrhi gloria fracta*, dictum eſſe vocandi caſu, exclamandi gratiâ. V.

v. 60. ET PYRRHI AD NOSTROS GLORIA FRACTA PEDES] Nempe laus militaris attonſa. Plutarchus in Pyrrho, Livios lib. 19. Cicero pro Murena, lib. 3. Offic. & alibi. De eo triumphavit Manius Curius. *Fracta gloria*, comminuta, contuſa. Sic Horatius Ode 7. lib. 2. *Fracta virtus*. Laberius: *Floris cacumen noſtræ famæ frangere*. Cicero 2. Offic. *Viriatus Luſitanus, quem C. Lælius fregit, & comminuit*. *Ad pedes*, geſtus victi ſupplicis, & ioſolentis victoris. Horatius Epodo 17.

Poſtquam relictis mœnibus rex procidit
Heu pervicacis ad pedes Achillei. PASS.

v. 61. CURTIUS EXPLETIS STATUIT MONUMENTA LACUNIS] Quum medium forum in immenſam altitudinem deſediſſet, reſponſum eſt, compleri noo aliter poſſe, qoam ea re qua plurimum populus Romaous poſſet. Id M. Curtius de virtute & armis interpretatus, armatus, & equo inſidens ſe in eam voraginem immiſit, & ita hiatus terræ expletos. Livius lib. 7. non longe ab initio, Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. Varro 4. de L. L. qui foſius narrat, & diverſius, Statius in Equo Domitiani lib. 1. Silv. Ovidios in Ibin:

Atque equus in medii mergare voragine ceni,
Dum modo ſint facti nomina nulla tui.

Suidas meminit, ubi nova & falſa hiſtoria adtexitur, ut eſt apud Scaligerum in Conject. quod ait: *ſtatuit monumenta*, ſic Valerius Maximus interpretabitur: *Magna poſtea decora in foro Romano fulſerunt; nullum tameu hac pietate erga patriam clarius obverſatur exemplum*. Livius lib. 1. de altero Curtio: *Monimentum ejus pugnæ, ubi primum ex profunda emerſus palude equus Curtium in vado ſtatuit, Curtium lacum appellarunt*. & Varro 4. de L. L. ait, Curtium illic genti ſuæ reliquiſſe monimentum. Lacus Curtius iu foro Romano. Publ. Victor in 8. regione Urbis. Ovidius 6. Faſt.

Curtius ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,
Nunc ſolida eſt tellus, ſed lacus ante fuit.

Expletis lacunis, terra priſtinom habitum recuperavit; Valerius lib. 6. cap. 5. *Lacum coiſſe*, ait Varro 4. de L. L. Explendi verbo utitur Plioius lib. 15. H. N. cap. 18. *Lacuna*, aqoæ collectio, a lacu derivatur; qnam alii lamam, alii luſtrum appellant. Varro 4. de L. L. *Lacus*, lacuna magna, ubi aqua contineri poteſt. Valerius hiatum & profundum vocat: voraginem & ſpecnm Livius. PASS. Vide & Minucium Felicem in Octavio. BROUKH. Animadverte hic verbum *ſtatuit* tertio repetitum in hac Elegia, & *τὸ monumenta* proxime iteratum. VULP.

v. 62. AT DECIUS MISSO PRŒLIA RUPIT EQUO] Livius lib. 8. De patre Decio, qui ſe pro exercitos ſalote devovit; & de filio lib. 10. Cicero 1. Tuſc. & lib. 3. de Nat. Deor. & 2. de Divinat. In Catone, & 2. de Finib. tres Decios numerat. Valerius lib. 5. cap. 6. Virgilius 6. Æneid. Manilius lib. 1. Aſtron.

Certantes Decii votis, ſimileſque triumphis.

Rupit prœlia; an in mediam aciem hoſtium irrupit? an perrupit? an abrupit, & vi diremit qoum diſcrimen, & ambiguam fortunam ſuſtulit? Virgilios 12. Æneid. *Media curſu media agmina rumpit*. Idem lib. 10. *Ferro rumpenda per hoſtes Eſt via*. *Miſſo equo*, admiſſo, immiſſo, & incitato in hoſtes. Cicero in Catone: *Decii ad voluntariam mortem equos incitaverunt*. Seneca Epiſt. 68. *In medios hoſtes Decius concitato equo irruit*. ubi de utroque Decio. Juvenalis Sat. 8.

Plebeiæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina.

Sca-

Coclitis abſciſſos teſtatur ſemita pontes.
Eſt cui cognomen corvus habere dedit.
Hæc dii condiderunt, hæc dii quoque mœnia ſervant:
Vix timeat ſalvo Cæſare Roma Jovem.

Nunc

Scaliger putat inverſa verba, pro *Admiſſo Decius*. Sed *miſſo equo*, ut Eleg. 1. ſup. *miſſis habenis*. PASS. *Admiſſo Decius*, optime Scaliger. Cicero L. 2. de Finib. C. 19. *Num etiam P. Decius, princeps in ea familia conſulatus, quum ſe devoveret, & equo admiſſo in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus ſuis cogitabat?* BR.

v. 63. COCLITIS ABSCISSOS TESTATUR SEMITA PONTES] Ita vocat iter anguſtum ſublicii pontis, quod Horatius ſolus occupavit. Livius lib. 2. vocat *Primum aditum pontis*. proprie hic *ſemita*: at Eleg. 11. lib. 1. v. 2. minus proprie ſumitur; ubi vide adnotata. *Cocles* dictus, quod alterum in pugna oculum amiſiſſet, ut ſcribit Dionyſius lib. 5. Varro 6. de L. L. *Ab oculo cocles quaſi ocles, & unoculus: ut in Plauti Curcul. De Coclitum proſapia eſſe arbitror.* nam hi ſunt unoculi. unde Ennius Arimaſpos, quibus unus in fronte oculus, vocat coclites. Plinius tamen lib. 11. cap. 37. *Coclites, quibus parvi utrique oculi.* Scaliger, a κύκλωψ, cocles, ut ab ἀλώπηξ, valopes, vulpes. Hiſtoria eſt apud Livium lib. 2. Dionyſium lib. 5. Valerium Maximum lib. 3. cap. 2. Ciceronem 2. de Legib. Plinium lib. 3. cap. 15. & lib. 34. cap. 5. Virgilium 8. Æneid. Feſtum in *Sublicium*. in litura. *Teſtatur*, monimentum exſtat abſciſſi & interrupti pontis. Sic Eleg. 13. infra:

Torrida ſacrilegum teſtantur limina Brennum.

Pontes, enallage. De eo ponte Plinius lib. 3. cap. 15. & Feſtus in *Sublicium*. Ovidius 5. Faſt. *Pontem roboreum* vocat. *Abſciſſos*. Livius lib. 2. interrumpendi & rumpendi verbo utitur. Cicero 2. de Legib. *Interciſum pontem* dicit. Virgilius 8. Æneid. *Vellere*, pro revellere:

Pontem auderet quod vellere Cocles. PASS.

v. 64. ET CUI COGNOMEN CORVUS HABERE DEDIT] De Valerii cum Gallo pugna, & corvo auxiliatore Livius lib. 7. A. Gellius lib. 9. cap. 11. Plinius autem lib. 7. H. N. cap. 48. centum annos eum vixiſſe tradit, & Val. Maximus lib. 8. cap. 14. Ovidius lib. 1. Faſt.

Ex uno quidam celebres, aut torquis ademti,
Aut corvi titulos auxiliaris habent.

Manilius lib. 1.

Et cum militia volucris Corvinus adeptus
Et ſpolia, & nomen, qui geſtat in alite Phœbum.

Lege, *commilitia*. *Dedit habere*; ſic Virgilius 5. Æned.

Donat habere viro decus, & tutamen in armis.

& lib. 9. *Illo ſuo moriens dat habere nepoti.* Græca figura, inquit Servius. Homerus Iliad. ε. Δῶκε φορημέναι ἐς ϑέβει ἀνδρῶν. Chariſius lib. 1. *Prænomen eſt, quod nomini præponitur, ut Publius: nomen, quod familiæ originem declarat, ut Cornelius: cognomen, quod nomini ſubjungitur, ut Scipio: agnomen, quod extrinſecus adjici ſolet, ut Africanus.* Ergo hic *cognomen*, pro agnomen. PASS. Mendum leve, levi quoque opera tollendum. Scripſerat poeta, *Eſt ſui cognomen*, tamquam in re præſente. nihil verius. Inter *ſtatuas*, quas *in utraque Fori ſui porticu dedicavit* Auguſtus, teſte Suetonio in ejus Vita C. 31. non incelebris M. Valerii Corvini. Gellius L. 9. C. 11. *Statuam Corvino iſti Divus Auguſtus in Foro ſuo ſtatuendam curavit. in ejus ſtatuæ capite corvi ſimulacrum eſt, rei pugnæque, quam diximus, monumentum.* BROUKH.

v. 65. HÆC DII CONDIDERANT, HÆC DII QUOQUE MŒNIA SERVANT] Lege *condiderant*, tertia correpta per ſyſtolen. ut Eleg. 3. l. 1.

Hæc tibi contulerant cæleſtia munera divi.

Romulus vero urbis conditor tum deus Quirinus; & auſpicatò diis auctoribus urbem condidit. Eleg. 6. lib. 4. *Murorum Romulus augur.* Horatius in Carm. ſæcul. ad deos: *Roma ſi veſtrum eſt opus. Dii quoque ſervant.* Auguſtus ipſe alter Romulus, & alter conditor. vide Suetonium. Noſter Eleg. 4. ſup. *Deus Cæſar.* & Eleg. 6. lib. 4. *Quam* (urbem) *niſi defendes*, (o Auguſte.)

vel

Nunc ubi Scipiadæ claſſes? ubi ſigna Camilli?
Et modo Pompeja Boſpora capta manu?
Leucadius verſas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli ſuſtulit una dies.

At

vel deos Indigetes, & tutelares urbie intelligit, de qoibus Virgiliue 1. Georg. P.

v. 66. VIX TIMFAT SALVO CÆSARF ROMA JOVEM] Hyperbole, ut Elegia 13. lib. 2.

Poſſum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

Salvo Cæſare. ut Ovidius lib. 2. Triſt.

Fas prohibet Latie quemquam de ſanguine natum
Cæſaribus ſalvis barbara vincla pati.

Seneca Conſolat. ad Polybium cap. 7. *Fas tibi non eſt ſalvo Cæſare de fortuna queri.* Suetonius in Caligula cap. 6.

Salva Roma; ſalva patria; ſalvas eſt Germanicus.

Horatiue Ode 5. lib. 4. *Incolumi Cæſare.* PASS. Effrenis adolatio, & impietas duæ ſunt res valde affines. Id veteres haud raro peccabant. VULP.

v. 67. NUNC USI SCIPIADÆ CLASSES? USI EIGNA CAMILLI?] Id eſt, obi navalis exercitne Africani ſuperioris? quaſi diceret, Fuit iſta quondam in hoſtes virtus. PASS. Scipio, qui mox Africanus, ſumma celeritate claſſem ædificavit, ornavitque, qoa trajecit in Africam. Livius lib. 28. ſub finem, Plinius lib. 16. cap. 19. *Signa Camilli*: ſigna Romanis ademta in prœlio ad Alliam Camillus e Gallis recepit. Plutarchus in Camillo, Livius lib. 5. Virgilius 6. Æneid.

Sævumque ſecuri
Aſpice Torquatum, & referentem ſigna Camillum. PASS.

Veram poetæ ſententiam (pace loquar doctorum virorum) neque Paſſeratius, neque Brookhuſius viderunt; quæ hujuſmodi eſt: Fuit ingens olim Africani, & Camilli, & modo Pompeji gloria, terra marique parta: ſed nuuc in ore hominum eſſe deſiit, & quodammodo evanuit, poſtquam Auguſtus prœlio Actiaco Antoninm & Cleopatram vicit. Henc victoriam celebrant omnes, & in poſterum memorabunt, aliarum pæne obliti. Fruſtra igitur Broukhuſiue hoc diſtichon loco movit. VULP.

v. 68. ET MODO POMPEJA BOSPORA CAPTA MANU] Vi & armis ſubacta. Virgiliue 12. Æneid. *Sunt oppida capta Multa manu.* Plaotos Moſtell. *Hoſpes necavit hoſpitem captum manu.* Noſter Eleg. 16. lib. 2.

Illa qua vicit, condidit arma manu.

Pompeja manu, ut Eleg. 32. lib. 2. *Pompeja porticus*. Sed aliàe legitur: *Aut modo Pompeji B. c. m. Boſpora capta.* Mutavit genus, ut Eleg. 3. ſup. *Horatia pila*, pro pilam Horatiam. Sic *Mænala*, *Iſmara*, *Tænara*, *Gargara*, *Taygeta*. vel alludit ad omnia maria pacata victis prædonibus. De Boſporis Thracio & Cimmerio Apollodorus lib. 2. qui dicti ſont a trajectu & meatu Iûs in bovem converſæ. vide Strabonem lib. 7. Plinium item lib. 4. cap. 12. & lib. 6. cap. 1. Boſporum antem Cimmerium poeta ſignificat in ore Mæotidis paludis, qui ob vicinum Pontum in ditione Mithridatie fuit. Rufue Feſtus in Breviario: *Mithridates cum uxore & duobus comitibus in Boſporos fugit.* Gentes aotem ad illum Boſporum & Mæotin devicit Pompejus. Plutarchus in Pompejo. Aoſonius in Monoſyllabis tres Boſporos facit:

Threïciam & Libycum freta, Cimmeriamque ſecat bos

De Libyco Horatiue Ode 13. lib. 2. *Navita Boſporum Pœnus perhorreſcit.* PASS.

v. 69. LEUCADIUS VERSAS ACIES MEMORABIT APOLLO] Celebrabit & referet victoriam Aoguſti, coi interfuit ipſe, & qoam canere debet vatum optimus, & deus poetarum. quia caotu Phœbus proſecutue illam victoriam, Eleg. 6. lib. 4. *Leucadius Apollo*, a Leucade Ambraciæ & Epiri promontorio. Strabo lib. 10. qui plurima ſcribit hac de re. Leucae dicta ab albicanti colore petræ. Apud Plioium lib. 4. cap. 1. Leucadia pæninſula Epiri: Leucas oppidum: Leucates promontorium. Virgilios 3. Æneid.

Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

& lib. 8. *Fervere Leucaten bello.* Vide Ovidium

At tu sive petes portus, seu, navita, linques;
Cæsaris in tuto sis memor Ionio.

ELE-

dinm Epist. Sapphûs. Papinius 4. Thebaid. *Salutatus quum Leucada pendit Apollo.* Lucanus lib. 4.

Ductor erat cunctis audax Antonius armis
Jam tum civili meditatus Leucada bello.

Versat acies, classem Antonii versam in fugam. Eleg. 16. lib. 2.

Hunc infamis amor versis dare terga carinis
Jussit.

Horatius Ode 4. lib. 3. *Philippis versa acies retro.* Virgilius 3. Georg.

Quamvis ille fuga versos sæpe egerit hostes. P.

v. 70. TANTUM OPERIS, BELLI SUSTULIT UNA DIES] Bellum unius diei. ut Eleg. 11. lib. 2. *Funeris dies.* *Sustulit*, omnino confecit. Cicero pro lege Manilia: *Bellum uno adventu Pompeji sublatum ac sepultum.* An τὸ *Belli*, conjungendum cum *operis?* *Tantum operis belli*, pro tantum opus belli. *Opus belli*, bellum operosum ac difficile. *Una dies*, ut sup. v. 36. hujus Elegiæ:

Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam. P.

Quid si explicemus: *Tantum operis*, nempe victorias de Hannibale, Gallis, Mithridate, ab Scipiona, Camillo, Pompejo relatas, tam illustres atque operosas, delevit pæne ex animis hominum ac sustulit una dies qua pugnatum est ad Actium? Dixit enim paullo ante:

Nunc ubi Scipiadæ classes? ubi signa Camilli? V.

v. 71. AT TU SIVE PETES PORTUS, SEU, NAVITA, LINQUES] Sive ibis, sive redibis: sive appellere voles, sive vela dabis. Petunt portum redeuntes, ut appellant: linquunt portum propellentes navim. Virgilius 1. Æneid. *Quæ proxima litora cursu Contendunt petere.* Ibidem: *Hinc portum petit.* *Linquere portus*, ut 3. Æneid.

Linquere tum portus jubeo & considere transtris.

utroque modo & proficiscentes & redeuntes coronabant navim, & fausta omina canebant. PASS.

v. 72. CÆSARIS IN TOTO SIS MEMOR IONIO] *Memor*, gratus; quia ejus beneficio tutò navigas. De hoc Augusti beneficio Horatius Ode 5. lib. 4. *Pacatum volitant per mare navitæ.* Noster Eleg. 6. lib. 4.

Actia Juleæ pelagus monimenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.

Augustus ipse in Breviario rerum a se gestarum: *Mare pacavi a prædonibus.* Suetonius in Augusto cap. 98. *Nautæ candidati, coronatique (de navi Alexandrina) & tura libantes, fausta omina, & eximias laudes congesserant, Per illum se vivere, per illum navigare, libertate & fortunis per illum frui.* *In toto Ionio;* nam in eo mari Actium promontorium. Noster Eleg. 6. lib. 4.

Est Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ.

De Ionio mari vide adnotata ad Eleg. 26. lib. 1. v. 1. PASS. Petrus Francius, vir & literarum & utriusque eloquentiæ laude florentissimus, felici conjectura *in tuto* reponebat. nihil certius. v. Cicero pro Flacco C. 12. & 13. -------- multoties peccatum fuit in vocibus his *tutum* ac *totum*. Corn. Nepos Themist. C. 2. *Primum Corcyræos fregit, deinde maritimos prædones consectando mare tutum reddidit.* Ovidius Epist. Dejaniræ 1

Se tibi pax terræ, tibi se tuta æquora debent.

Valerius Flaccus L. 1. *Dumque æquore tuto Currimus, -- Jam nunc mitte metus.* ------ in singulis istis locis turbatum erat: nunc autem recte habent beneficio virorum doctorum. plura talia congessit Heinsius ad Valer. Flacc. L. 5. v. 39. BROUKH.

ARGU-

ELEGIA XII.

POstume, plorantem potuisti linquere Gallam?
Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Galla multa rogante tua?

Si

ARGUMENTUM ELEGIÆ XII. LIBRI III.] Militantem Postumum duritiæ crimine accusat, quod Gallam uxorem, castitate Penelopen ipsam provocantem, relinquere potuerit. VULP.

v. 1. POSTUME, PLORANTEM POTUISTI LINQUERE GALLAM?] Vide adnotata ad Eleg. 6. sup. v. 21. *Postumus*, qui natus post mortem patris; & postuma. Varro 4. de L. L. Plautus Aulul. Virgilius 6. Æneid. & Servius; Festus in *Postumus*. & ii omnes sine adspiratione. vide A. Gellium lib. 2. cap. 16. & Plutarchum in Sylla. *Gallam*, Læliam, infra v. ult. *Conjugem* vocat v. 16. *Plorantem*, lacrimantem, vel etiam conquerentem & argutantem. indicium amoris. Virgilius Ecl. 3.

Phyllida amo ante alias; nam me discedere flevit. PASS.

Postume. De hoc vide Andream Dacerium ad Oden 14. lib. 2. Carm. Horatii pag. 277. & 278. *Postumus* est postremus, nempe ultimus filiorum: viro enim mortuo, uxor ex eo liberos amplius concipere non potest. VULP.

v. 2. MILES ET AUGUSTI FORTIA SIGNA SEQUI?] Expeditione in Parthos & Indos: Eleg. 4. sup. *Miles Augusti*; ut Albinovanus in Obitum Mæcenatis:

Quid faceret? defunctus erat: comes impiger, idem
Miles & Augusti fortis & usque pius.

Sequi. Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Prædas & arma sequi*. [& Eleg. 6. lib. 2. *Castra Macer sequitur*.] Virgilius 10. Æneid.

Principio sociis edicit, signa sequantur.

Signa fortia, castra viris fortibus & strenuis plena. Sic Eleg. ult. lib. 2.

Cæsaris & fortes dicere posse ratet.

Fortia arma, Ovidius non semel. PASS.

v. 3. TANTI NE ULLA FUIT SPOLIATI GLORIA PARTHI] Vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 1. v. 13. *Gloria*, laus insignis parta de hoste victo & exuto. Sic Eleg. 3. lib. 4.

Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris.

Petronius: *Hæc gloria reddit honores*. PASS. *Spoliati g. Parthi*. id bellum dumtaxat incogitatum est Parthis: nam ii Armeniam vindicanti Augusto ultro cesserunt, ac signa militaria M. Crasso & M. Antonio adempta poscenti reddiderunt. igitur *spoliati* positum intelligemus pro *spoliandi*. qua de re aliquid dictum est supra ad L. 2. Eleg. 10. BROUKH. *Tanti ne fuit g.* tanti scilicet pretii, tantæ æstimationis. modus loquendi elegans. Horatius Epist. ad Pisones v. 303.

Non alius faceret meliora poemata: verum
Nil tanti est.

& Sat. 1. lib. 1. v. 62. *Tanti, quantum habeas, sis*. Ovidius Epist. Penelopes:

Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.

Ulla gloria, id est, quamvis præclara & illustris. Ita loquitur Ilia apud Nasonem lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Cur modo Vestalis tædas invisor ad ullas
Turpis, & Iliacis inficianda focis?

nimirum, ad ullas nuptias, quamvis eximias & divinas. Tiberinus enim deus eam sibi conjugem petebat. VULP.

v. 4. NE FACERES GALLA MULTA ROGANTE TUA?] Malo referre ad superiora, *Ne faceres*, quam ad sequentia. Terentius Andr. 4, 5. *Tanto magis dabit. non faciet*. & actu 1. Sc. 5. *Non faciam*, id est, non deseram. *Multa rogante ne faceres*, nempe, ne se linqueres; quod tamen fecisti. *Multa*, pro multum. Virgilius 9. Æneid. *Multa deos orans*. & lib. 12. *Multaque se incusat*. Cæcina Ciceroni lib. 6. ad famil. *Multa deos venerari*. PASS.

Si fas eſt, omnes pariter pereatis, avari;
Et quiſquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen injecta tectus, veſane, lacerna
Potabis galea feſſus Araxis aquam.

Illa

v. 5. SI FAS EST, OMNES PARITER PEREATIS, AVARI; ET QUISQUIS FIDO PRÆTULIT ARMA TORO] Non diſſimile eſt illud Tibulli Eleg. 1. lib. 1.

O quantum eſt auri potius, pereatque ſmaragdi,
Quam fleat ob noſtras ulla puella vias.

Si fas eſt, ſi licet, & verum & æquum eſt. ut Eleg. 13. lib. 2.

Fas eſt præteritos ſemper amare viros.

vel *fas*, ἐνδεχόμενον. ut Eleg. 12. lib. 1.

Mi neque amare aliam, neque ab hac diſcedere fas eſt.

Pariter, & ſimul & eodem leti genere. ut Eleg. 5. ſup.

Victor cum victis pariter miſcebitur umbris.

Avari, qui pecuniam [militando partam] anteponitis amori. *Et quiſquis f. p. a. t.* Non avari tantum, ſed & φιλόδοξοι, & cupidi laudis & armorum ſimul. Virgilius Ecl. 3.

Et vitula tu dignus, & hic: & quiſquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

Noſter ſæpius *Et quicumque*, &c. *Prætulit arma toro fido*. Antepoſuit militiam conjugio caſto. Sic *fida Evadne* Eleg. 13. infra. & Eleg. 5. lib. 4.

Concordique toro peſſima ſemper avis. P.

v. 7. TU TAMEN INJECTA TECTUS, VESANE, LACERNA POTABIS GALEA FESSUS ARAXIS AQUAM] τὸ *Tamen*, obſtinati animi, ut, nihilominus. vide adnotata ad illud Eleg. 8. lib. 2. *Tu moriere tamen*, *Veſane*, male ſane. Feſtus in *Vegrande*, A. Gellius lib. 5. cap. 12. *Injectâ lacernâ*, quia ſuperponebatur togæ, inquit Baifius, Noſter Eleg. 29. lib. 2. *Me injecto duxerunt rurſus amictu*. *Lacerna*, veſtis militaris; ut Eleg. 3. lib. 4.

Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.

Iſidorus lib. 19. cap. 24. *Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim ſoli milites utebantur.* inde urbani, togati: milites, lacernati. Feſtus in *Lacerare: Lacerna, a lacerando. id eſt, comminuendo, quia minus capitio eſt*, Capita fimbriarum in lacerna, quaſi amputata, neque ita laxa ut in penula. Juvenalis Sat. 9. vocat lacernas *Munimenta togæ*. unde fortaſſe *epitogium* Fabius lib. 1. cap. 9. Sumebant lacernas etiam domi; tum peregrinantes, ludorum ſpectatores, & interdum ſenatores. *Potabis galeâ*. Apollonius lib. 3.

Ὁ δ' ἐκ ποταμοῖο ῥοάων
Αὐτῇ ἀφυσσάμενος κυνέῃ σβέσεν ὕδατι δίψαν.

Tibullus Eleg. ult. lib. 2.

Erit hic quoque miles,
Ipſe levi galea qui ſibi portet aquam.

Lucanus lib. 9.

Conſpecta eſt parva malignâ
Unda procul venâ, quam vix e pulvere miles
Suſtulit, & galea convexam infudit in orbem.

Albinovanus in Obitum Mæcenatis:

Bacche, coloratos poſtquam devicimus Indos,
Potaſti galea dulce juvante merum.

[Alii, *jubante*, nempe jubis vel criſtis ornata.] Q. Curtius lib. 5. *Dum galeâ bauſtam aquam ſorbet*. *Feſſus*, ſitiens. nam ex defatigatione, ſitis. Catullus Carm. 67.

Dulce viatori laſſo in ſudore levamen (rivus.)

Noſter Eleg. 10. lib. 4.

Pandite defeſſis hoſpita teſqua viris.

Fontis egens erro. ---- Araxis, Armeniæ fluvii, quem videtur Auguſtus conſtraviſſe ponte. Virgilius 8. Æneid. *Pontem indignatus Araxes*. Contra Statius 1. Silv. in Soteriis Rutilii Gallici; *Patiens Latii jam pontis Araxes*. Plinius lib. 6. H. N. cap. 9. Araxem oriri eodem e monte ait, quo Euphrates, & cap. 13. libri ejuſdem. Item Strabo lib. 11. & 15. PASS. *Potabis galeâ f. A. aquam*. Julius Cæſar apud Senecam lib. 5. de Beneficiis cap. 24. *Et quidem ſiti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, niſi commilito, homo fortis ac ſtrenuus, aquam mihi in galea ſua attuliſſet*. Claudianus De 3. Conſ. Honorii v. 49. *In galea potare nives*. VULP.

v. 9.

Illa quidem interea fama tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ,
Ferreus aurato neu cataphractus equo.

Neve

v. 9. ILLA QUIDEM INTEREA FAMA TABESCET INANI] An laude pudicitiæ, vana illa & sterili, tabescet, cura metuque torquebitur, ne &c.? ut Eleg. 15. lib. 1. *Argiva fama pudicitia*. Quid enim ei proderit fama illa si nihilominus desiderio absentis tabescet? Sic Virgilius 4. Æneid. *Famamque fovemus inanem*. An ne tua virtus famâ inani tibi sit amara? est enim ea ventosa gloria, ut a Virgilio dicitur 11. Æneid. An vano falso rumore de te sparso, vulneratum esse, vel ægrotum in castris? primum verum puto. PASS. At ego in postrema explicatione magis conquiesco; etenim

Res est solliciti plena timoris amor.

Tabescet. macie tenuabitur, quam efficere solet ægritudo animi, orta ex desiderio carorum. Supra Eleg. 6.

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto? V.

v. 10. HÆC TUA NE VIRTUS FIAT AMARA TIBI] Tabescet ne &c. ut Eleg. 7. lib. 2. v. 2. & 3. *Flemus Ni nos divideret*. Tabescet, inquit, timens ne forte hæc audacia tua & cupiditas gloriæ, magno tibi constet, & ne ob eam gemas. Vetus Poeta apud Ciceronem lib. 2. ad Attic. Epist. 20. *Virtutem istam veniet tempus quum graviter gemas*. Ovidius lib. 4. Fastor. *Stat mihi non parvo virtus mea*. *Amara*, ut Eleg. 16. lib. 1. v. 29. *Donis amaris*. Ovidius 6. Fast.

Vadis? an exspectas pretium pietatis amarum?

Appulejus lib. 5. A. A. *Sed faxo te lusus hujus pœniteat, & sentias acidas, & amaras nuptias istas*. PASS. *H. t. n. v. f. amara tibi. sibi*, malebat P. Francius; quæ & Livineji mens fuit, locum adducentis ex Epist. Herûs Ovidianæ:

Sic tu temerarius esse,

Ne misera virtus sit tua flenda mihi. Ea. Andromacha ad Hectorem Iliad. 6. v. 407. Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος. quem Homeri versum producit Seneca pater Controvers. ult. lib. 1. Vide eumdem Homerum Iliad. 16. v. 753. & Odysseæ lib. 16. v. 255. Vere Sophocles Philoctete v. 442. Πόλεμος οὐδέν' ἄνδρ' ἑκὼν Αἱρεῖ πονηρὸν, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς ἀεί. *Bellum neminem, nisi casu, Malum interficit, sed optimum quemque semper*. strenuum scilicet atque animosum. Suffragatur Aristoteles 1. Ethic. ad Nicomachum: Ἤδη γάρ τινες ἀπώλοντο διὰ πλοῦτον, ἕτεροι δὲ δι' ἀνδρείαν. *Nonnullis divitiæ jampridem exitio fuerunt, aliis vero fortitudo*. Juvenalis Sat. 10. hujus rei exempla illustria suppeditabit. VULP.

v. 11. NEVE TUA MEDÆ LÆTENTUR CÆDE SAGITTÆ] *Medæ*, pro Parthæ, ut ad Eleg. 9. sup. v. 25. adnotatum. vel quia omnes hujusmodi populi sagittarii, Persæ, Medi, Parthi, Scythæ. Noster Eleg. 6. lib. 4. *Pharetris Getis*. *Lætentur cæde tua*, tuum sitiant & avide bibant sanguinem. Sic Plautus Milite 1, 1. *Ne lamentetur*, (machæra) *neve animum despondeat*, ---- *Quæ misere gestit fartum facere ex hostibus*. Sic Eleg. 6. sup. *Mæstam vestem* dixit. Virgilius 11. Æneid. de hasta: *Virgineumque alte bibit acta cruorem*. Petronius: *Ex quo Syllanus bibit ensis*. *Lætentur cæde*; ut Eleg. 8. lib. 2. *Interitu gaudeat ille tuo*. Horatius Ode penult. lib. 4. *Cæde gaudentes Sicambri*. Ovidius lib. 5. Fast.

Mars ades, & satia sceleratum sanguine ferrum.

Sic Græcis Ἄρης φιλαίμων, καὶ φιλαίματος. Idem Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 4.

Illi quæ audit hominum gaudere cruore. P. *Medæ sagittæ*. id est, Parthicæ. Horatius pariter *Medos* dixit ἀντὶ τοῦ *Parthos* Ode 2. lib. 1. *Neu sinas Medos equitare inultos Te duce, Cæsar*. Justinus lib. 41. ita de Parthis: *Sermo his inter Scythicum, Medicumque medius, & ex utrisque mixtus*. *Vestis olim sui moris: posteaquam accessere opes, ut Medis perlucida ac fluida*. De sagittis Medorum & crudelitate Isaias Propheta cap. 13. v. 17. & 18. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum*. VULP.

Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.

Ter

v. 12. Ferreus aurato neu cataphractus equo] κατεφράττειν, contegere: unde equites cataphracti, & κατάφρακτοι ἵπποι, & κατάφρακτα πλοῖα; naves constratæ, ac tectæ. Sallustius lib. 4. Hist. apud Nonium, in *Equites cataphracti*: *Qui prægrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie*. Servius in illud 11. Æneid.

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Cataphractum, inquit, *fuisse significat*. Cataphracti autem equites dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent. Sallustius: *Equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ, adnexuerant*. Livius lib. 35. *Equites loricatos, quos cataphractos vocant*. Noster Eleg. 18. infra id videtur significare:

Ille licet cautus ferro se condat & ære.

& Eleg. 3. lib. 4. *Munito Sericus hostis equo*. Cataphracti postea dicti *Clibanarii*. Ammianus Marcellinus lib. 16. Vide *Crupellarii*, & *Clibanarii*, & *Margum* in Vet. Gloss. *Aurata equo*; num in frenis & ephippiis & cingulis ac bullis auratis? Virgilius 7. Æneid. de equis phaleratis:

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

& 9. Æneid.

Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula.

Malim tamen, *Ærata equa*, ut τὸ *ærata* respondeat τοῦ *ferreus*. ut Eleg. 18. infra: *Ferro se condat & ære*. Sic Eleg. 20. lib. 2. *Æratis nodis*; *æratas catenas*. Legitur & *Armata*. Pass. Errant, qui *ærata* reponunt: nam quomodo equites illi *ferro* sint contecti, equi autem *ære*, quum contra stet veterum scriptorum fides? ---- Claudianus L. 2. in Rufinum:

Hinc alii sævum cristata vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit formatque chalybs. conjuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis visu. credas simulacra moveri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo.
Par vestitus equis. ferrata fronte minantur,
Ferratasque levant securi vulneris armos.

Valerius Flaccus L. 6. *Riget his molli lorica catena: Id quoque tegmen equis*. ---- ipse nos ductus literarum veram lectionem docet, quæ est *armata*, proprium his talibus equis vocabulum. ita eos vocat Auctor libri de Rebus Bellicis in Balista quadriroti: *munitas* vero in Currudrepano, quomodo & Noster L. 4. Eleg. 3. *Munitum*, & *armatum* conjunxit Cicero, quamquam in sermone translato, Orat. pro P. Sextio C. 64. Broukh. Ego vero *aurata* libens retinuerim, quod præfert Editio princeps, MSS. consentiens. quid enim prohibet, ferrea illa equorum integumenta exterius inaurata fuisse, præsertim apud Persas elegantiæ studiosissimos? Meæ sententiæ prædem Justinum dabo, qui lib. 41. Hist. sic de Parthorum cataphractis: *Munimentum ipsis equisque loricæ plumatæ sunt, quæ utrumque toto corpore tegunt. Auri argentique nullus nisi in armis usus*: Lucanum quoque l. 10. v. 125. *Pars auro plumata nitet*. quid manifestius? Ceterum cataphractos opponit Propertius equitibus sagittariis & levis armaturæ: nam cataphracti graves, & armorum pondere impediti. Audi Tacitum lib. 1. Hist. cap. 79. *Sed tum humida die, & soluta gelu, neque conti, neque gladii, quos prælongos utraque manu regunt, usui, lapsantibus equis, & cataphractorum pondere: id principibus, & nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut pradura coria consertum; ut adversus ictus impenetrabile, ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum*. Livius lib. 37. *Hic tria millia equitum loricatorum (cataphractos ipsi appellant) adjunxit*. ----- *Medi erant lecti viri, & ejusdem regionis misti multarum gentium equites*. De cataphractis vide Arrianum in Tacticis, & Herodotum in Clio, ubi Massagetarum mores describit. Vulp.

v. 13. Neve aliquid de te flendum referatur in urna] An huc pertinet formula, *Si quid de me fuat*, apud Plautum in Pœn. & Merc. 2, 4. *Invenietur, (argentum) exquiretur, aliquid fiet*. CH. *Eutic*. *Jam istuc, Aliquid fiet metuo*. (ut verba mali ominis.) Appulejus lib. 10. A. A.

Ter quater in casta felix, o Postume, Galla:
Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sit luxuriæ Roma magistra tuæ?

Sed

A. A. *Aliquid de se tristius cogitare*. de nece. Ovidius extremo lib. 12. Metam.

De tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.

vide adnotata ad illud Eleg. ult. lib. 2.

Nec si post Stygias aliquid restaverit undas.

& Turnebum lib. 26. Advers. cap. 33. In urna referebantur cineres peregri mortuorum. Corn. Tacitus initio lib. 3. Annal. de cineribus Germanici relatis ab Agrippina; & Albinovanus ad Liviam. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 3.

Ossa tamen facito parva referantur in urna.

De urna dictum ad Eleg. 13. lib. 2.

Accipiat manes parvula testa meos:

ergo *aliquid*, cineres. PASS. Summa hæc votorum peregre morientibus. Polynices apud Statium L. 11. Thebaid.

At tu care socer, - - - -
Sis lenis cineri, meque hæc post prælia raptum
Altisibus fratrique tegas, utrumque reportes.
BROUKH.

v. 14. SIC REDEUNT, ILLIS QUI CECIDERE LOCIS] Qui in acie & peregrina militia periere. *Sic redeunt*, referuntur; ut apud Plautum Amphitr. *Auferere, non abibis*. Seneca in Hippolyto extremo 1 *Sic ad parentem gnatus ex voto redit*. Albinovanus ad Liviam: *Nec tuus ille redit*. Mox:

Frigidus ille tibi, corpusque refertur inane.

Idem:

Sic ego te reducem digna videre fui?

Ovidius denique 11. Metam. de cadavere Ceycis, quod ad se volvi in litus adspicit Halcyone: *Sic, o carissime conjux, Sic ad me, miserande, redis?* PASS.

v. 15. TER QUATER IN CASTA FELIX, O POSTUME, GALLA] A'ουάκτεν ter quater. vide Eleg. 7. v. 6. sup. *Ter quater felix*, τρισόλβιος. τὸ *In* vacat. nam absque eo dixit Eleg. 10. lib. 2. *Felix unâ puellâ*. vide Eleg. 4. lib. 1. Aliter Eleg. 33. lib. 2.

Semper in absentes felicior æstus amantes.

Sed Cicero in Lælio: *Felix in deligendo*; & ad Q. Fratrem: *Felix in retinenda*. *Castâ Gallâ*. pudicam mox vocat. Sed de alia Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 2. *Plancus in Mænia Galla nupta male audiebat*. ergo illa impudica. PASS.

v. 16. MORIBUS HIS ALIA CONJUGE DIGNUS ERAS] Tam duro quum sis ingenio, dignus eras conjuge tui simili, ut par pari jungeretur. Sic Eleg. 13. lib. 1.

Urere, non alio lumine dignus eras. PASS.

v. 17. QUID FACIET NULLO MUNITA PUELLA TIMORE] Peccabit scilicet. argumentum a contentione minorum. ut Virgilius Ecl. 3.

Quid facient domini, audent quum talia fures?

Prior vero Catullus Carm. 65.

Quid facient crines, ferro quum talia cedant?

Munita nullo timore. nullis vallata & cincta custodibus, quos metuat. Similis locus est Eleg. 23. lib. 2.

Custodum & nullo septa timore placet.

ubi vide adnotata. De munitione illa Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 12.

Quam vir, quam custos, quam janua firma, tot hostes,
Servabant, ne qua posset ab arte capi.
PASS.

v. 18. QUUM SIT LUXURIÆ ROMA MAGISTRA TUÆ] Quum Roma suas puellas luxuriam doceat, & sit quasi lena; qua de re tota Elegia quæ proxime sequitur. *Magister* in deteriorem partem. Terentius Andr. 1, 2. *Si quis magistrum cepit ad eam rem improbum*. & Hecyra 2, 1.

In eodem mihi videntur ludo doctæ ad malitiam,
Et ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse certo scio.

Sic Tibullus præcepta amandi vocat *magisteria*. *Magistra luxuriæ*. ita Cicero lib. 3. de Finib. *Rectius magister populi, quam Sylla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit*. Contra, pro Sex. Roscio: *Vita rusticana, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra*. & 5. Tusc. *Philosophia vitæ magistra*. Scaliger legit e

con-

Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
Duritiæque tuæ non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.

Postu-

conjectura: *Quum sit luxuriæ norma magistra tua*. id est: Quum exemplum luxuriæ tu ipse prabeas, qui illam relinquas. hallucinatur. PASS. *Quum sit l. norma m. t.* ita recte Scaliger, emendato librariorum errore, (frustra enim incusat correctores, nihil hic commeritos) qui *Roma* fecerant ex *norma*. Valerius Cato in Diris v. 159.

Istius atque utinam facti mea culpa magistra
Prima foret! letum vitâ mihi dulcius esset.
Non mea, non ullo mereretur tempore fama:
Dulcia quum Veneris furatus gaudia primus
Diceret, atque in me dulcis foret orta voluptas.

------- Passeratius non debebat tam bellam correctionem vellicare. BROUKH. Omnino retinenda vetus lectio: sententia enim satis aperta est: Quum Roma nequitiarum exempla suppeditet puellæ tuæ. *τὸ tua* sic accipiendum est ut illud Horatii Ode 15. lib. 1. *Non hoc pollicitus tuæ*. In urbe scilicet luxuries creatur, ut ait Cicero pro Sex. Roscio; & *quum accedit, quasi maximus quidam magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionibus, a naturaque desciscimus*. Vid. & 3. Tusc. Sed locus Taciti plane memorabilis Annal. 3. cap. 34. veterem lectionem in Propertio unice stabilire atque explicare potest. Ibi Valerius Messalinus, sententiæ Severi Cecinæ obversatur, qui censuerat, mulieres maritis in provincias proficiscentibus comites dari non oportere. *Serum*, ajebat, *natura invalidum deseri; & exponi suo luxu, cupidinibus alienis. vix præsenti custodia manere inlæsa conjugia: quid fore, si per plures annos in modum discidii oblitterentur? Sic obviam irent iis quæ alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent*. Huc etiam pertinet Epistola Senecæ 94. Contra Julianus Cæsar scribit, Romam διδάσκαλον ἀρετῆς a Constantio Imperatore, pulcherrimo encomio, appellatam; Panegyr. ad eum primo. Sicuti vero Noster vocat *Romam luxuriæ magistram*, ita Cicero Epist. 1. lib. 1. ad Q. Fratrem, Asiam *provinciam corruptricem*. Magistri veteris disciplinæ, pudoris, modestiæ, ac præfecti moribus erant in urbe censores. id testatur Cicero pro Cluentio, & in Pisonem. Scribit Seneca lib. de Vita Beata cap. 13. Stoicorum plerosque dicere solitos, quamquam falso, *sectam Epicuri flagitiorum magistram esse*. Justinus vero lib. 13. cap. 1. de Ptolemæo Philopatora, Ægypti rege; homine sceleratissimo, *Nec jam spectator rex, sed magister nequitiæ, nervorum oblectamenta modulatur*. Apage igitur *norma magistra*, quod sane illepidum & invenustum est. VULP.

V. 19. SED SECURUS EAS. GALLAM NON MUNERA VINCENT] Soluto & libero sis animo, & hac de re in utramque aurem conquiescito: non expugnabunt Gallæ pudicitiam munera. Muneribus certatur, pugnatur, vincitur. Virgilius Ecl. 2.

Nec si muneribus certes, concedat Iolas.

ut in Truculento Plauti. Horatius Ode 15. lib. 3. de Philippo Macedone: *Subruit æmulos Reges muneribus*. Noster Eleg. 16. lib. 1.

Victa meis numquam janua muneribus.

ubi vide adnotata. & Eleg. quæ proxime sequitur:

Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas.
PASS.

V. 20. DURITIÆQUE TUÆ NON ERIT ILLA MEMOR] Obliviscetur ferrei animi tui, qui potuisti linquere conjugem plorantem. ergo non ulciscetur. Sic Eleg. 15. lib. 1. *Oblitos parce movere deos*. & hæc est ἀμνηστία. Contra Eleg. 4. lib. 1. *Erit tanti criminis illa memor*. *Duritiæ*. sic Ovidius lib. 2. Trist. Eleg. 7.

Duritiæque mihi non agerere reus.

scilicet erga amicum. *Duritiei animi*, Ciceroni dicitur pro Domo sua. & *duritas*, in Oratore. σκληρότης. PASS.

V. 21. NAM QUOCUMQUE DIE SANUM TE FATA REMITTANT] Redire volent incolumem. quia, ut veteres putabant, omnia in manu fati, & ipsa militia. Eleg. 6. lib. 1.

Hanc

Poſtumus alter erit miranda conjuge Ulixes:
Non illi longæ tot nocuere moræ:

Caſtra

Hanc me militiam fata ſubire volunt.

Horatius Epodo 13.

Unde tibi reditum certo ſubtemine Parcæ
Rupere.

Ovidius 11. Metam. *Sed tibi juro*
Per patrios ignes, ſi me modo fata remittant,
Ante reverſurum quam Luna bis impleat orbem.

Id etiam erat *Fortunæ Reducis*. Catullus Carm. 63. *Quum te reducem Fors proſpera ſiſtet*. Virgilius 10. Æneid. *Queis fortuna negarat In patriam reditus*. & 11. Æneid. (Apollo) *Reducem ut patria alta videret; Non dedit*. PASS. *Salvum* noſtri libri, Groninganus, & Vaticanus Livineji cum Borrichiano. recte. ita infra L. 4. Eleg. 3.

Armaque quum tulero portæ votiva Capenæ,
Subſcribam, Salvo grata puella viro.

Cicero lib. 5. ad Attic. Epiſt. 21. *Te in Epirum ſalvum veniſſe, &, ut ſcribis, ex ſententia navigaſſe, vehementer gaudeo*. Terentius Hecyr. Act. 3. Sc. 2. *Gaudeo veniſſe ſalvum. ſalvane Philumena eſt?* & ſic alibi non ſemel. Ita dicebant *ſalvum incolumemque ſervare, ſalvum eſſe velle*. in talibus formulis numquam dicebant *ſanum*; eſtque ea vox idiomatum recentiorum, hac quidem notione. BROUKH. *Salvum*, etiam Editio princeps A. 1472. quæ certa & explorata lectio. VULP.

v. 22. PENDEBIT COLLO GALLA PUDICA TUO] Brachia collo injiciet, nec divelletur ab amplexu tuo, [intacta, incorrupta, neſcia viri externi.] Virgilius 1. Æneid.

Ille ubi complexu Æneæ, colloque pependit.

& 2. Georg.

Interea dulces pendent circum oſcula nati.

Tibullus Eleg. ult. lib. 3.

Nec vos decipiant pendentia brachia collo.

Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 5.

Brachiaque excepi preſſa pendentia collo.

Pendent pueri & mulierculæ, quia breviores. *Invadere in collum*, dixit Cicero 2. Philipp. id eſt, ruere in amplexum: & Noſter Eleg. 13. lib. 1. *Toto vinctum languescere collo*. PASS. Pulcre admodum Valerius Flaccus lib. 1. Argon. v. 257. de Achille puero Peleum patrem oſculante:

Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, & ingenti tendentem brachia paſſu,
Adſiluit, caraque diu cervice pependit.

Noſter Eleg. ult. lib. 4.

Fungere maternis vicibus, pater. illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo. V.

v. 23. POSTUMUS ALTER ERIT MIRANDA CONJUGE ULIXES] Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 10. hunc locum imitatur, & Odyſſeæ capita colligit. *Alter*, ſimillimus. Cicero 7. Verr. *Is alter Verres eſt, luxuria & nequitia*. Virgilius: *Tu nunc eris alter ab illo*. *Alter Ulixes*, non dolo, ſed felicitate conjugii. Plautus aliter Pſeud. *Viſo quid rerum meus Ulixes egerit*. *Miranda*, admirabili & ſingulari. & eſt laudis; Virgilius 1. Æneid.

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur.

id eſt, ſingularis artificii. ut hic de ſingularis exempli femina. Sic Eleg. 12. lib. 2.

Nonne putas miros hunc habuiſſe manus? P.

Alter Ulixes. Maximianus Etruſcus, quem Cornelium Gallum, ſi diis placet, inficeti homines putavere, ita in quadam Elegia:

Efficior demens alter Ulixes ego.

qui tamen verſus peccat in leges metricas; ultima enim in *Ulixes* longa eſt, quamquam a barbaro ſcriptore corripitur. *Miranda conjuge*. ſane miraculo proximum, feminam ſine cuſtodia relictam, & a pluribus expetitam, in propoſito ſervandæ caſtitatis manere. VULP.

v. 24. NON ILLI LONGÆ TOT NOCUERE MORÆ] Nullum damnum pudicitiæ uxoris attulit tam longa Ulixis abſentia. Id eſt enim nocere. ut Eleg. 19. lib. 2.

Abſenti nemo non nocuiſſe velit.

Immo Amphitruo Plautinus quum ſuſpicatur imminutam uxoris pudicitiam, exclamat: *Hæc modo me ad mortem dedit*. quamvis Ovidius damnum eſſe, jocoſe neget. Nocet autem longa maritis abſentia, ut Menelao & Agamemnoni. unde jocus Martialis lib. 9.

Nam tu dum longe deſerta uxore, diuque
Tres quæris natos, quatuor invenies.

Tot longæ moræ, pro tam longæ. ut Eleg. 8. ſupra:

Vocis & inſanæ tot maledicta tuæ.

De

Castra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ.
Et Circæ fraudes, lotosque, herbæque tenaces,
Scyllaque, & alternas scissa Charybdis aquas.

Lam-

De longa Ulixis absentia, & pudicitia Penelopes, vide Eleg. 9. lib. 1. PASS.

v. 25. CASTRA DECEM ANNORUM, ET CICONUM MONS, ISMARA, CALPE, EXUSTÆQUE TUÆ MOX, POLYPHEME, GENÆ] De decennio consumto in obsidione Trojæ, dictum ad illud Eleg. 9. supra:

Et Danaûm decimo vere redisse rates.

τὸ *Castra* autem & exercitum ad Trojam in obsidione significat, & classem ac navalia simul, ut notant Servius & Nonius. Noster Eleg. 8. lib. 1.

Fervere & Hectoreâ Dorica castra face.

Ciconum mons Ismara. Homerus 9. Odyss.

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν
Ἰσμάρῳ.

Recte ergo Propertius id primum post excidium Trojæ posuit. Narrat illic Homerus, ut infeliciter socii Ulixis cum Ciconibus pugnarint, sed postea expugnarint eorum urbem. Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis.

ubi vide adnotata. *Calpe*, mons est in finibus Hispaniæ. Plinius in proœmio lib. 3. H. N. & cap. 1. Strabo lib. 3. Ulixen autem ajunt venisse in Hispaniam, & inde ad Calypso. Testis urbs Ulixea in Hispania, quam ab Ulixe conditam ajunt. nihil tamen hac de re Homerus. *Calpe* ad fretum Gaditanum etiam oppidum. hodie *Gibraltar*, vel *Gilbatar*. Juvenalis Sat. 14.

Sed longe Calpe relicto
Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.

Mox, deinde, ac paullo post. ordinem hic potius quam celeritatem temporis notat. *Exustæ genæ*; terebratus tibi sude præusta, & effossus oculus. Virgilius 3. Æneid.

Telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat.

Exustæ; ut Eleg. 8. supra:

Tu minitare oculos subjectâ exurere flammâ.

Genæ, inquit Plinius lib. 11. H. N. cap. 37. *olim, quæ nunc malæ; unde in XII. Genas ne radito. Sunt illic palpebræ, quarum extremus ambitus cilium dicitur*. Longa illic disputatio de genis, quibus nictamus, & connivemus. ergo licet unus oculus, geminæ tamen Polyphemo genæ. Ennius apud Festum: *Pandite sulti' genas*, nimirum palpebras. vide & Isidorum lib. 11. Servius ad illud 6. Æneid. *Effusæque genis lacrimæ; palpebris*, inquit. Ennius de dormiente: *Imprimitque genæ genam*. De Polyphemo plura dicta ad Eleg. 2. sup. v. 7. & Eleg. 33. lib. 2. v. 31. PASS. *Castra decem annorum*. vide Maximum Tyrium sub finem Sermonis 6. & similem Epitomen laborum & errorum Ulixis apud Homerum Odysseæ lib. 23. a v. 310. *Genæ*, palpebræ. Ovidius Epist. Sapphûs v. 174.

Nec gravidæ lacrimas continuere genæ.

Idem Epist. Acontii v. 205.

Ut, te conspecto, subito (si forte notasti)
Restiterim fixis in tua membra genis.

utrobique pro ipsis oculis. VULP.

v. 27. ET CIRCÆ FRAUDES, LOTOSQUE, HERBÆQUE TENACES] De Circa vide adnotata ad illud Tibulli lib. 4. Carm. 1.

Solum nec doctæ verterunt pocula Circes.

Circæ, a recto Circa, Latino declinandi mora, ut Penelopa, Urania. Sic *Dircem*, pro Dircen, Plautus Pseud. 1, 2. & *Andromede* Eleg. 22. infra. *Circæ fraudes*, artes maleficæ; quia tota magia meræ præstigiæ, ut adnotatum ad illud Eleg. 1. lib. 1. *Deductæ quibus est fallacia Lunæ*. *Lotosque, herbæque tenaces*, hypallage, pro lotique herbæ tenaces. herbæ loti, ut Virgilius, *Graminis herba*, & *herba frumenti*. vel alludit ad lotou arborem, eamdemque herbam. vide Plinium lib. 13. cap. 17. & lib. 22. cap. 21. De lotophagis dictum ad illud Tibulli Carm. 1. lib. 4.

Non valuit lotos captos avertere cursus.

vide Junium Prov. 5. Cent. 4. *Apud Lotophagos hæreo*. *Tenaces herbæ*, quia retinebant socios Ulixis. Tenax, qui non facile dimittit quod semel arripuit. Horatius Epodo 2. *In tenaci gramine*. Virgilius 4. Georg. *Tenacia vincla*, & 8. Æneid. *Tenaci forcipe*. P.

v. 28. SCYLLAQUE, ET ALTERNAS SCISSA CHA-

Lampeties Ithacis verubus mugiſſe juvencos,
(Paverat hos Phœbo filia Lampetie)
Et thalamum Ææae flentis fugiſſe puellæ,
Totque hiemis noctes, totque nataſſe dies.

Ni-

CHARYBDIS AQUAI] De Scylla & Charybdi dictum ad Eleg. 26. lib. 2.

Crede mihi, nobis miteſcet Scylla, nec umquam
Alternas revomet vaſta Charybdis aquas.

Sciſſa aquas alternas; cujus aquæ alternis vicibus ſcinduntur, & dividuntur. Sic Virgilius 1. Æneid.

Quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſe ſe unda reductos.

eſt autem ſynecdoche poetica: *Sciſſa aquas*. ut Virgilius 9. Æneid. *Sciſſa comam*; & Noſter Eleg. 2. lib. 2. *Pectus operta*. PASS.

v. 29. LAMPETIES ITHACIS VERUBUS MUGISSE JUVENCOS] Apud Heſiodum lib. 2. Theog. filiæ Solis Lampetie & Phaëthuſa. Hyginus Fab. 154. unam Heliadum Lampetien nominat. Homerus 12. Odyſſ. inducit Lampetien patri Soli nuntiantem boves ſuas mactatas. ubi narrat conſecuta prodigia, ut & Hyginus Fab. 125. Tangit hanc fabulam Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Non violata vagi ſileantur paſcua Solis.

Juvenci, qui vituli eſſe deſierunt, & jam juvare colonum poſſunt. Varro lib. 2. de R. R. cap. 5. Seneca & Plinius ſcribunt, circa Meſſanam urbem Siciliæ, mare exſpuere purgamenta fimo ſimilia. unde orta fabula de Solis bubus, ibi eos olim ſtabula habuiſſe. *Ithacis verubus mugiſſe*. Homerus 12. Odyſſ.

Εἵρπον μὲν ῥινοὶ, κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει,
Ὀπταλέα τε καὶ ὠμὰ, βοῶν δ' ὡς γίνετο φωνή.

Hyginus Fab. 125. *Quum coquerentur carnes, in aëno dabant balatus*. *Ithacis verubus*, id eſt, ſociorum Ithaci Ulixis, non ipſius verubus. Sed Ovidius lib. 3. Amor. El. 11.

Æolios Ithacis incluſimus utribus Euros.

id eſt, ipſius Ulixis. PASS. *Lampeties*. Vid. Homerus XII. Odyſſ. 127. 265. qui locus eſt admodum longus. BROUKH. *l. v. mugiſſe juvencos*. hæc verba poſſent etiam ſic explicari: Lampeties juvencos per paſcua erraviſſe, & mugitum ediſiſſe, ut tandem cederent in alimentum ſociorum Ulixis. Horatius ita locutus eſt Ode 16. lib. 2. *Tibi tollit hinnitum Apta quadrigis equa*. nempe commodo tuo. Sed alia interpretatio, vera. V.

v. 30. PAVERAT HOS PHŒBO FILIA LAMPETIE] Adſervarat eos paſcentes Soli patri. Homerus:

θεαὶ δ' ἐπὶ ποιμένες εἰσὶν
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι Φαέθουσά τε Λαμπετίη τε·
Ἃς τέκεν Ἠελίῳ Ὑπερίονι δῖα Νέαιρα·

Paſcere alicui; ut Virgilius Ecl. 3.

Pierides, vitulam lectori paſcite veſtro.

& 7. Æneid. *Sacrum tibi paſcere crinem*. P.

v. 31. ET THALAMUM ÆÆÆ FLENTIS FUGISSE PUELLÆ] Reliquiſſe quaſi cum fugæ & proditionis flagitio. ut Eleg. 17. lib. 1.

Et merito, quoniam potui fugiſſe puellam.

Ææa dicitur Circe ab inſula quam incolebat, ut ſup. notavi ad illud El. 32. lib. 2.

Quid petis Ææi mœnia Telegoni?

Sed ſupra de Circe loquutus eſt, & nunc de Calypſo, de qua Eleg. 15. lib. 1.

At non ſic Ithaci digreſſu mota Calypſo
Deſertis olim fleverat æquoribus.

Olim putabam legendum:

Et thalamos Atlantea fugiſſe puellæ.

ut apud Tibullum Carm. 1. lib. 4.

Non amor & fœcunda Atlantidos arva Calypſûs.

Sed reperi tandem apud Hyginum Fab. 125. eam inſulam (domum Calypſûs) quam Ogygiam Homerus vocat, Ææam dici. Suffragatur Pomponius Mela lib. 2. cap. 7. *Circa Siciliam in Siculo freto, eſt Ææa, quam Calypſo habitaſſe dicitur*. PASS. Propertius eos ſequitur, qui Ææten Calypſûs fratrem faciunt, & ambos Sole progenitos dicunt. Noli committere quin legas notata viro longe eruditiſſimo Ferdinando Nonio (a patria vulgo *Pintianum* vocant) ad verba Pomponii Melæ quæ attulit Paſſeratius. BROUKH.

v. 32. TOTQUE HIEMIS NOCTES, TOTQUE NATASSE DIES] Hibernas noctes, ut longiſſimas & infeſtiſſimas, dixit. Sic Eleg. 3. lib. 4.

Nocti-

Nigranteſque domos animarum intraſſe ſilentum;
Sirenum ſurdo remige adiſſe latus.

Et

Noctibus hibernis caſtrenſia penſa laboro.
Virgilius 6. Æneid.

Tres Notus hibernas immenſa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua.

Apud Homerum 5. Odyſſ. Ulixes naufragium facit, & vix enatat Inûs auxilio. & 12. Odyſſ. rurſus fulmine claſſis concrematur, & is fragmento carinæ hærens vix in Ogygiam inſulam ſolus defertur. *Nataſſe:* ut Juvenalis Sat. 10. *Cui ſat Ithacum lugere natantem.* ergo *nataſſe*, & navigaſſe, & naufragium feciſſe. Vide adnotata ad Eleg. 7. ſup. v. 8. Pass.

v. 33. Nigrantesque domos animarum intrasse silentum] Re vera non intravit: ſed quum perveniſſet ad Cimmerios, foſſam implevit ſanguine, atque ita Manes elicuit: Homerus 11. Odyſſ. Apud eumdem tamen initio lib. 12. legitur, *ἐξ ἀΐδαο ἐλθόντες*; *ab inferis reverſi*, & apud Hyginum Fab. 125. proficiſcitur ad lacum Avernum. & Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Vidit ut inferno Plutonis ſubdita regna
Magna deûm proles levibus diſcurrere umbris.

ubi vide adnotata. *Nigrantes domos*, triſtes, ſine ſole. *Cæca loca* dixit Eleg. 19. lib. 1. v. 8. Eleg. vero ultima lib. 4. *Janua nigra*. *Nigrantes*, participium pro nomine. Virgilius 4. Æneid. *Nigrantem commixta grandine nimbum*. Domus, de inferis. Homerus, *ἐν ἀΐδαο δόμοισι*. Horatius Ode 4. lib. 1. *Domus exilis Plutonia*. Virgilius 6. Æneid.

Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.

Animarum ſilentum; neque enim umbris ſermo, ſed inanis tantum conatus ſermonis. Virgilius 6. Æneid.

Pars tollere vocem
Exiguam. inceptus clamor fruſtratur hiantes.

Ibid.

Dii quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes.

Ovidius 5. Faſt.

Mox etiam Lemures, animas dixere ſilentum.

Valerius Maximus lib. 5. cap. 3. *Tacent mutæ umbræ fati neceſſitate conſtrictæ.* Donatus: *Silicernium, quod eam cernunt ſilentes.* id eſt, mortui. quamobrem Eleg. 13. lib. 2.

Nam mea quid poterunt eſſe minuta loqui?

Pass.

v. 34. Sirenum surdo remige adisse lacus] Ita Juvenalis v. ult. Sat. 9. de navi Ulixis:

Quæ Siculos cautus effugit remige ſurdo.

Lacus Sirenum, vocat eam partem maris Siculi quæ inſulam Anthemoëſſam, ſedem Sirenum ambiebat. Apollonius lib. 4. Apollodorus lib. 1. Virgilius 5. Æneid. ſub finem, & interpres Servius, qui fabulam explicat; Junius Prov. 5. Cent. 4. & Prov. 41. Cent. 5. Item Tibullus Carm. 1. l. 4. ubi vide plura adnotata ad illud:

Prætereitque citâ Sirenum litora puppi.

Lacus etiam de mari. ut Eleg. 20. lib. 1. *Nec expertos ſemper adire lacus.* Homerus *ἐν λειμῶνι* ſedentes facit. id eſt, in prato. at *λειμὼν* Græcis etiam pro mari ponitur, ut ſcribit Heſychius. *Surdo remige*, ſociis ad remos non exaudientibus, quod eorum aures cera obturatæ eſſent. Surdum enim, quod non audit, etiamſi audire poteſt. Eleg. 7. lib. 1.

Flebis in æterno ſurda jacere ſitu.

Eſt autem enallage numerorum. Horatius Epod. ult.

Laborioſi remiges Ulixei. Pass.

Nonnihil languet *τὸ lacus*. rectius *latus* reponas, quod oram notat ſcriptoribus Romanis. atque ita ſcripſiſſe Propertium teſtis eſt floridi oris poeta Cl. Claudianus, L. 3. de Raptu Proſerpinæ, v. 255.

Rapidis Acheloïdes alis
Sublatæ Siculi latus obſedere Pelori.

vox ipſa in creberrimo eſt uſu. adhibent hac notione Virgilius, Ovidius, Valerius Flaccus, Seneca Tragicus, Papinius. Rutilius Itiner. L. 1.

Aſſurgit ponti medis circumflua Gorgon,
Inter Piſanum Cyrnaicumque latus.

Solinus C. 56. de Taprobane inſula: *Latus ejus mare alluit perviridi colore fruticoſum, ita ut jubæ arborum plerumque gubernaculis atterantur.* hoc vero latus Siciliæ Ulixes ſurdo remige prætervectus eſt. hunc totum Noſtri locum pulcerrimis verſibus quaſi certabundus extulit facundiſſimus Claudianus, in Laude Serenæ Reginæ. Brouk.

v. 35.

Et veteres arcus leto renovaſſe procorum,
  Erroriſque ſui ſic ſtatuiſſe modum.
Nec fruſtra: quia caſta domi perſederat uxor.
  Vincet Penelopes Ælia Galla fidem.

ELE-

v. 35. ET VETERES ARCUS LETO RENOVASSE PROCORUM] Arcus, qui annos viginti inutiles fuerant, in perniciem procorum tetendiſſe. De procis Penelopes dictum ad Eleg. *9.* lib. 2. v. 4. Homerus autem initio lib. 22. Odyſſ. Ulixen procos eo arcu confiaiſſe ait, quem depromſiſſe Penelopen cecinerat initio lib. 21. PASS. In quatuor libris eſt *revocaſſe*; qood quum idem ſignificare poſſit cum *renovaſſe*, (Paſſeratius jam pridem monuit ad L. 1. Eleg. 15. v. 25.) tamen propter epitheton *veteres* non videtur admittendum. BROUKH. Editio princeps ita exhibet hunc verſum:

Et veteres arcus Iudos renovaſſe procorum.

quæ lectio non inſuper habenda. VULP.

v. 36. ERRORISQUE SUI SIC STATUISSE MODUM] Vagæ peregrinationis finem morte procorum feciſſe. Elegia tamen 14. lib. 2. aliter:

Nec ſic errore exacto lætatus Ulixes,
  Quum tetigit cara litora Dulichiæ.

& Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Finis & errorum miſero Phæacia tellus.

hic verò recte, quia nondum videbatur domum rediiſſe, antequam procos inde morte expelleret. *Statuiſſe modum*; Horatius Sat. 2. lib. 1. *Nonne cupidinibus ſtatuit natura modum?* Idem dixit, *Ponere modum*, Ode 16. lib. 1. & *Figere modum*, Ode 13. lib. 3. P.

v. 37. NEC FRUSTRA: QUIA CASTA DOMI PERSEDERAT UXOR] Uſque permanſerat, in opere & in luctu. Eleg. 15. lib. 1.

Multos illa dies incomtis mœſta capillis
  Sederat.

Sic ſedet inter ancillas Lucretia apud Livium lib. 1. & alludit ad caſtas, quæ domi ſervant, &, ut ipſe alibi loquitur, *viri limen amant*. Terentius Adelph. 4, 5. *An ſedere oportuit domi virginem tam grandem?* ubi Donatus: *Sedere, ignavæ ceſſationis. Perſedere* Virgilio 3. Georg. eſt penitus inhærere:

Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit.

Varro 8. de L. L. *Quod ajunt, ut perſedit, & perſtitit, ſic percubuit.* & *Perſederat*, pluſquam perſtiterat. PASS. C. *domi perſederat uxor.* & quidem in editiore domus parte, ut narrat Homerus lib. 1. Odyſſ.

Κλίμακα δ' ὑψηλὴν κατεβήσατο οἷο δόμοιο
Οὐκ οἴη, ἅμα τῇ γε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο.

De hoc more Corn. Nepos Præfat. Vitarum: *In Græcia mater familias neque in convivium adhibetur, neque ſedet, niſi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur.* Auctor tamen Liberi Carminis Epigr. *69.* pudicitiam Penelopes ita perſtringit:

Quæ ſic caſta manes, ut jam convivia viſas. VULP.

v. 38. VINCIT PENELOPES LÆLIA GALLA FIDEM] Magis fida marito Poſtumo Galla, quam Ulixi Penelopa. Sic Eleg. prox. ſeq. *Teruut faſtus, Icarioti, tuos.* Pro *Lælia*, malim *Ælia*. Notus Ælius Gallus Juriſconſultus. Ita Gulielmius Quæſt. in Plauti Pſeudol. cap. *6.* Eſt & Arria Galla apud Corn. Tacitum, & Mævia Galla apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 2. PASS. *Vincit P. L. G. fidem.* Gul. Canterus malebat *Vincet*, quod & ego malo, ita exigente ſenſu. porro *Ælia* ſcribendum, pro *Lælia*, dudum eſt quod præter Paſſeratium, & Gulielmium, monuit Livinejus. vide ſi ad rem noſtram faciat Plinius L. *6.* C. 28. *Romana arma ſolus in eam terram adhuc intulit Ælius Gallus ex equeſtri ordine. nam C. Cæſar Auguſti filius proſpexit tantum Arabiam. Gallus oppida diruit non nominata ab auctoribus, qui ante ſcripſerunt. Lælia* Glandorpius Onomaſt. p. 516. male. BROUKH. *Ælia Galla.* Si Andream Dacerium audimus, hæc eſt illa *placens uxor* Poſtumi, de qua Horatius Ode 14. lib. 2. VULP.

ELEGIA XIII.

QUæritis unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustæ damna querantur opes?
Certa quidem tantis caussa & manifesta ruinis:
Luxuriæ nimium libera facta via est.

Inda

ARGUMANTUM ELEGIÆ XIII. LIBRI III.] Comparat mulierum sui temporis avaritiam, luxum, & levitatem cum Indarum nuptarum fide, veterumque amantium simplicitate: auri cupidinem multis exitio fuisse, ipsique Romæ fore, testatur. VULP.

v. 1. QUÆRITIS UNDE AVIDIS NOX SIT PRETIOSA PUELLIS] Cur avaræ puellæ noctem magno vendant. *Pretiosa*, muneribus emta beatis Eleg. 20. lib. 2. Sic *Thais pretiosa* Eleg. 5. lib. 4. & *Dedecorum pretiosus emtor*, Horatio Ode 6. lib. 3. Contraria pretiosæ nocti, *vilis nox*, Eleg. 7. lib. 4. *Avidis*, avaris; licet Nonius discernat, quod Avidus sit etiam laudis, non Avarus. ita Horatius Ode 28. lib. 1. *Exitio est avidis mare nautis*. *Avidus*, inquit Festus, *a non videndo, propter cupiditatem*. ut idem in *Avere*, melius: *Avere, cupere, unde avidi a præcipue cupiendo*. *Avidis rogis*, dixit Eleg. 6. lib. 4. quod Eleg. 28. lib. 2. *Ignis avarus*. De aviditate puellarum vide Eleg. 16. lib. 2. ab eo versu:

Semper in Oceanum mittis me quærere gemmas. PASS.

Pretiosa, sumtuosa. Ovidius Epist. Didûs:

Exerces pretiosa odia, & constantia magno,
Si, dum me fugias, est tibi vile mori. V.

v. 2. ET VENERE EXHAUSTÆ DAMNA QUERANTUR OPES] Profusis in Venerem sumtibus exinanitæ, ad nihilum redactæ & absumtæ opes jacturam rei familiaris moleste ferant. unde illud Lucretii lib. 4.

Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat.

[μνημονικὸν ἁμάρτημα Passeratii; neque enim hic versus est Lucretii, sed Horatii Epist. 18. lib. 1. Multa quidem habet Lucretius extremo lib. 4. quæ ad amorem, & amoris damna & incommoda pertineant; unde error viri doctissimi.] Exhauriuntur proprie fontes & putei, & vasa: quum illis anima, id est, liquor intertrahitur, ut jocatur Plautus in Amphitr. Cicero 2. de Officiis: *Largitio fontem ipsum benignitatis exhaurit*. Sic *exhaurire bonis civitatem*, *exhaurire ærarium*, *stipum exactione exhaurire domos*. *Opes querantur*, dictum ut Eleg. sup. *Lætentur cæde sagittæ*. tribuit sensum rei mutæ. *Damna*; versu prox. seq. *Ruinas* vocat. *Damnum, rei: malum, hominis*. Donatus. a deminutione patrimonii & demtione. Aliàs legitur:

Et venerem exhaustæ damna querantur opes.

quam lectionem sequitur & exponit Beroaldus. PASS. Ita etiam editio omnium princeps. VULP.

v. 3. CERTA EQUIDEM TANTIS CAUSSA EST MANIFESTA RUINIS] Id dixit Ovidius: *In promtu caussa est*. *Certe equidem*. Sic Plautus Milite 2, 5. *Certo equidem noster sum*. Virgilius: *Certe equidem audieram*. Manifestus, quasi manu ferens; unde fur manifestus, qui cum re furtiva, quam tenet, deprehenditur. ut ab inferendo, infestus. *Ruinis*, de maximis damnis; ut dicitur *everti fortunis*. Cicero 1. in Catil. *Prætereo ruinas fortunarum tuarum, quas impendere proximis Idibus senties*. & 3. de Offic. *Emtorem pati ruere*. id est, in gravissimum damnum incidere. Sic *Cadere in foro sub creditoribus*; Suetonius in Othone. PASS. *Certa quidem tantis caussa est manifesta ruinis*. & habent meliores membranæ, non *est*. caussa certa & manifesta tantis ruinis est luxuria nimis libera. BROUKH. τὸ *Certe equidem* videtur confictum a Passeratio, quum in codicibus & editionibus non legatur. VULP.

v. 4. LUXURIÆ NIMIUM LIBERA FACTA VIA

Inda cavis aurum mittit formica metallis;
Et venit e rubro concha Erycina salo:

Et

VIA EST] Aperta fenestra ad luxuriam & neqoitiam. Nimium libere luxuriam grassari mores sinont. *facere viam*, aperire. (alind est, *iter facere*.) Virgilius 2. Æneid. *Fit via vi, rumpunt aditus*. Libera nimium, quia it quo libet, & ei licet, quum libertas sit potestas vivendi ut velis. Horatius Epist. 19. lib. 1.

Libera per vacuum posui vestigia princeps.

Liberum iter, tatum ac munitum, in Carm. sæculari. PASS. In Grooingano est *lubrica*. male, & contra meotem poetæ. alium enim sensum habent ista L. 4. Eleg. 4. *Lubrica tota via est, & perfida*. BROUKH. *Facta via est*. Dicitur etiam *efficere viam*. Tibollus Eleg. 5. lib. 1.

Subiicietque manus, efficietque viam.

vè est in editione principe non comparet. Quod attinet ad seotentiam, Cicero pro Sex. Roscio: *In urbe luxuries creatur: ex luxuria exsistat avaritia necesse est*. Idem Tosc. 5. *Etenim quæ res pecuniæ cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis sumtibus copia suppetant, quum procul ab iis omnibus rebus absit, cur pecuniam magnopere desideret, vel potius curet omnino?* Vide Eleg. 4. lib. 2. Tibulli. Lege etiam, si vacat, egregiam Orationem M. Porcii Catonis, de Lege Oppia, quæ muliebrem luxum coërcebat, non abroganda; apud T. Livium lib. 34. VULP.

v. 5. INDA CAVIS AURUM MITTIT FORMICA METALLIS] De formicis Indicis aurum a cavernis terræ egerentibus Herodotus in Thalia, Strabo lib. 2. & lib. 15. Plinius lib. 11. cap. 31. lib. 33. cap. 4. lib. 37. cap. 10. *Inda formica*, pro Indica. ut Eleg. 8. lib. 1. *Indis conchis*. Sed Isidorus lib. 12. cap. 3. ait, in Æthiopia esse formicas ad canis formam, quæ pedibus aorum egeront. *Mittit*, non sponte; nam eis surripitur. sed mitti dicuntur, quæ aliunde veniunt. iccirco vocat *munera peregrina* Eleg. 2. lib. 1. Sic Eleg. 23. lib. 2.

Et quas Eufrates, & quas mihi misit Orontes.

Cavis metallis. *cavernas terræ* (auriferæ) vocat Plinius. *Metalla*, pro ipsis fodinis. Isidorus lib. 5. *Metallum est, ubi exsules deportantur ad eruendam venam, marmoraque secanda in crustas*. unda *Ad metallum damnare*, Soetonio & Jurisconsultis. Plinius *Metallum miniarium* vocat, unde eruitur minium. [Hinc videtur originem ducere vox Italica *miniera*.] Quid metallum, quotuplex, & onde dictum, Isidorus lib. 16. cap. 16. PASS. *Inda formica*. Hujus historiam, sive fabulam, tradit Plinius lib. 11. H. N. cap. 31. *Indicæ, ait, formicæ cornua, Erythris in æde Herculis fixa, miraculo fuere. Aurum ex cavernis egerunt terræ, in regione septemtrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur. Ipsis color felium, magnitudo Ægypti luporum. Erutum hoc ab iis tempore hiberno, Indi furantur æstivo fervore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis: quæ tamen odore sollicitatæ provolant, crebroque lacerant, quamvis prævelocibus camelis fugientes. Tanta pernicitas, feritasque est cum amore auri*. Quod aotem ait Plinius, cornua formicæ Indicæ fixa in Herculis templo, arbitror factum, quod Hercules nec opinatis lucris, & reclusis thesauris præesse crederetur. vide Horatium Sat. 6. l. 2. v. 12. & perpetuom ejus imitatorem Persium Sat. 2. v. 11. cui tamen sententiæ adversatur Phædrus Fab. 11. lib. 4. De formicis Indicis vide quid scribat Arrianus in libro Rerom Indicarum ex Nearcho, & Megasthene; item Philostratus lib. 6. de Vita Apollonii cap. 1. qui ait, Indorum gryphes, & Æthiopum formicas, quamvis forma dissimiles, auri tamen pariter esse custodes. Adde Ælianum περὶ ζώων lib. 2. cap. 4. Pomponium Melam lib. 3. cap. 7. Clementem Alexandrinum Pædag. lib. 2. Scholiasten denique Theocriti ad Idyll. 17. v. 107. cojus hæc verba sunt: Περὶ τῶν μυρμήκων τῶν μεταλλευόντων χρυσὸν ἐν Ἰνδοῖς πολλοὶ ἱστορήκασι. *Cavis metallis*. nempe auri fodinis, quo pacto dixit Virgilius 10. Æneid. v. 174.

Insula inexhaustis chalybum generosa metallis.

Corn. Tacitus Annal. 16. cap. 2. *Non enim tantum solitas fruges, nec metallis confusum aurum gigni, sed nova ubertate provenire terra, & obvias opes deferre deos*. Metalla veteri-

Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.

Hæc

terihus appellatæ ipsæ lapicidinæ, fortasse & marmor. Lucanus lib. 4. v. 304.

Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.

Silius Italicus lib. 8. v. 482.

Tunc quos a niveis exegit Luna metallis,
Insignis portu.

loquitur de Lunensi marmore candidissimo, quod nunc Carrariense. Statius lib. 4. Silv. Carm. 3. v. 99. *Et totis Ligurum nitent metallis.* Martialis Epigr. 42. lib. 6. *Illic Taygeti virent metalla.* Strabo lib. 5. Μέταλλα δὲ λίθου λευκοῦ τε καὶ ποικίλου γλαυκίζοντος. Insignis locus est Senecæ lib. 5. Nat. Quæst. cap. 15. *Asclepiodotus*, inquit, *auctor est, demissos quamplurimos a Philippo in metallum antiquum olim destitutum, ut explorarent, quæ ubertas ejus esset, quis status; an aliquid futuris reliquisset vetus avaritia.* VULP.

v. 6. ET VENIT E RUBRO CONCHA ERYCINA SALO] Turnebus lib. 17. Adv. cap. 12. putat, hic unionem, seu margaritam pretiosiorem, significari; ut apud Tibullum Eleg. 4. lib. 2.

Hic dat avaritiæ caussas, & Coa puellis
Vestis, & e rubro lucida concha mari.

Idem Turnebus ibidem ex Plinio & Seneca docet, esse conchas quæ Veneriæ dicontur. An alludit ad fabulam de Venere vecta conchâ? Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Et faveas, conchâ Cypria vecta tuâ.

Plautus Rudente 3, 3. ad Venerem: *Te ex concha natam esse autumant.* *Concha Cytheriaca* dicitur Martiali Epigr. 47. lib. 2. Plinius autem lib. 9. cap. 25. scribit, certas conchas apud Venerem Cnidiorum coli. De Venere Erycina dictum ad illud Catulli Carm. 63.

Spinosas Erycina serens in pectore curas.

Rubro salo, ut Eleg. 14. lib. 1.

Et legitur rubris gemma sub æquoribus.

ubi vide adnotata. Margaritæ concharum partus. De conchis multa Plinius lib. 9. cap. 35. PASS. *E.* forte *a.* vide ad Tibullum 2, 4, 30. *Concha Erycina.* est quidam epithetorum abusus etiam apud probatissimos poetas. Concha Veneri sacra: Eryx Veneris ex Buta filius apud Siciliæ Drepanum matri templum exstruxit in monte sibi cognomine, titulo Veneris Erycinæ. vides quam parum apte maris rubri conchæ margaritiferæ dicantur *Erycinæ.* Sic Virgilius L. 6. Æn.

Quæ contra breviter fata est Amphrysia vates..

quum posset *Apollinem* dicere. Idem L. 3. Georg. *Amyclæum canem* tribuit *armentario Afro.* Sic apud Papinium L. 7. Thebaid. Asopus fluvius Bœotiæ *efflat Ætnæos vapores.* Hujusmodi epitheta Servius grammaticus commode nominat *longe petita.* BROUKH.

v. 7. ET TYROS OSTRINOS PRÆBET CADMEA COLORES] De Tyro urbe Phœniciæ, quam conchylium & purpura nobilem fecere, vide adnotata ad illud Eleg. 16. lib. 2.

Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro.

Tyros Cadmea, Cadmi patria, filii Agenoris regis Tyriorum. Ovidius initio 3. Metam. Statius 1. Thebaid. qui sæpe Tyrium pro Cadmeo ponit. sic *Cadmea Thebæ* Eleg. 7. lib. 1. *Colores ostrinos*, purpureos; [quod ex ostreo quodam, seu concha, depromerentur.] Eleg. 14. lib. 1. *ostrino rore.* PASS.

v. 8. CINNAMON ET MULTI PASTOR ODORIS ARABS] Genera luxoriæ quatuor, aurum, gemmæ, purpura, odores & unguenta. *Cinnamon*, quod & juncto vocabulo cinnamomum, in Æthiopia Troglodytica gigni, scribit Plinius lib. 12. cap. 19. Diodorus Siculus ait, nasci in Arabia. unde hic *Pastor Arabs.* & Seneca Oedipo: *Cinnamis silvas Arabum beatas Vidit.* Tibullus quoque Eleg. 2. lib. 2.

Urantur odores
Quos tener e terra divite mittit Arabs.

P. Cinnamum in deliciis habebant sumtuosæ mulieres, uti apparet ex Petronio, cujus est: *Rosa cinnamum veretur.* id est, præ cinnamo valescit. Vetus poeta in Catalectis: *Sinus expansa profert cinnama.* *Multi odoris.* Contra Plinius lib. 12. cap. 13. *Odoris parvi amomum.* *Pastor Arabs.* erant scilicet in Arabia, præcipue Deserta, Scenitæ Arabes, quos Nomadas etiam appellabant, ἀπὸ τῆς νομῆς, a pascuo; quod subinde mutarent pascua & transferrent tabernacula. vide Strabonem lib. 16. item Plinium

Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quæque terunt fastus, Icarioti, tuos.

Ma-

nium lib. 5. cap. 24. & lib. 6. cap. 28. VULP.

v. 9. HÆC ETIAM CLAUSAS EXPUGNANT ARMA PUDICAS] Etiam castas sibi cogunt cedere domi inclusas, ut Danaën. Contra Eleg. prox. sup. dixit: *Gallam non munera vincent*. Cicero lib. 1. ad Attic. Epist. 13. *In eo neque auctoritate, neque gratiâ pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus auro onustus posset ascendere*. Vide Horatium Ode 16. lib. 3. Cicero 1. Verrina: *Nihil tam munitum, quod non pecunia expugnare possit*. Hoc est quod dixit Eleg. 3. lib. 1.

Neve quis invitam cogeret esse suam.

Arma, μεταφορικῶς ea omnia quibus pugnatur sive clam, sive palam. Vide ad El. 11. infra *Demosthenis arma*. PASS. Pecuniæ vires maximæ in virtute labefactanda, & præcipue in pudicitia expugnanda. Cicero prooem. 1. Act. in Verrem: *Dictitat, nihil esse tam sanctum, quod non violari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit*. Idem Epist. 1. lib. 1. ad famil. *Ammonius, regis legatus, aperte pecuniâ nos oppugnat*. Sallustius, vel quisquis est Auctor, Orat. 2. ad C. Cæsarem de Republ. ordinanda: *Ceterum avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est: neque exercitus, neque mœnia obstant, quo minus vi sua penetret: famâ, pudicitiâ, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales spoliat*. Cicero pro M. Cœlio: *Cum hæc si quis adolescens forte fuerit, utrum hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator; expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluisse videatur?* Idem Verrina 7. *Qui vir fuerit, quot præsidia, quam munita pudoris & pudicitiæ, vi & audacia ceperit, quid me attinet dicere?* Lactantius Firmianus lib. 1. Inst. Div. *Parum enim videbatur, si in expugnanda feminarum pudicitia* (Juppiter) *maculosus esset, ac turpis, nisi etiam sexui suo injuriam faceret*. M. Seneca Præfat. lib. 1. Controvers. *Expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ*. Livius autem elegantissime lib. 3. Histor. *Hanc virginem adultam, forma excellentem, Appius amore ardens, pretio ac spe pellicere adortus; postquam omnia pudore septa animadverterat, ad crudelem superbamque vim animum convertit*. VULP.

v. 10. QUÆQUE TERUNT FASTUS, ICARIOTI, TUOS] Contundunt illam tuam superbiam in repellendis procis: minuunt & atterunt tuam gloriam, Penelope, quia te vincunt famâ pudicitiæ. ut Eleg. 11. sup. *Pyrrhi gloria fracta*. & Eleg. 18.

Vincit Penelopes Lælia Galla fidem.

Diogenes Cynicus apud Laërtium: Πατῶ τὸν Πλάτωνος τῦφον. cui Plato: ἑτέρῳ γε τύφῳ, Διόγενες. Plautus Curcul. *Meæ pugnæ prælsares ebritæ jacent*. Et Sticho: *Contundam facta Talthybii*. Hic valde errat Turnebus lib. 26. Adv. cap. 33. *Icarioti*, Penelope, Icarii filia. Ovidius in ejus Epistola:

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit.

unde & in Ibin, vocatur Icaris:

Et velut Icaridos famulæ periere, procique.

Vide Apollodoram lib. 3. & Hyginum Fab. 256. Hic patronymicum deduxit non ab Icarius, sed ab Icariotus. Ovidius lib. 3. ex Ponto Eleg. 1. *Icariotide tela*. PASS. Male Gebhardus: *Munera minuunt ac deterunt rigorem ac pertinaciam negandi cupidis conventoribus*. debebat dicere, Munera corrumpunt pudicissimas quoque matronas & quidem tales quæ castitatem Penelopes despicatui habent præ sua, ac pedibus quasi conculcant. notum illud Diogenis, *Calco Platonis fastum*. solet Noster verbis oti simplicibus loco compositorum: ita *terunt* hic valet obterunt, sive proterunt, i. e. vincunt, superant. - - - sequitur Noster eos qui castissimæ matronæ patrem *Icarium* vocabant, quod & Naso fecit Epist. Penel. aliis tamen *Icarus* audit; etiam nonnullis *Icadius*. Super tam varia nominis unius confusione videndus tibi est Dion. Salvagnius Comment. in Ibin v. 570. Bs. Turnebi explicationem improbat Passeratius, Gebhardi vero Broukhusius: mihi, liceat libere loqui, ipsorum interpretatio minus placet. Existimo ego, *terere fastus Penelopes*, nihil aliud esse, quam severitatem & supercilium Penelopes imitari, quo illa constanter procos fastidiebat, eorumque petulantiam superbe, ut ipsis quidem videbatur, repellebat. *Terere*

igitur

Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.

Nulla

igitur hoc loco est, eadem via incedere qua Penelope, in ejus vestigiis pedem ponere. Virgilius 1. Georg. *Angustum formica terens iter.* & Ovidius Epist. Leandri:

Jam patet attritae falsitarum limes aquarum.

Hoc scriptoribus alius est *ire per exemplum*, vel *per vestigia*. Ovidius lib. 3. A. A. v. 87.

Ite per exemplum, genus o mortale, dearum,
Gaudia nec cupidis vestra negate viris.

Seneca Consolat. ad Marciam cap. 14. *Quid nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam?* Idem Consolat. ad Polybium cap. 36. *Debes . . . . in quantum modo homini fas est, per divina ire vestigia.* Justinus lib. 19. Hist. cap. 1. *Mago Carthaginiensium imperator . . . . diem fungitur, relictis duobus filiis Hasdrubale & Hamilcare: qui per vestigia paternae virtutis decurrentes, sicuti generi, ita & virtuti patris successerunt.* Jacobus Mazzonius, vir admirabili doctrina, & ingenio praestantissimo (*nella Difesa di Dante lib. 2. cap. 24.*): *Fu la quinta opposizione fatta a Dante, che egli non avesse osservato il costume calpestato comunemente da' Comici di partire il suo poema in cinque parti. Calpestare il costume*, hic est *morem terere* quem secuti sunt Comici poetae, ac nemo non ipsorum religiose servavit. Eodem pacto locutus est etiam pag. 594. *Fastus.* Virgilius Ecl. 2. & Tibullus Eleg. 8. lib. 1. dixerunt *fastidia*. Noster Eleg. 7. lib. 1.

Tu cave nostra tuo contemnat carmina fastu.

& Eleg. 13. ejusd. libri:

Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus.
VULP.

V. 11. MATRONA INCEDIT CENSUS INDUTA NEPOTUM] Quam minus scilicet decet luxuria. quae dicatur matrona, adnotatum ad Eleg. 33. lib. 2. v. 5. vide & Ciceronem Topicis, & Boëthium in Topica. *Incedit*, in publicum prodit, ut gradiens segni gradu conspiciatur. nam incessus gravitatis est: ut dictum ad illud Eleg. 1. lib. 2. *Togis fulgentem incedere Cois. Census induta nepotum.* Sic Plautus Epid. 2, 2. *Quid istuc mirabile est? quasi non fundis exornatae multae incedant per vias.* Ibid. *Quid erat induta? Regillam.* ut hic *induta census.* Seneca lib. de Vita Beata cap. 17. *Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Ovidius lib. 3. A. A.

Quis furor est census corpore ferre suo?

& lib. Remed. Amor.

Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sui.

Plinius lib. 9. H. N. cap. 35. *Ut Lolliam Paullinam quadringenties H-S operta* (erant decies centena millia aureorum) *spectaretur ad lucernas. Census*, inquit Theophilus §. ult. Instit. de his qui sui vel al. jur. charta vel tabula, in qua Romani facultates suas conscribebant, ut belli tempore pro ratione patrimonii tributum conferre possent. Suidas ita vocari scribit a Romanis τὴν ἐξέτασιν ῥωμαϊκοῦ πλήθους, nempe recensionem & aestimationem Romanarum facultatum & copiarum. *Nepotum censu induta*, gerens fortunas omnes hominum luxo perditorum. *Nepotes*, inquit Festus, *luxuriosae vitae homines, quod non magis his rei suae familiaris cura est, quam iis quibus pater, avusque vivunt.* Lege Isidorum lib. 9. unde *discinctus nepos* Horatio Epod. 1. PASS. Mirum est quod scribit Plinius lib. 12. cap. 18. de luxu Romanorum sui temporis in ornandis feminis. *Arabiae*, inquit, *etiamnum felicius mare est; ex illo namque margaritas mittit. Minimaque computatione millies centena millia sestertiûm annis omnibus India, & Seres, peninsulaque illa imperio nostro adimunt. Tanto nobis deliciae, & feminae constant.* Quae somma paene incredibilis videtur. Excerpta nonnulla, quae falso tribuuntur Senecae: *Duc bene institutam, nec materuit inquinatam visiit: non cujus auriculis utrimque bina patrimonia dependeant.* Lege Tertullianum sub finem libri de Habitu Mulierum, & D. Cyprianum de Disciplina & Bono Pudicitiae ab illis verbis: *Quid inter fila flaminum delicata rigida facinus metalla?* Vide mihi omnino Mascardum in Arte Historica p. 55. & 56. Simile quodammodo est huic Propertiano illud Lucretii lib. 4.

Et bene parta patrum fiunt anadomata, mitrae. VULP.

V. 12. ET SPOLIA OPPROBRII NOSTRA PER ORA TRAHIT] Exuvias amantium tur-

piter

Nulla eſt poſcendi, nulla eſt reverentia dandi:
Aut ſi qua eſt, pretio tollitur ipſa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora ſuis rubra colorat equis.

Nam-

piter partas, & plenas dedecoris. ut ab Horatio dicitur, *Dedecorum pretioſue emtor*. Spolia ex hoſte, honeſta: de amico amante, turpia. Plautus Aſin. 1, 3. *Aliam orationem deſpoliato prædicas*. Idem Menæchm. 1, 3. *Quid hoc eſt? Induviæ tuæ, atque uxoris exuviæ*. vide Trucul. & Eleg. 16. lib. a. & Eleg. 5. lib. 4. *Trahit*, ob ſyrma, & veſtem longam. unde Homerus vocat *τρωάδας ἑλκεσιπέπλους*. Laberius de ariete, apud Tertullianum de Pallio: *Reciprocicornem, lanicutem, veſtitrahum*. *Trahis per ora*. Sic Juſtinus lib. 16. cap. 5. *Prælium deinde committitur; quo victor tyrannus captivos ſenatores in triumphi modum per ora civium trahit*. Ovidius lib. 4. Triſt. El. a.

Veheris
Purpureus populi rite per ora tui.

Albinovanus ad Liviam:

Pallida promiſſa flere per ora coma.

id eſt, ante. ut Virgilius: *Ante ora deûm, & ante ora parentum*. PASS. Livius quoque lib. a. Hiſt. *Veſtras conjuges, veſtros liberos traductos per ora hominum*. Graviter Salluſtius B. Jugurth. cap. 34. *Neque eos qui ea fecere, pudet, aut pœnitet: ſed incedunt per ora veſtra magnifici; ſacerdotia, & conſulatus, pars triumphos ſuos oſtentantes: perinde quaſi ea honori, non prædæ, habeant*. Affert hunc locum Servius ad 1. Æneid. Juvenalis Sat. 3. v. 240. dixit de homine locuplete lectica vecto:

Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret ſuper ora Liburna.

V. *Spolia opprobrii*. Pulcerrime hanc ob cauſſam Venus Ciceroni *ſpoliatrix* dicitur, Orat. pro M. Cœlio C. 21. *Tune aurum ex armario tuo promere auſa es? tune Venerem illam tuam ſpoliatricem ſpoliare ornamentis?* Clodiam adloquebatur, mulierem impudicam, & rapacem. Martialis L. 4. Epigr. 29.

Sic ſpoliatricem commendat faſtus amicam:
Janua nec juvenem ſemper aperta tenet. BR.

V. 13. NULLA EST POSCENDI, NULLA EST REVERENTIA DANDI] Nihil pudet, inquit, & meretrices procaces, ac rapaces, & nepotes amore perditos. Poſcunt meretrices, ut adnotat. ad Eleg. 23. lib. 2. v. 17. *Reverentia*, pudor & modus. vide adnotata ad Eleg. 30. lib. a. v. 33. Statius 1. Silv. in Cal. Decembr. *Libertas reverentiam remiſit*. unde Plautus: *Novo modo amas, ſi quid te pudet*. & immodeſtiam idem amantibus tribuit. Virgilius Ecl. 10.

Ecquis erit modus? inquit: amor non talia curat. PASS.

V. 14. AUT SI QUA EST, PRETIO TOLLITUR IPSA MORA] Redimenda eſt improba mulierum dilatio aliquo munere. nam ſolent promiſſis ducere amantes. Aut mora tollitur pretio. id eſt, ne amplius differat & fruſtretur, dandum, etſi non petet. Hic poſcere & morari conjungit, ut Eleg. 23. lib. a. v. 17. poſcere & differre. An legendum *Pretia mora*, ut dicat, dilationem improbam pro magno pretio eſſe: [ac ſi qua eſt dandi reverentia, eam differendo tolli?] Ovidius: *Grande moræ pretium*. Vide Proverbium: *Bis dat, qui cito dat*. & Senecam 1. de Benef. PASS. Commodius legas *iſta mora*. nam *poſcendi* & *dandi*, in verſu priore, qui ad munera referunt, haud quaquam faciunt cum ipſo Propertio. verba ſunt amoris. *iſta* erat in membranis Commelini. BROUKH.

V. 15. FELIX EOIS LEX FUNERIS UNA MARITIS] Quia ſcilicet fortunati ea lege. &, *felix*, eſt admirantis alienam fortunam, ut & mox v. 25. hujus Elegiæ. *Una lex*, an quia alias leges non habeant? an certa quædam? an eximia & ſingularis? ut Elegia 3. lib. a.

Gloria Romanis una es tu nata puellis.

Lex funeris. Sic apud Ciceronem a. de Legib. ſunt leges funerum; & 9. Philipp. edictum Ædilium curulium de funeribus. *Eois maritis*, orientalibus, Indis ſcilicet. ut Eleg. 15. lib. 1. *Eois lapillis*. Herodotus in Terpſichore idem fere narrat de uxoribus quorumdam Thracum. Diodorus Siculus lib. 19. hanc Indarum mulierum conſuetudinem copioſiſſime perſequitur. Cicero

Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum positis stat pia turba comis:

Et

cero 5. Tusc. *Mulieres vero in India, quum est cujusvis earum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt quam plurimum ille dilexerit: plures enim singulis solent esse nuptæ, quæ est victrix, ea læta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur: illa victa, mœsta discedit.* Plutarchus in libello quo differit, Ad infelicitatem fatis esse vitia: Ἰνδῶν δὲ φίλανδροι καὶ σώφρονες γυναῖκες, ὑπὲρ τοῦ πυρὸς ἐρίζουσι καὶ μάχονται πρὸς ἀλλήλας. τὴν δὲ νικήσασαν τεθνηκότι τῷ ἀνδρὶ συγκαταφλεγῆναι, μακαρίαν ᾄδουσιν αἱ λοιπαί. Adde Strabonem lib. 15. & Valerium Maximum lib. 2. cap. 1. Hunc & hodie illic durare morem narrant mercatores, ac nautæ Lusitani. PASS. Mirum, ex remotissima India petivisse, quod Thraces exemplum dare poterant, tanto viciniores. Mela L. 2. C. 2, *Ne feminis quidem segnis est animus, Super mortuorum virorum corpora interfici simulque sepeliri, votum eximium habent; & quia plures simul singulis nuptæ sunt, cujus id sit decus, apud judicaturos magno certamine affectant, Moribus datur, estque maxime lætum, quum in hoc contenditur, vincere.* eadem fere Herodotus L. 5. C. 5. BA. Simile exemplum fidei suppeditat Cæsar L. 3. de Bello Gallico cap. 22. de iis qui a Sotiatibus devoti appellabantur. Sapientes etiam Indorum, teste Cicerone Tusc. 5. (nempe Gymnosophistæ) *quum ad flammam se applicuissent, sine gemitu adurebantur.* Propterea doctissimus Leibnitius in Theodicæa p. 3. *Les femmes de ces mêmes Indiens, qui demandent encore aujourd'hui d'être brûlées avec les corps de leurs maris, semblent tenir encore quelque chose du courage de ces anciens philosophes de leur païs*, (des gymnosophistes.) VULP.

v. 16. QUOS AURORA SUIS RUBRA COLORAT AQUIS] De situ Indorum multa Appulejus lib. 1. Florid. *Indi*, inquit, *gens populosa cultoribus, & finibus maxima, procul a nobis ad Orientem siti, prope Oceani reflexus, & Solis exortus: primis sideribus, ultimis terris.* lege fis quæ sequuntur. *Aurora rubra*, ignea. ut Eleg. 10. sup. *Sole rubente.* Varro 6. de L. L. *Apud Attium*, inquit, *Jamque Auroram rutilare procul cerno. Aurora dicitur ante Solis ortum, eo quod ab igne Solis tum aureo aër aurescit. ergo quod ait Rutilare, est ab eodem colore.* aurei enim rutili. Virgilius 3. Æneid.

Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis.

unde *pudoricolor* Nævio apud A. Gallium lib. 19. cap. 7. *Colorat suis equis.* Tibullus Eleg. 3. lib. 2. nos docet quid sit *colorat*, quum ait:

Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.

Cicero 2. de Orat. *Quum in Sole ambulem, fieri natura ut colorer.* Hinc apud veterem Interpretem Persii in Sat. 4. *Chromatiarii dicuntur Colorarii; vel quia toto die in arena sunt, vel in Sole.* Vet. Gloss. *Colorator*, Ἰνδικοπλεύστης. *Colorator*, στιλβωτής. *Coloratus*, στίλβιος. Itaque Indi colorati Virgilio 4. Georg. & Albinovano in Obitum Mæcenatis. De Æthiopibus & Indis, an a Sole, an ab aquis fuscentur, vide Strabonem lib. 12. Noster Eleg. 3. lib. 4.

Ustus & Eoa decolor Indus aqua.

De equis Auroræ dictum ab Eleg. 18. lib. 2. v. 10. Adde quod Pegasus Auroram vehat apud Lycophronem. citat Scaliger in Catullum. PASI.

v. 17. NAMQUE UBI MORTIFERO JACTA EST FAX ULTIMA LECTO] Simul ac ferali lecto subjecta, subdita, supposita fax est. ut Eleg. 13. lib. 2. *Ubi suppositus cinerem me fecerit ardor, Fax ultima*, quia quidquid ad mortem pertinet, ultimum & extremum vocat. ut Eleg. 17. lib. 1.

Ultimus & posito staret amore lapis.

Ovidius pariter 4. Fast.

Ultima plorato est subdita flamma rogo.

De ea face ipse Propertius Eleg. ult. lib. 4.

Sic mœstæ cecinere tubæ, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

& Virgilius 6. Æneid. *Subjectam more parentum Aversi tenuere facem. Lecto mortifero*, quo mors nixa, id est, cadaver. Eleg. 13. lib. 2.

Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Virgilius lib. 6. Æneid. *Tum membra toro defleta reponunt.* Legendus Statius 6. Thebaid. PASS.

v. 18. UXORUM FUSIS STAT PIA TURBA CO-

Et certamen habent leti, quæ viva ſequatur
Conjugium: pudor eſt, non licuiſſe mori.
Gaudent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponuntque ſuis ora peruſta viris.

Hic

COMIS] Turba, inquit, quia plures uni ſolent eſſe nuptæ. vide Val. Maximum lib. 2. cap. 1. *Pia*, ut mox, *pia Penelope*. & pietas, pro fide adverſus maritum. *Stat*, adſtat, præſto eſt ante rogum. *Fuſis comis*, ſolutis crinibus, ut in luctu. vide adnotata ad Eleg. 13. lib. 2. v. 56. PASS. Groninganus, *Uxorum poſitis*. optime. nam in luctu radi ac tonderi in more ſolemni apud Orientis populos. Curtius L. 10. C. 5. *Perſæ comis ſuo more detonſis, in lugubri veſte, cum conjugibus ac liberis, non ut victorem & modo hoſtem, ſed ut gentis ſuæ juſtiſſimum regem vero deſiderio lugebant*. vide Suetonium Calig. C. 5. inde vetitum Judæis, ne ſcilicet imitarentur Phœnicas, & gentes circum vicinas, Deuteron. C. 14. v. 1. *Non vos incidetis, nec facietis calvitium ſuper mortuo*. BROUKH.

v. 19. ET CERTAMEN HABENT LETI, QUÆ VIVA SEQUATUR CONJUGIUM: PUDOR EST, NON LICUISSE MORI] Contendunt inter ſe de morte ipſa. eſt illis inter ſe certamen. *Certamen habere*, ut litem habere & quæſtionem. Ovidius 13. Metam. *Operum nudum certamen habetur*. Certamen leti, ut judicium capitis, vel pecuniæ. Lipſius lib. 2. Antiqu. Lect. cap. 10. legit *læta*. *Quæ viva ſequatur*; modo ne liberos habeat, aut gravida ſit: Diodorus lib. 19. *Sequatur Conjugium*. Sic Virgilius 12. Æn. *Fratri comes ire ſub umbras*. & Horatius lib. 2. Ode 17. *Ibimus, ibimus Utcumque præcedes, ſupremum Carpere iter comites parati*. Eſt vero verbum ſolenne funeris. Servius in 3. Æneid. *Vale, nos te ordine, quo natura permiſerit, cuncti ſequemur*. *Viva ſequatur*; nam ei vivæ ac videnti funus ducitur, & viva videnſque perit. Sic Appulejana Pſyche ſuis pedibus it ad Orcum, elata conjugis per ignea. *Conjugium*, conjugem. Turnebus lib. 27. Adv. cap. 11. Catullus Carm. 67. de Laodamia: *Ereptum eſt vita dulcius atque anima Conjugium*. Sic *Remigium*, pro remiges; *præconium*, pro præconem, dixerunt Horatius, & Livius. *Pudor eſt*, eas pudet, iis turpe videtur. Donatus in Andriam: *Pudor eſt mali facti: verecundia recti & honeſti*. Diodorus lib. 19. ſcribit, victam quamdam in eo judicio, quod uterum ferret, cum ejulatu diſceſſiſſe, capitis ornatum dilaniantem, & crines evellentem. *Non licuiſſe m.* per judices ejus controverſiæ, qui eam laudem uni alteri addixerunt. Alioqui mori licet, ut apud Suetonium jocatur Patronus in Claudio: *Mortuus eſt, credo, licuit*. PASS.

v. 21. ARDENT VICTRICES, ET FLAMMÆ PECTORA PRÆBENT] Id eſt, quas judices marito cariores fuiſſe pronuntiarunt. pro *Ardent*, an legendum *Gaudent?* Cicero 5. Tuſc. *Quæ victrix eſt, ea læta, proſequentibus ſuis, una cum viro in rogum imponitur*. *Præbent pectora*, ultro offerunt ignibus cremanda. Seneca Medea: *Vivus ardenti recubans in Oeta Præbuit ſævis ſua membra flammis*. Sic Cicero pro Sex. Roſcio, *Præbere os alicui*, & alibi, *Præbere cervices*. bene *pectora*, quia adverſi componebantur: nempe uxor cum mariti cadavere. PASS. *Ardent victrices*. ita omnes libri. ſed Henricus Stephanus L. 5. Schediaſm. C. 10, & poſt eum Jo. Paſſeratius, malebant *Gaudent victrices*. & ſane poteſt ut olim extrita initiali litera G, vel etiam omiſſa, remanſerit *Audent*; quod deinde tranſierit in *Ardent*. Verba Tullii favent L. 5. Tuſc. Quæſt. C. 27. itemque Valerii Maximi L. 2. C. 6. Valerius pendet a Cicerone, iiſdem pæne verbis: qui minus id Noſter fecerit, Ciceronis tot locis ſtudioſus imitator? - - - - - Favet quoque Diodorus Siculus lib. 19. BROUKH.

v. 22. IMPONUNTQUE SUIS ORA PERUSTA VIRIS] Sic Ovidius 12. Metam.

Oraque ad ora
Admovet, atque animæ fugienti obſiſtere tentat.

Nam ut pectora pectoribus, ſic oribus ora admovent. Virgilius 8. Æneid.

Componunt manibuſque manus, atque oribus ora.

Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
  Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus,
  Divitiæ quorum messis, & arbor erant.
Illis pompa fuit decussa cydonia ramo,
  Et dare puniceis plena canistra rubis:

Nunc

Perusta ora, valde & penitus usta, & absumta flammis. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus. Pass.

v. 23. Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella Nec fida Evadne, nec pia Penelope] Apud nos Romæ, quia *Luxuria Roma magistra sua.* *Infidum genus*, ut Tibulli Eleg. 4. lib. 3.

Ah crudele genus, nec fidum femina nomen.

Genus nuptarum, ut genus hominum, luporum & canum. Ovidius 1. Fast. de avibus:

Assuetum silvis, innocuumque genus.

& 3. Fast.

Græcia facundum, sed male forte genus.

Pro, *hic*; veteres libri habent *hinc*; ut Eleg. 29. lib. 2. v. ult. *Ex illo* &c. *Nulla puella nec.* duæ negationes pro una. ut Eleg. 19. lib. 1.

Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras.

Nec fida Evadne, nec pia Penelope. *Fida*, ut Eleg. prox. sup.

Et quisquis fido prætulit arma toro.

De Evadnes uxoris Capanei pudicitia Eleg. 15. lib. 1.

Conjugis Evadne miseros elata per ignes.

Pia Penelope, fidelis. Ovidius 3. A. A.

Est pia Penelope lustris errante duobus,
  Et totidem lustris bella gerente viro.

Plautus Amphitr. 5, 1. *Piam & pudicam esse uxorem ut scias.* Pass. Editio princeps omnium: *Hoc genus infidum.* Vulp.

v. 25. Felix agrestum quondam pacata juventus] Felices silvicolæ juvenes amantes; nam *silvicolas* mox appellabit. Virgilius 1. Georg.

Et vos agrestum præsentia numina Fauni.

Juventus, cujus amare proprium est. ut Eleg. 3. lib. 2.

Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?

Pacata, in pace & otio degens. Ovidius 1. Metam. de aureo sæculo:

Sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes. Pass.

v. 26. Divitiæ quorum messis, et arbor erant] Opes illæ proprie quas Ops fundit. id est, terra. Virgilius 2. Georg.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum justissima Tellus.

Inde laus & gloria vocata est *adorea*, quod gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret. Ergo illis veræ divitiæ fruges, & fructus, non aurum, gemmæ, purpura. Seneca Hippolyto: *Silva nativas opes, Opaca dederant antra nativas domos.* Juvenalis Sat. 13.

Licet ipse videret
Plura domi fraga & majores glandis acervos.

(quæ divitiæ veterum.) *Arbor*, pro pomis. metonymia; ut *Jovem* pro Capitolio dixit Eleg. 4. lib. 4. *Arboreis fœtus*, Virgilius. Pass.

v. 27. Illis pompa fuit decussa cydonia ramo, Et dare puniceis plena canistra rubis] Translatum a ludorum, sacrorum & triumphorum vel funerum ferculis, quæ in pompa cum specie magna feruntur. de quibus Eleg. 13. lib. 2.

Nec mea tunc longâ spatietur imagine pompa.

& eadem Elegia;

Sat sit magna mei si tres sint pompa libelli,
  Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

ubi & pompam & dona dixit. Apud Plautum Curcul. 1, 1. pompa vocatur sinus vini, & cereus, qui fertur ad amicæ fores. *Pompa*, πομπὴ, παρὰ τὸ πέμπειν, a mittendo. *Decussa*, quatiendo arborem dejecta, vel pertica feriendo. Sic *Papaverum capita summa baculo decussere*, Livius lib. 1. Sic Virgilius 1. Georg. & Horatius Epodo 13. de vento dixerunt: *Silvis honorem*

decu-

Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
Lilia virgineos lucida per calathos:

Et

decutere. Poma vero aut matura decidunt, aut leguntur & avelluntur, aut decutiuntur pertica, aut concussâ arbore excutiuntur; ut apud Virgilium 1. Georg.

Concussaque famem in silvis solabere quercu.

Cydonia, quæ Cato *cotonea* vocat, Galli, *coings*, & *coingnasses*; de quibus Plinius lib. 15. cap. 11. Serenus Samonicus:

Aut quæ poma Cydon Cretæis misit ab oris.

quorum e genere *chrysomela* dicata amoribus. Virgilius Ecl. 2.

Ipse ego cana legam tenerâ lanugine mala.

& Ecl. 3. *Aurea mala decem misi*. *Canistra*, vasa viminea, de quibus Eleg. 8. lib. 4.

Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.

Deducit Varro 4. de L. L. a Græco κάνεον. Festus: *Cana dicunt Græci, nos canistra, & per diminutionem canistella*. Isidorus lib. 20. cap. 9. *Canistrum fissis cannis contexitur, unde & nuncupatur: alii Græcum afferunt*. *Rubis*, idest, moris, quæ rubi ferunt; ut sup. *arbor*, pro arboreo fœtu. sic Lucretius lib. 5. *Arbuta*, pro ipso fructu posuit, & puniceum colorem illis tribuit:

Quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta puniceo fieri matura colore.

ut videatur hic Propertius rubos posuisse pro arbutis. Idem Lucretius de munusculis amorum:

Vel pretium glandes, atque arbuta, vel pyra lecta.

Ovidius 1. Metam.

Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis.

Si legitur, *Rosis puniceis*, sic Horatius Ode 10. lib. 4. *Color puniceæ flore prior rosæ*. PASS. *Illis pompa fuit*. Munerum pompam intelligit, de qua Tibullus aperte Eleg. 1. lib. 2.

Et vaga nunc certâ discurrunt undique pompâ
Perque vias urbis munera, perque domos.

Cydonia. Ovidius 3. A. A. v. 705.

Quaque suos curvant matura cydonia ramos.

De pomorum lenocinio Longus lib. 3. ποιμενικῶν: Μηδὲ κατέχειν οἴκοι πρὸς πλεῖον τηλικαύτην κόρην, ἢ τάχα μικρὸν ὕστερον νέμουσα τὴν παρθενίαν ἀπολέσει, ἢ ἄνδρα ποιήσεταί τινα τῶν ποιμένων ἐπὶ μήλοις ἢ ῥόδοις. *Non esse consultum, tam grandem puellam diu detinere domi, quæ forsan paullo post inter pascendum virginitatem suam perditura sit, alicui pastorum, acceptis malis rosisque, nuptura*. Editio princeps, pro *Illis pompa fuit*, habet *Illic munus erant*: & cum ea faciunt plures codd. mss. VULP.

v. 29. NUNC VIOLAS TONDERE MANU, NUNC MISTA REFERRE LILIA VIRGINEOS LUCIDA PER CALATHOS] Id est, manu decerpere, non forcipe & ferro. ut Eleg. 20. lib. 1.

Lilia decerpens tenero pueriliter ungui.

[Et Catullus Carm. 61. *Flos tenui ungui carptus*.] *Tondere*, ut Virgilius 4. Georg.

Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi.

Violas autem maxime luteas pro munusculis amantes legebant. *Pallentes* vocat Virgilius; *pallorem vero tinctum viola* Horatius. *Referre*, domum scilicet; vel τὸ re abundat. ut Eleg. 6. lib. 1.

Et vetera oblitis jura refer sociis.

Sic *retinere* & *renuntiare*, pro, tenere & nuntiare. *Lilia mista*; ut Virgilius 12. Æneid. *Mista rubent ubi lilia multâ Alba rosâ*. *Lucida per calathos*, in calathis pellucentia ob viminea intervalla. vel candicantia, ut *lucida ovis* Tibullo Eleg. 1. lib. 2. & *lucida concha* Eleg. 4. lib. 2. *Per*, pro inter, a trovers. Virgilius: *Vidisse putat per nubila Phœbum*. Martialis Epigr. 67. lib. 8.

Femineum lucet sic per bombycina corpus.

Calathos virgineos, puellares, ut Eleg. 8. lib. 4. *Virginis in manibus canistra*. Aliis placet, *Vimineos*. ut in Virgilii Copa:

Lilia vimineis attulit in calathis.

Sed alii libri, *Virgatos*. ut apud Catullum Carm. 63. *Virgati calathisci*. Virgatum quod Græci ῥαβδωτόν. Calathi Græce, Latine quasilli. Festus: proprie ubi κάλλη, id est, tinctas lanas reponebant. Sed & flores, ut hic. ita Eleg. 2. lib. 4. *Sirpiculis ferre rosam*. PASS. Palmerius conjiciebat *vimineos*. non inepte. Junius Columella L. 10. ---- *Cano jam vimine textum*

Sirpiculum ferrugineis cumulare hyacinthis.

Cur autem mutes vulgatam? vide Moschi Europam. BROUKH. *Lucida*. fortasse, rore nocturno madentia. VULP.

v. 31.

Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumæ versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
Oscula silvicolis emta dedere viris.
Hinulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro.

v. 31. ET PORTARE SUIS VESTITAS FRONDIBUS UVAS] Tectas adhuc pampinis, quibus a Solis, & cæli injuria uvæ muniuntur. Virgilius 1. Georg.

Heu male tum mites defendit pampinus uvas.

Cicero in Catone (vitis) *vestita pampinis, nec modica tepore caret, & nimios Solis defugit ardores*. Idem 2. de Nat. Deor. *Vestita terra floribus*. Uvæ autem in amatoriis muneribus. Polyphemus apud Ovidium lib. 13. Metam.

Sunt auro similes longis in vitibus uvæ;
Sunt & purpureæ: tibi & has servamus & illas.

Portare, ut supra, *Referre*. Virgilius 10. Æneid. *Hæc sibi porta Dona*. PASS.

v. 32. AUT VARIAM PLUMÆ VERSICOLORIS AVEM] Perdicem interpretantur. Eleg. 7. sup.

Effultum pluma versicolore caput.

Variam, varii coloris. ut Eleg. 14. lib. 1. *Variis serica textilibus*. Sic Ovidius 5. Fast. *Variæ conticuistis aves*. Ejusmodi aves καταγράφους Græci vocant. Athenæus lib. 2. Aves etiam, in amatoriis muneribus. Plautus. PASS. In quatuor libris *pluricoloris* legitur. BROUKH. Huc pertinet illud Lucretii lib. 1. v. 584.

Usque adeo, variæ volucres ut in ordine cunctæ
Ostendant maculas generales corpori inesse.

Ovidius quoque Epist. Sapphûs v. 37.

Et variis albæ junguntur sæpe columbæ.

Cicero 2. de Finib. non procul ab initio: *Varietas Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur, sed transfertur in multa disparia*. Virgilius 1. Georg. v. 441. de Sole:

Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum.

Et Noster Eleg. 2. lib. 4.

Prima mihi variat liventibus uva racemis.

Fortasse autem *avis versicolor* fuerit hic pica garrula. Petronius in Satyr. *Pica varia intrantes salutabat*. VULP.

v. 33. HIS TUM BLANDITIIS FURTIVA PER ANTRA PUELLÆ OSCULA SILVICOLIS EMTA DEDERE VIRIS] Id est, blandis muneribus: nam blanditiæ vel sunt verborum, vel rerum. vide adnotata ad Eleg. 9. lib. 1. *Per antra* dixit, quia, ut ait Ovidius 1. Metam. *Domus antra fuerunt*. & Juvenalis Sat. 6. *Quum frigida parvas Præberet spelunca domos*. *Furtiva antra*, furtis & amoribus convenientia. Sic *Venus furtiva* Tibullo, quem *amorem subreptitium* vocat Plautus Curcul. *Puellæ*, illæ agrestes aurei sæculi. *Dedere oscula emta*, non auro, gemmis, & purpura; sed pomis. ut Eleg. ult. lib. 2.

Felix qui viles pomis mercaris amores.

Quod hic *antra* & *silvicolas*, Lucretius l. 5. hac de re:

Sed nemora, atque cavos montes, silvasque colebant.
Et Venus in silvis jungebat corpora amantum.

unde *silvicolæ*. Nævius apud Macrobium: *Silvicolæ homines, bellique inertes*. *Silvicolas* supra vocavit *agrestes* v. 25. *Viris*, amatoribus. ut Eleg. 6. lib. 1. *Multis facta beata viris*. PASS. τὸ *furtiva* aptius conjungetur cum *oscula*. VULP.

v. 35. ATQUE INULI PELLIS TOTOS OPERIBAT AMANTES] Scaliger delet τὸ *Atque*, & legit *Hinnulei pellis*. ut apud Horatium Ode 23. lib. 1. *Vitas hinnuleo me similis, Chloë*. Varro tamen lib. 8. de L. L. Ex equo & asino hinnuli. sed in libris de R. R. dicuntur hinni. Hinnuli autem, sive hinnulei, sunt damarum, cervorum & caprearum fœtus. *Un faon*, Græce νέβρος. unde νεβρὶς, tegmen Baccharum. Hic *n* exteritur, ut in Vet. Gloss. *Enulum*, νέβρον. *e*, pro, *i*. *Pellis totos operibat*. Pelliti, inquit, erant illi prisci, ut & Romani.

Pinus & incumbens latas circumdabat umbras,
Nec fuerat nudas pœna videre deas.

Corni-

mani. vide Eleg. 1. lib. 4. Ovidius 2. Metam. ad Apollinem:

Illud erat tempus quo te pastoris pellis Texit.

& de Getis lib. 5. Trist. Eleg. 7.

Pellibus, & laxis arcent mala frigora braccis.

Lucretius tamen contra lib. 5. de priscis illis:

Necdum res igni scibant tractare, nec uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

Totos amantes, an caput, humeros, manus, & pedes? an utrosque quam jacebant una? Prior verior. Sic Virgilius 8. Æn.

Quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.

de equo. *Operibat*, amiciebat, tegebat. ut Eleg. 2. lib. 2. *Pectus operta comis*. PASS. In membranis illis Horatii Grævianis legitur L. 1. Od. 23.

Vitat inuleo me similis Cloë.

addunt Glossæ: *inuleus, annicolus cervus*. Agrœtius autem legi jubet *hinnuleus*. in scriptis fere est *Atque inuli pellis*. quæ vox nihili multos decepit literis primulum renascentibus. multorum instar esto nobilissimus poeta Hercules Strozza:

Addit equos, patriaque insignes arte catejas,
Scutaque, & auratis sinuosum cornibus arcum,
Tum gravidam telis inuli de pelle pharetram.

BROUKH.

Operibat, pro operiebat. Ita Catullus dicere non dubitavit, *custodibant*, *scibant*, *audibant*. VULP.

v. 36. ALTAQUE NATIVO CREVERAT HERBA TORO] Procera surrexerat in usum tori. *Nativus torus*. ita natura factus, non manu & arte. ut Eleg. 2. lib. 1. *Nativis capillis*. Ovidius 3. Metam. vim verbi explicat:

Simulaverat artem
Ingenio natura suo: nam pumice vivo,
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.

Toro & *herba*, aperit etymon tori. Servius ad illud 5. Æneid.

Proximus ut viridante toro consederat herba;

Verbum de verbo, inquit, *nam torus ab herbis tortis dictus*. quod Varro tradiderat lib. 1. de Vita Pop. Rom. apud Nonium in *Torol*. Sic lecti a collectis foliis ad cubitandum, inquit Festus. Et eo respexit Virgilius Ecl. 1. *Requiescere noctem Fronde super viridi*. PASS. *Alta herba*. Virgilius 4. Georg. v. 458.

Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba. V.

v. 37. PINUS AT INCUMBENS LATAS CIRCUMDABAT UMBRAS] Imminens jacentibus. ut Horatius Ode 22. lib. 3. *Imminens villæ tua pinus esto*. unde Noster Eleg. ult. lib. 2. *Subter pineta Galesi*. Metuenda tamen poma Cybeles jacentibus. [vide Martialem lib. 13. Epigr. 25.] *Latas umbras*, ob patulos ramos, & longe diffusos. An *lætas*, id est, gratas aspectu, & simul luxuriantes? ut lætæ segetes Virgilio 1. Georg. & alibi: *Lætis in herbis*. *Lucus lætissimus umbra*. *Læta palmite*. Alii libri, *lentas*, ut *lentum vimen*. & *lentus in umbra*. PASS. Nihil est mutandum: amamus enim in arbore umbram latam, patulam, ac spatiosam. infra L. 4. Eleg. 10.

Populus & longis ornabat frondibus ædem.

Ovidius Remed. Amor.

Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras.

Pulcre Plinius Cæcilius L. 1. Epist. 20. *Vides ut statuas, signa, picturas, hominum denique, multorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decoræ, nihil magis quam amplitudo commendet*. nec vero sine caussa noster poeta amantibus dedit pinum, quippe quæ ipsa, puella quum foret, propter amorem in pinum arborem est mutata. vide notam ad L. 1. Eleg. 18. v. 20. BROUKH.

v. 38. NEC FUERAT NUDAS PŒNA VIDERE DEAS] Pro, erat. ut Eleg. 29. lib. 2. *Sed nudi fuerant*. Noster ipse hac de re Eleg. 10. lib. 4.

Magno Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.

vide Festum in *Obstitum* & in *Lymphæ*, de iis qui furore corripiuntur, quod speciem Nymphæ in fonte viderint. & nota est fabula Actæonis in cervum mutati, quod Dianam vidisset nudam. Ovidius 4. Fast.

Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ.

Nam, ut Petronius ait: *Neque enim quisquam impune, quod non licet aspexit.* Vide Calli-

machi

Corniger Idæi vacuam paſtoris in aulam
Dux aries ſaturas ipſe reduxit oves.
Diique, deæque omnes, quibus eſt tutela per agros,
Præbebant verſis verba ſecunda focis.

Et

machi λιτρῃ. Catullus Carm. 63. de felici illo & innocenti ſeculo:

Illaque hautque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudata corpore Nymphas,

Item:

Præſentes namque ante domos inviſere caſtas
Sæpius, & ſe ſe mortali oſtendere cœtu
Cælicolæ nondum ſpreta pietate ſolebant.

Vide Athenæum lib. 8. cap. 13. Lipſius lib. 2. Antiqu. Lect. cap. 10. legit: *Et fuerat undas pene videre deos*. ſed non perſuadet. PASS.

v. 39. CORNIGER IDÆI VACUAM PASTORIS IN AULAM DUX ARIES SATURAS IPSE REDUXIT OVES] Alteram lectionem, *Cornigerique dei*, ſic Palmerius explicat: *Et in ipſius Panos antro* (is eſt deus corniger) *greges ſtabulabantur. Sive autem paſtorem deum, ſive paſtoris oves accipias, nihil intereſt*. Hæc ille: ſed hæc lectio, *Corniger Idæi*, recta eſt. nam corniger aries; & Idæus paſtor, Paris. Sic *corniger Hammon* dicitur, arietis ſpecie; & Lucretii lib. 2. *Hædi Corrnigerar norunt matrer*. & lib. 3. *Corrnigeri incurſum cervi*. τὸ, *Paſtoris*, eſt iterandum, & *aulam paſtoris*, & *vacuam paſtoris*; id eſt, quæ ſine paſtore erat, quia Paris agnitus jam a ſuis, vel amori dabat ludum cum Oenone. Sic Virgilius 4. Georg. de rege apum: *Vacua melior ſine regnet in aula*. Nonnulli aulam Dei cornigeri, fanum & antrum Panos exponunt. *Aula*, inquit Iſidorus lib. 3. cap. 15. *domus regia, ſive ſpecioſum habitaculum, porticibuſque quatuor concluſum*. αὐλὴ Græcis proprie prima pars ædium. Vet. Gloſſ. αὐλὴ, *atrium*. & *Stabulum*, αὐλὴ τῶν προβάτων. αὔλιον eſt Theocrito. citat hic Scaliger. *Dux ipſe aries*. Ovidius 5. Metam.

Duxque gregis, dixit, fit Juppiter, unde recurvis
Nunc quoque formatus Libs eſt cum cornibus Hammon.

Ipſe, αὐτοματικῶς. ut Virgilius Ecl. 3. *Ipſe aries etiamnum vellera ſiccat*. & Ecl. 4. *Ipſe ſed in pratis aries*, & Ecl. 7. *Vir gregis ipſe caper deerraverat*. Et *Ipſe*, ſponte ſua, ſine paſtore. Virgilius 4. Ecloga:

Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera.

Reduxit, domum ſcilicet a paſtu. Id proprie dicitur, redigere, apud Ovidium. *Oves ſaturas*; *paſtas* dixit Horatius Epodo 2. Sic Virgilius 8. Æneid. *Quum jam ſtabulis ſaturata moveret Amphitryoniades armenta*. P. *Corniger Idæi*. Hæc tam bella lectio Antonio Volſco debetur, quem laude ſua fraudare injurium fuerit. Libri omnes, *Corniger atque dei*, nullo commodo ſenſu. BR. *Paſtoris in aulam*. in ovile ſcilicet. Horatius quoque lib. 1. Epiſt. 2.

Venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in ſilvis catulus.

in aula, in ſtabulo videlicet. Gratius Cynegst. v. 167. de catulo in oves irruente, ac eas depaſcente:

Sed præcept virtus ipſa venabitur aula.

ad quem locum vide Jani Ulitii Commentarium. ὡς ὄϊες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ Μυρίαι ἑστήκασιν, dixit Homerus Iliad. 4. v. 433. αὐλὴ προβάτων eſt etiam in Evangelio Joannis cap. 10. De cavea ferarum lignea, vel ferrea, & auro illita hoc vocabulum uſurpavit Petronius Satyr.

Premit alvens claſſes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula.

VULP.

v. 41. DIIQUE, DEÆQUE OMNES, QUIBUS EST TUTELA PER AGROS] Quorum in fide ſunt agri. qui agros, & agreſtes tuentur. Sic Virgilius 1. Georg.

Diique, deæque omnes, ſtudium quibus arva tueri.

Quibus, pro, quorum. dativus pro genitivo. ut Eleg. 22. infra:

Nec cuiquam abſentes arſerunt in caput ignes.

Tutela, vis ac poteſtas ad aliquem tuendum, ut Juriſconſulti definiunt, in capite libero. Horatius Ode 14. lib. 4. *O tutela præſens Italiæ, dominæque Romæ*. & *Tutela*

navium,

Et leporem quicumque venis venaberis, hoſpes,
  Et ſi forte meo tramite quæris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato:
  Sive petas calamo præmia, ſive cane.

navium, dii tutelares. & *Tutilina*, dea: deuſque *Tutanus*; Varro apud Nonium. Noſter Eleg. 4. lib. 4. *Veſta Iliacæ felix tutela favillæ*, & Eleg. 8.

Lanuvium antiqui vetus eſt tutela draconis. P.

v. 42. PRÆBEBANT VESTRIS VERBA BENIGNA FOCIS] Dii, inquit, olim ſe conſpiciendos oſtendebant etiam nudos, ut Pallas Achilli, Venus Æneæ, & mortales dignabantur alloquio. *Præbere verba*, pro affari. ut Virgilius ubique, *Dare dicta*. (nam dare verba aliud eſt.) Sic Plautus Aſin. 1, 3. *Longe aliam præbes orationem atque olim*. Ibid. *Alia verba præbibeas*. *Verba benigna*, ut Eleg. 10. lib. 1.

Nec tibi pro vana verba benigna cadant.

Veſtris focis, in veſtris focis, o agreſtes. id eſt, aris & fanis, quæ diis exſtruxiſtis, dii præſentes vos alloquebantur. An in veſtris caſulis & antris? Lego, *veſcis*, id eſt, parvis & exiguis. Feſtus & A. Gellius lib. 16. cap. 5. Tibullus Elegia 10. lib. 1.

Stabat in exigua ligneus æde deus.

Scaliger legit *Verſis*, a verrendo. Pro *focis*, an legendum *jocis*, id eſt, ludicris? PASS. Noſter ſecundus, cum Regiis & Colbertinis, *verba benigna*. quod videtur gloſſema marginale τῷ *ſecunda*. *Verſis focis*. verrere focum ad religionem pertinebat. Cato de R. R. C. 143. *Munda* (villica) *ſiet*, *villam converſam mundamque habeat*. *Focum purum circumverſum quotidie*, *priuſquam cubitum eat*, *habeat*. nam in foco Lares. de ipſo verbo Servius ad L. 1. Æn. v. 63. *Verrere eſt trahere*, *a rete quod everriculum dicitur*. *eſt autem principalitas verbi verro verris*, *præteritum verſi: unde eſt participium verſus*. Sequentem porro Noſtri locum de Pane e Græco Leonidæ Tarentini expreſſum eſſe, obſervavit Salmaſius Exercit. Plinian. p. 765. edit. ult. ubi & Græcum epigramma, antea ineditum, & Latinam Salmaſii verſionem videre debes. BROUKH. *Verſis focis*. Huc pertinere poſſunt etiam verba Ciceronis ex Orat. 4. in Verrem: *O Verrea præclara*, inquit, *quoquam ſi acceſſiſti*, *quæ non attuleris tecum iſtum diem! etenim*, *quam tu domum*, *quam urbem adiiſti*, *quod fanum denique*, *quod non everſum*, *atque exterſum reliqueris? quare appellentur ſane iſta Verrea*, *quæ non ex nomine*, *ſed ex manibus*, *naturaque tua conſtituta eſſe videantur*. Aliud eſt Eleg. 1. lib. 2.

Everſoſque focos antiquæ gentis Etruſcæ.
VULP.

v. 43. ET LEPOREM QUICUMQUE VENIS VENABERIS, HOSPES, ET SI FORTE MEO TRAMITE QUÆRIS AVEM] Verba Fauni aucupii præſidis, Eleg. 2. lib. 4. v. 34. *Quicumque venis*, vel quicumque es, vel accedis huc. *Hoſpes:* ſic ignotos & peregrinos compellabant. ut Eleg. 1. & 9. lib. 4. *Venaberis leporem*, cane ſcilicet, Sic canis vertagus. Martialis lib. 14. lemmate 200.

Non ſibi, *ſed domino venatur vertagus acer*,
  Illæſum leporem qui tibi dente feret.

Leporem vero & avem conjunxit, de venatione & aucupio. quaſi diceret, Sive venator es, ſive auceps. ut Horatius Epodo 2. *Pavidumque leporem*, *& advenam laqueo gruem Jucunda captat præmia*. *Lepus*, quaſi levipes: Fabius lib. 1. Inſtit. Orat. cap. 10. *Meo tramite*, via, regione, ſilva cui præſideo: ut Eleg. 22. infra: *Clitumnus ab Umbro Tramite*. quia id flumen e ſilva oritur. Varro 6. de L. L. *Trames*, *a tranſverſa*. Iſidorus lib. 5. cap. ult. *Tramites*, *tranſverſa in agris itinera*, *ſive recta via; dicti quod tranſmittant*. ego dictos puto a trameando. PASS. *Et leporem q. v. v. h.* μίμησις Panos, ruſticum hominem & probum alloquentis. VULP.

v. 45. ET ME PANA TIBI COMITEM DE RUPE VOCATO, SIVE PETAS CALAMO PRÆMIA, SIVE CANE] Verba Panos benigne alloquentis agreſtes, ſuique copiam facientis, ut deo comite venatio, vel aucupium ſuccedat. *Comes* dicitur etiam inferioris, ut Eleg. 2. ſup. *At Muſæ comites*. Gratius de Venatione, ubi deos ejus præſides invocat, ſcribit: *Latii Faunus qui cultor amœni*. *De*

At nunc desertis cessant sacraria lucis.
Aurum omnes victa jam pietate colunt.

Auro

rupe, ambigue. nam incertum, an ipse Pan in rupe & monte, an venator de rupe vocaturus sit, ut longius exaudiatur. Caprarii maxime rupibus proximi. Virgilius Ecl. 1. ad capellas:

Non ego vos posthac viridi projectus in antro
Dumoso pendere procul de rupe videbo.

S. p. *calamo p. s. cane*. Sic Ovidius in Remed. Amor.

Lenius est studium, studium tamen, alite capto,
Aut lino, aut calamis præmia parva sequi.

quod lib. 1. A. A.

Decidit in casses præda petita meos.

vide adnotata ad El. 4. l. 2. v. 15. *Calamo*, ambigue, vel de aucupio, vel de piscatu. Noster El. 19. l. 2. *Structo figere avem calamo*, & El. 2. l. 4. *Suppetat hoc, pisces calamo prædabor*. Glossarium: *Amites*, ςάλικες, ἰξευτικοὶ κάλαμοι. aucupatorii calami. ad τὸ *calamo* refer ergo τὸ *avem*: ad *cane*, *leporem*. unde κυνηγεσία dicitur Græcis venatio, quæ fit per canes. De Panos canibus Callimachus Hymno Dianæ v. 90. & seq. PASS. *Petas calamo p. petes* est in sex libris, & duobus Gebhardi. ego malim *petis*. de *calamo* dixi ad 2, 15, 24. BROUKH. *Petes*, etiam editio princeps. *Præmia petere*, est prædari. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.

inde *præmiari*, & *præmiatores*. VULP.

v. 47. AT NUNC DESERTIS CESSANT SACRARIA LUCIS] Cessat, quod non colitur. *Cessans novales*, apud Virgilium 1. Georg. Ovidius 4. Fast.

Largaque provenit cessatis messis in arvis,

Donatus in Eunuch. *Cessat desidiosus; requiescit defessus*. Ergo *cessant sacraria*, vacua sunt, jacent & frigent, ea occupant araneæ; ut Eleg. 6. lib. 2.

Sed non immerito velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba deos.

Sacrarium, inquit Isidorus lib. 15. cap. 5. *locus ubi sacra reponuntur*. Apud Suetonium in Augusto cap. 5. & in Tiberio cap. 51. Sacrarium dicitur pars domûs consecrata. *Ad sacrarium spicas ferre* (Cereri:) Festus in *Floriferum*, & *Sacrarium Opis*, in *Præfericulum*, & *Sacrarium Martiale*, in *Oletum*. Cicero in Catil. *Sacrarium aquilæ domi constitutum, quam venerari solebant. Isiaca sacrario lena* memorat Juvenalis Sat. 6. Gallice, *Chappelle*. *Desertis lucis*, cultore vacuis; ut Eleg. 19. lib. 2.

Atque ibi (in agris) rara feres inculto dona sacello.

Lucos desertos Noster Eleg. 10. lib. 4. vocat, *Tesca*. Isidorus lib. 14. cap. 8. *Lucus est locus densis arboribus septus solo lucem detrahens. Potest & a collucendo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religionem gentilium, cultumque fiebant*. Servius in 1. Æn. *Ubicumque a Virgilio ponitur lucus, sequitur consecratio*. Idem in 3. Æneid. *Lucus numquam ob eo ponitur sine religione, quia ibi habitant Lares viales, animæ heroum & piorum*. ut in 6. Æneid.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Cicero 2. de Legib. *Lucos in agris habento, & Larium sedes*. Respondet hic versus illis præcedentibus:

Felix agrestum quondam pacata juventus, &c.

Nam utraque particula *at* & *nunc*, & temporis, & rerum & hominum dissimilitudinem notat. PASS.

v. 48. AURUM OMNES VICTA JAM PIETATE COLUNT] Omnibus aurum pro Deo est, pulsa & fugata religione. Sic Juvenalis Sat. 3. *Omnia Romæ Cum pretio*. & Noster Eleg. 1. lib. 4. *Nunc pretium fecere deos*. Contra Juvenalis Sat. 1. *Funesta pecunia, templo Nondum habitas*. D. Augustinus tamen commemorat deam *Pecuniam*, & *Æsculanum*, & *Argentinum* deos. *Victa pietate*, religione pedibus subjecta, ut ait Lucretius lib. 1. Ovidius 1. Metam. *Victa jacet pietas*. Cicero 1. de Nat. Deor. *Pietas est justitia adversus deos*. PASS. *Aurum omnes colunt*. D. Paullus Epist. ad Coloss. cap. 3. vocat *avaritiam*, *simulacrorum servitutem*, εἰδωλολατρείαν. *Victa pietate*. Catullus Carm. 63. dixit de aureo sæculo: *Nondum spreta pietate*. VULP.

* Post hunc versum plures editiones addunt distichon Ovidii ex lib. 2. A. A.

Aurea nunc vere sunt sæcula: plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

quod

Auro pulsa fides, auro venalia jura.
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei.

At

quod expungendum est, in codicibus enim vetustis non legitur. Sic idem Ovidius libro 3. Amor. Eleg. 7.

Curia pauperibus clausa est: dat census honores.

Inde gravis judex, inde severus eques. P. Studiosus aliquis hoc Nasonis distichon, tamquam locum parallelum, adleverat margini codicis sui. testis noster secundus, in quo legitur, sed ante versum *At nunc desertis*, ut appareat esse insititium. a ceteris omnibus abest, neque comparet in editionibus priscis; si excipias Aldinas; unde quasi tradux irrepsit in recentiores tantum non omnes. BROUKH.

v. 49. AURO PULSA FIDES, AURO VENALIA JURA] Sic Catullus Carm. 63.

Justitiamque omnes cupida de mente fugarunt.

Fides, dictorum factorumque constantia & veritas: Cicero 1. Offic. *Justitiæ soror*, Horatio. *Auro venalia jura*. magistratus jura nundinantur. unde *Nummarii judices* Ciceroni. Nota vox Jugurthæ apud Sallustium: *Urbem venalem, si emtorem invenerit.* Petronius:

Venalis populus, venalis curia patrum. PASS.

v. 50. AURUM LEX SEQUITUR, MOX SINE LEGE PUDOR] Seneca de Vita Beata cap. 11. *Sequi parentis est*. [nempe obedientis, morem gerentis.] Ergo lex, pecuniæ quasi pedissequa, & auro ancillatur. Horatius Epist. 10. lib. 1.

Imperat, aut servit collecta pecunia cuique:
Tortum digna sequi, potius quam ducere funem.

Vel *sequitur*, captat. ut Eleg. 7. sup. v. 7. Quum lex sequatur aurum, pudor ipse & pudicitia lege soluta. legis exemplo tamen, pudor exlex. Pudor etiam, pro pudicitia. Eleg. 9. lib. 2.

Tunc etiam felix inter & arma pudor. PASS. *Pudor* hic videtur sumi pro naturali quodam respectu ad æquum & bonum, qui nonnumquam vicem legis fungitur; de quo disputat vir eximius Hugo Grotius in libris de Jure Belli & Pacis. VULP.

v. 51. TORRIDA SACRILEGUM TESTANTUR LUMINA BRENNUM] Exemplum pietatis victæ ab auri cupiditate. *Torrida lumina*, exustæ genæ, Eleg. sup. prox. *Torridus*, hic παθητικῶς, ut *aer torridus*, Eleg. 28. lib. 2. *Torrida lumina*, dixit, quia fulminibus periti de cælo Galli. Pausanias in Atticis. Tetigit hanc historiam Eleg. 31. lib. 2. ubi vide adnotata. *Testantur sacrilegum*, & arguunt, & detestantur; & eo exemplo monent ceteros. ut 6. Æneid. *Magna testatur voce per umbras*. Isidorus lib. 5. *Sacrilegium est rerum sacrarum furtum, scilicet a sacris legendis: id est, rapiendis*. ut apud Horatium Sat. 3. lib. 1. *Qui nocturnus divûm sacra legerit*. Paullus J. C. *L. Sacrilegi D. ad L. Juliam peculatus: Sunt autem sacrilegi qui publica sacra compilaverunt; nam qui privata, minus quam sacrilegi, & amplius quam fures*. De Brenno vide Callimachum Hymno in Delum, a v. 73. & Scholiasten ejus, qui historiam explicat. item Pausaniam in Phocicis, & Valerium Maximum lib. 1. cap. 2. Strabo lib. 4. Delphici templi a Gallis direpti meminit, & auri Tolosam avecti. PASS. De thesauris templi Apollinis Delphici videndus Herodotus in Clio. his porro inhiabat Brennus. Rem totam enarrat Justinus lib. 24. a capite 6. Lactantius vero Div. Inst. lib. 2. cap. 7. nonnulla exempla affert *sacrilegorum, quorum præsentibus pœnis injuriam suam dii vindicasse creduntur*. V.

v. 52. DUM PETIT INTONSI PYTHIA REGNA DEI] Dum aggreditur, & invadit Delphos spe & animo diripiendi. ut Eleg. ult. lib. 4.

Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras.

Pythia regna, Delphos, quibus altus Apollo præsidet. Est enim Pytho urbs Phocidis, alio nomine Delphi, a Delphie serpente dicta, cui etiam nomen Python. unde Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Pytho?

 Hinc

At mons laurigero concuſſus vertice diras
Gallica Parnaſus ſparſit in ora nives.

Te

Hinc & ab urbe & a ſerpente Pythius Apollo. *Regna*, ubi quis dominatur & præſidet; ut notatum ſup. ad Eleg. 10. v. 18.

Inque meum ſemper ſtent tua regna caput.

Intonſi dei. ἀκερσεκόμαν Græci vocant. Horatius Ode 21. lib. 1. *Intonſum, pueri, dicite Cynthium.* & Epodo 15.

Intonſoſque agitaret Apollinis aura capillos. vide Lilium Gyraldum in Hiſtoria Deorum. PASS.

v. 53. AT MONS LAURIGERO CONCUSSUS VERTICE DURAS GALLICA PARNASSI SPARSIT IN ARMA NIVES] Plinius cap. ult. lib. 15. H. N. *Laurus ſpectatiſſima in monte Parnaſſo.* ubi lauriferam illam tellurem vocat, Delphicam ſcilicet. unde Virgilius 2. Georg. *Parnaſſia laurus.* Aliter *Laurigera manus* Phœbi dicitur, Eleg. 6. lib. 4.

Ducam laurigerâ Julia roſtra manu.

id eſt, victrici, quod laurum manu gererent triumphantes. Capite etiam, cithara, & pharetra laurum Phœbus geſtabat. Ovidius 1. Metam.

Semper habebunt

Te coma, te citharæ, te noſtræ, laure, pharetræ.

Concuſſus vertice, quod Virgilius 2. Æneid. *Concuſſo vertice.* An verò altero tantum vertice, an utroque? geminus enim vertex Parnaſſi, Helicon & Cithæron. *Parnaſſi mons*, pro Parnaſſus; ut Virgilius *Urbem Patavi*; & Cicero lib. 5. ad Attic. Epiſt. 18. *In oppido Antiochiæ.* De Parnaſſo dictum ad Eleg. 31. lib. 2. v. 13. *Sparſit nives duras*, ſcilicet aſtrictas gelu, &, ut Horatius loquitur Ode 24. lib. 3. *Duratos ſolo.* Vetus liber *diras* legit, puta deorum ira immiſſas, & horrendas. ut idem Horatius Ode 2. lib. 1. *Diram grandinem* vocat. Callimachus Hymno in Delum v. 93. appellat Παρνασὸν νιφόεντα. ubi vide Scholiaſten. Seneca Oedipo: *Gemino Parnaſſi nivalis arx trucem ſonitum dedit. Sparſit in arma Gallica*, effudit in milites Gallos, & exercitum. Sic Virgilius 2. Æneid.

Ipſe pater Danaos in Dardana ſuſcitat arma. P. Scribit Pauſanias, terram, quantum ſoli Gallorum acies occupaverat, ad multas horas contremuiſſe; nocte autem inſecuta acerrimum eos frigus cum nive plurima vehementer afflixiſſe; ſaxa præterea ingentia, & montis crepidines ſponte avulſas in adpetentes milites corruiſſe; ita ut triceni ſimul, aut etiam plures, ab ingruentibus rupibus colliderentur. Panico terrore & nocturno gelu confectos fuiſſe amplius decem millia. eſt itaque omnino recipienda Groningani ac Borrichiani & noſtrorum codicum lectio, *diras nives*: quod & Paſſeratius in Memmiano invenerat, & in Comeliniano Gebhardus. ----- Iſtas nives Pythia *albas virgines* dixiſſe videri poteſt apud Cicer. L. 1. de Divinat. C. 37. quamquam ibi in majus augetur miraculum: *Objiciuntur etiam ſæpe formæ, quæ reapſe nullæ ſunt; ſpeciem autem offerunt. Quod contigiſſe Brenno dicitur, ejuſque Gallicis copiis, quum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intuliſſet. Tum enim ferunt ex oraculo effatam eſſe Pythiam,*

Ego providebo rem iſtam, & albæ virgines.

ex quo factum, ut & viderentur virgines ferre arma contra, & nive Gallorum obrueretur exercitus. Pauſanias dicit, viſas in Gallos conſurgere heroum ſpecies, Hyperocham, Laodocum, & Pyrrhum, cum Phylaco. &c. In iiſdem, quos dixi, libris eſt *mons Parnaſus*; non *Parnaſi.* quod tamen eodem redit. in Groningano præterea, id quod minime inſuper eſt habendum, *in ora* legitur; non, uti hodie edunt, *in arma.* acrius certe laborat qui vultum, os, atque oculos horrida nive converberatur, quam qui armis excipit. vide notam, ſuper eo errore ſcribendi, ad L. 1. Eleg. 3. v. 16. Noſtram lectionem haud leviter fulcit Silius L. 3. Punic.

Interdum adverſa glomeratas turbine Corus
In media ora nives fuſcis agit horridus alis.

Livius L. 22. C. 46. *Ventus, quem Vulturnum incolæ regionis vocant, adverſus Romanis coortus, multo pulvere in ipſa ora volvendo proſpectum ademit.* Florus L. 4. C. 12. *Quæ fuerit validarum gentium feritas, facile vel mulieres oſtendere; quæ, deficientibus telis, infantes ipſos afflictos humo, in ora militum adverſa miſerunt.* erant hæ mulieres Alpinæ.

Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

Pro-

næ. BROUKH. Ovidius quoque ita locutus lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Ipsa graves spergunt ora loquentis aquæ.

& lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Læta triumphanti de summo mater Olympo
Plaudet; & adpositas sperget in ora rosas.

Gallica ora. Sic Horatius Ode 8. lib. 1. *Gallica nec lupatis Temperat ora frenis*. videlicet ora equi Gallici. Porro *albæ virgines* apud Ciceronem fuerint fortasse Minerva & Diana, adgnatæ Apollinis & familiares; quas ita nonnumquam appellabant. VULP.

v. 55. TE SCELUS ACCEPTO THRACIS POLYMESTORIS AURO NUTRIT IN HOSPITIO NON, POLYDORE, PIO] Exemplum pulsæ fidei. *Scelus Polymnestoris Thracis*. id est, Thrax scelestus Polymnestor. Sic Plautus Curcul. 5, 2. *Quam ab lenone abduxisti modo, scelus viri*. & Eleg. 6. sup. *Rana portenta rubeta*. De rege Thracum Polymnestore, & ejus in Polydorum scelere Euripides in Hecuba, Ovidius 12. Metam. Virgilius 3. Æneid. Ut autem hic Propertius jungit fabulam Polydori cum fabula Eriphylæ, sic Ovidius in Nuce:

Præda malo, Polydore, fuit sibi: præda nefanda
Conjugis Aonium misit in arma virum.

Accepto auro, a Priamo accepto auri magno pondere. Virgilius 3. Æneid. *Nutrit*, enallage, pro, nutriebat, vel nutriit. ut Eleg. 4. lib. 4.

Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

& Eleg. 7. lib. 2. *Flemus uterque diu*. pro flevimus. *Hospitio non pio*, plus quam impio. polluto. Virgilius 3. Æneid. Sic Elegia 32. lib. 2. *Non bonus rumor*. & Elegia 26. *Exitus vitæ non inhonestus*. & Elegia 13. lib. 1. *Non tepidas faces*. PASS. *Polymnestoris*. plerique libri *Polymestoris* scribunt, abjecto *n*. Sic infra L. 4. Eleg. 7. bis habemus *Hypermestre*. apud L. Septimium constanter scribitur *Polymestor*, L. 2. C. 18. 20. 25. in membranis Virgilii bonæ notæ, quas contuli ad vulgatas, semper *Agamenonius* legitur. & apud Ausonium *Clytemestra*. quomodo & Livius Andronicus Ægistho: *In sedes collocat se regias Clytemestra juxtim, tertias natæ occupant*. apud Juvenalem Sat. 6. membranæ veteres Bernardi Rottendorphii scribebant:

Mane Clytemestram nullus non vicus habebit.

Sic & *columa* scribebant veteres, pro *columna*. Quintilianus L. 1. C. 7. *Nec CNEUS eam literam in prænominis nota accipit, qua sonat: & COLUMA exemta N litera, & CONSULES, geminata S litera COSS. legimus: & SUBURRA quum tribus literis notatur, C tertiam ostendit*. conferre potes Gifanii Collectanea ad Lucretium in *Omnium*, & Nic. Heinsii Notam in L. 13. Metam. v. 430. ubi hic Nostri locus recte, ut puto, emendatur. quod & Antonius Volscus fecerat ex codicibus vetustis. iis nunc accedunt nostri. BROUKH. *Hospitio non pio*. Sic Elegia quæ proxime sequitur, *Non infames ludos*. VULP.

v. 57. TU QUOQUE UT AURATOS GERERES, ERIPHYLA, LACERTOS, DILAPSIS NUSQUAM EST AMPHIARAUS EQUIS] De Eriphyla & ejus monili dictum ad Eleg. 16. lib. 2.

Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris.

Gerere lacertos auratos, habere ornatos eo monili, quod Ovidius lib. 9. Metam. aurum fatale vocat:

Donec eum conjux fatale poposcerit aurum.

Ut Horatius Ode 8. lib. 1. *Neque livida gestat armis brachia*. *Lacertos*, pro humeris, collo & pectore, unde pendent monilia. Virgilius 7. Æneid.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Sic El. 6. sup. *Vestem pendere lacertis*. Nisi ita locutus est de monili, tamquam de armillis. nam χλιδὼν Græcis & armilla, & monile. at *αἱ* χλιδῶνες gerebantur lacertis. Athenæus ait, Samias gestasse χλιδῶνας περὶ τοῖς βραχίοσι. lib. 12. cap. 9. *Auratos lacertos*, ornatos auro. ut *aurata equa* Eleg. sup. proxima. Aliàs *auratum*, aureum, ut El. 33.

lib.

Proloquar, atque utinam patriæ ſim vanus aruſpex :
Frangitur ipſa ſuis Roma ſuperba bonis.

Certa

lib. 2. *Aurete talice*. *Dilapſis equis*, qui hauſti terræ hiatu evanuerunt, ut ne veſtigium quidem exſtaret. Sic Horatius Ode 13. lib. 4. *Dilapſam in cineres facem*. Virgilius in calce 4. Æneid. ---- *Et omnis*

Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

& 4. Georg. de Proteo : *In aquas tenues dilapſus abibit*. Bion apud Laërtium : *Πρὸς τὸν τὰ χωρία κατιδηδοκότα· τὸν μὲν Ἀμφιάραον, ἔφη, ἡ γῆ κατέπιε· σὺ δὲ τὴν γῆν*. i. e. *Ad eum qui prædia comederat ; Amphiaraum, inquit, terra deglutivit : tu autem, terram*. *Nuſquam eſt*. interiit. Plautus Mercat. CH. *Si neque hic, neque Acheruunti ſum, ubi ſum?* E. *nuſquam gentium*. id eſt, pluſquam mortuus. Ovidius 1. Metam.

Neſcit, vitáne fruatur,
An ſit apud Manes : ſed quam non invenit uſquam,
Eſſe putat nuſquam.

& Seneca Troadibus : *Nec amplius, Juratos ſuperis qui tetigit lacus, Uſquam eſt*. PASS. *Dilapſis equis*. evaneſcentibus, poſtquam vivi in Tartara venerant. in eadem re Pluto iratus apud Papinium L. 8.

At tibi quas (inquit) manes, qui limite præceps
Non licito per inane ruis? ſubit ille minantem,
Jam tenuis viſu, jam vaneſcentibus armis,
Jam pedes. BROUKH. *Nuſquam eſt*. Ita

& Horatius Sat. 5. lib. 2. de mortuo :

Ergo nunc Dama ſodalis
Nuſquam eſt? unde mihi tam fortem? tamque fidelem? VULP.

v. 59. PROLOQUAR, ATQUE UTINAM PATRIÆ SIM VANUS ARUSPEX] Ne patriæ, Romæque ipſi, & Italiæ videar male ominari, malim argui mendacii quam vera dicere. Sic Virgilius 10. Æneid.

Nunc manet inſontem gravis exitus : aut ego veri
Vana feror ; quod ut o potius formidine falſa
Ludar.

Juvenalis Sat. 6.

Nos utinam vani : ſed clamat Pontia, Feci.

Noſter Eleg. 9. lib. 1.

Me dolor & lacrimæ merito fecere peritum.
Atque utinam poſito dicar amore rudis.

Et Eleg. 1. lib. 4.

Vera, ſed invito contigit iſta fides.

Proloquar, aperte & ingenue dicam quod ſentio. Varro 5. de L. L. *Prolocutum dicimus eum qui in animo quod habuit, extulit loquendo*. Terentio tamen & Plauto eſt loqui. Eſt & *Proloqui* Plauto, adhibere prologium. Hic videtur eſſe fari, profari, prædicere, vaticinari, προφητεύειν. interdum *loqui* idem ſignificat. Virgilius 6. Æneid.

Omnia vere
Heu nimium de te vates, Miſene, locuta eſt.

Vanus aruſpex, mendax, ut notatum ad Elegiam 6. ſup.

Omnis enim debet ſine vano nuntius eſſe.

Si, *verus*, legas, verus aruſpex eſt merus, & mendax, ut aruſpices omnes. PASS.

v. 60. FRANGITUR IPSA SUIS ROMA SUPERBA BONIS] Horatius Epodo 16. eadem de re : *Suis & ipſa Roma viribus ruit*. & Epodo 7.

Sed ut, ſecundum vota Parthorum, ſua
Urbs hæc periret dexterâ.

De Roma magnitudine ſua laborante, & luxu obruta Salluſtius in Catil. Lucanus lib. 1. Petronius Arbiter, Plinius. *Frangitur*, enervatur, corrumpitur. franguntur dura & invicta, ut ſup. Eleg. 11. *Pyrrhi gloria fracta*. ubi vide adnotata. Sed & ſine armis luxuria enervat, ut apud Livium *Capua* dicitur *fregiſſe Hannibalem*. *Superba*, vel alta, antiqua, nobilis, maxima ; ut Eleg. 11. lib. 4.

Hinc Pheretri dicta eſt ara ſuperba Jovis.

vel victrix, & inſolens ; ut Horatius, *Superba triumphe*. & Lucanus lib. 1. *Superba Babylon*. vel delicata, & nimium dives vel beata. Horatius Ode 29. lib. 3. *Omitte mirari beatæ Fumum, & opes, ſtrepitumque Romæ*. unde addit *bonis*. nam Juriſconſultis ideo bona dicta, quod beant. *Suis bonis*, nimiis opibus. Tibullus El. 6. lib. 1.

Quid tenera tibi conjuge opus, tua ſi bona neſcis
Servare?

Cicero lib. 1. ad Q. fratrem Epiſt. 6. *γνῶθι σεαυτὸν* interpretatur : *ut bona noſtra norimus*. PASS. In hanc ſententiam Salluſtius Catilin. *Qui labores, pericula, dubias atque aſperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ optandæ aliis, oneri miſeriæque fuere*. Vide eumdem B. Jugurth. a cap. 45. Livius quoque Præfat. Hiſt. *Prævalentis populi vi-*

Certa loquor, ſed nulla fides. neque Ilia quondam
Verax Pergameis Phœbas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, ſola
Fallacem patriæ ſerpere dixit equum.

Ille

li vires ſe ipſæ conficiunt. Suis bonis. Virgilius 2. Georg.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas. VULP.

v. 61. CERTA LOQUOR, SED NULLA FIDES. NEQUE ENIM ILIA QUONDAM VERAX PERGAMEIS MÆNAS HABENDA MALIS] Sic Plautus Amphitr. 2, 2. *Vera dico, ſed nequicquam, quoniam non vis credere.* Papinius etiam 2. Thebaid.

Ille licet praeviderat omnia doctus
Aëris, & nulla deceptus ab alite Maeon,
Nec veritus prohibere ducem: ſed fata monentem
Privavere fide.

Mala Pergamea, Trojæ labores & funera. Virgilius. Alludit autem hic ad proverbium Ἰλιὰς κακῶν. ut & Cicero lib. 8. ad Attic. Epiſt. 11. *Tanta malorum impendet Ilias. Ilia Mænas, vates Pergamea* Eleg. 1. lib. 4. v. 51. *Mænas*, pro femina furore correpta, ut Eleg. 8. ſup.

Seu ſequitur medias, Mænas ut icta, vias.

Hic ſumitur pro Phœbade, ſeu muliere a Phœbo afflata. Vetus liber, *Phœbus*. legendum, *Phœbas*. Ovidius lib. 2. Triſt. El. 1.

Teque, Mycenæo Phœbas amata duci.

Ilius ab Ilus, ut Dardanius a Dardanus. Virgilius 11. Æneid.

Contigimusque manum qua concidit Ilia tellus.

Noſter Eleg. 1. lib. 4. *Ilia tellus vivet.* Attius Telepho apud Priſcianum dixit, *Paſtor Ilius.* [Hæc porro Mænas, ſive Phœbas, fuit Caſſandra Priami filia virgo.] Virgilius 2. Æneid.

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, Dei juſſu non umquam credita Teucris.

Cicero lib. 8. ad Attic. Epiſt. 11. *Non ariolans, ut illa, cui nemo credidit.* Appulejus de Deo Socratis: *Sed omnes auſcultant aut ignota auguria Heleni, aut non credita vaticinia Caſſandræ.* Noſter Eleg. 1. lib. 4. *Pergameæ ſera rota carmina vatis.* Legendi Lycophron in Caſſandra, Apollodorus lib. 3. Hyginus Fab. 93. & 108. Euripides in Andromacha. *Habenda verax*, pro habita fuit verax. Verax eſt, quæ verum dicere ſolet. Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Verax ſaga.* Et *habenda*, pro habita: ut Eleg. 8. ſup. *Furandæ copia noctis.* PASS. *Neque enim Ilia quondam.* τὸ *enim* abeſt a libro ſecundo, ſenſu equidem optimo, ſed licentia intolerabili hominibus iſtis quorum aures magiſtrales nullos hiatus ferunt in poetis Latinis. Quid autem poterat his melius? Ego quidem vera cano, ſed nemo mihi credit: ita neque Caſſandræ creditum eſt olim, quum tot mala patriæ ſuæ vaticinaretur. Supple nunc hiatum, & verſum labantem fulci egregio iſto *enim*, deinde dic mihi, ſodes, quam hæc cohæreant commode, Nemo mihi credit, quia nemo credidit Caſſandræ. *Mænas.* legendum eſt *Phœbas*, quod jam monuit Paſſeratius. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 8. de hac ipſa virgine regia:

Serva Mycenæo Phœbas amata duci.

Seneca Troad. v. 34.

Quæcumque Phœbas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, prædixit mala;
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Caſſandram fui.

tamen Caſſandra etiam *Mænas* dicitur Senecæ Agamemn. v. 719. Silius L. 15. v. 181.

Tibi barbara ſoli
Sanctius Iliacâ ſervata eſt Phœbade virgo.

- - - - alterum iſtud qui intruſerant, debebant meminiſſe, Mænadas eſſe in comitatu Bacchi, qui neque ipſe inter deos fatidicos cenſetur. Tibullus L. 3. Eleg. 4.

Sed proles Semeles Bacchus, doctæque ſorores,
Dicere non norunt, quid ferat hora ſequens. BROUKH.

Verax habenda. non pro, verax habita; ut male Paſſeratius. τὸ *habenda* hic magnæ efficacitatis eſt. Fatale fuit Caſſandræ ſemper vaticinari, & numquam credi. Verax igitur non eſt habita Caſſandra, quod nec habenda erat, diis & fatis hoc prohibentibus. VULP.

v. 63. SOLA PARIN PHRYGIÆ FATUM COMPONERE, SOLA FALLACEM PATRIÆ SERPERE DIXIT EQUUM] Sic Virgilius 3. Æn.

Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.

Euri-

Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti.
Experta est veros irrita lingua deos.

ELE-

Euripides in Andromacha: Ὅτι νιν παρὰ θεσπεσίῳ δάφνᾳ βόασε Κασσάνδρα κτανεῖν Μεγάλαν Πριάμου πόλεως λώβαν. *Quoniam ipsum* (Parin) *apud divinam laurum Cassandra clamavit interficiendum, magnam urbis Priami noxam*. Ergo λώβαν, quod Propertius *fatum*. Horatius Ode 3. lib. 3. *Ilion Ilion Fatalis, incestusque judex*, (Paris) *Et mulier peregrina vertit In cinerem*. *Fatum componere*, perniciem & exitium machinari, struere, moliri; ut Eleg. 9. lib. 2.

At vobis facile est verba, & componere fraudes.

Sola; anadiplosis. ut Eleg. 10. lib. 2.

Quid fles abductà gravius Briseide? quid fles
Anxia captivâ tristius Andromachâ?

Dixit, prolocuta est, prædixit. ut Eleg. 1. lib. 4. v. 87. & 89. *Serpere equum fallacem patria*. *Fatalis equus* dicitur Virgilio 2. Æneid. & *Ipse doli* (dolosi equi) *fabricator Epeus*. &: *Aliquis latet error. equo ne credite, Teucri*. Horatius Ode 6. lib. 4. *Ille non inclusus equo Minervæ Sacra mentito, male feriatos Troas, & lætam Priami choreis Falleret aulam*. De eo equo vide plura adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 25. & Eleg. 9. v. 42. *Serpere*; quia sensim tanta moles promovebatur. Virgilius 2. Æneid. *Pedibusque rotarum Subjiciunt lapsus*. Item:

Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.

nempe machina. Sic dicitur a Cicerone pro Murena, *Serpit rumor*; & 4. Verrina, *Serpit injuria*. Virgilius 2. Æneid. *Quies dono divûm gratissima serpit*. PASS.

v. 65. ILLE FUROR PATRIÆ FUIT UTILIS, ILLE PARENTI] Superstitiosa ariolatio illa salutaris esse potuit, si ei creditum esset, patriæ & Priamo. vel habetur ratio conatûs, ut Eleg. 3. l. 2.

Cognitus Iphicli surripuisse boves.

[non quod surripuisset, sed quod surripere conatus esset.] vel *fuit*, pro erat, vel fuisset. De furore Cassandræ Lycophron, & Cicero 1. de Divinat. ubi etiam *Rabere* dicitur. Virgilius 2. Æneid.

Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat. PASS.

v. 66. EXPERTA EST VEROS IRRITA LINGUA DEOS] Veram suam vaticinationem experta malo suo, quia capta, & avecta, & necata. vel vera sibi prædixisse Apollinem, quum negavit, quemquam fidem habiturum ejus vaticiniis. *Deos*, pro *deum*. ut Eleg. 7. lib. 1. *Nostros eviolasse deos*. *Irrita lingua*, quæ frustra vaticinatur, quia ei nulla fides. Contra Eleg. 1. lib. 4. *Pergamea sero rata carmina vatis*. Irritum, quod ratum non est, & firmum. Servius in illud Ecl. 4. Virgilii:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetuâ solvent formidine terras.

Ad nihilum redacta, inquit Plautus Amphitr. *Ego istæc feci verba virtute irrita*. A. Gellius lib. 13. cap. 14. docet esse verbum augurale, quum ait: *Aves irritas habuit Remus*. nam & *Ratum facere*, Ciceroni est augurii. *Experta*, conjunctum sæpius cum malo. ut Eleg. 3. lib. 1.

Experta metuens jurgia sævitiæ.

& Eleg. 21. lib. 2.

Experta in primo stulta cavere potes. PASS.

Veros deos. melius, opinor, *seros*. Sic Juno ad Venerem L. 10. Æn.

Nunc sera querelis
Haud justis adsurgis, & irrita jurgia jactas.

Noster L. 4. Eleg. 1.

Vel si Pergamea sero rata carmina vatis
Longævum ad Priami vera fuere caput.

vera inventa fuere Cassandræ oracula; sed tum demum, quum serum esset ex eorum monitu res præterlapsas ordinare. unde *Phrygas sero sapere* vulgari proverbio jactitatum est. Sallustius apud Servium: *Serum bellum in angustiis fore*. frustra pugnaturos, ubi eos hostis in montium angustiis conclusos teneret. Servius perperam interpretatus *Serum* cepit pro tristi atque infelice. melius Cicero, verbis commutatis, Orat. pro M. Cœlio C. 31. *Vellem alia potius tum cupiditas gloriæ detulisset, sed abiit hujus tempus querelæ*. jam enim Antonius, de quo agebatur, erat exilio multatus. BROUKH.

ARGU-

ELEGIA XIV.

MUlta tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii:

Quod

ARGUMENTUM ELEGIÆ XIV. LIBRI III.] Laudat morem Lacænarum virginum, Gymnasticen simul cum viris publice exercentium; idque Romæ pariter non licere conqueritur. Lascivit autem juveniliter in admirabili materie ac paradoxa. VULP.

v. 1. MULTA TUÆ, SPARTE, MIRAMUR JURA PALÆSTRÆ] Spectamus cum admiratione, & laudamus. Hic in laudem, ut Eleg. 1. lib. 2.

Miramur, faciles ut premat arte manus.

Terentius, & Cicero etiam in deteriorem partem. *Jura*, commoda, morem & ritum optabilem; ut versu pænult. hujus Elegiæ: *Si jura fores, pugnasque imitata Laconum.* privilegia vulgo. Jus est, quod licet. quod autem more fit, & instituto, id licet. ergo jura, fas & instituta. Cicero 1. in Catil. *Civium jura tenere.* Virgilius 2. Æneid. *Sed jura, fidemque Supplicis erubuit.* *Jura*, commoda jure, moreve concessa. ut jus trium liberorum. *Palæstra*. Palæstra interdum pro loco ipso; ut apud Plautum, & Terentium Phorm. 3, 1. Virg. 6. Æn.

Pars in gramineis exercent membra palæstris.

Isidorus lib. 18. Palæstram dictam ait *ἀπὸ τῆς πάλης, a luctatione. vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν, a concutiendo, & percellendo. A movendo urna*, inquit Servius in 2. Georg. *quia ducti forte luctabantur*. vide Budæum in Adnotat. in Pandectas. Palæstritis & gymnicis olim annumerati non solum luctatores, verum etiam cursores, pugiles, qui discum in sublime jacerent, qui saltus pernicitate contenderent. vide Julium Pollucem, Plautum Bacchid. 3, 3. Ciceronem 2. Tusc. Palæstræ inventor fuit Mercurius. id testantur Horatius, & Hyginus. in voce *Sparte* mutavit Noster *a* in *e* longum, ut infra v. 19. *Helene*. contra *Circa*, *a* Eleg. 12. sup. v. 27. *Et Circæ fraudes*. Dicta Sparta urbs ab uxore regis Lacedæmonis Sparta, Eurotæ filia: Pausanias initio Laconicorum. alii a Sparto Phoronei filio dictam putant, ut Eusebius. PASS. Puto hanc Elegiam esse scriptam in Peloponneso, quum iter faceret Athenas. qua ratione collocanda erit post vigesimam, quæ Brundisii scripta videtur, quum jam oram solverent, aut certe quidem in procinctu starent. *Multa t. Sparte, miramur jura p.* *Jura* hic exponunt leges, morem, situm palæstræ. non nimis incommode. quamquam legendum videtur *jure*; ut dicat poeta, Jure ac merito multa miramur, o Sparte, in ludis tuis gymnicis: id vero superat omnem admirationem, quod virgines nudæ luctentur cum juvenibus nudis citra labem infamiæ, adsitque verecundia, absit petulantia. Jure profecto mirum illud visum homini Romano, quorum moribus omnia alia in usu circa custodiendam mulierum pudicitiam. Vide quæ Petrus Victorius notavit L. 24. Var. Lect. C. 7. & quæ Columna ad Ennium p. 300. 6. sq. BROUKH. *Jura*. nihil mutandum; sequitur enim, *bona gymnasii*, quod respondet *juribus palæstræ*. eodemque modo claudit Elegiam:

Quod si jura fores, pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esset tu mihi, Roma, bono.

Jus civile Spartanorum, & vetus consuetudo hæc omnia in virginibus honesta efficiebat, quæ apud alias gentes turpia fuissent ac probrosa. *T. jura palæstræ*. Martialis tamen Epigr. 56. lib. 4. memorat *libidinosæ Ledæas Lacedæmonis palæstras*. V.

v. 2. SED MAGE VIRGINEI TOT BONA GYMNASII] Sic Eleg. 8. lib. 4.

Caussa fuit Juno, sed mage caussa Venus.

Horatius Ode 13. lib. 2. *Utrumque sacro digna silentio Mirantur umbræ dicere: sed magis Pugnas, & exactos tyrannos.* *Tot bona*, tot commoda præsertim amantibus. εὐχρεστήματα. Eleg. 18. infra:

Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros:

Quum

Tot bono tam parvo clausit in orbe dies.

Gymnasii, loci ubi nudæ puellæ exercebantur. Isidorus lib. 15. *Gymnasium generalis exercitiorum locus, & omnium artium*. Idem lib. 18. cap. 17. ubi gymnici exercentur, & narrat nescio quam historiam; *Antea cinctos exerceri solitos; sed quum relaxato cingulo exanimatus esset quidam cursor, Hippomenes tunc ἄρχων permisit ut nudi postea exercerentur*. [inde γυμνάσιον dictum ἀπὸ τῶν γυμνῶν, a nudis.] Cicero 2. de Orat. *Gymnasia exercitationis & delectationis caussa multo ante sunt inventa, quam in iis Philosophi garrire coeperunt*. Est gymnasium & ipsa exercitatio, & locus. adde etiam, a Plauto de homine dici per jocum: *Gymnasium flagri*. De Gymnastica, & quid eo nomine contineatur, vide Platonem lib. 7. Legum. meminit & Aristoteles 8. Politic. *Virgineum gymnasium*, quia *Inter luctantes nuda puella viros*, ubi vide adnotata. PASS. Lucianus ἐν τῷ περὶ γυμνασίων, & Heliodorus lib. 10. τῆς ἱστορίας τῆς αἰθιοπικῆς plurima habent huc facientia. ad posteriorem vide Notas Bourdeloti. VULP.

v. 3. QUOD NON INFAMES EXERCET CORPORE LAUDES] An est hypallage, pro, exercet corpus non infame (cum) laude? an *laudes* dixit ἀρετάς: id est, artes? Sic laus Virgilio 1. Æneid. virtus: *Sunt hic etiam sua præmia laudi*. & Cicero 2. de Legibus: *Earumque laudum* (pietatis & fidei) *delubra sunto*. An *laudes*, ea quæ ad virtutem pertinent, & laudem militarem? ut Eleg. 6. lib. 1.

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis,

An *laudes τὰ μέρον*, ut palmæ Ciceroni & Terentio? & Terentius Adelph. *Ornatus esses ex tuis virtutibus*. Sed vetus liber, *Laudos*. unde viri docti legunt, *ludos*. quibus assentitur Scaliger in Robertum Titium. Exercere ludos, ut Virgilius 10. Æneid.

Exercent patrias oleo labente palæstras.

& 6. Æneid. *Exercent membra palæstris*. Additum *corpore*, quia etiam animo exercemur, ut notum est. An dictum, ut *corpore quæstum facere*, & *corpore effugere*, id est, motu corporis? *Non infames*, addidit, quod athletas quidem infames putabant Romani; quibus tamen Ulpianus refragatur L. *Athletas. De his qui not. infam.* quia virtutis caussâ, non quæstûs id faciant. alii autem ludi consensu omnium infames; ut scenici, & arenarii. Sic Palfurius consularis, sub Nerone, in agone luctatus est cum virgine Lacedæmonia: Interpres Juvenalis in Sat. 4. PASS. *Exercet corpore ludos*. Joanni Aurato debetur tam pulcra restitutio τοῦ *laudes*, prodente Gulielmo Cantero L. 2. Nov. Lect. C. 14. ----- Ovidius Epist. Paridis:

More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis, & es nudis femina mista viris.

Laudes pro *ludos* scriptum fuisse, non est adeo mirum. vitium erat infimi sæculi. Tibulli versiculus est 2, 2, 22.

Ludat & ante tuos turba novella pedes.

ibi codex Wittii secundus *Laudat* habet. BROUKH.

v. 4. INTER LUCTANTES NUDA PUELLA VIROS] Peleus in Andromacha Euripidis de hoc more objurgat Menelaum, Spartæ regem; ad quem locum omnino allusit Martialis Epigr. 55. lib. 4. Lycurgus apud Plutarchum in Apophthegm. respondit cuidam qui illud institutum improbabat, noluisse se feminas viris inferiores. Plato autem in libris de Legib. & Rep. vult iisdem artibus mulieres exerceri, quibus viros, quia utriusque sexûs eadem natura sit. Cicero 3. Tuscul. *Itaque illi qui Græciæ formam rerum publicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt. Quod Spartiatæ etiam in feminas transtulerunt, quæ ceteris in urbibus, mollissimo cultu, parietum umbris occuluntur: illi autem voluerunt,*

Nihil horum simile (esse) apud Lacænas virgines:
Quibus magis palæstra, Eurotas, Sol, pulvis, labos,
Militia in studio est, quam fertilitas barbara.

Hæc postrema verba sunt veteris alicujus poetæ, ut ostendit Scaliger. Athenæus lib. 13. cap. 7. Spartanos ait solitos virgines peregrinis denudare, & in Chio insula in gymnasiis juvenes luctari consuevisse cum puellis. Itaque apud Comicos φαινομηρίδας

voca-

Quum pila veloci fallit per brachia jactu,
Increpat & versi clavis adunca trochi.

Pul-

vocabantur Lacænæ, quod crura & coxas nudarent. Plutarchus in Numa, & in Lycurgo. *Inter viros*, ut Eleg. 11. sup.

Et famulos inter femina trita suos.

Viros autem, vel mares, vel amatores. P. Memorabilia sunt verba Sexti philosophi in Disputationibus Antiscepticis apud Joh. Albertum Fabricium Bibliothecæ Græcæ Vol. 12. p. 721. *Αὐτίκα Λακεδαιμονίοις τὰς κόρας γυμνάζεσθαι ἀχειριδώτους, καὶ ἀχίτωνας προιέναι, καλόν· Ἴωσι δ' αἰσχρόν. Ut igitur puellæ discinctis brachiis se exerceant, & veste deposita prodeant, Lacedæmoniis honestum, Ionibus turpe videtur.* Obscœnum vero hunc morem magis mirere, si cogites, quanta religione apud plerosque Græcorum, feminæ domi servarentur. non enim virorum conviviis interveniebant, & in ædium parte intima sedebant, quo neminem accedere fas erat, nisi arctissima cognatione conjunctum. Iccirco Thaïs Terentiana, etsi meretrix, Thrasoni Pamphilam virginem ad mensam deposcenti, vehementer abnuit, *Minime gentium. in convivium illam?* Vide Cornelium Nepotem in Præfat. Vitarum. Sed præter omnes turpissima visa est veteribus Christianis ea Spartanorum consuetudo, teste D. Joanne Chrysostomo Homilia 5. in Epist. ad Titum. Narraverat sanctus vir hujusmodi morem suis auditoribus. tota concio, eum abominata, exclamavit. tum Chrysostomus subjecit: *Πολλά ὑμῖν γένοιτο ἀγαθά, ὅτι οὐδὲ τὸ ῥῆμα ἀνέχεσθε φέρειν. Multa vobis eveniant bona, qui ne quidem referri ista sustinetis.* Contra dignissima quæ laudetur barbarorum verecundia, qui, ut refert Herodotus in Clio, plenum ignominiæ existimabant, si etiam viri se nudos conspici paterentur. VULP.

v. 5. QUUM PILA VELOCES FALLIT PER BRACHIA JACTUS] Scaliger legendum censet, *Quum pila veloci f. p. b. jactu. Fallit*, λανθάνει, ut Eleg. 4. lib. 1.

Hoc magis accepta fallit uterque fide.

Ego legendum puto:

Quum pila velocis fallit per brachia jactus.

secundo casu. id est, quæ velociter jacitur, & emittitur. Ita fortasse dictum, *fallit jactus*, ut Eleg. ult. lib. 2. *Ipsa suas decipit unda vires.* & Ovidius 6. Fast.

Convolat omnis

Turba: per infestas effugit ille manus.

ut sit *fallit per brachia*, effugit inter manus. Sic fere Virgilius 11. Æneid.

Insignis jaculo, & longe fallente sagitta.

& in Ceiri: *Quum lapsa e manibus fugit pila.* De pilæ variis generibus & exercitationibus vide lib. 2. & 5. Artis Gymnasticæ Hier. Mercurialis, Plutarchum in Alexandro, & quæ adnotavi ad Eleg. 14. lib. 2. v. 12. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 12.

Nunc pila, nunc celeri vertitur orbe trochus.

Pilâ vel *datatim* ludebatur; Plautus Curcul. Varro apud Nonium, Ennius apud Isidorum: vel *expulsim*; Varro apud eumdem Nonium: vel *sparsim*; Petronius Arbiter in Satyr. ubi *sparsina* pila, sive *sparsiva* dicitur. *Veloces jactus.* Ovidius 3. A. A.

Sunt illis celeresque pilæ, discique trochique.

Horatius Sat. 2. lib. 2. *Seu pila velox, Seu te discus agit.* PASS. Pila ludebant virgines Græcorum. apud Homerum Nausicaë cum suis ancillis ludit pila in litore maris, tantisper dum vestes lotas exsiccaret Solis calor, L. 6. Odyss. v. 100. Vide & Virgilium in Ciri, de Scylla. puellæ Romanæ, quarum modestior disciplina, eo lusu carebant. vide Ovidium L. 3. Art. Amat. atque hinc est cur homo Romanus miretur agilitatem Lacænarum. BROUKH.

v. 6. INCRAPAT ET VERSI CLAVIS ADUNCA TROCHI] *Ludere Græco trocho*, dixit Horatius Ode 24. lib. 3. & in Epist. ad Pisones:

Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit.

ubi rotam Acro interpretatur. [& sane τροχὸς Græcis rota est, a τρέχω, curro.] Alii male turbinem putant. Vetus Lexicon: *Trochus rota genus ad ludum.* Item: *Trochus ludentium rota.* Ovidius lib. 2. Trist. Eleg. 1.

Hic artem nandi præcipit, ille trochi.

Martialis lib. 11. Epigr. 22. *Celer arguto qui sonat ære trochus.* & lib. 14. Lemmate, *Trochus*, 168.

Inducenda rota est: das nobis utile munus.
Iste trochus pueris, at tibi canthus erit.

Bb 2 (sic

Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio.

Nunc

(sic legendum . nam male editur , *cantus* . & est *canthus* , ferrum ambiens , & muniens curvaturam rotæ . Vet. Gloss. *Urus* , χαλκῶς τροχῦ .) & Lemmate sequenti :

Garrulus in laeva cur anulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Sed quid *clavis trochi* ? suspicor eam intelligi qua trochus compactilis aperiebatur immittendis anulis , de quibus diximus , & claudebatur. *Adunco* vero & hamata , quia hujusmodi figura clavium. *Versi trochi clavis increpat* , crepitum edit & sonitum . Sic Eleg. 3. lib. 4.

Subdolus & versis increpat arcus equis .

pro , dum vertuntur . *Versi* , pro vertentis : ut contra vertens , pro verso , & volvens , pro voluto . PASS. Afferenda omnino sunt verba Hier. Mercurialis ex lib. 3. de Arte Gymnastica cap. 8. *Trochus* , inquit , *primo in publicis gymnasiis , aliisve locis peragebatur . Secundo , is anulum seu anulos habebat , strepitum edentes , ut homines per viam ambulantes sonitu audito longius ab incursu trochi caverent . Postremo , ex aere conflabatur , atque clavem aduncam habebat . quae omnia nec separatim , nec simul in turbine , seu trocho nostris reperiri sensus ipse docet . ut merito credere debeamus , ab his longe diversum antiquorum trochum extitisse* . Deinde profert figuram trochi , quam ipsi , ex vetustissimo monumento descriptam , miserat Pyrrhus Ligorius . *Eo , praeter anulos , dentes quosdam circulo infixos & mobiles monstrat , quos ad strepitum majorem edendum appositos fuisse , vero consonat* . Idem eodem capite : *In trocho erat circulus , & in circulo anulus , qui sono spectatoribus voluptatem adferebat . aderat & impulsor cum ansa , quam Propertius clavem appellat* Vide & Matthæi Raderi , viri doctissimi , Commentarium ad Epigr. 168. (ipsi 153.) lib. 14. Martialis . VULP.

v. 7. PULVERULENTAQUE AD EXTREMAS STAT FEMINA METAS] Δρόμον seu cursum, significat ; ut & vetus Poeta apud Ciceronem 3. Tusc. ut adnotatum ad v. 4. hujus Elegiæ . Cicero 5. Tusc. *Labor in venatu , sudor , cursus ab Eurota , fames , sitis* . & Horatius Ode 1. lib. 1. *Curriculo pulverem Olympicum collegisse* . *Pulverulenta* , non indecoro pulvere sordida . Sic Seneca lib. de Vita Beata cap. 7. *Virtutem invenient stantem pulverulentam , coloratam , callosas habentem manus* . & Hyginus in Poetic. Astron. cap. de Perseo , ait , illum dici ab Arato κεκονιμένον . *pulverulentum , quod Æoli ἀνακονίσαι dicunt decurrere* ; quia in cursu pulvis colligitur . *Stat ad extremas metas* , cursu scilicet confecto , & quia ultra non progrediendum . Sic Eleg. 2. lib. 4. *Ultima meta* . & Eleg. 3. lib. 1. Horatius Epist. ad Pisones :

Qui studet optatam cursu contingere metam .
PASS.

Stare proprie dicitur de iis qui se ad pugnam componunt . Virgilius L. 9. Æn.

Stabat in egregiis Arcentis filius armis .

Plancus Ciceroni L. 10. Epist. 23. *Stamus in acie* . Juvenalis Sat. 3.

Stat contra , starique jubet : parere necesse est :
Nam quid agas , quum te furiosus cogat ,
& idem
Fortior ? BROUKH.

Metas . Erant Metæ obelisci quidam in Hippodromo seu Circo defixi , ad quos quum pervenissent cursores , & agitatores equorum , non ulterius cursu procedebant , sed stabant , vel revertebantur . Ovidius lib. 10. Metam.

Metae imitata cupressus . VULP.

v. 8. ET PATITUR DURO VULNERA PANCRATIO] Sic Virgilius 6. Æneid.

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi .

& 3. Georg. *Vulnera lenta pati* . unde , *Patiens Lacedæmon* Horatio ; etsi scio referri ad puerorum verbera . Inde Plauti jocus Captiv. 3 , 1. *Nihil morantur jam Lacones imi subsellii viros Plagipatidas* . de parasitis , ut etiam de canibus . *Duro pancratio* , ut *durum bellum* , & *durus Mars* Virgilio . Budæus Adnotat. in Pandectas *L. Qua actione . ad Legem Aquil. Si quis in colluctatione , aut pancratio* ; docet , Pancration esse certaminis genus , ubi advocatis omnibus corporis viribus certatur , calcibus , cubitis , pugnis : quum solis pugnis utantur pugiles . Τὸ δὲ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην παγκρατιάζειν λέγομεν , inquit Lucianus , περὶ γυμνασίων . id est , ferire . vicissim concer-

tatio-

Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Gyrum

tatione arrectaria . addit multa ex eodem Luciano , & Fabio lib. 2. cap. 9. & A. Gellio lib. 13. cap. 26. neque valde probat eos qui pancration , pentathlon interpretantur . Festus *Quinquertium* vocat ; πυγμὴν, δρόμον, ἅλμα, δίσκον, πάλην . Meminit Pancratii & Varro apud Nonium in *Bellus* . Hadrianus Turnebus lib. 27. Adverf. cap. 8. docet e Plutarcho , erraffe Propertium in eo quod fcribit de pancratio , & cæftu apud Spartanos , quum Lycurgus ea certaminum genera prohibuerit ἐν οἷς χεὶρ ἀνατείνεται ; in quibus manus tollitur . & Seneca lib. 5. de Beneficiis cap. 3. *Lacedæmonii vetant fuos pancratio , aut cæftu decernere , ubi inferiorem oftendit victi confeffio* . [Sed fortaffe Propertius alios auctores fecutus eft : nam & in lucta poterant fe victos confiteri .] PASS. Quomodo concilient viri docti Propertium & Senecam , difcere poteris ex Gruteri Collectaneis ad eum Senecæ locum . tamen mihi videtur Propertius nofter pro libertate poetica plufculum hic fibi indulfiffe . tantillo tempore non poterant tantum mutaffe mores . BR. Qui fint pancratiaftæ , docemur ab Ariftotele Rhetoric. lib. 1. Ὁ γὰρ , inquit , δυνάμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πως καὶ κινεῖν ταχὺ , καὶ πόρρω , δρομικός · ὁ δὲ θλίβειν καὶ κατέχειν , παλαιστικός · ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ , πληκτικός · ὁ δ' ἀμφοτέροις τούτοις , παγκρατιαστικός . h. e. *Nam qui poteft crura projicere quodammodo , ac movere velociter & longe , curfor eft : qui vero ftringere & tenere , luctator : at qui pellere plagâ , pugil : qui autem utrifque his , pancratiafticus* . Hoc igitur certaminis genus ex lucta & pugilatu mixtum erat , magnafque corporis vires requirebat . Teftis Nicephorus Gregoras in libellum Synefii de Infomniis . Παγκράτιον , ait , σύνθετον ἐκ πυγμῆς καὶ πάλης ἦν . ἐξῆν γὰρ τὸ παγκρατιάζειν ἐθέλοντι οὐ μόνον τοῖς νόμοις τῆς πάλης , ἀλλὰ καὶ τοῖς πυγμῆς χρῆσθαι παρὰ τὸ νικῆσαι . Confentit Plutarchus lib. 2. Sympos . Artemidorus Oneirocritic. lib. 1. & Philoftratus lib. 2. Imaginum , in Arrichione . Inventor Pancratii Clitomachus quidam Olympiade CXLII. ut refert Paufanias in Eliacis pofterioribus . Locus vero Senecæ oppofitus Propertio fortaffè accipiendus eft de viris tantummodo , non etiam de feminis . Verum omnino videndus eft Mazzonius . *Def. Dantis* P. I. *p.* 739. V.

V. 9. NUNC LIGAT AD CÆSTUM GAUDENTIA BRACHIA LORIS] Ad hanc rem Virgilius 5. Æneid.

Et paribus palmas amborum innexuit armis .

Ibidem :

Terga boum plumbo infuto , ferroque rigebant .

Ergo *ligat brachia loris* , innectit palmas vinclis e corio bubulo , plumbo & ferro infuto . Apollonius vocat ῥινοὺς βοῶν , terga boum , lib. 2. Homerus autem lib. 23. ἱμάντας . & , quod hic , *ligat* , illic ζωσαμένω , id eft , accincti . Vide Theocritum Henr. Stephani , in Diofcuris Idyll. 22. p. 177. in fine . Adde & Statium 6. Thebaid. & Valerium Flaccum lib. 4. a quibus defcribitur illud certamen . *Brachia gaudentia* , ut Eleg. 3. lib. 1. *Ebria veftigia* . *Ad cæftum* . Feftus : *Cæftus vocantur & ii quibus pugiles dimicant , & genus quoddam muliebris ornatus* . Servius in 5. Æneid. *Cæftus per diphthongum pugilum arma ; fine diphthongo , & fingularis tantum numeri , balteum Veneris* . Fulgentius : *Sculponeas dici volunt cæftus plumbo ligato* . τὸ *Loris* autem iterandum . PASS. *Ligat ad cæftum brachia* . M. Cicero in Q. Fratrem , pufillæ ftaturæ hominem , qui cum ingenti machæra prodierat domo , ita jocatus eft : *Quis fratrem meum ad gladium alligavit ? Gaudentia brachia loris* . Eodem pacto Valerius Flaccus lib. 1. v. 109.

Tela puer , facilefque humeris gaudentibus arcus
Geftat Hylas .

Neque illud Virgilii diffimile 10. Æneid. *Arma , quibus lætatus , habe tua* . Hefiodus Theogonia v. 14. appellat Dianam , five Ἄρτεμιν , ἰοχέαιραν , *fagittis gaudentem* . Pindarus vero Ode 2. Pythiorum dixit : Ἀνδρῶν ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν δαιμόνιαι τροφοί . ubi Scholiaftes : Ἀνδρῶν σιδήρῳ καὶ ἵπποις χαιρόντων . VULP.

V. 10. MISSILE NUNC DISCI PONDUS IN ORBE ROTAT] In fublime torquet , ubi circumagitur . Vetus Gloffarium : *Roto* , δινεύω .

Gyrum pulſat equis, niveum latus enſe revincit,
Virgineumque cavo prætegit ære caput.

Qualia

διοκύῳ. *In orbe*, pro in orbem. vide adnotata ad Eleg. 11. ſup. *Quid raptem in crimine divos?* De diſco vide Ovidium 10. Metam. in fabula Hyacinthi, ubi & *pondus* & *orbis* dicitur, & deſcribitur ille ludus. Idem in Ibin:

Acra ſi miſſa vacuum jaculabere diſco,
Quo puer Oebalides ictus ab orbe cadat.

Vide etiam Statium 6. Thebaid. De geſtu jaculantis Fabius. *Rotat*; ſic Statius libro memorato:

Ipſe ſuper ſe ſe rotat (diſcum) *atque in nubila condit.*

Pondus diſci, diſcus gravis. Martialis libro 14. Lemmate 164.

Splendida quum volitent Spartani pondera diſci.

& Noſter Eleg. 1. lib. 1. *pondere rami*, ut in veteri codice. vulgo, *vulnere*. Albinovanus quoque ad Liviam:

Certat onus lecti generoſa ſubire juventus. PASS.

Miſſile dicitur quod procul mittitur, puta *jaculum*. Virgilius 10. Æneid. v. 421.

Da mihi, Thybri pater, ferro quod miſſile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Haleſi.

& v. 773. *Telum quod miſſile libro*. & libro 9. v. 519. *Pellere valla Miſſilibus tentant*. Spargendi verbo uſus eſt Noſter Elegia 3. lib. 4. de glandibus plumbeis, quæ mitterentur e funda:

Plumbea quum tortæ ſparguntur pondera fundæ.

Miſſilia vocabantur etiam munera quæ a Principibus ſpargebantur in populum. De his non ſemel Suetonius. VULP.

v. 11. GYRUM PULSAT EQUIS, NIVEUM LATUS ENSE REVINCIT] Mirum genus loquendi, *Pulſat gyrum equis*, pro pulſando & verberando cogit in gyrum flecti. An, *Gyro pulſat equos?* & *pulſat*, pro pellit & impellit: ut *preſſantes pedes*, pro prementes, Eleg. 17. infra. Contra Eleg. 1. ſup. *Pulſae arces*, pro pulſatas. De hac re vide adnotata ad illud Tibulli lib. 4.

Seu libeat curvo brevius contendere gyro.

& ad Eleg. 3. ſup. v. 21. *Niveum latus enſe revincit*. formoſo & candido lateri enſem accommodat. Sic Virgilius Ecl. 6. *Latus niveum molli fultus hyacintho*. Bion in Epicedio Adonidis: Οἱ ὑπέμαζοι δ᾽ ἐνίοντο πὰρ ποσὶ Ἀδώνιδι πορφύροντο. Ad latus autem, ut nunc, gerebant ferrum. Virgilius 2. Æneid. *Laterique Argivum accommodat enſem*. Varro 6. de L. L. *Latrones, quia ad latera habebant ferrum*. *Revincit*, pro vincit; ut retinere, renuntiare, reſolvere. Notat Donatus, *re* ſæpe abundare. Virgilius 2. Æneid. *Manus juvenem poſt terga revinctum*. Lucanus Panegyrico ad Piſonem:

Et galea miles caput, & latus enſe reſolvit.

ubi alluſit ad hunc locum contrario ſenſu. PASS.

Gyrum pulſat equis, nempe campum, in quo flectebant & exercebant equos; hippodromum. Sic fere Catullus Eleg. 65.

Ut Triviam furtim ſub Latmia ſaxa relegans
Dulcis amor gyro devocet aerio.

nempe orbe, quem Luna ſuis equis pulſare fingebatur. legunt tamen alii, *clivo devocet aerio*. VULP.

v. 12. VIRGINEUMQUE CAVO PROTEGIT ÆRE CAPUT] Munit, vel ſimpliciter, tegit; ut Eleg. 3. lib. 4.

Et texit galea barbara molle caput.

ſic *percutit*, pro quatit, Eleg. 16. infra. Cicero pro Cæcina: *Armorum alia eſſe ad tegendum*, (ut galea, lorica, ſcutum) *alia ad nocendum*. (ut gladius, haſta, ſagitta.) *Protegit caput*. ſic Virgilius 8. Æneid. *Scutis protecti corpora longis*. *Cavo ære*, galea ærea. Virgilius 7. Æneid. *Tegmina tuta cavant capitum*. Noſter Eleg. 18. infra:

Ille licet ferro cautus ſe condat, & ære,
Mors tamen incluſum protrahet inde caput.

Aliâs, *æs cavum*, tuba eſt. vel mundi ſphæra. Varro Seſquiulixe apud Nonium in *Explicare*: *Vias ſtelligeras ætheris explicant ære cavo*. PASS. *Protegit*. Livinejus e Vaticano, *prætegit*. quod recipiendum arbitror. Plinius Panegyr. C. 15. *Quæ reflectiones tuas arbores, quæ ſomnum ſaxa prætexerint*. BROUKH. Erant hæc pugnæ præludia. vide Platonem lib. 7. de Legibus. VULP.

v. 13.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis turma lavatur aquis.
Et modo Taygeti, crines adſperſa pruina,
Sectatur patrios per juga longa canes.

Qualis

v. 13. QUALIS AMAZONIDUM NUDATIS BELLICA MAMMIS THERMODONTIACIS TURBA LAVATUR AQUIS] Scaliger mutat ordinem, & hoc diſtichon ſequi debere ait illud: *Et modo Taygeti*. Ut hic Amazona, & virginem Spartanam conjungit, ſic Virgilius 1. Æneid.

Virginis os, habitumque gerens, & virginis arma
Spartana, vel qualis equos Threiſſa fatigat
Harpalice.

Idem 11. Æneid.

Qualis Threiciæ quum flumina Thermodontis
Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis.

ubi Servius ait, Amazones digreſſas ab amne Tanaï, in Thraciam ad flumen Thermodonta ſe contuliſſe. unde Noſter Elegia 4. lib. 4.

Illa ruit, celerem qualis prope Thermodonta
Strymonis abſciſſo fertur aperta ſinu.

Plinius lib. 6. H. N. cap. 3. in deſcriptione Cappadociæ: *Thermodon fluvius, præter radices Amazonii montis lapſus, & oppidum ejuſdem nominis*. De Amazonum ſedibus vide Diodorum Siculum lib. 3. & 4. Pauſaniam in Atticis, Laconicis, & Bœoticis, Strabonem lib. 12. denique Homeri Interpretem minorem; a quo dicuntur Martis & Veneris filiæ. Servius in 12. Æneid. *Amazon, quaſi ἄνευ μαζοῦ. ſine* (dextera) *mamma*; ideo eas Titianus vocat *Unimammas*, ut Græcis μονόμαζοι dicuntur. Q. Curtius lib. 6. de Thaleſtri regina Amazonum: *Altera papilla intacta ſervatur, qua muliebris ſexûs liberos alant. Aduritur dextera, ut arcus facilius intendant, & tela vibrent. Amazonides*, pro Amazones. ut Virgilius 1. Æneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthefilea furens.

Sed Stephanus a Nympha Amazonide dictas ſcribit. *Nudatis mammis*. exſertis papillis; & alludit ad nomen Amazonum. jungitur autem, *Nudatis mammis* cum *turba*. nam non ſolum nudant mammas quum lavantur, ſed totum corpus. Sic El. 11. ſup.

Lydia Gygæo tincta puella lacu. PASS.

Thermodonteis turba l. a. noſter ſecundus *Thermodonteis*; primus cum Groningano ac Borrichiano, *Thermodontiacis*. *Thermodon* dici ac ſcribi debere, non *Thermoloon*, jampridem monitum eruditis. Videndus Erythræus Indice Virgiliano in *Thermodontis flumina*; & Pierius Valerianus Caſtig. in L. 11. Æn. v. 659. ---- litem omnem decidere poterat unicus Silii verſus L. 8.

Perſtrepis & tellus, & Amazonius Thermodon.

itemque alter Papinii L. 1. Silv. 6.

Credas ad Tanaim ferumque Phaſin
Thermodontiacas calere turmas.

tum prioris utroque Ovidii L. 4. Pontic. Epiſt. 10.

Et tu femineæ Thermodon cognite turmæ.

neque aliter lapides Romani. ---- Deinde pro *turba* repone *turma*, cum Jano Gulielmio, ac Nic. Heinſio Not. in Ovid. L. 3. Art. Amat. v. 2. ------ Valerius Flaccus L. 4. ubi Phineus Iaſoni itineris pericula canit, & Amazonum terram vel præcipue evitandam monet:

Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppem
Ventus agat; ludo volitans quum turma ſuperbo
Pulvereis exſultat equis; ululatque tellus
Intremit, & pugnæ mota pater incitat haſta.

idem ille inluſtris poeta L. 5. v. 613.

Ingentes animo jam proſpice campos,
Atque hanc alipedi pulſantem corpora curru
Euryalen, quibus exſultet Mavortia turmis,
Et quantum elatâ valeat peltata ſecuri.

Horatius quoque impuram gigantum colluviem *turmam* vocavit L. 3. Od. 4. quia videlicet ordinem militarem ſervabant in oppugnando cælo. BROUKH. *Thermodonteis*. Editio princeps, *Termodonciacis*. *turma bellica*. Sic Eleg. 10. lib. 2. *Fortes ad prælia turmas*. De Amazonum regno, inſtitutis, rebuſque geſtis plura Juſtinus lib. 2. cap. 4. VULP.

v. 15. ET MODO TAYGETI, CRINES ASPERSA PRUINA, SECTATUR PATRIOS PER JUGA LONGA CANES] In Taygeto monte vicino Spartæ venatur. Lacænæ virgines

ibidem

Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis.

Inter

ibidem etiam bacchabantur, dictæ propterea *δυσμαιναι*, & *χωειτιδες Βακχαι*, ut testatur Hesychius. unde Virgilius 2. Georg. *Virginibus bacchata Lacænis Taygeta*. Strabo lib. 8. scribit, montem illum Spartæ & Amyclis imminere. ibi erat caprearum, cervorum, & aprorum copia ingens; teste Plutarcho in Lycurgo. *Crines aspersa pruinâ*. synecdoche poetica, ut Eleg. 13. lib. 2. *Pectus lacerata*. quid pruina, dixi ad Elegiam 8. lib. 1. v. 7. *Sectatur*, verbum est venationis. Virgilius Ecl. 3. *Sectaris apros*. Horatius Sat. 2. lib. 1. *Leporem venator ut alta In nive sectatur*. Hic vero est simpliciter sequi præcurrentes canes. Ita fere Elegia 19. lib. 2. dixit, *Monere canes*. *Canes patriis*, Laconas, præstantissimos. Virgilius 3. Georg. *Veloces Spartæ catulos; Amyclæum canem; Taygeti canes*. Vide Callimachum Hymno Dianæ v. 94. & ibi Scholiasten. *Per juga*. Ovidius 10. Metam.

Per juga, per silvas, dumos & saxa vagatur,
Hortaturque canes.

& in Epist. Phædræ:

Hortatur celeres per juga summa canes. PASS. *Taygeti per juga*. Concinit Seneca Medea Choro 1. v. 77. *Et quas* (nurus) *Taygeti jugis, Muris quod caret oppidum, Exercet juvenum modo*. De venationibus Taygeti vide & Pausaniam in Laconicis cap. 20. VULP.

v. 17. QUALIS ET EUROTÆ POLLUX ET CASTOR ARENIS] Sic Statius 4. Silv. in Epulo Domitiani:

Sic lubrica ponit
Membra Terapnæa resolutus gymnade Pollux,

Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Qualis ab Eurota Phrygiis avecta carinis
Conjugibus belli caussa duobus erat.

Eurotas fluvius Laconiæ celeberrimus. Catullus Carm. 63.

Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos.

Arenis Eurotæ, in ripis arenosis Eurotæ; quod arena & pulvere opus esset luctantibus & certantibus. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 6.

Fortior in fulva novus est luctator arena.

& Noster Eleg. 8. lib. 4.

Et quum lascivum sterneret arena forum.

Aliàs legitur, *habenis*. ut ad lora pugilum & equorum habenæ referantur. PASS. Eumdem errorem fovent omnes membranæ, *habenis* præferentes. veram lectionem restituit Antonius Volscus, raro tam felix. BROUKH. *Arenis*. Luctatores oleo vel ceromate ungebantur, ut ex adversarii nexibus facilius elabi possent. Arena vero manus implebant, ut adversarium comprehenderent ac retinerent. VULP.

v. 18. HIC VICTOR PUGNIS, ILLE FUTURUS EQUIS] Ovidius pariter 5. Fast.

Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.

& lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Pollucem pugiles, Castora placet equos.

Horatius Sat. 1. lib. 2.

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis. Homerus:

Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.

Ergo *hic*, Pollux victor pugnis, *ille*, Castor equis; contra grammaticos canones, ut adnotatum ad Eleg. 1. lib. 2. v. 38. Sic Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Quocumque aspicias, nihil est nisi pontus & aër,
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

Tamen & Pollucem equitem faciunt, ut dicetur ad Eleg. 22. infra v. 26. Legendus Theocritus in Dioscuris Idyl. 22. & Apollonius l. 1. in certamine Pollucis & Amyci. Castoris & Pollucis mentio fit & Eleg. 2. lib. 1. v. 15. PASS. Etiam Virgilius L. 3. Georg. Pollucem equitem facit:

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

tamen Cyllarum apertissimis verbis Castori dedit Valerius Flaccus L. 1.

Oraque Thessalico melior contundere freno
Vectorem pavidæ Castor dum quæreret Helles,
Passus Amyclæa pinguescere Cyllaron herba.

Pollucem jam a cæstuum peritia decore collaudaverat. - - - - - - expressit quodammodo hunc versum doctissimus scriptor Arnobius L. 1. *Tyndaridæ Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexsuperabilis cæstu*. De victoria Pollucis & nece Amyci videndus Valerius Flaccus L. 4. Lutatius in L. 3. Thebaid.

Papi-

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triviis ad latus esse suæ.
Nec timor, aut ulla est clausæ tutela puellæ,
Nec gravis austeri pœna cavenda viri.

Nul-

Papinii v. 353. ac Ptolemæus Hephæstio apud Photium cod. 190. BROUKH.

v. 19. INTER QUOS HELENE NUDIS CAPERE ARMA PAPILLIS FERTUR, NEC FRATRES ERUBUISSE DEOS] Sic Statius lib. 4. Silv. ad Menecratem:

Qualis maternis Helene jam digna palæstris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres.

Charisius: *Dicitur Helene & Helena. Fertur capere arma.* id est, cepisse. enallage, ut Eleg. 7. sup.

Viveret ante suos dulcis conviva penates.

Nudis papillis. Sic Juvenalis 2. Sat.

Mævia Tuscum
Figat aprum, & nudâ teneat venabula mammâ.

Noster Eleg. 3. lib. 4.

Felix Hippolyte: nudâ tulit arma papillâ.

Nec erubuisse fratres: nec pudore deterrita fuisse a gymnade illa, quia turpis non erat; & rubor ac pudor tantum e re turpi, ut docet Aristoteles. *Fratrum reverentia non movit ei ora.* sic loquitur Noster Eleg. 30. lib. 2. Erubescere cum agendi casu. Virgilius quoque 2. Æneid. *Sed jura, fidemque Supplicis erubuit.* Sic Eleg. 15. lib. 1. *Pallere colores.* PASS. *Fratres deos.* Passeratius hic friget: Philippus autem Silvius multo etiam magis. Castor & Pollux κατ' ἐξοχὴν dicebantur DII FRATRES. Suetonius Caligula C. 22. *Partem Palatii ad Forum usque promovit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sæpe inter fratres deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat.* Pedo Albinov. Consol. ad Liviam Aug. v. 290.

Sæpe Nero inlacrimans submissa voce loquutus,
Cur adeo fratres, heu sine fratre, deos?

quem locum nec recte a Scaligero perceptum, pejus etiam immutatum, pulcre vindicavit Nic. Heinsius. BROUKH.

v. 21. LEX IGITUR SPARTANA VETAT SECEDERE AMANTES] *Jura palæstræ* vocat supra; & *Jura Laconum* infra. Lycurgus autem nullas leges scriptas reliquit. Plutarchus in Lycurgo. neque νόμος, sed ῥήτρα dicebatur; quasi decretum & institutum quoddam. *Vetat secedere*, quia jubet una convenire. alterum ex altero vult intelligi. Sic Eleg. 13. lib. 2.

Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas.

pro, jussit sectari & amplecti. PASS. Licuisse istic juvenibus etiam ante nuptias libere versari cum virginibus, non secus ac cum pueris, tradit Agnon Academicus apud Athenæum L. 13. BROUKH. Contraria tamen huic consuetudini leguntur apud Plutarchum in Vita Lycurgi. VULP.

v. 22. ET LICET IN TRIVIIS AD LATUS ESSE SUÆ] In compitis, ubi ternæ viæ (id est, in oculis omnium) lateri hærere; latus amicæ tegere. Tibullus Eleg. 6. lib. 2. *Cum telis ad latus ille volet.* Idem Elegia 5. lib. 1.

Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit
Primus, & in tenero fixus erit latere.

Inde latrones, qui circum latera regi erant, & ad latera habebant ferrum. Varro 6. de L. L. *Ad latus:* ita servi ad remum, vernæ ad pedes, pueri ad cyathos. Inde Livius lib. 24. caros & necessarios vocat *ab latere.* ut & Curtius lib. 5. Martialis Epigr. 68. lib. 6.

Inter Bajanas raptus puer occidit undas
Eutychus, ille tuum, Castrice, dulce latus. P.

Paribus fere commodis fruebatur juventus Romana in Circo. Ovidius lib. 1. A. A. v. 135.

Nec te nobilium fugiat certamen equorum:
Multa capax populi commoda Circus habet.

lege reliqua. VULP.

v. 23. NEC TIMOR, AUT ULLA EST CLAUSÆ TUTELA PUELLÆ] Vide adnotata ad illud Eleg. 23. lib. 2.

Nec

Nullo præmiſſo, de rebus tute loquaris
Ipſe tuis: longæ nulla repulſa moræ.
Non Tyriæ veſtes errantia lumina fallunt,
Eſt neque odoratæ cura moleſta comæ.

At

Nec dicet, Timee. propera jam ſurgere quæſo.
Infelix hodie vir mihi rure venit.

Timor, cognatorum, invidorum, rivalium. *Tutela*, cuſtodia. Varro 6. de L. L. *Tueri*, ſervara; unda æditnus. Hinc tutoras ſervandis rebus pupillorum. Eleg. 13. ſupra: *Dii, quibus eſt tutela per agros*, *Clauſe puelle*. vide Eleg. 13. ſupra v. 9. & Eleg. 3. v. 49. PASS. *Nec timor* ullus *eſt clauſæ puellæ*. non anim Lacedæmona clauduntur puallæ, poſitis cuſtodibus, ob quorum timorem illas oporteat abſtinere ab amantium colloquiis. Cur Broukhuſius conetur hunc verſum rafingera, nullam ago cauſſam video. VULP.

v. 24. NEC GRAVIS AUSTERI PŒNA CAVENDA VIRI] Sic dixit *Ampla pœna* Eleg. 6. ſupra. *Gravis*, atrox. ut Eleg. 9. ſupra;

Autonſque graves in ſua fata manus.

Auſteri viri, rigidi mariti; ut Eleg. 3. ſup. v. 50. De pœnis mœchorum Plautus Milita in fina, ubi dicitur *abdomen adimere*, Idem Pœnulo: *Facio quod manifeſti mœchi haud ferme ſolent. Quid id eſt? Refero vaſa ſalva*, Lege Horatium Sat. 2. lib. 1. & Virgilium 6. Æn. da pœna Deiphobi. P.

v. 25. NULLO PRÆMISSO, DE REBUS TUTE LOQUARIS IPSE TUIS: LONGÆ NULLA REPULSA MORÆ] Non anta miſſo internuntio, vel puero tuo [ſalutigerulo] vel tabellis, vel ipſius puellæ ſervulo, aut ancilla, aut lena, aut aquariolo, quibus interpretibus amor conciliatur. Virgilius 9. Æneid.

Interea præmiſſi equites ex urbe Latina.

De rebus tute loquaris Ipſe tuis: narrare poſſis amicæ res tuas, nempe amores, qui *Veneris res* dicuntur Lucretio, & *res* tantum. Inda *rem habere cum muliere*. *Tute ipſe*. παρέλκον, & δὶς τὸ αὐτό. ut *Tutemet*. Donatus in Andriam: *Tute tunc dicitur quum pronomen ad eam revocatur perſonam a quo ſumitur. Verbi gratia, quum dicimus: Tu lege; ille reſpondeat, Cur tute non legis?* Servius ad illud 1. Æneid. *Durate, & voſmet: Hæ particulæ, met, piam, te, ornatûs cauſſâ ponuntur, ut tutemet, quiſpiam.* Virgilius Ecl. 3. *Quod multo tute ipſe fatebere mecus*. aſt vero hic apoſtrophe, ut Eleg. hujus verſu antepænult. *Invenias* &c. *Longæ nulla repulſa moræ*. Si dare non vult, ſaltem cito negatur; quod pæne beneficium aſt: nec ducitur promiſſis amator. val ſi qua repulſa eſt, non eſt longæ moræ. cruciat enim amantas mora. *Repulſa*. verbum ambitionis & campi. Horatius Epiſt. 1. lib. 1. *Exiguum cenſum, turpemque repulſam*. & Ode 2. lib. 3. *Virtus repulſæ neſcia ſordidæ*. Vide Eleg. 4. lib. 2. v. 2. PASS. *Tute*. de hac voca, Donato, Servio, Chariſio conſentit Priſcianus lib. 12. Cicero L. 3. de Offic. C. 3. *Ne committas, ut, quum omnia ſuppeditata ſint a nobis, tute tibi defuiſſe videare*. & pro Roſcio Amer. C. 29. *Ruri aſſiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit*. & alibi ſæpe. BROUKH. *De rebus tuis loquaris*. non da alienis, ut unus internuntius. Catullus Carm. 15. *In re prætereunt ſua occupati*. *Longæ nulla repulſa moræ*. Licebit tibi ſermonem longius continuare, ac diutius latari puellæ adhærere, nequa ipſa repellante, nequa ullo alio prohibente. Hunc locum, meo judicio, male explicavit Paſſeratius. Lega, ſi vacat, elegantes Philemonis verſus apud Athenæum lib. 13. pag. mihi 569. ab hac Propertii ſententia non abhorrentes. VULP.

v. 27. NON TYRIÆ VESTES ERRANTIA LUMINA FALLUNT] Perſtringunt oculorum aciem ſplendore ſuo. De fulgore purpuræ dictum ad Elag. 1. lib. 2. v. 5. & dicetur ad Eleg. 3. lib. 4. v. 53. *Tyriæ veſtes*, e purpura Tyria, & Sarrano oſtro, dictum ad Eleg. prox. ſup. v. 7. *Errantia fallunt*. δὶς τὸ αὐτό, ut Eleg. ult. lib. 2.

Phrygio fallax Mæandria campo
Errat, & ipſa ſuas decipit unda vias.

Petronius:

Nocte ſoporifera veluti quum ſomnia ludunt
Errantes oculos.

Alitar, *Errantes oculos* dixit Virgilius 4. Æneid. PASS. *Non Tyriæ veſtes*, *Nec* legitur in tribus libris. BROUKH. *Errantia lumina fallunt*.

At nostra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via.

Nec

fallunt. Mendas corporis abscondere solet amictus ornatior, ut & mulieres quæ forma carent, formosæ interdum videantur. Ovidius Remed. Amor. v. 343.

Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sui.

Plurima in hanc sententiam dabit Horatius Sat. 2. lib. 1. VULP.

v. 28. EST NEQUE ODORATÆ CURA MOLESTA DOMI] Molesti non sunt servi & ancillæ, quibus commissa cura domûs; ut 1. Æneid.

Quinquaginta intus famulæ; quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates.

Id *servare domi*, Terentio in Eunucho. ut *videre domi*. Varro 6. de L. L. *Quem volumus curare domum* (tueri & servare) *dicimus: Tu domi videbis*. *Odoratæ domi*; suaveolentis ob unguenta, corollas, & ex odoratis lignis flammam. ut El. 10. lib. 4.

Parvis odorato luxerat igne casa.

& Catullus Carm. 63.

Queis (floribus) *permulsa domus jucundo*
risit odore.

Vide Plautum Menæchm. 2, 3, 2. Liber Beroaldi, *Adorata*; quod amatores limina & januas venerari solerent, ut notum ex Eleg. 16. lib. 1. Scaliger quoque ita legit, & exponit: *Neque ita se continet domi, ut ibi adoranda sit, tamquam τεμένων ἱερά*. legitur & *odorata*. An *obirata*? & ita cura amanti molesta est domi propter obiratam sibi dominam. Livius lib. 1. *Fortunæ obirati curam reliquerant deûm*. Canterus legit e conjectura: *Odoratæ comæ*. probo. sic Eleg. 2. lib. 1. *Crines perfundere myrrha*. Ovidius sub finem lib 2. A. A.

Sertaque odoratæ myrtea ferte comæ. PASS.

Valde inclino in conjecturam Gul. Canteri, *comæ* legentis pro *domi*. notum e poetis quam insanam operam ponerent puellæ Romanæ in comendo crine. Ovidius libello de Medicamine Faciei:

Vultis odoratos positu variare capillos.

id negligebant virgines Spartanæ. Horatius L. 2. Od. 11. *In comtum Lacænæ More comam religata nodum*. Virgilius L. 1. Æn. ubi Venus Æneæ suo apparet

Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
Spartanæ ---
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.

possis tamen *odoratam domum* tueri, moribus ceterorum Græcorum. Sic odoratum Medeæ procœtium, in quo duodecim ancillas virgines habebat, describit Apollonius L. 3. Argonaut v. 837. Sed non efficies ut ne istud *comæ* sit multo rectius. quinimo postulat hanc vocem vox *curæ*, quæ ratione quadam peculiari de comis dicitur & capillis. Phædrus L. 4. Carm. 3.

Quam se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

Valerius Flaccus L. 8. de Medea, jam confessa Iasonia uxore: *Sua flavis Reddita cura comis*. Horatius L. 1. Epist. 1.

Si curatus inæquali tonsore capillos
Occurri, rides.

ita istic habent laudatissimæ membranæ Viri clarissimi Jo. Georgii Grævii. ita & in tribus aliis libris invenerat eruditissimus Jo. Fredericus Gronovius; cujus industriæ debemus hanc elegantem notionem voculæ *curæ* luculenter illustratam L. 1. Observat. C. 23. BROUKH. *O. cura molesta comæ*. Qui curabant, ungebant, rutilabant capillum, ii matronas in publicum prodeuntes comitari & stipare soliti erant. hic autem comitatus molestus erat & incommodus amatoribus eas adire & alloqui cupientibus. *Cinisiones* appellat Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 98. quod in cinerem flarent, ut calamistros calefacerent, quibus mulierum crines vibrabant:

Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te
Hoc facit insanum) multa tibi tum officient res;
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ.

Curam vero pro curatore usurpavit Noster & Eleg. 6. lib. 1.

Nam tua non ætas unquam cessavit amori,
Semper at armatæ cura fuit patriæ.

Ovidius pariter Epist. Penelopes:

Tertius immundæ cura fidelis haræ. VULP.

v. 29. AT NOSTRA INGENTI VADIT CIRCUMDATA TURBA] Stipata gregibus custodum.

Nec quæ ſint facies, nec quæ ſint verba rogandi
Invenias. cæcum verſat amator iter.
Quod ſi jura fores, pugnaſque imitata Laconum,
Carior hoc eſſes tu mihi, Roma, bono.

ELE-

dum. v. 13. Eleg. 8. ſup. ubi vide adnotata. *Vadere* verbum eſt confidentiæ. *Circumdata*, ut El. 1. lib. 2. *Circumdata collo catenis*. *Ingenti turba*, magna, frequenti. Feſtus: *Ingens dicitur augendi conſuetudine, ut inclamare, invocare. quia enim gens populi eſt magnitudo, ingentem per compoſitionem dicimus, quod ſignificat valde magnum*. PASS. Vide Horatium Sat. 2. lib. 1. a verſu 96. Hoc Juvenali Sat. 1. v. 46. eſt *populum premere gregibus comitum*. VULP.

v. 30. NEC DIGITUM ANGUSTA EST INSERUISSE VIA] *Non eſt*, non licet. οὐκ ἔξεστι. vide adnotata ad Eleg. 10. lib. 2. v. 21. *Inſeruiſſe digitum*, non manu prehendiſſe, ſed vel digito contigiſſe. ſic Eleg. 5. ſup.

Muſarumque choris implicuiſſe manus.

vide illic adnotata. *Inſeruiſſe* pro inſerere. enallage, ut El. 1. lib. 1. *Potuit domuiſſe*. Terentius Heaut. actu 3. ſc. 3. *Vidîne ego te modo manum in ſinum huic meretrici inſerere?* Suetonius in Galba cap. 20. *Miles* (quia capillo præ calvitio arripere non poterat) *inſerto per os pollice ad Othonem detulit*. (caput Galbæ.) *Anguſta via*, quia cuſtodum & comitum turba arctam faciunt. Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Pauper in anguſto fidus comes agmine turbæ
Subjicietque manus, efficietque viam.

Aliud eſt Virgilio 1. Georg. *Anguſtum formica terens iter*. & 12. Æneid. *Anguſta viarum*. PASS.

v. 31. NEC QUÆ SINT FACIES, NEC QUÆ SINT VERBA ROGANDI INVENIAS: CÆCUM VERSAT AMATOR ITER] Ne de facie quidem noſſe potes, vel quia operta, vel quia fucata, & perſonata. *Nec invenias*, pro nec ullus invenerit. εὐδὸς ἀποστροφῆς. ut Virgilius 4. Æneid. *Migrantes cernas*. *Verba rogandi*, verba precantia Ovidio. Ea verba ſunt Eleg. 30. lib. 2. *Libeat tibi, Cynthia*. *Rogare*, verbum amatorium, ut El. 5. l. 1. *Illa rogata venit*. Verba autem deeſſe ſolent amantibus, ut notatum ad illud Eleg. 5. lib. 1.

Et quæcumque voles fugient tibi verba querenti.

Cæcum verſat amator iter; rectam non inſtat viam. Errat inops animi & rationis, quæ lux eſt mentis. it & redit, & ſæpe revertitur per viam cæcam & ignotam. ἀλληγορικῶς. quia videre non licet, quod amat. Eadem allegoria eſt Eleg. 14. lib. 2. v. 17. *Cæcum iter*, ut Eleg. 27. lib. 2. v. 6. *Cæca pericla*. ubi vide adnotata. *Occultum* dixit Eleg. 11. ſup. v. 54. PASS.

v. 33. QUOD SI JURA FORES, PUGNASQUE IMITATA LACONUM] Secuta exemplum certaminum Spartanorum. Quid *Jura*, dixi ad verſum 1. hujus Eleg. *Pugnas*, certamina ludicra. ut Virgilius 5. Æn. *Æquemus pugnas*. vel quia patienda vulnera pancratio, ut ſupra dixit. vel quia pugil a pugno. & pugnis olim & calcibus certabant: Donatus. PASS.

v. 34. CARIOR HOC ESSES TU MEHI, ROMA, BONO.] Quum ſis mihi jam cara (quippe omnes omnium caritates patria complexa eſt) eſſes carior commodo virginei gymnaſii. Si quid ergo ad caritatem patriæ poteſt, illud eſſet. Sic El. 8. lib. 2.

Illi carus ego, & per me cariſſima Roma.

Jura primum, deinde *bono*, ut verſu 1. & 2. hujus Elegiæ. Quum tu alia tam multa habeas (ut Eleg. prox. ſup.

Frangitur ipſa ſuis Roma ſuperba bonis)

tamen ob hoc bonum omnibus locis anteponereris. PASS.

ARGU-

ELEGIA XV.

SIc ego non ullos jam norim in amore tumultus,
Nec veniat ſine te nox vigilanda mihi:
Ut mihi prætextæ pudor eſt velatus amictu,
Et data libertas noſcere amoris iter,

Illa

ARGUMENTUM ELEGIÆ XV. LIBRI III.] Monet amicam zelotypam, ut Lycinnam famulam torquere deſinat, propoſito exemplo Dirces, quæ pœnam vexatæ Antiopes Jovi perſolvit, a tauro diſcerpta. VULP.

v. 1. SIC EGO NON ULLOS JAM NORIM IN AMORE TUMULTUS] De hoc genere ſermonis dictum ſupra ad Eleg. 6. v. 2. Eſt adjurantis. *Norim*, ſentiam & experiar. Eleg. ult. lib. 2.

Omnes jam norunt quam ſit amare bonum.

& Eleg. 5. lib. 2.

Infelix! properas ultima noſſe mala.

Tumultus, pro turbis: ut contra, *turbam* dixit, quod Horatius *tumultus* vocat, Elegia 3. ſup. ---- *Medio maxima turba mari eſt.* vel, *prœlia dura cum domina*, Eleg. 5. ſupra. PASS. Groninganus, & Commelini liber,

Sic ego jam nolim multos in amore tumultus.

credo olim fuiſſe, *Sic ego jam norim nullos*, &c. Sed vulgata aliquanto concinnior eſt. BROUKH.

v. 2. NEC VENIAT SINE TE NOX VIGILANDA MIHI] Sic fere Ovidius Eleg. 3. lib. 3. Triſt.

Nulla venit ſine te nox mihi, nulla dies.

Tibullus Eleg. 2. lib. 1. *Cum fletu nox vigilanda venit.* Vide plura ad Eleg. 4. ſup. v. 5. *Sine te nox*, ut Eleg. 8. lib. 1. *Sine me dulcia regna negat.* *Vigilanda*, ut El. 20. infra:

Non habet ultores nox vigilanda deos.

Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Eſt mihi nox multis evigilanda malis. P.

v. 3. UT MIHI PRÆTEXTÆ PUDOR EST VELATUS AMICTU] Scaliger legit, *exvelatus*. quod ſane eamdem vim habet quam aliæ lectiones ad oram libri, *Eſt ſpoliatus*; *Eſt ſublatus*. exvelare, ut exuere, exdorſuare, id eſt dorſum eximere: exfilare, exinſulare. Poſtquam, inquit, exui pudorem una cum prætexta puerili. prætexta enim cum limbo purpureo, quæ Græcis περιπόρφυρος, σύμβολον fuit pudoris. Prætextati erant magiſtratus, ſacerdotes, pueri & puellæ ingenuæ, magiſtri vicorum. Tarquinius Priſcus inſtituit, ut pueris prætexta & bulla daretur. utramque ponebant ſumta virili toga, ut dicetur ad Eleg. 1. lib. 4. Prætextæ puellaris meminit Elegia ult. lib. 4. *Facibus ceſſit prætexta maritis.* Lege Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 6. & Feſtum in *Sardi*. *Oſtrum puerile* vocat Statius lib. 5. Silv. in Protreptico ad Criſpinum. PASS. Reponendam cenſeo veterem lectionem, *Eſt velatus*; pudor enim prætextæ velatus nihil aliud eſt quam obrutus, neglectus. in oculis enim & facie habitat, quæ ſi cooperias, ſtatim ſubit impudentia. Ariſtoteles lib. 2. Rhet. Ὅθεν καὶ ἡ παροιμία, τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ. Unice huc pertinet locus Ovidii lib. 10. Metam. v. 420. de Myrrha inceſto amore patrem depereunte:

Conataque ſæpe fateri,
Sæpe tenet vocem: pudibundaque veſtibus ora
Texit: &, O, dixit, felicem conjuge matrem!

& 2. Faſt. v. 819. de Lucretia:

Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu
Ora.

Propterea idem poeta in libris Amorum dixit, *noctem pudore vacare*. Plato in Phædro ſimile quid narrat de Socrate, cauſſam defenſuro quæ turpis videri poſſet: ac de Penelope Pauſanias in Laconicis cap. 15. Nec diſſimilia ſunt verba Phædræ apud Euripidem in Hippolyto v. 243.

Μαῖα,

Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.

Ter-

Μεῖα, πάλιν με κρύψον κεφαλάν·
Αἰδέμεθα γὰρ τὰ λελεγμένα μοι·

Mirifice Appulejus lib. 10. A. A. de noverca nequissima privigni amore correpta: *Tunc illa nacta solitudinis damnosam occasionem, prorumpit in audaciam: & ubertim adlacrimans, laciniaque contegens faciem, voce trepida sic eum breviter affatur.* Petronius pariter in Satyr. *Ramum super oculos meos posuit, & quasi pariete interjecto audacior facta* &c. Vide Alciati Emblema 76. in statuam Pudoris. Si mavis legere, *exvelatus*, faciet locus Plauti elegantissimus actu 1. sc. 3. Mostellariæ, ubi Philolachea adolescens, meretrice Philomatio conspecta, sic loquitur: *O Venus venusta! Hæc illa est tempestas mea, mihi quæ modestiam omnem Detexit, tectus qua fui: quom mihi Amor & Cupido In pectus perpluit meum, neque jam umquam obtigere possum. Madent jam in corde parietes. periere hæ oppido ædes.* ad quem locum vide Fridericum Taubmannum. Id etiam animadverti debet, *exvelatus*, de numero illorum vocabulorum esse videri quæ contrarias significationes habere possunt: fuerit enim & velo spoliatus, & velo tectus. Ita *expers*, ut docent veteres Glossæ, significabat ἄπειρος ἢ ἔμπειρος: ita *egelidus* valde frigidum, & sine ullo frigore denotabat. *Enode* dicebant & quod nodosum, & quod nodis careret. *Exarmare* usurpabant pro adimere arma, & pro armare. Vide Isaacum Casaubonum ad illud Persii Sat. 6. *Sapere hoc nostrum maris expers*. Ita Plautus Casina 5, 3, 6. *expallidatus*, dixit. Ceterum prætextam παιδικὸν ἱμάτιον Græci vocant. VULP.

v. 4. ET DATA LIBERTAS NOSCERE AMORIS ITER] Liberâ sumtâ togâ liberior mihi potestas vivendi fuit, quam antea quum ætas, metus, magister prohibebant; [ut ait Terentius.] *Libertas noscere*; ut El. 1. lib. 1. *Libertas loqui*. *Noscere iter*; ut eadem Elegia:

Qua non ullo meant femina norit iter.

An adire? ut Eleg. 6. lib. 1. *Hadriæ mare noscere*. *Iter amoris*, ut Cicero Epist. 2. lib. 6. ad Attic. *Nulla esse potest tanta* (occupatio) *ut interrumpat iter amoris nostri, & officii mei*. Plautus initio Persæ: *Qui amans egens princeps ingressus est amoris vias*. Sic *mortis iter* Eleg. 7. sup. PASS. Existimo, Propertium respexisse ad Herculis bivium, quod per Pythagoræ litteram veteres philosophi significabant. Similis est omnino locus Persii Sat 5.

Quum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit:
Quum blandi comites, totaque impune Suburra
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo:
Quumque iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes.

Antequam etenim prætextam exuerent ingenui pueri, custodiæ pædagogi subjecti erant. Julianus Cæsar in Misopogone, seu Barbæ osore: Ἐμὲ ὁ παιδαγωγὸς ἐδίδασκεν εἰς τὴν γῆν βλέπειν εἰς διδασκάλους φοιτῶντα. *Pædagogus me docuit terram aspicere, dum ad magistros irem*. *Amoris iter*. Sic *itinera judiciorum, fori, campi, disciplinarum*, dixit Cicero in calce Orationis pro Sulla. VULP.

v. 5. ILLA RUDES ANIMOS PER NOCTES CONSCIA PRIMAS IMBUIT, HEU NULLIS CAPTA LYCINNA DATIS] τὸ *Illa*, ut de muliere nota inter eos qui loquuntur, licet subjiciat nomen. Dictum ad Eleg. 6. sup. *Non me moribus illa vicit*. *Conscia*, & testis & particeps furtorum ac gaudiorum. ut Eleg. 12. lib. 1. *Conscia Roma*. *Imbuit rudes animos*; me tironem docuit amoris rudimenta. ductum a vasis novis, humore primum imbutis. Horatius Epist. 2. lib. 1.

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Idem Epist. ad Pisones: *Hæc animos ærugo & cura peculi Quum semel imbuerit.* vide Nonium in *Imbuere* duobus locis. *Imbutum, quod est cujuspiam succum bibit. unde infantibus, cu velint bibere, dicentes, Bu syllaba contenti sumus*. *Rudes animos*, imperitos rei venereæ; ut Eleg. 9. lib. 1.

Atque utinam possim dicar amore rudis.

Sic Ovidius 4. Fast.

Juvencam
Mollarunt operum conjugiique rudem.

Ibidem:

Illa

Tertius haud multo minus est quum ducitur annus,
  Vix memini nobis verba coïsse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor: nec femina post te
  Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

* * *

Testis

Illa (Venus) *rudes animos hominum contraxit in unum.*

Hac facit illud Martialis Epigr. 79. l. 10.

Ergo Suburranæ tironem trade magistræ.
Illa virum faciet: non bene virgo docet.

Per noctes primas, primis congressibus militiæ hujus. *noctes*, coucubitus. id notatum ad Eleg. 7. sup.

Ista per humanas mors venit acta manus.

τὸ *Heu* non est dolentis, sed admirantis, & laudantis; ut Eleg. 29. lib. 2. v. 30. Sic *Io* & lætantis est, & dolentia. *Capta datis*, victa muneribus. Siguificat, noctes gratuitas fuisse; ut Eleg. 20. lib. 2.

Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis.

Capta datis. sic apud Tibullum, *capi muneribus*, *divitiis*, *pretio*. *Datis*. Plautus Pseud. 1, 3. *Nemo est usui amator, nisi qui perpetuas data*. & alibi sæpius. Ausonius Epigr. 92.

Vince datis ambas. Cupio: verum arcta domi ees. PASS.

Usus & Tullius pro Cluentio C. 24. *Ac primum Scamandro rea, tantum donis, datis, muneribusque perfecerat, ut eo auctore uteretur cupidiore, quam fides judicis postulabat*, BROUKH. *Rudes animos imbuit*. expressit Nostrum Seneca Troad. v. 317.

Inhospitali Telephus regno impotens
Dum Mysiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit.

præiverat Catullus de Nupt. P. ac Th. vers. 11.

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten. BROUKH.

Heu. Dolentis est; comparat enim tacite animum Lycinnæ liberalem cum Cynthiæ avaro & rapaci. *Datis*. Ovidius pariter 6. Metam. v. 461.

Impetus est illi, comitum corrumpere curam,
Nutricisque fidem: nec non ingentibus illam
Sollicitare datis.

Sic Horatius quum adolescens esset, *placuit immunis Cynaræ rapaci*, ut ipse affirmat Epist. 14. lib. 1. Nam teste Tibullo Eleg. 8. lib. 1. *Carior est auro juvenis, cui levia fulgent Ora*. VULP.

v. 7. TERTIUS HAUD MULTO MINUS EST QUUM DUCITUR ANNUS] Sic Seneca ad Marciam: *Tertius jam præteriit annus, quum* &c. *Haud multo minus est*, paullo minus, circiter. Plautus Trinummo: *Minus quindecim dies sunt, quod* &c. *Quum*, ex quo. Eleg. 20. lib. 2.

Septima jam plene deducitur orbita Lunæ,
Quum de me & de te compita nulla tacent.

ubi, *deducitur*, ut hic *ducitur*, id est, vertitur. Eleg. 23. lib. 2.

Quam cave semel in toto nox vertitur anno!

Ex hoc loco ætas Propertii colligitur quum hæc scriberet. sumta virili toga anno 16. amavit Lycinnam fere unum aut alterum annum; deinde fuit triennium cum Cynthia. vix igitur natus annos 21. PASS.

v. 8. VIX MEMINI NOBIS VERBA COISSE DECEM] Sic Ovidius in Epist. Helenæ:

Et longæ noctes, & jam sermone coimus.

Coire, conjungi, convenire, ut Eleg. 7. sup. *Tot coïere mala*. ut ergo convenire, pro colloqui, sic *coire verba* dicuntur: *serere* etiam & *conserere verba*, unde *sermo*. Plautus Curcul. *Mihi sermonem serat servus*: & Corn. Tacitus, *Consociare vocem*. *Nobis*, inter nos; ut Eleg. 10. sup. *Sit sors & nobis*. τὸ *decem*, hic pauca significet. PASS.

v. 9. CUNCTA TUUS SEPELIVIT AMOR: NEC FEMINA POST TE ULLA DEDIT COLLO DULCIA VINCLA MEO] Ea omnia interierunt, & amplius nulla sunt. post te nulla femina me amplexa est, arctissime hærens cervici. Plautus Mostell. 5, 2. *Ubi somnum sepelivi omnem, atque edormivi crapulam*. & Cistell. 1, 1. *Indidem unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem*. Cicero 2. Tusc. *Amittenda fortitudo est, aut sepeliendus dolor*. [*sepelire* igitur hic, pro animo depellere, atque oblivioni mandare.] Contra Virgilius 4. Æneid. *Vivit sub*

pectore

Teſtis erit Dirce tam vero crimine ſæva,
Nyƈteos Antiopen accubuiſſe Lyco.

Ah

pectore vulnus. & Plautus : *Vivit infamia*. *Poſt te*, ut Eleg. 15. lib. 1.

Hypſipyle nullas poſt illas ſenſit amores.

Dedit vincla dulcia colla. Sic Horatius Ode 9. lib. 3. *Brachia candida Cervici juvenis dabat*. Dare, pro circumdara, injicere. *Vincula*, ut Eleg. 13. lib. 1.

Vidi ego te toto vinctum languaſcere collo.

Dulcia, ut Eleg. 30. lib. 2. *Dulcia furta*. PASS. *Sepelivit*. Ovidius Epiſt. Didûs :

Et mihi concubitus fama ſepulta foret,

Idem Epiſt. Ariadnes :

Si modo vivit

Femina perjuri fraude ſepulta viri.

id eſt, oblivioni data. Cicero pro L. Manilia : *Quod bellum exſpectatione Pompeji attenuatum, atque imminutum eſt ; adventu ſublatum, ac ſepultum*. Ciceronem imitatur Vallejus Paterculus lib. 2. Hiſt. *Per eadem tempora exarſerat in Campania bellum .... Id quoque adventu Cæſaris ſepultum atque diſcuſſum eſt*. VULP.

v. 11. TESTIS ERIT DIRCE TAM VERO CRIMINE SÆVA, NYCTEOS ANTIOPEN ACCUBUISSE LYCO.] Fabula eſt apud Apollodorum lib. 3. ut Antiope gravida compreſſu Jovis ad Epopeum confugerit, cui nupſit ; Nyƈteo patre ei comminante, & ultionem Lyco mandante noviſſimis verbis ; qui Epopeo interfecto Antiopen habuit in vinculis, ubi ejus uxor Dirce eam torquebat. Vide Hyginum Fab. 7. & 8. & Plautum Pſeud. act. 1. ſc. 1. *Tam ſæva*, valde ſæva, & acerbe tractans pellicem ; ut Eleg. 9. ſup. *Tam faciles inſinuentur opes*. *Crimine*, ſtupri accuſatione. Crimen, pro ſtupro Eleg. 6. lib. 2. *Tu criminis auctor*. vide ibi adnotata. *Nycteos Antiopen*, [ſubaudi *filiam*] unde Nyƈteida vocat Eleg. 4. lib. 1. Vide Pauſaniam. *Accubuiſſe Lyco*, cum eo compoſuiſſe latus ; ut loquitur Eleg. 2. lib. 2. v. 12. Pro *Lyco* alii libri habent, *Jovi* ; quod verum quidem eſt ex fabula ; nam ex eo peperit geminos, ut mox poeta dicturus eſt. Sed Hyginus Fab. 7. lectionem vulgatam confirmat his verbis : *Antiope ſtuprata ab Epopeo, a Lyco viro ſuo ejecta eſt. hanc viduam Juppiter compreſſit. at Lycus Dircen in matrimonium duxit, cui ſuſpicio incidit, clam virum ſuum cum Antiopa* (captiva) *conſueviſſe*. &c. Lycus Thebanorum Rex Hygino & Apollodoro locis antedictis ; frater Nyƈteos, cui & regnum reliquit. Hyginus Fab. 8. Ab Amphione tandem ac Zetho, quos Antiope Jovi pepererat, interfectus eſt. PASS. *Teſtis erit Dirce*. Propertii mens eſt : Vel ſola Dirce exemplo eſſe poteſt, quam impotenter ſoleatis (a *mulieres*) ſævire, ubi aliquid de pellice ſocii lecti ſuſpicamini. porro iſtud *tam vero crimine* tam quam ſi foret faciſlimum, ſicco pede tranſierunt omnes. *verum crimen* eſt verum ac juſtum crimen : quod Catullus extuliſſet *crimen non crimen*. facinus piaculare reputabat Dirce, ſi cum Lyco Antiope compoſuiſſet latus : id vero Antiopæ, ſi fuiſſet vel maxime deprehenſa, crimini dari non poterat, utpote quam Lycus habuerat in matrimonio ante Dircen. recte itaque *verum crimen*, juſtum, legitimum, non iniquum. Horatius L. 1. Epiſt. 7.

Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede, verum eſt.

Priſcianus L. 18. *Noſtri quoque Verum pro juſto, & Juſtum pro vero, frequenter ponunt*. Ad Dirces hiſtoriam, præter Hyginum atque Apollodorum, conferre non nihil poteſt vetus Papinii interpres Lutatius ad L. 3. Theb. v. 205. ad L. 4. v. 570. ad L. 7. v. 189. ad L. 9. v. 423. & Pauſanias in Bœoticis. Inter hunc verſum, & eum qui proxime præcedit, lacuna eſt aliquot diſtichorum, quamquam nulla apparet in manuſcriptis : niſi quod in uno Colbertino eſt diſtinctio, cum hac epigrapha, FABULA ANTHIOPE. Ita collige. oboluerat Cynthiæ, ſolere aliquando cum Lycinna ſuum Aurelium. id nunc ipſe faſſus, ait in ea ſe ſe amoris tirocinium poſuiſſe ; nimirum dum licebat, & ſolutis frenis paſſim ire poterat. poſt adamatam vero Cynthiam nullum ſibi amplius commercium fuiſſe cum Lycinna. ipſam itaque minus recte facturam, ſi, ducta ſuſpicione futili atque inani, durius habere velit puellam immerentem. Ei ſe deprecatorem venire. feminæ enim quam ultra modum ſoleant ſævire in

vindi-

Ah quoties pulcros ussit regina capillos,
Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah quoties famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in dura ponere jussit humo!

vindicando hoc crimine, sive vero, sive falso, nimis miserabili exemplo docuisse Dirces immanem atque crudelem animum. quæ tamen ipsa debitas tanto sceleri pœnas dederit. Hæc optime conveniunt cum versu 43.

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
BROUKH.

Testis eris Dirce. Nolim me fidejussorem præbere explicationi elegantissimi Broukhusii, qui putat, *vero crimine*, significare, justo & legitimo. Si crimen sumas pro delicto, nulla sunt delicta justa & legitima: si pro accusatione, injusta & iniqua erat accusatio, quum Lycus Antiopæ accumbens, jure maritali uteretur. Ego ita interpretor: Testis erit Dirce, mulierum adversus pellices iram vehementissimam & acerrimam esse, quæ tam crudelem se præstitit in vero crimine, seu accusatione; videlicet quum ipsi nuntiatum fuisset, Antiopen Nyctei filiam, captivam, cum Lyco viro suo uno in lecto cubuisse. Ne quid autem dissimulem, statim ante hoc distichon, illud collocandum est, quod legitur sub finem Elegiæ:

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
Nescit vestra semel ira referre pedem.

His transpositis versibus, omnia cohærebunt, & lacuna tolletur. Scaliger, qui tam acutum cernebat, hanc Elegiam lippus tractavit, & inunctis oculis. *Nycteos Antiopen*. Hyginus pariter initio Fabulæ 9. *Amphion & Zethus, Jovis & Antiopes Nyctei, filii*. Ovidius lib. 6. Metam. v. 110.

Addidit, ut Satyri celatus imagine pulcram
Juppiter implerit gemino Nycteida fœtu.
VULP.

v. 13. AH QUOTIES PULCROS USSIT REGINA CAPILLOS] Sæviit in pellicem etiam flammis, capillos urendo. ut Eleg. 8. sup. *Oculos exurere*. ubi & *Invadere capillos*. *Usta capillo*, dixit Tibullus. Eleg. ult. lib. 1. [sed ibi sermo est de umbris mortuorum, quas flammarum rogi vestigia servare, putabant veteres.] Ovidius Epist. Briseid.

Neve meos coram scindi patiare capillos.

Quum inquit, *Pulcros capillos*, εὐπλόκαμον ἢ καλλιπλόκαμον significat. PASS. Aut *ussit*, aut *jussit*, habent omnes libri. unus Regius, *traxit*: quo modo Aldina, ejusque traduces, Gryphiana, ac Plantiniana. verum est τὸ *ussit*. Tibullus Eleg. 10. L. 1. *Ure meum potius flamma caput*. BROUKH. *Ussit*, etiam Editio princeps A. 1472. Potuit nempe Dirce miseram Antiopen in solario, vel aprica planitie ardentibus Solis radiis exponere, ut capilli ejus exurerentur. Sane Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Uretur facies, urentur Sole capilli.

Sed nescio quo modo τὸ *traxit*, magis arridet: capillos enim ancillarum trahere, & figere manus in ora, (quod sequitur in pentametro) matronis iratis frequens. VULP.

v. 14. MOLLIAQUE IMMITES FIXIT IN ORA MANUS] Teneram ejus faciem & genas unguibus appetiit. Sic Eleg. 9. lib. 4.

Phyllidis iratos in vultum conjicit ungues.

Immites, duras: nam mite, molle. unde sævas vult intelligi. Elegia quoque ult. lib. 4.

Num minus immites habui Cornelia Parcas?

Proprie Horatius Ode 5. lib. 2. *Tolle cupidinem Immitis uvæ*. Idem translate Ode 33. lib. 1. *Memor Immitis Glyceræ*. vide Nonium in *Mitis*. PASS.

v. 15. AH QUOTIES FAMULAM PENSIS ONERAVIT INIQUIS] Lanam ei putandam dedit majoris ponderis, quam ut opus diurnum facere posset. Sic & Elegia 7. lib. 4.

Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.

Onerare pensis, ut Eleg. 30. lib. 2. *Onerentur legibus aures*. *Onerare injuriis, contumeliis, mendaciis*, dixerunt Cicero ac Terentius. *Iniquis pensis*, ut Virgilius 1. Georg. *Iniquo pondere rastri*, & 3. Georg. *Injusto sub fasce viam dum carpit*. Noster Elegia 7. lib. 1. *Injustas minas*, graves. Sic Tibullus Eleg. 3. lib. 2. *Gravibus pensis affixa puella*.

Sæpe illam immundis passa est habitare tenebris:
Vilem jejunæ sæpe negavit aquam.

Juppi-

Famulam, captivam. nam expugnata Sicyone, quo confugerat, Lycus abduxit captivam. *Famel* Oscè, servus. unde *Famuli*, & *familia*, & *famulitium* Festo, & *familitas* Nonio. itaque sequitur mox:

Si deus es, tibi turpe, tuam servire puellam. PASS.

v. 16. ET CAPUT IN DURA PONERE JUSSIT HUMO] Coëgit humi jacere, ubi dura illi quies, & inquieta. *Jussit*, coëgit. dixi ad Eleg. 33. lib. 2. v. 9. *Ponere caput*, est dormiturientis. Virgilius 5. Æneid.

Pone caput, fessosque oculos furare labori.

& 3. Æneid. *Cervicem inflexam posuit*. Plautus Curcul. *Caput deponit, condormiscit*. *In humo dura*, Ovidius Eleg. 10. lib. 3. Amor,

Ergo ego sustinui foribus tam sæpe repulsus
Ingenuum duro ponere corpus humo?

Ea est *dura quies* Eleg. 18. lib. 1. v. 28. Seneca Consolat. ad Helviam cap. 10. *Majores nostri, quibus terra cubile erat*. PASS.

v. 17. SÆPE ILLAM IMMUNDIS PASSA EST HABITARE TENEBRIS] Ut erat Dirce duro ingenio, Antiopam esse in obscuro loco & squallido sustinuit. Contra Elegia 18. lib. 2.

At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa jacere domo est.

Immundis tenebris, tætro & pædido carcere. Virgilius 6. Æneid. *Clausæ tenebris & carcere cæco*. Sic Eleg. 5. lib. 4. *Immundo pallida mitra situ*. Quod autem hic ait *Immundis*, & sup. *Ponere caput in dura humo*, id respondet verbis Pacuvii in Antiopa apud Charisium lib. 1.

Perdita illuvie, atque insomnia. PASS.

v. 18. VILEM JEJUNÆ SÆPE NEGAVIT AQUAM] Aquam negare immane est. *Vilem*, propter copiam: alioqui ejus usus pernecessarius; unde ἄριστον ὕδωρ Pindaro. Sic Horatius Sat. 5. lib. 1. *Venit vilissima rerum Hic aqua*. Plautus Rud. 4, 2. *Cur tu aquam gravare, amabo, quam hostis hosti commodat?* Virgilius 7. Æneid. *Cunctis undamque, auramque patentem*. Plato in Euthydemo: Τὸ γὰρ σπάνιον, ὦ Εὐθύδημε, τίμιον· τὸ δὲ ὕδωρ εὐωνότατον ἄριστον ὄν, ὡς ἔφη Πίνδαρος. *Rarum enim, o Euthydeme, pretiosum, aqua tamen maxime parabilis est, & vilissimi pretii, licet optima, ut ait Pindarus*. Ut hic *vilem aquam*, ita & Eleg. 10. lib. 2. *vilia tura* vocat. ubi vide adnotata. dixit *Jejunæ*, quia jejunii comes sitis, & famelicos sitis torquet magis, quam inedia. Vide Eleg. 5. lib. 4. v. 4. PASS. *Vilem aquam*. Ubique prostantem, ad usum communem omnium animantium. Lena illa apud Plautum Asin. 1, 3, 46. *Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo: Cetera quæque volumus uti, Græca mercamur fide*. Hinc acerba conquestio Latonæ apud Ovidium 6. Metam. cui a partu sitienti, haustum paludis crudeles rustici negaverant:

Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est.
Nec solem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas: ad publica munera veni.

Sextus Empiricus lib. 1. Pyrrhon. Hypotyp. cap. 14. disputat, Quæ rara sunt, in pretio haberi: at ea inter quæ vivimus, & ea quæ sunt in medio posita, nequaquam. etenim si aquam raro reperiri fingamus, quanto ea pretiosior esse, ait, nobis videatur omnibus quæ in pretio habemus? Platonem, credo, exscripsit Empiricus. Huc pertinet locus insignis L. Senecæ Nat. Quæst. lib. 4. cap. ult. *Quum quærimus*, ait, *quomodo nix fiat, & dicimus, illam pruinæ similem habere naturam, plus illi spiritus, quam aquæ inesse; non putas exprobari illis, quum emere aquam turpe sit, si nec aquam quidem emunt?* loquitur de nivali potione. Et infra: *Quid hac diligentia consecuti sumus? nempe, ut gratuitam mercemur aquam*. Et rursus: *Itaque ne unum quidem ejus est pretium; sed habet institores aqua; & annonam, proh pudor! variam*. Sunt nihilominus loca nonnulla, ubi aquæ puræ magna penuria. Martialis Epigr. 56. lib. 3.

Sit cisterna mihi, quam vinea, malo Ravennæ:
Quum possim multo vendere pluris aquam.

VULP.

v. 19.

Juppiter, Antiopæ nuſquam ſuccurris habenti
 Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe, tuam ſervire puellam.
 Invocet Antiope quem, niſi, vincta, Jovem?
Sola tamen, quæcumque aderant in corpore vires,
 Regales manicas rupit utraque manu.

v. 19. JUPPITER, ANTIOPÆ NUSQUAM SUCCURRIS HABENTI TOT MALA? CORRUMPIT DURA CATENA MANUS] Opem non fers ferenti tot mala? *Nuſquam*, pro non. Plautus, Terentius, Donatus. ſic Eleg. 12. lib. 2.

Evolat hei noſtro quoniam de pectore nuſquam.

Succurrere, proprie ſubvenire. ut Eleg. 5. lib. 1.

Nec tibi nobilitas poterit ſuccurrere amanti.

& Eleg. 16. lib. 2. v. 13. *Habenti mala*. Plautus Amphitr. *Magnum malum habebis, ſi hic ſuum officium facis*. Catullus Carm. 39. *Hunc habet morbum*. A. Gellius lib. 17. cap. 9. *Oculos ægros habere*. Noſter Eleg. 11. lib. 3. *Habere metum*. *Tot mala*: unde Pacuvius apud Perſium Sat. 1.

Antiopa ærumnis cor luctificabile fulta.

Corrumpit manus. ita Eleg. 4. lib. 2. *Immeritos corrumpas dentibus ungues*. Cæſar de Bello Civili: *Corrupti equi macie*. Similiter Eleg. 7. ſup.

Et duro teneras lædere fune manus.

Dura catena. ut Ovidius libro 1. Amor. Eleg. 6.

Janitor (indignum) dura religate catena.

Catenam paullo poſt *Manicas* vocat. PASS. *Habenti Tot mala*. cave quidquam mutes. Valerius Flaccus Lib. 1. initio:

Eripe me populis & habenti nubila terræ,
Sancte pater. BROUKH.

Nuſquam ſuccurris. Horatius pariter Sat. 5. v. 101. *Ergo nunc Dama ſodalis Nuſquam eſt?* nempe, non amplius eſt, mortuus eſt. VULP.

v. 21. SI DEUS ES, TIBI TURPE, TUAM SERVIRE PUELLAM] Id eſt, amicam tuam ancillari, & captivam eſſe, turpe tibi; nam dicêris ancillam amaſſe. *Si deus es*, quum deus ſis. Ovidius 13. Metam. *Quæ ſi dii ſunt, non vana precaris*. Virgilius 1. Æneid. *Si qua pios reſpectant numina*. Deum autem Jovem non eſſe, tacite indicavit Eleg. 1. ſup.

Idæum Simoënta Jovis cunabula parvi.

Jovem autem ſuum ſolet irridere, ut Elegia 11. ſup. v. 18. & 66. Eleg. 3. v. 12. Eleg. ult. lib. 2. v. 18. & Eleg. 24. infra v. 20. Qui ancillas amat, dicitur *ancillariolus* apud Martialem lib. 12. Epigr. 58. De eo Horatius Ode 4. lib. 2. *Ne ſit ancillæ tibi amor pudori*. *Turpe*; ut Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 17.

Si quis erit, qui turpe putet ſervire puellæ,
 Illo convincar judice turpis ego. PASS.

Contendit Broukhuſius, meliorem eſſe lectionem & erectiorem ſui primi codicis, itemque Groningani, Borrichiani, ac Commeliniani apud Gebhardum, *tibi turpe tuam ſervare puellam?* ſed nullo modo perſuadet: eſt enim vulgata lectione omnino deterior. Indicat nihilominus locum Plauti Pœn. 5, 2. quo ſe tueri vulgata utcumque poſſit:

Si frugi eſſe vis,
Eas liberali jam aſſeras cauſſa manu.
Nam tuum flagitium 'ſt tuas populareis te pati
Servire ante oculos, domi quæ fuerint liberæ. VULP.

v. 22. INVOCET ANTIOPE QUEM, NISI, VINCTA, JOVEM?] Cujus opem imploret in vinculis & carcere, niſi Jovis amatoris ſui, & ex quo geminos peperit, ut ab eo ſolvatur? PASS.

v. 23. SOLA TAMEN, QUÆCUMQUE ADERANT IN CORPORE VIRES, REGALES MANICAS RUPIT UTRAQUE MANU] Hyginus contra Fab. 7. *Poſtquam partus inſtabat, effugit e vinculis, Jovis voluntate, in montem Citheronem*. Et Apollodorus lib. 3. τῶν δεσμῶν αὐτομάτως λυθέντων, vinculis ultro ſolutis, ad filiorum, ait, ſe domicilium contuliſſe. *Sola tamen*; ſubaudi Quamvis: ut Eleg. 7. ſupra:

Inde Cithæronis timido pede currit in arces.
Nox erat, & sparso triste cubile gelu.
Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominæ pone venire pedes.

Et

Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis.

Quæcumque, pro quantulæcumque; quia vires attritæ erant vinculis, & inedia. Sic Eleg. 4. lib. 1. *Vita quodcumque sequetur*. id est, quantulumcumque. *Rupit manicas*. ut Eleg. 20. lib. 2. *Æratas rumpam, mea vita, catenas*. Manica a manu. Plautus Asin. *Ubi manus manicæ complexæ sunt*. Nonius in *Manicæ*. *Regales*, inditas sibi regis & reginæ jussu. Cornelius Fronto: *Regium, quod regis est: Regale, quod rege dignum*. Sic *Mensæ regales, regalis luxus*; *Regalia arma* Eleg. 4. lib. 4. *Utraque manu*, vi summa. vide adnotata ad Eleg. 3. sup. v. 36. PASS. *Manicas*. de catenis loquitur Virgilius L. 2. Æn.

Ipse viro primus manicas, atque arcta levari
Vincla jubet Priamus.

Lucilius L. 30. Sat.

Sic laqueis, manicis, pedicis mens irretita est. BROUKH.

Ovidius Nuce v. 71.

Corpora præbemus plagis, ut sæpe sagittis,
Quum populus manicas deposuisse vetat.

Significat damnatum hominem, vinctis manibus, & sagittis expositum. VULP.

v. 25. INDE CITHÆRONIS TIMIDO PEDE CURRIT IN ARCES] Id est, juga & vertices, quia inde arceri hostes facilius possunt. ut Eleg. 5. sup. *Mundi arces*, cælum ipsum altissimum vocat. Virgilius 2. Georg. de urbe Roma:

Septemque una sibi muro circumdedit arces.

quæ ipse Eleg. 11. sup. *Septem juga* vocat. Idem 4. Georg. *Rhodopeiæ arces*, montes Thracii, Hæmus & Ismarus. & 3. Æneid. *Caulonisque arces*. *Timido pede*, ipsa timida. ut Eleg. 25. lib. 2. *Invitis ipse redit pedibus*. De Cithærone dictum ad Eleg. 2. sup. v. 5. PASS.

v. 26. NOX ERAT, ET SPARSO TRISTE CUBILE GELU] Sic Ovidius 1. Fast.

Nox erat, & vino somnum facientia jacebant.

Nox erat. ideo fugæ major occasio. *Triste cubile*, durum & frigidum, ipsa terra. sub dio enim jacere cogebatur. sic sup. jussa erat ponere caput in dura humo. hoc triste & durum cubile, cui accessit etiam gelu, quod tristes homines reddit. Virgilius 4. Georg.

Et quum tristis hiems etiamnum frigore saxa
Rumperet.

An loquitur de ipso solo montis? Virgilius 3. Georg. de tauro: *Inter*

Dura jacet pernox instrato saxa cubili.

Idem 9. Æneid. *Durumque cubile Inarime*. *Triste cubile*, ut *Tristis domus* sup. Eleg. 6. *Gelu*, ut Eleg. 16. lib. 1.

Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.

Sparso. Sic Ovidius Epist. Ariadnæ:

Tempus erat vitrea quo primum terra pruina
Spargitur.

An est hypallage, pro, Sparsum cubile tristi gelu? Attius Prometheo apud Nonium: *Profusus flamine hiberno gelus*. ut hic *sparsum*. Afranius Epist. *Quis tu es ventoso in loco Soleatus intempesta nocte, sub divo Aperto capite, silices quum findat gelus?* Palmerius legit, *passo gelu*; quia passa & arida facit omnia. ut *passi renes* Lucillio; & Horatio *Rugosus frigore pampus*. PASS. *Cubile*. solum terræ. Cicero Tusc. 5. *Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictus est Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, cubile terra, pulpamentum fames*. Seneca pariter Consol. ad Helviam cap. 10. *Majores nostri* . . . . *quibus terra cubile erat*. Idem Epist. 5. *cubile humi positum* memorat .. Præterea Corn. Celsus lib. 2. Medicinæ cap. 3. *Extenuat corpus* . . . . *lectus, per æstatem, terra*. VULP.

v. 27. SÆPE VAGO ASOPI SONITU PERMOTA FLUENTIS] Id est perterrita. Permotiones Ciceroni perturbationes in quibus metus & terror. Est autem hypallage, *Vago sonitu Asopi*. pro, vagi Asopi; nam vaga flumina, ut Eleg. 20. lib. 1. *Vago fluminis hospitio*. *Sonitu fluentis*, labentis cum murmure. unde *fluentisonus*. Catullus Carm. 63. & Virgilius 12. Æneid. *fluminibus*

Et durum Zethum, & lacrimis Amphiona mollem
Experta eſt ſtabulis mater abacta ſuis.

Ac

nibus ſonorio. Homerus Iliad. 6. dixit *ποταμὸν κελάδοντα*. Theocritus quoque in Encomio Ptolemæi :

Καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ·

In Sibyllæ acroſtich. *Σὺν πηγαῖς ποταμοὶ καχλάζοντες λείπουσι*. Aſopus autem Straboni libro 8. fluvius eſt præter Thebas fluens , & Cithæronis radices alluens , ut idem ait lib. 9. Libro autem 8. plures ejuſdem nominis enumerat . Vide Callimachum Hymno in Delum v. 78. & ibi Scholiaſten. Fluvii Aſopi filia Antiopa credita eſt : Pauſanias Corinthiacis. PASS. *Aſopi ſonitu p. fluentis*. fluit enim rapide , ut decet animoſum amnem , qui non timuit olim contra ipſum Jovem arma ſumere. vide Papinium L. 7. Theb. BROUKH.

v. 28. CREDEBAT DOMINÆ PONE VENIRE PEDES] Credebat, licet falſo, ipſam dominam Dircen a tergo venire , vel , Credebat , illum ſonitum fluminis eſſe pedum dominæ venientis , ut retraheret fugitivam . Virgilius lib. 2. Æneid. *Subito quum creber ad aures Viſus adeſſe pedum ſonitus*. Ennius Thyeſte apud Nonium in *Crepare*, pro ferire : *Sed ſonitus aures meas pedum pulſu increpat*. Ovidius lib. 5. Metam. in Fabula Arethuſæ :

Vidi præcedere longam
Ante pedes umbram, niſi ſi timor illa videbat.
Sed certe ſonituque pedum terrebar.

Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Procul que
Cognoſcit ſtrepitus me veniente pedum.

& Eleg. 8.

Quodcumque movetur,
Illius credo tunc ſonuiſſe pedes.

Vide Horatium Ode 23. lib. 1. de inani terrore . *Pone* , ὄπισθεν . Modo præpoſitio eſt, ut in Plauti Curcul. *Nequeo quod pone me eſt ſervare*. Ibid. *Pone ædem Caſtoris*. modo adverbium , ut hic , & apud Virgilium 2. Æneid. *Pone ſubit conjux*. & , *Pars cetera pontum Pone legit*. id eſt, retro , inquit Servius . Apud Feſtum : *Pone gravi ſono antiqui utebantur pro loci ſignificatione . Dixit & Cato pone verſus , & pone verſum ;* Chariſius lib. 1. *Venire pedes*, ut Eleg. 12. lib. 2. *Molliter ire pedes*. PASS.

v. 29. ET DURUM ZETHUM, ET LACRIMIS AMPHIONA MOLLEM EXPERTA EST STABULIS MATER ABACTA SUIS] Si *τὸ lacrimis* iterandum eſt , ita *durum lacrimis* dixit cum tertio caſu , ut Virgilius , *Scipiadas duros bello*. & ſignificat , qui vix flere poſſet . Vel *durum* ſimpliciter , ſævum ; eo enim fuit ingenio Zethus , ut Amphion miti : ille paſtor , hic citharœdus . Apollodorus : Ζῆθος ἐπεμελεῖτο βουφορβίων : *curam agebat armentorum* , ſive armentarius erat . Horatius Epiſt. 18. lib. 1. *Severum* vocat . *Mollem lacrimis Amphiona* : qui facile caſibus aliorum illacrimaret , ingenio mitem ac miſericordem . vulgo *Tendre à pleurer*. ἀειδάκρυς Ἀμφίων , Ζῆθος ἀδάκρυτος καὶ ἄκλαυστος . Exſtat Græcorum proverbium apud Zenodotum : Ἀγαθοὶ δ' ἀειδάκρυες ἄνδρες . *boni viri lacrimabiles*. Contra Pluto Horatio Ode 14. lib. 2. *illacrimabilis*. *Mollis lacrimis* , ut Eleg. 7. lib. 1. Juvenalis Sat. 15.

Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacrimas dedit.

Experta. ſenſit. Eleg. 13. ſup. v. ult. *Abacta ſtabulis*. at recepta & admiſſa non eſt. nam Zethus recipere noluit , quia fugitivam arbitraretur . Hyginus Fab. 8. Ergo *Abacta* dictum ut *Dejectus* apud Ciceronem pro Cæcina , qui non ingreſſus in fundum , & *excluſus* , qui prohibitus ingreſſu . *Abacta* ; loquitur de muliere ut de armento . Eleg. 10. lib. 4. *Juvencas Egerat a ſtabulis*. Abigere , verbum furti paſtoritii . unde *abigei* , & *abactores* , & *abigeatus* crimen . Interdum tamen *abactus* ſignificat prohibitum . Horatius Epodo 5. *Abacta nulla Veja conſcientia*. & Sat. 2. l. 2. *Necdum omnis abacta Pauperies epulis regum*. De hoc Antiopæ negotio Pacuvius Antiopa apud Nonium in *Amolior* : *Nunc hinc vos propere ſtabulis amolimini ?* verba Zethi opinor matrem ignotam repellentis . & apud eumdem Nonium in *Miniſtabiliter* : *Miniſtabiliterque increpare dictis ſævis incipit*. *Suis* , vel illorum : vel quia filia regis Thebanorum Nyctcos ,

Ac veluti magnos quum ponunt æquora motus,
  Eurus in adverſos deſinit ire notos,
Litore ſi tacito ſonitus rareſcit arenæ:
  Sic cadit inflexo lapſa puella genu.
Sera tamen pietas; natis eſt cognitus error.
  Digne Jovis natos qui tueare ſenex.

Tu

ſteos, & uxor quondam Lyci. PASS. *Durum Zethum*. Seneca Herc. Fur. v. 917. *trutem* vocat. BROUKH.

v. 31. AC VELUTI MAGNOS QUUM PONUNT ÆQUORA MOTUS] Quum moveri deſinunt, & tranquillantur. Dixit Elegia 10. ſupra:

Ponat & in ſicco molliter unda minas.

ubi vide adnotata. *Motus*; Horatio *Æquoris fremitum*. Ovidius lib. 2. Faſt.

Ut ſolet a magno fluctus langueſcere flatu. PASS.

Super hac locutione, *ac veluti*, videndus Erythræus Ind. Virgil. in *At*. *fluctus* habet Groninganus. puto eſſe gloſſema τοῦ *motus*. BROUKH.

v. 32. EURUS IN ADVERSOS DESINIT IRE NOTOS] Congredi & prœliari. nam *ire in adverſos* id ſignificat. ut Virgilius 11. Æn. *Imus in adverſos? quid ceſſas?* De prœliis ventorum Horatius Ode 9. lib. 1. *Stravere ventos æquore fervido Deprœliantes*. *Adverſos*, pro diverſos poſuit. Nam Eurus & Notus affines; unde Euronotus. De Euro vide plura ad Eleg. 5. lib. 3. v. 30. PASS. Aut *notos* pro ventis quibuslibet ſimpliciter poſuit. VULP.

v. 33. LITORE SIC TACITO SONITUS RARESCIT ARENÆ] Scaliger legit, *Litore ſi tacito*, nec explicat. *Litore tacito*; nam litora in tempeſtate ſonant. unde Virgilius 1. Georg. *Reſonantia late Litora miſceri*. & Catullus Carm. 11. *Litus longe reſonans*. τὸ *Sic* non eſt adverbium ſimilitudinis, nam alterum *Sic* ſequitur. ſed vel temporis, pro tunc: vel qualitatis pro omnino. Donatus in Andriam docet, *ſic* interdum eſſe αὔτως pro οὕτως, leviter, negligenter, languide. Noſter Eleg. 20. lib. 2.

Quid quereris, noſtram ſic cecidiſſe fidem?

pro, adeo & prorſus. *Rareſcit ſonitus*. rarius fit murmur in arena fluctibus jam ſedatis. Contra Virgilius [lib. 1. Georg. v. 359. *Nemorum increbeſcere murmur*.] & 2. Æneid. *Crebeſcunt ſonitus*. PASS. Marone prior Catullus Carm. 63. v. 274. *undæ vento creſcente magis magis increbeſcunt*. V. *Litore ſic tacito*. *Si* legendum eſt, non *ſic*: neque audiendus Paſſeratius, Scaligero obſtrepens, in hoc dumtaxat ut obſtrepat. BROUKH.

v. 34. SIC CADIT INFLEXO LAPSA PUELLA GENU] Liquitur, defecta viribus, & defeſſa ruit. Sic Eleg. 3. lib. 1. *Feſſa concidit*. Mira comparatio. ut deſinente tempeſtate fluctus & venti fracti & feſſi cadunt; ſic feſſa cadit Antiopa. *Lapſa cadit*, διὰ τὸ αὐτό. ut Eleg. 4. lib. 4.

Ipſaque in Oceanum ſidera lapſa cadunt.

Vetus poeta apud Ciceronem 3. Tuſc. *Ut ſcias quanto e loco, Quantis opibus, quibus de rebus lapſa fortuna occidit*. Furius apud Macrobium: *Lapſuſque in humum defluxit*. *Genu inflexo*, ut Eleg. 9. ſup. v. 6. ubi vide adnotata. PASS. Noſter primas, unuſque Gebhardi, *laſſo*. ſed nihil refingendum. Virgilius L. 6. Æn.

Quam multa in ſilvis autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia. BROUKH.

Languidum hunc deficientis Antiopæ lapſum & caſum, pulcherrima ventorum & fluctuum comparatione a Propertio expreſſum, Lucretius dixiſſet *ſuavem terræ petitum*. vide lib. 3. v. 173. *puella*, ἀκύρως, & blandientis more. nam quomodo puella, quæ adultos filios habebat, Zethum paſtorem, Amphionem citharœdum? VULP.

v. 35. SERA, TAMEN PIETAS, NATIS EST COGNITUS ERROR] Vide adnotata ad Eleg. 4. ſup. v. 5. *Pietas*, officium in matrem, in ea agnoſcenda, & ulciſcenda ejus injuria. *Cognitus error*. intellexerunt ſe deceptos. PASS. Errabant nati, neque noverant ſuam ipſorum matrem. Hyginus Fab. 8.

Ea,

Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope cognosce Jovem. tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.

Prata

Ea, occasione nacta, fuga se mandavit. Devenit ad filios suos. Ex quibus Zethus existimans fugitivam, non recepit. ------- Sed ab educatore pastore adolescentes certiores facti, eam esse matrem suam, celeriter consecuti, matrem eripuerunt. BROUKH.

v. 36. DIGNE JOVIS NATOS QUI TUEARE SENEX] Eadem formula loquendi Cicero 3. Offic. *Dignus quicum in tenebris mices.* *Tueare*, educes & custodias. *Senex*, pastor scilicet, qui reperisti parvulos, educasti, & certiores fecisti eos, Antiopen esse illorum matrem. Hyginus Fab. 8. Sic *vester senex*, de Epicuro, Eleg. ult. lib. 2. *Jovis natos.* διὸς κόρους. Apud Pausaniam Corinthiacis, Jovis & Epopei filii dicuntur ex Antiopa. *Duo gnati Jovis* vocantur a Plauto in Pseud. PASS. Mirum, istius senis nomen tam fuisse ignorabile. Apollodorus βουκόλον vocat; *pastorem* Hyginus, & Lutatius. nihil ultra. BROUKH. Convertit sermonem ad bubulcum, qui Zethum & Amphiona, materni avi jussu expositos, sustulerat, nutrierat, & educaverat. VULP.

v. 37. TU REDDIS PUERIS MATREM, PUERIQUE TRAHENDAM VINXERUNT DIRCEN SUB TRUCIS ORA BOVIS] Sic Plautus Pseud. 1, 2, 65. *Ut te quasi Dircam olim, ut memorant, duo gnati Jovis Devinxere ad taurum, item hodie stringam ad carnarium. Id tibi profecto taurus fiet.* Hyginus Fab. 7. *Qui postquam matrem agnoverunt, Dircen ad taurum indomitum deligatam vita privarunt; ex cujus corpore fons in Cithærone natus est, qui Dircæus est appellatus; Liberi beneficio, quod ejus Baccha fuerat.* Idem Fab. 9. *Dircen ad taurum crinibus religatam necant.* Apollodorus lib. 3. Τὴν δὲ Δίρκην τοῦ δὲ ἀνδρὸς ἐκ ταύρου θανάτου ῥίπτουσιν εἰς κρήνην τὴν ἀπ᾽ ἐκείνης καλουμένην Δίρκην. Ovidius in Ibin:

Perque feros montes tauro rapiente traharis,
Ut tracta est conjux imperiosa Lyci.

Tu reddis, restituis, ut e periculo, & ut rem caram cupientibus. Donatus in illud Eunuchi: *Ut suis restituam, ac reddam: Restituimur iis quibus nos volumus: Reddimur iis qui nos volunt. Restituimus volentem: Reddimus volentibus.* Horatius Sat. 1. l. 1.

Medicum roget, ut te
Sustinet, ac reddat natis, carisque propinquis.

Pueris, pro liberis, ut *Semeles puer* Horatio; quæ significatio addenda ad tres quas commemorat Paulus I. C. L. *Pueri De Verb. Signif.* Huc pertinet versus Pacuvii ex Antiopa apud Nonium in *Propages*: *Salvete gemini mea propages sanguinis.* *Sub trucis ora bovis.* ad cervices indomiti tauri, ut vocat Hyginus. *Trucis bovis.* vide adnotata ad Eleg. ult. lib. 2. v. 50. PASS. Seneca Thebaide:

Vel qua cucurrit, corpus invisum trahens,
Zethi juvencus, qua per horrentes rubos
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas.

Superest etiam nunc Romæ in pictura [*an potius marmore?*] Dirce a tauro tracta. Super qua videndus Andreas Schottus in Observationibus Humanis. ubi & veterum scriptorum loca, qui hujus tauri meminerunt, tamquam in uno fasciculo comprehenduntur. iis tu adjicere potes notata Lutatio in Papin. L. 3. Theb. v. 205. in L. 4. v. 570. quæ Schottus prætermisit. BR.

v. 39. ANTIOPE COGNOSCE JOVEM. TIBI GLORIA DIRCE DUCITUR, IN MULTIS MORTEM HABITURA LOCIS] Vim numinis & opem agnosce; & fatere, Jovem deum esse. Virgilius Ecl. 1. *Præsentes cognoscere divos.* & lib. 12. Æneid. *Accipio agnoscoque deos.* *Cognoscere*, inquit Donatus, *est plena perspicacia.* *Tibi gloria Dirce Ducitur*, tibi veluti triumphus de hoste. & *gloria* cum tertio casu, ut adnotatum ad Eleg. 9. sup. v. 9. & *το tibi* iterandum. *Tibi gloria, tibi ducitur.* id est, in ultionem injuriæ tuæ. *Ducitur*, pro rapitur, & trahitur, μεθέλκεται. Sic Juvenalis Sat. 10. *Sejanus ducitur unco.* Contra Eleg. 3. lib. 4. *Tractu*, pro ductu. Ducuntur autem judicati & damnati. Cicero 2. de Orat. *Qui judicatum duci videbat.* Ducitur & ad supplicium, & in triumphum; ut Eleg. 6. lib. 4.

Du-

Prata cruentantur Zethi, victorque canebat
Pæana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
Nescit vestra ruens ira referre pedem.

Fabu-

Ductus erat per quas ante Jugurtha vias.

Mortem habitura in multis locis. cujus mors, id est funus lacerum, mille locis spargetur. De morte pro funere dictum ad illud Elegia 13. lib. 2.

Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Cicero pro Milone: *Mortem lacerari.* Virgilius 9. Æneid. *Quæ nunc artus, avulsaque membra, Et funus lacerum tellus habet.* & 4. Georg.

Discerptum latos juvenem sparsere per agros.

& 8. Æneid.

Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per silvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.

Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 9.

Atque ita divellit, divulsaque membra per agros
Dissipat, in multis invenienda locis.

Mortem habitura. ut sup. *habenti eoe mala.* & Ovidius 13. Metam.

Viveret, aut certe letum sine crimine haberet. PASS.

v. 41. PRATA CRUENTANTUR ZETHI, VICTORQUE CANEBAT PÆANA AMPHION RUPE, ARACYNTHE, TUA] At in Cithærone tracta Dirce Hygino, & Ovidio in Ibin, locis ante allatis. Beroaldus videtur legisse *Zetho*, quia exponit, a Zetho. *Prata Zethi*, in quibus armenta pascere solebat. *Cruentantur*, cruore inficiuntur. Sic Elegia 8. lib. 4.

Imponitque notans collo, morsuque cruentat.

Victor canebat Pæana. ipse Amphion suæ victoriæ & ultionis præco erat; quamvis enim, ut ait Virgilius 2. Æneid. *nullum memorabile nomen Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem*, gaudebat tamen, & se laudatum iri sperabat, quod *nefas extinxisset*, & *merentis pœnas sumsisset.* *Pæana canebat.* Sic Virgilius eodem libro: *Lætumque chorø pæana canentes.* ubi Servius, *Laudes Apollinis*, inquit, *proprie: abusive, omnium deorum.* Varro lib. 15. Rer. Div. apud Macrobium lib. 3. Saturn. *Quod Græci παιανίζειν, Latini vitulari, quod est voce & cantu lætitiam testari.* unde vitula, victoria. Suidas Pæanum duo genera facit: unum quod Marti ante victoriam canebatur: alterum quod Apollini post prœlium. Apollo Παιὰν dicitur ἀπὸ παίειν, a feriendo & configendo Pythone. Dicitur & παιωνίζειν, quod Aristophanis Interpres explicat ὕμνον παιᾶνα ᾄδειν. Aliis dicitur Pæan ille hymnus παρὰ τὸ παύω, cessare facio; quod in sedanda peste caneretur, quasi παύων. *Rupe, Aracynthe, tua.* ut Eleg. 30. lib. 2. *Scopulis hærere sorores, Et canere.* & apud Virgilium Ecl. 1. de rupe pastor videt capras, nempe de monte. Aracynthus mons Bœotiæ mari proximus, unde dicta Minerva *Aracynthis*: Stephanus περὶ πόλεων. Virgilius Ecl. 2.

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Est & alius Aracynthus in Acarnania. Plinius H. N. lib. 4. cap. 2. Alloquitur hic Aracynthum poeta, ut Eleg. 5. sup. *Clade, Corinthe, tua.* PASS. Hos duos versus sic satis obscuros, nequaquam intellexerunt interpretes, alius alium exscribere contenti. meliora attulit heros Palmerius Grentemenilius, vir & armorum & literarum gloria florentissimus, L. 4. Græciæ antiquæ C. 10. BROUKH.

v. 43. AT TU NON MERITAM PARCAS VEXARE LYCINNAM] Innocentem parcius vexes: vel omnino vexare & male habere desinas. ut Eleg. 15. lib. 1. *Oblitos parce movere deos. Non meritam.* Sic Ovidius l. 1. Trist. Eleg. 6.

Sic ego non meritos, mecum peritura, libellos
Imposui rapidis, viscera nostra, rogis.

Noster Eleg. 29. lib. 2.

Hæc te non meritum totas exspectat in horas. PASS.

v. 44. NESCIT VESTRA RUENS IRA REFERRE PEDEM] Vos iratæ nescitis. ut Eleg. 19. infra:

Nescitis captæ mentis habere modum.

Vestra ira, ut Eleg. 9. lib. 2. *Feminea non constat fœdus in ira.* Catullus Carm. 97.

Dum

Fabula nulla tuas de nobis concitet aures.
Te solam & lignis funeris ustus amem.

ELE-

Dum tibi me purgo, nec possum fletibus ullis
Tantillum vestræ demere sævitiæ.

Vestra ira, ut *vestra libido* Eleg. 19. infra, & Ovidio Epist. Penelopes. *Vestra ira*, vos iratæ, ut Eleg. 18. lib. 1.

Non ita sæva tamen veneris ira mea.

Ruens ira, quæ certo fertur impetu, & præceps, & impotens. De iræ impotentia vide Horatium Ode 16. lib. 1. & de ira effreni mulierum in pellices Ovidium lib. 2. A. A. Ciceroni sæpe, *ruere*, est præcipitem ferri. & *præceps sermo*, est qui referre pedem & revocari non potest. *Referre pedem*. ita Virgilius 4. Georg.

Illa pedem referens casus evaserat omnes.

Idem 6. Æneid. *Revocare gradum*. & 11. Æneid. *Vestigia rettulit*. Ut *Ferre pedem*, ingredi; sic *Referre pedem*, redire. PASS. Eadem locutione usus Horatius Epist. ad Pisones, v. 134.

Nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem referre pudor vetet, atque operis lex. VULP.

v. 45. FABULA NULLA TUAS DE NOBIS CONCITET AURES] Noster Eleg. 32. lib. 2.

Nuper enim de te nostras me lædit ad aures
Rumor. ubi *Rumor de te*, ut hic *Fabula de nobis*: & *Lædit ad aures*, quod hic *aures concitet*. *Fabula*, populi sermo, & invidorum; & fictum crimen. Noster Eleg. 13. lib. 2. *Populi confusa valeto Fabula*. *De nobis*, ut Eleg. 20. lib. 2. quæ tota in hanc sententiam:

De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures.

Concitet aures; commoveat, conturbet, incendat iracundia, vel zelotypia te audientem. Cicero pro Murena: *Si nullius aures voluntatemque violavit*. Virgilius *Aures vulneret*. PASS.

v. 46. TE SOLAM ET LIGNIS FUNERIS USTUS AMEM] Sic Eleg. 7. lib. 2. *Tu mihi sola places*. *Ustus lignis funeris*, mortuus, crematus, rogo consumtus. Noster Eleg. 13. lib. 2. *Quum cinerem me fecerit ardor*. De lignis quibus rogus exstruebatur, Virgilius 6. Æn. *Pinguem tædis & robore secto Ingentem struxere pyram*. *Ustus*, crematus. inde *ustrina*, *ustor*, *bustum*. Et *amem*, pro, etiam amare possim. vel est enallage, pro amabo. Hac de re Eleg. 19. lib. 1.

Illic (apud inferos) *quidquid ero, semper tua dicar imago.*
Trajicit & fati litora magnus amor.

Ibidem:

Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.

Et Eleg. 15. lib. 2.

Hujus ero vivus, mortuus hujus ero. PASS.

Hausit de suo Cicerone, Orat. post reditum ad Quirites C. 10. *Quapropter memoriam vestri beneficii colam benivolentia sempiterna, non solum dum spirabo, sed etiam cum mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt*. BROUKH.

ELEGIA XVI.

NOx media, & dominæ mihi venit epiſtola noſtræ :
Tibure me nulla juſſit adeſſe mora,
Candida qua geminas oſtendunt culmina turres,
Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.

Quid

ARGUMENTUM ELEGIÆ XVI. LIBRI III.] Tibur, quo amica vocaverat, noctu iturus, ait, amantes ab inſidiis tutos eſſe. ceterum mortis periculo honorem funeris opponit; ubi ſepeliri velit, ſignificans. VULP.

v. 1. NOX MEDIA, ET DOMINÆ MIHI VENIT EPISTOLA NOSTRÆ : TIBURE ME MISSA JUSSIT ADESSE MORA] Sic Ovidius 2. Faſt.

Noctis erat medium : quid non amor improbus audet?

Vet. Gloſſ. *Media nox*, μεσονύκτιον, *nox intempeſta*. Varro apud Nonium : *Repente noctis circiter meridiem*. vide adnotata ad Eleg. 10. lib. 1. v. 8. *Dominæ mihi venit epiſtola*. Allatæ ad me ſunt litteræ Cynthiæ. Ovidius Epiſt. Briſeid.

Quam legis, a rapta Briſeide littera venit.
ἐπιστέλλειν, mittere eſt; unde epiſtola. Et *venit Tibure*, & *Tibure juſſit adeſſe*. Jubebant venire ad ſe rus amicæ. Ovidius libro 2. A. A.

Rure erit, & dicet, Venias; (Amor odit inertes)
Si rota defuerit, tu pede carpe viam.

Dixit *adeſſe*, non venire, ut celeritatem oſtenderet & imperium : unde *Ades* ad imperandum. Plautus : *Jam illic ero quum hic me conſpicie eſſe*. Sic Eleg. 23. infra :

Aut dixit, Venias, hodie ceſſabimus una.

Tibure; ubi tum erat, & quo frequenter ibat Cynthia. Eleg. 32. lib. 2.

Curve te in Herculeum deportant eſſeda Tibur?

& illic ſepulta Cynthia. Eleg. 7. lib. 4. v. 85. De Tibure, vide Statium 1. Silv. in Tiburtino Manlii. *Miſſâ morâ*. omiſſa omni cunctatione. Ovidius 2. Faſt. dixit : *Poſitâ venit uterque morâ*. Sic Virgilius 1. Æneid. *Mœſtumque timorem Mittite*. pro, omittite. Sic dicitur, *Rebus relictis aliquid facere*. PASS. *Nox media*, & *dominæ m. v. e. n.* V. Cicero Paradox. 5. C. 1. BROUKH. *Miſſâ morâ*. ita Seneca Thyeſt. v. 706. *Dimiſſâ morâ Aſſiluit aris*. ſed noſtri libri, *nullâ juſſit adeſſe morâ*. ſane *nulla mora eſt*, dixerunt Terentius, Virgilius, Ovidius. BR. *Nox media*. Huc facit elegans Plauti locus initio Curcul. PAL. *Quo ted hoc noctis proficiſci forat Cum iſtoc ornatu, cumque hac pompa, Phædrome?* PH. *Quo Venus Cupidoque imperat, ſuadetque amor. Si media nox eſt, ſive eſt prima veſpera; Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies, Tamen eſt eundum, quo imperant, ingratiis*. VULP.

v. 3. CANDIDA QUA GEMINAS OSTENDUNT CULMINA TURRES] Situm loci indicat, ut Eleg. 5. ſup. *Qua venit exoriens, qua deficit*. *Candida culmina* Beroaldus Cynthiæ columbaria exponit, quod in turribus columbæ nidificent, iiſque candidis. ridetur a Scaligero. fortaſſe Tiburis arcem, eminentem geminis, candidiſque turribus ſignificat. Juvenalis Sat. 14.

Ædificator erat Centronius : & modo curvo
Litore Cajetæ, ſumma nunc Tiburis arce,
Nunc Prœneſtinis in montibus alta parabat
Culmina villarum.

Virgilius 7. Æneid. *Tibur* vocat *ſuperbum*, id eſt altum. Strabo lib. 5. Tibur & Tuſculum ſcribit eſſe in Romæ conſpectu. ergo quum videntur culmina candicantia, turres ipſas murorum e longe indicant. *Culmina*, ſumma ædificiorum; ut Virgilius Ecl. 1. *Villarum culmina fumant*. ita vero dicuntur, quod culmo tegantur. Servius ad illud Virgilii eadem Ecl. *Congeſtum ceſpite culmen*. *Turres*. Iſidorus lib. 15. *Turres, quod teretes procul videantur, etiamſi quadrata ſint*. τύρσις Græcis & ambitum

muri

Quid faciam? obductis committam méne tenebris,
Ut timeam audaces in mea membra manus?

At si

muri significat, & *πύργοι ἢ πύργωμα*. Lapidem autem Tiburtinum commendat Strabo lib. 5. nescio an ex illo lapide candor culminum Tiburtinorum. PASS.

v. 4. ET CADIT IN PATULOS LYMPHA ANIENA LACUS] Sic Eleg. 20. lib. 1.

Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes.

Virgilius 4. Georg.

Unde pater Tiberinus, & unde Aniena fluenta;

id est; ipse fluvius Anio. Volvitur autem Anio, & præcipitat in lacus & stagna subjecta. Statius in Tiburtino Manlii. *Præceps* iccirco dicitur Horatio Ode 7. lib. 1. Strabo lib. 5. *Ἀνίων ἀφ' ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν*. vide & Dionysium Halicarn. lib. 5. *Patulos lacus*, longe lateque patentes. Servius ad illud Ecl. 1. *Patulæ fagi*. *Patulum, quod naturaliter per se patet, ut arbor, nares. patens, quod aperitur & clauditur, ut ostium.* Varro lib. 4. de L. L. *Patulus locus, covum ædium*. PASS. *Lympha Aniena*. nous Regius, nous Colbertinus, nostrique duo, *Nympha Aniena* præferunt. quod verum est, & jam in primitus cusis legebatur. *Lymphas* appellabat vetustas, quas Græci *Nαΐδας*, nos *Nymphas* vocamus. videndus Festus in *Lymphas*; & Servius ad L. 7. Æo. v. 377. tum vir insigniter eruditus, nec satis suo habitus pretio, Petrus Nannius nostras, L. 4. Miscell. C. 3. quibus addere potes Nic. Heinsium Not. in Ovid. Epist. Oenon. v. 31. Ea vox Horatio restituenda nonnullis in locis, præterea Catullo in Epithal. Juliæ & Manlii. ------ *Lacus*. Varro Lib. 4. de L. L. *lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest*. *Lympha Aniena*. v. Spon. Voyag. T. 1. pag. 36, 37. BROUKH. Editio quoque omnium princeps, *nimpha*. VULP.

v. 5. QUID FACIAM? OBDUCTIS COMMITTAM MENE TENEBRIS?] Sic Terentius Eun. 1, 1. *Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem quum accersor ultro?* per dialogismum, inquit Donatus, in consilii inopia. Menander: *εἶτα τί ποιήσω;* Virgilius: *Heu quid agam?* sic Ecl. 2. *Quid facerem?* & 4. Georg. *Quid faceret?* 9. Æn. *Quid faciat?* *Committam*, verbum periculosæ fiduciæ. ut in Eun. Terentii: *Ovem lupo commisisti*. Cicero Epist. 8. lib. 16. *Te rogo, ut tam longæ navigationi, & viæ per hiemem committas*. Ovidius 13. Metam.

Ire per excubias, & se committere nocti.

Obductis tenebris, tectis, cæcis, obscuris, circumfusis. Noster Eleg. 5. lib. 4.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum.

Virgilius 2. Æneid. *Obducta tuenti Nubes*. Cicero in Lucullo: *Conatus est clarissimis rebus tenebras obducere*. *τὸ Méne*, sæpe irati est, vel querentis. Virgilius 1. Æneid. *Méne incæpto desistere victam?* Hac de re Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 6.

At quondam noctem, simulacraque vana timebam.

Mirabar, tenebris si quis iturus erat.

PASS.

Obductis committam méne tenebris? hæc sunt valde laxa. scripserat puto Noster, *me committámne*, numero nonnihil compositiore. quod si ita est, non deseruerit suum Ciceronem, Philipp. 10. C. 2. *Quare igitur, tum Brutúne similem malis, an Antonii?* ibid. C. 6. *Respublica, Antoniúne, an Bruto legiones populi Romani adjudicaret?* Philipp. 12. C. 8. *Quid? vita censetisne, P. C. habendam mihi aliquam esse rationem?* Philipp. 5. C. 4. *Quid? illi immanes quæstus ferendíne, quos M. Antonii tota exhausit domus?* BROUKH.

v. 6. UT TIMEAM AUDACES IN MEA MEMBRA MANUS?] Ita ut latronum tela formidem? *Ut*, pro ita ut. Eleg. 11. sup.

Ut solidum cocto tolleret aggere opus.

Manus, vel dextras & vires, vel factiones & globos latronum. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 6.

Nec mora, venit amor; non umbras nocte volantes,

Nec timeo strictas in mea fata manus.

Audaces in. Ovidius lib. 10. Metam. *In audaces non est audacia tuta*. *In mea membra*, in me ipsum. ut Eleg. 22. lib. 2.

Sint mea vel Danaës condita membra domo.

PASS.

v. 7.

At si hæc distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus sævior hoste mihi.
Peccaram semel, & totum sum pulsus in annum.
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes.
Scironis media sic licet ire via.

Quis-

v. 7. AT SI HÆC DISTULERO NOSTRO MANDATA TIMORE] Si moram mandatis fecero metu latronum. Objectioni occurrit. hinc timor latronum, illinc metus & imperium dominæ. *Distulero*. nam antea dixit *Missá morá*. *Mandata* inquit, quia præcessit, *Jussit*. *Mandata* ergo jussa dominæ litteris commissa. ut Eleg. 3. lib. 4.

Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ. PASS.

v. 8. NOCTURNO FLETUS SÆVIOR HOSTE MIHI] Me magis cruciabit fletus, [ob iratam dominam]. nam latrones interdum parcunt; unde Cicero Philipp. 2. *Beneficium latronum*: at fletus minime. De nocte pervigilanda fletu diximus ad Eleg. sup. prox. *Nocturno hoste*. periphrasis latronum noctu grassantium. Horatius Epistola 2. lib. 1.

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Sic *Fur nocturnus* Ciceroni & Virgilio. & hostem, pro latrone posuit, quum a Jurisconsultis distinguatur; L. *Hostes*. *De Capt. & postlim. rev.* & L. *Cajus*. & L. *Quos nos hostes*. Nam ii proprie sunt hostes, quibus publice Pop. Rom. bellum indixit; ceteri latrunculi & prædones. Sallustius in Epist. Mithrid. *Latrones omnium gentium Romanos*. pro hostes, sed contumeliosius. PASS.

v. 9. PECCARAM SEMEL, ET TOTUM SUM PULSUS IN ANNUM] Quum tamen primo peccato venia debeatur. Virgilius 10. Æneid.

Si periisse semel satis est, peccasse fuisset
Ante satis.

& *Semel* iterandum. [Ovidius quoque libro 2. Amor. Eleg. 14.

Dii faciles, peccasse semel concedite tuta.
Hoc satis est: pœnam culpa secunda ferat.]

Pulsus, exclusus, jussus abire domum. *In annum totum*. ut Eleg. 1. lib. 1. *Toto furor hic non deficit anno*. Sic *In dies*, *in horas*. PASS. Contra omnes libros faciunt, qui *peccarem* scribunt, aut *peccarim*. BROUKH.

v. 10. IN ME MANSUETAS NON HABET ILLA MANUS] Mihi non solet parcere, sed in me manu sævire. ut Eleg. 8. sup.

In me
Projicis insaná cymbia plena manu.

& Eleg. sup. prox.

Mulliaque immites fixit in ora manus.

item Eleg. 9. lib. 4.

Et mea perversá sauciat ora manu.

In me. ut Eleg. 1. lib. 1. *In me tardus Amor*. *Habet manus*. ut Eleg. 17. lib. 2. *Infectas sanguine habere manus*. & Cicero 1. Offic. *Prætorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos habere abstinentes*. PASS.

v. 11. NEC TAMEN EST QUISQUAM SACROS QUI LÆDAT AMANTES] Tibullum imitatur, qui sic Eleg. 2. lib. 1.

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet. insidias non timuisse decet.

Hoc Augusti ætate Mæcenati præfecto urbi acceptum refert Albinovanus Eleg. in ejus obitum:

Num tibi non tutas fecit in urbe vias?
Nocte sub obscura quis te violavit amantem?
Quis tetigit ferro, durior ipse, latus?

Lædat, violet. ut Eleg. 15. lib. 2. v. 48. *Sacros*. in Amoris scilicet, & Veneris tutela. *Amantes*; Amatores vocat v. 13. infra hac Elegia. PASS.

v. 12. SCIRONIS MEDIA SIC LICET IRE VIA] Id est, per mediam viam infestam latrociniis. Sciron, sive Scyron, latro famosus, obsidens viam quæ ab Isthmo in Atticam & Megara ducit, ubi angustæ rupes, quæ ab eo *Scironides petræ*. Ibi Sciron jubebat viatores sibi pedes abluere, qui dum proni ad id ministerium accingerentur, eos pede percussos præcipitabat in mare. Plutarchus

Quiſquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeo, ut noceat, barbarus eſſe volet.
Luna miniſtrat equis: demonſtrant aſtra ſalebras:
Ipſe Amor accenſas præcutit ante faces.

Sæva

tarchus in Theſeo; Diodorus lib. 5. Strabo lib. 9. Pauſanias in Atticis, Junius Prov. 17. Cent. 9. Ovidius lib. 7. Metam.

Tutus ad Alcathoen Lelegeia mœnia limes
Compoſita Scirone patet: ſparſiſque latronis
Terra negat ſedem, ſedem negat oſſibus unda.
Quæ jactata diu fertur duraſſe vetuſtas
In ſcopulos: ſcopulis nomen Scironis inhæret.

[occidit eum Theſeus, ac de iiſdem rupibus præcipitavit.] Noſter Eleg. 22. infra, Scironidas petras vocat *Non hoſpita Grajis Saxa. Mediá viá.* vide Eleg. 4. ſup. v. ult. *Sic*, amando ſcilicet. ut Elegia 25. lib. 2.

Quantum ſic crucias lumina veſtra dolor!

Licet, dimittentis eſt, ut Eleg. 1. lib. 4. v. 148. PASS. Adſentior Nic. Heinſio, legenti, Not. ad Ovidium L. 14. Metam. v. 748.

Scironis medias his licet ire vias.

quam locutionem ubertim illuſtravit Thomas Munckerus in Hyginum C. 38. Ba. Cave, lector, audaces hujuſmodi, & non neceſſarias mutationes. VULP.

v. 13. QUISQUIS AMATOR ERIT, SCYTHICIS LICET AMBULET ORIS, NEMO ADEO, UT NOCEAT, BARBARUS ESSE VOLET] Nemo tam ferus & immanis erit, ut lædat amatorem, licet hic iter faciat in extrema Scythia, ubi gentes maxime barbaræ, & inhumanæ. unde Cicero in Piſonem: *Quis hoc fecit in Scythia tyrannus?* & 2. de Nat. Deor. *Scythiæ barbaries.* Vide Ovidium in Ponticis. Æſchines περὶ παραπρεσβείας, *Scytham malum* dixit de peſſimo homine. Eraſmus in proverbio: *Scytha malus.* Et proverbium eſt, Σκυθῶν ἐρημία. & Σκυθῶν ῥῆσις, ob feritatem gentis; de qua Athænæus lib. 12. *Ambulet.* Sic Florus poeta, *Ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas.* Quem hic *barbarum*, mox *improbum* vocat. PASS.

v. 15. LUNA MINISTRAT ITER, DEMONSTRANT ASTRA SALEBRAS] Vide adnotata ad illud Eleg. 22. lib. 2.

Aſpice uti cælo modo Sol, modo Luna miniſtret.

Statius 3. Silv. in Lacrimis Etruſci:

Servit & aſtrorum velox chorus, & vaga ſervit
Luna, nec injuſſæ toties redit orbita lucis.

Luna, quia Endymiona amavit. *miniſtrat iter*, viam præbet facilem; ſive viam præſtat eunti miniſterio lucis ſuæ. Sic Ovidius in Epiſt. Leandri:

Luna fere tremulum præbebat lumen eunti,
Ut comes in noſtras officioſa vias.

& Petronius: *Luna innumerabilibus comitata ſideribus etiam feras ducit ad pabulum.* Vide adnotata ad illud Eleg. 18. lib. 2.

Invitum & terris præſtitit officium.

Sidera demonſtrant ſalebras, lumine ſuo ſcilicet, ut vitentur. *Salebræ*, ἐκρήγματα, ῥωγμαὶ, ῥήγματα γῆς. *Lieux aſpres, pierreux & raboteux.* Vet. Gloſſ. *Salebræ*, ἐν ταῖς ὁδοῖς ἀνωμαλίαι καὶ βόθυνοι. Nonius dictas a ſaltu putat. ſcilicet quod ſaliendo tranſire neceſſe ſit. Salebræ in fluviis: quibus interrumpitur curſus amnis, & aqua exſilire cogitur. unde Cicero in Orat. *Alter* (Herodotus) *ſine ullis ſalebris quaſi ſedatus amnis fluit: alter* (Thucydides) *de bellicis rebus canit quodammodo bellicum.* & 5. de Fin. *Hæret in ſalebra.* Martialis lib. 11.

Carmina nulla probas molli quæ limite currunt,
Sed quæ per ſalebras, altaque ſaxa cadunt,

Ibidem:

Scriptores tetrici, ſalebroſum ediſcite Santram. PASS.

Luna miniſtrat iter. unus Regius, *miniſtrat equis.* Noſter L. 2.

Adſpice uti cælo modo Sol, modo Luna miniſtret.

Sic Maro dixit *velis miniſtrare*, L. 6. Æn. & L. 10. Tacitus item Germ. C. 44. Venuſtiſſimus poeta Gratius v. 316. de luxuria regum Ægypti:

Nardiferumque metunt Gangem; vitiiſque miniſtrant.

tam bonis ſponſoribus accipio ſcripturam

libri

At si hæc distulero nostro mandata timore,
 Nocturno fletus sævior hoste mihi.
Peccaram semel, & totum sum pulsus in annum.
 In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes.
 Scironis media sic licet ire via.

Quis-

v. 7. AT SI HÆC DISTULERO NOSTRO MANDATA TIMORE] Si moram mandatis fecero metu latronum. Objectioni occurrit. hinc timor latronum, illinc metus & imperium dominæ. *Distulero*. nam antea dixit *Missá morá*. *Mandata* inquit, quia præcessit, *Jussit*. *Mandata* ergo jussa dominæ litteris commissa. ut Eleg. 3. lib. 4.

Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ.
PASS.

v. 8. NOCTURNO FLETUS SÆVIOR HOSTE MIHI] Me magis cruciabit fletus, [ob iratam dominam]. nam latrones interdum parcunt; unde Cicero Philipp. 2. *Beneficium latronum*: at fletus minime. De nocte pervigilanda fletu diximus ad Eleg. sup. prox. *Nocturno hoste*. periphrasis latronum noctu grassantium. Horatius Epistola 2. lib. 1.

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Sic *Fur nocturnus* Ciceroni & Virgilio. & hostem, pro latrone posuit, quum a Jurisconsultis distinguatur; L. *Hostes*. *De Capt. & postlim. rev.* & L. *Casus*. & L. *Quos nos hostes*. Nam ii proprie sunt hostes, quibus publice Pop. Rom. bellum indixit; ceteri latrunculi & prædones. Sallustius in Epist. Mithrid. *Latrones omnium gentium Romanos*. pro hostes, sed contumeliosius. PASS.

v. 9. PECCARAM SEMEL, ET TOTUM SUM PULSUS IN ANNUM] Quum tamen primo peccato venia debeatur. Virgilius 10. Æneid.

Si periisse semel satis est, peccasse fuisset
Ante satis.

& *Semel* iterandum. [Ovidius quoque libro 2. Amor. Eleg. 14.

Dii faciles, peccasse semel concedite tuto.
Hoc satis est: pœnam culpa secunda ferat.]

Pulsus, exclusus, jussus abire domum. *In annum totum*. ut Eleg. 1. lib. 1. *Toto furor hic non deficit anno*. Sic *In dies*, *in horas*. PASS. Contra omnes libros faciunt, qui *peccarem* scribunt, aut *peccarim*. BROUKH.

v. 10. IN ME MANSUETAS NON HABET ILLA MANUS] Mihi non solet parcere, sed in me manu sævire. ut Eleg. 8. sup.

In me
Projicis insaná cymbia plena manu.

& Eleg. sup. prox.

Molliaque immites fixit in ora manus.

item Eleg. 9. lib. 4.

Et mea perversá sauciat ora manu.

In me. ut Eleg. 1. lib. 1. *In me tardus Amor*. *Habet manus*. ut Eleg. 17. lib. 2. *Infectas sanguine habere manus*. & Cicero 1. Offic. *Prætorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos habere abstinentes*. PASS.

v. 11. NEC TAMEN EST QUISQUAM SACROS QUI LÆDAT AMANTES] Tibullum imitatur, qui sic Eleg. 2. lib. 1.

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet. insidias non timuisse decet.

Hoc Augusti ætate Mæcenati præfecto urbi acceptum refert Albinovanus Eleg. in ejus obitum:

Num tibi non tutas fecit in urbe vias?.
Nocte sub obscura quis te violavit amantem?
Quis tetigit ferro, durior ipse, latus?

Lædat, violet. ut Eleg. 15. lib. 2. v. 48. *Sacros*. in Amoris scilicet, & Veneris tutela. *Amantes*; Amatores vocat v. 13. infra hac Elegia. PASS.

v. 12. SCIRONIS MEDIA SIC LICET IRE VIA] Id est, per mediam viam infestam latrociniis. Sciron, sive Scyron, latro famosus, obsidens viam quæ ab Isthmo in Atticam & Megara ducit, ubi angustæ rupes, quæ ab eo *Scironides petræ*. Ibi Sciron jubebat viatores sibi pedes abluere, qui dum proni ad id ministerium se accingerentur, eos pede percussos præcipitabat in mare. Plutarchus

Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat equis: demonstrant astra salebras:
Ipse Amor accensas præcutit ante faces.

Sæva

tarchus in Theseo; Diodorus lib. 5. Strabo lib. 9. Pausanias in Atticis, Junius Prov. 17. Cent. 9. Ovidius lib. 7. Metam.

Tutus ad Alcathoën Lelegeia mœnia limes
Composito Scirone patet: sparsisque latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda.
Quæ jactata diu fertur durasse vetustas
In scopulos: scopulis nomen Scironis inhæret.

[occidit eum Theseus, ac de iisdem rupibus præcipitavit.] Noster Eleg. 22. infra, Scironidas petras vocat *Non hospite Grajis Saxo. Mediá viá.* vide Eleg. 4. sup. v. ult. *Sic*, amando scilicet. ut Elegia 25. lib. 2.

Quantum sic cruciat lumina vestra dolor!

Licet, dimittentis est, ut Eleg. 1. lib. 4. v. 148. PASS. Adsentior Nic. Heinsio, legenti, Not. ad Ovidium L. 14. Metam. v. 748.

Scironis medias his licet ire vias.

quam locutionem ubertim illustravit Thomas Munckerus in Hyginum C. 38. Ba. Cave, lector, audaces hujusmodi, & non necessarias mutationes. VULP.

v. 13. QUISQUIS AMATOR ERIT, SCYTHICIS LICET AMBULET ORIS, NEMO ADEO, UT NOCEAT, BARBARUS ESSE VOLET] Nemo tam ferus & immanis erit, ut lædat amatorem, licet hic iter faciat in extrema Scythia, ubi gentes maxime barbaræ, & inhumanæ. unde Cicero in Pisonem: *Quis hoc fecit ex Scythis tyrannus?* & 2. de Nat. Deor. *Scythiæ barbaries*. Vide Ovidium in Ponticis. Æschines περὶ παραπρεσβείας, *Scytham malum* dixit de pessimo homine. Erasmus in proverbio: *Scytha malus*. Et proverbium est, Σκυθῶν ἐρημία. & Σκυθῶν ῥῆσις, ob feritatem gentis; de qua Athænæus lib. 12. *Ambulet*. Sic Florus poeta, *Ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas*. Quem hic *barbarum*, mox *improbum* vocat. PASS.

v. 15. LUNA MINISTRAT ITER, DEMONSTRANT ASTRA SALEBRAS] Vide adnotata ad illud Eleg. 22. lib. 2.

Aspice uti cælo modo Sol, modo Luna ministret.

Statius 3. Silv. in Lacrimis Etrusci:

Servit & astrorum velox chorus, & vaga servit
Luna, nec injussæ toties redit orbita lucis.

Luna, quia Endymiona amavit. *ministrat iter*, viam præbet facilem; sive viam præstat eunti ministerio lucis suæ. Sic Ovidius in Epist. Leandri:

Luna fere tremulum præbebat lumen eunti,
Ut comes in nostras officiosa vias.

& Petronius: *Luna innumerabilibus comitata sideribus etiam ferat ducis ad pabulum*. Vide adnotata ad illud Eleg. 18. lib. 2.

Invitum & terris præstitit officium.

Sidera demonstrant salebras, lumine suo scilicet, ut vitentur. *Salebræ*, ἐκρήγματα, ῥωγμαὶ, ῥήγματα γῆς. *Lieux aspres, pierreux & raboteux*. Vet. Gloss. *Salebra*, ἐν ταῖς ὁδοῖς ἀνωμαλίαι καὶ βόθυνος. Nonius dictas a saltu putat. scilicet quod saliendo transire necesse sit. Salebræ in fluviis: quibus interrumpitur cursus amnis, & aqua exsilire cogitur. unde Cicero in Orat. *Alter* (Herodotus) *sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit: alter* (Thucydides) *de bellicis rebus canit quodammodo bellicum*. & 5. de Fin. *Hæret in salebra*. Martialis lib. 11.

Carmina nulla probas molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras, altaque saxa cadunt.

Ibidem:

Scriptores tetrici, salebrosum ediscite Santram. PASS.

Luna ministrat iter. unus Regius, *ministrat equis*. Noster L. 2.

Adspice uti cælo modo Sol, modo Luna ministret.

Sic Maro dixit *velis ministrare*, L. 6. Æn. & L. 10. Tacitus item Germ. C. 44. Venustissimus poeta Gratius v. 316. de luxuria regum Ægypti:

Nardiferumque metunt Gangem; vitiisque ministrant.

tam bonis sponsoribus accipio scripturam

libri

Sæva canum rabies morſus avertit hiantes.
Huic generi quovis tempore tuta via eſt.
Sanguine tam parvo quis enim ſpargatur amantis
Improbus? excluſis fit comes ipſa Venus.

Quod

libri regii, vulgata non paullo meliorem. nam ut quam celerrime ſiſteret ſe apud dominam, opus habebat equis in itinere nocturno. BROUKH.

v. 16. IPSA AMOR ACCENSAS PERCULIT ANTE FACES] Huc facit Epigramma Valerii Æditui, quod vide apud Gellium libro 19. N. A. cap. 9. & Appulejus lib. 11. A. A. *Veluti nuptiales epulas obitura domina coruſcis* (Cupidines) *prælucebant facibus*. vide plura de hac re adnotata ad Eleg. 3. lib. 1. v. 10. *Perculit*, ſimpliciter permovit, non verberavit. ut Eleg. 16. lib. 1. *Vocula Percuſſas dominæ vertat in auriculas*. PASS. Addit multo lepidiſſime prævolantem cum facibus Cupidinem, ex more viantium in tenebris, etiam hodie, ubi præcurſores copioſo lumine lamas & ſaxa & ceteras orbitarum difficultates ſollicite explorant. Cicero L. 6. ad Attic. Epiſt. 13. *Obviam mihi ſit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. ego ſtatim, Cedo, inquam, ſi quid ab Attico. nondum legere poteramus, nam & lumina dimiſeramus; nec ſatis lucebat*. Suetonius in Aug. C. 29. *Tonanti Jovi ædem conſecravit, liberatus periculo, quum expeditione Cantabrica, per nocturnum iter lecticam ejus fulgur præſtrinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet*. Plura, quam huc faciant, congeſſit Merula ad Ennium p. 390. *Percutit ante faces*. Paſſeratius legit *perculit*. quod non placet. *τὸ percutit* poteſt idem valere quod ſimplex *quatit*. ſic L. 1. Eleg. 3.

Et quaterent ſera nocte facem pueri.

Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 2. dixit *concutere facem*; & L. 1. A. A. *excutere faces*. ſed non eſt inſuper habenda ingenioſa correctio Nic. Heinſii, *præcutit* reponentis Not. ad L. 4. Metam. Ovidii v. 757. nimirum in *τῷ percutit*, ordine ſuo exciderant primores litteræ. *præcutit ante* elegante pleonaſmo dicitur. de qua figura notatum aliquid ad L. 2. Eleg. 2. v. 14. BROUKH.

v. 17. SÆVA CANUM RABIES MORSUS AVERTIT HIANTES] Sic *indomita rabies* Horatio Epodo 12. *Rabies canum*, canes rabidi; ut Virgilius 4. Æneid. *Odora canum vis*. & Horatius Ode 3. lib. 1. *Rabies Noti*. Rabies, canum eſt propria. Idem Horatius Epiſt. 2. lib. 2.

Hac rabioſa fugit canis, hac lutulenta ruit ſus.

Avertit morſus hiantes; ora hiantia, & jam morſura alio confert. ſic Eleg. 9. lib. 4. *Morſuque cruentat*. id eſt, dentibus. *Avertit morſus*. Contra Virgilius 7. Æneid.

Conſumtis hic forte aliis ut vertere morſus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi.
PASS.

v. 18. HUIC GENERI QUOVIS TEMPORE TUTA VIA EST] Semper tuto ire licet amatori, quocumque libet. Salluſtius apud Servium in illud Virgilii: *Fortiſſime gentis: Romani generis diſertiſſimus*. Sic Eleg. 13. ſup. *Hic genus infidum nuptarum*. *Quovis tempore*. ut Eleg. 21. lib. 2.

Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum.

Tuta via. ut Virgilius 5. Æneid. *Curris iter tutum*. PASS. *Huic generi*, amatorum ſcilicet. Veterum elegantiæ proximus Petrus Bembus in Elegia quæ inſcribitur Priapus:

Et quæ turgidulos flendo corrumpis ocellos,
(Ut temere in lacrimas hoc genus ire vides)
Rore inſperſa levi, ſumma qui proſilit herba,
Lætitiae animo, luminibuſque facit.

Hoc genus, nempe ſecus muliebre. VULP.

v. 19. SANGUINE TAM PARVO QUIS ENIM SPARGATUR AMANTIS IMPROBUS? EXCLUSIS FIT COMES IPSA VENUS] Quis tam ſævus & crudelis, qui contaminare manus, & ſcelerare, & maculare velit ſanguine amantis, præſertim tam parvo? Quum repulſi ſunt amantes, nec admiſſi, & pernoctant in limine, Venus illis adeſt, & ſolatur miſeros. [propterea comitabitur illos, ac tuebitur noctu iter facientes.] Spargimur aut noſtro, aut alieno ſanguine. noſtro, ut Eleg. 8. lib. 2. *Sparſas cæde jacere comas*. alieno; Attius Ægiſtho: *Cui manus materno ſordet ſparſa ſanguine*. aut denique utroque, ut Elegia 32. lib. 2.

Spar-

Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.

Adfe-

Spargereque alterno communes cæde penates.
Amantes autem exsangues, & Amor tamquam hirudo. qoa de re Eleg. 12. lib. 2.

Assiduusque meo sanguine bella gerit.

ubi vide adnotata. De exclusis amantibus dixi ad Eleg. 5. lib. 1. v. 20. *Comes Veneris*; quia comes etiam est qui se inferiorem sequitur; ut dictum ad Eleg. 13. sup. v. 45. Sic Tibullus Amorem comitem Macro tribuit Eleg. 6. lib. 2. vide etiam Ovidium lib. 1. Amor. Eleg. 6. PASS. Non satis capio, quo debeat istud *exclusis* referri. nam sane in hac tota Elegia de exclusione verbum fit nullum; dumtaxat de periculis itineris nocturni. unde arbitror (da veniam, si fallor) esse refingendum *in cursu*, hoc est in itinere. Virgilius L. 3. Æn.

Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.

eodem libro:

Placemus ventos, & Gnosia regna petamus:
Non longe distant cursu.

Ita locutus & Cicero Orat. pro lege Manilia C. 12. BROUKH. Nihil mutandum est. Passeratius *τὸ exclusis* commode satis explicavit. Testimonia vero a Broukhusio allata pertinent ad navigationem, non ad iter terrestre. VULP. *Sanguine tam parvo q. e. spargatur amantis?* Venæ amantium exsuccæ, in quibus vix aliquot sanguinis guttæ reliquæ sunt. Hinc neqoiter Plautus Curcul. 1, 2. *Mittite istbanc ferar, Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem. hirudines enim sunt* meretrices, *neque cutem missura, nisi plena cruoris.* Quo respexit Juvenalis Sat. 1. ubi de illis qui vetularum testamenta officiosis noctibus merebantur: *Accipiat sane mercedem sanguinis.* & Chrysis Petroniana: *Numquam finies hunc ignem, nisi sanguine extinxeris.* Auctor Ceiris v. 225. de muliere amante usurpavit hoc ipsum:

Non tibi nequidquam viridis per viscera pallor
Ægrotas tenui suffudit sanguine venas.

Ex quibus omnibus colligas, turpe futurum grassatori nocturno, si amantem occiderit, qui cultrum lateri infixum vix tingere potis est. Ceterum *sanguis parvus* etiam ignavum hominem fortasse significet, quales plerumque solent esse Veneris pulli. Aper ille generosus apud Phædrum Fab. 29. lib. 1. in asellum convicientem: *Facilis vindicta est mihi, Sed inquinari nolo ignavo sanguine.* Ludovicus Areostos pariter R. F. Cantu 32.

In tè sprezzata sangue non si volse
Bruttar l' altere mani, e lo disciolse.

Porro senectus ipsa minuit sanguinem. Ovidius lib. 7. Metam. v. 315. de Medea veterem arietem jugulante: *Exigue maculavit sanguine ferrum.* Quod arripuit Seneca Agamemnons v. 646. *Vidi, vidi, senis in jugulo, Telum Pyrrhi vix exiguo Sanguine tingi.* In hanc fere sententiam eleganter Martialis Epigr. 23. lib. 1.

Quid nunc sæva fugis placidi, lepus, ora leonis?
Frangere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis. V.

V. 21. QUOD SI CERTA MEOS SEQUERENTUR FUNERA CASUS] Id est, præsens pestis, & exitium. Sic Virgilius 2. Æneid. *Certæ occumbere morti.* &: *Vadimus haud dubiam in mortem. Sequerentur*, manerent. ut Eleg. 22. lib. 2.

Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur.

ubi vide adnotata. *Sequi*, pro contingere; qoia futura sunt a tergo. Ideo Virgilius 4. Æneid. dixit:

Si modo quod memoras factum fortuna sequatur.

Meos casus, pericula viæ nocturnæ, cui me committo. Ovidius lib. 1. Amor. Elegia 12. *Flete meos casus.* Noster Eleg. 13. lib. 1.

Tu, quod sæpe soles, nostro lætabere casu.
PASS.

V. 22. TALIS MORS PRETIO VEL SIT EMENDA MIHI] Tam amplo proposito præmio, fructu scilicet amoris mei, mortem bene videar empturus. Ita Virgilius 9. Æn.

Est hic est animus lucis contemtor, & istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.

Horatius Ode 4. lib. 3. *Morte venalem petiisse laurum.* Ovidius lib. 2. Amor. El. 10.

Induat

Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Dii

Induat adversis contraria pectora telis
Miles, & aeternum sanguine nomen emat.

Terentius Phorm. 1, 3. ita variavit: *Ita me dii bene ament, ut mihi liceat, tamdiu quod amo, frui, Jam depecisci morte cupio.* quod Virgilius 5. Æneid. dixit: *Vitamque volunt pro laude pacisci.* & 12. Æneid. *Letumque sinas pro laude pacisci.* Cicero Epist. 8. lib. 3. ad Q. Fratrem: *Quid enim erat quod discessu nostro emendum putaremus?* id est, Tanti nihil fuit, ut discederemus. PASS. Cicero pariter Orat. pro Domo C. 28. *Ille unus dies, quo die me populus Romanus a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate lætitiaque comitatum honestavit, tantæ mihi jucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa vis non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur.* & L. 9. ad Attic. Epist. 5. *Ego vero hæc officia mercanda vita puto.* fuit sane Propertius Tullii sui studiosus admirator: quod non animadvertisse doctores scholasticos, jure aliquis mirari possit. BROUKH. Contra Persius Sat. 6. v. 75. *Vende animam lucro.* sententia tamen eodem recidit. VULP.

v. 23. ADFERET HUC UNGUENTA MIHI, SERTISQUE SEPULCRUM ORNABIT CUSTOS AD MEA BUSTA SEDENS] Veniet cum aromatis; & floribus decorabit sepulcrum meum. τὸ *huc*, incerti loci: ubicumque moriar. ut *illic* Eleg. 21. infra v. 25. *Unguenta.* *Syrium munus, & odoriferas lances* vocat Eleg. 13. lib. 2. Unguenta geminos ad usus, & ungendo corpori & spargendo. De unctione corporis ex pollinctoris officio, Virgilius 6. Æneid. *Corpusque lavant frigentis & unguunt.* Albinovanus ad Liviam:

Tene mea poterunt ungere, nate, manus?

Ennius:

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Horatius Epodo 17. *Unxere matres Iliæ homicidam Hectorem.* Hinc jocus Martialis in Fabullum Epigr. 12. lib. 3. *Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle, Hic vere mihi mortuus videtur.* & Persius Sat. 3. *Crassisque lutatus amomis.* contra Sat. 6. *ossa inodora.* sine unguentis, inquit Interpres. De odoribus rogi Eleg. 13. lib. 2. *Desit odoriferis ordo mihi lancibus.* ubi vide adnotata. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores.

Ornabit sepulcrum sertis. Cicero pro Flacco: *Damnatione C. Antonii Catilinæ sepulcrum floribus ornatum.* Anchises apud Virgilium 6. Æneid. parentans Marcello:

Manibus date lilia plenis.
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem cumulem donis.

& in Copa:

Quid cineri ingrato servas benevolentia serta?

Noster Eleg. 17. lib. 1.

Molliter & tenera poneret ossa rosa.

Tibullus Eleg. ult. lib. 2.

Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro,
Et madefacta meis serta feram lacrimis.

& Eleg. 4.

Atque aliquis senior veteres veneratus amores
Annua constructo serta dabit tumulo.

Pulchre Juvenalis Sat. 7.

Dii majorum umbris tenuem, & sine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver.

Plinius lib. 21. H. N. cap. 3. scribit, flores a Pop. Rom. sparsos in Scipionis funus. & initio ejusdem libri ait, flores nos admonere mortis. Suetonius in Nerone cap. ult. *Vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent.* *Custos sedens ad busta*, adsidens busto, & hærens. enallage numerorum. Petronius Arb. *In conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogæo Græco more, corpus custodire, ac flere totis noctibus diebusque cœpit.* Papinianus J. C. *Titio centum relicta sunt, ut a monimento meo non recedat.* Lucanus lib. 8.

Procul aspicit ignes
Corpus vile senis nullo custode cremantes.

Vide adnotata ad Eleg. 19. lib. 1. v. 21. & 22. Lucianum de Luctu, & Tertullianum de Anima. *Sedens*, ut in luctu. qua de re dictum ad Eleg. 15. lib. 1. v. 11. PASS. Non tantum in funeribus aromata incendebant veteres, sed etiam sepulcra pretiosis liquoribus interdum ungebant; ne Christianis quidem exceptis. Hoc manifestum ex Prudentio, Hymno in exse-

quiis

Dii faciant, mea ne terra locet offa frequenti,
Qua facit affiduo tramite vulgus iter.
Poft mortem tumuli fic infamantur amantum.
Me tegat arborea devia terra coma,

Aut

quiis defunctorum : *Nec tecta fovebimus offa Violis, & fronde frequenti : Titulumque, & frigida saxa Liquido spargemus odore*. Animadvertit nuperus interpres Albinovani Theodorus Gorallus, ad ejus Elegiam de Morte Mæcenatis. VULP.

v. 25. DII FACIANT, MEA NE TERRA LOCET OSSA FREQUENTI] Sic Elegia 9. lib. 2.

Dii faciant, ista capta fruare viro.

Ovidius Epist. Paridis :

Dii facerent, pretium magni certaminis effes.

Plautus Aulul. *Dii ita faxint*. & Captivis: *Ita dii, deaque faxint*. & Amphitr. *Quod ille faciat Juppiter*. Virgilius 10. Æneid. *Sic pater ille deûm faciat*. *Locet offa*, ponat, componat. Eleg. 17. lib. 1. ubi id officium quoque mandat Cynthiæ v. 12. & 22. & Elegia 24. lib. 2. v. 35. *Frequenti terra*, humo locoque celebri; quod exponit v. prox. PASS.

v. 26. QUA FACIT ASSIDUO TRAMITE VULGUS ITER] Viam publicam fignificat, ad quam monimenta. Varro 5. de L. L. *Monimenta a monendo; & ideo secundum viam, ut prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales*. *Affiduo tramite*, hic pro itu redituque, & veftigiis ac tranfitione. Iter genus : trames fpecies. vide adnotata ad Eleg. 13. fup. v. 44. *Qua vulgus facit iter*. affidue commeat. unde *femita vulgi* Eleg. 23. lib. 2. *Via publica*; de qua L. 2. §. *Viarum*, D. *Ne quid in loco publ.* PASS. *Viam celebrem* appellat Catu de Re Ruft. cap. 1. De tramitibus viarum apud Romanos videndus Aloyfius Ferdinandus Marfilius, vir nobilis, in illuftri Opere de Danubio. VULP.

v. 27. POST MORTEM TUMULI SIC INFAMANTUR AMANTUM] Poft obitum, poft cineres, ab exfequiis differuntur, traducuntur, fiunt fabula vulgi. Dictum ad Eleg. 11. fup. v. 28. unde Eleg. 4. lib. 4. *Tarpeja turpe sepulcrum*. PASS.

v. 28. ME TEGAT ARBOREA DEVIA TERRA COMA] Ut Eleg. 6. lib. 1.

In quorum numero me quoque terra tegat.

& *Me*, meum corpus; ut fup. hac Eleg. v. 23. *Mihi*. *Arboreâ comâ*, ut Eleg. 19. lib. 2.

Et vitem docta ponere falce comas.

Cornelius Severus apud Interpretem Perfii Sat. 2.

Pinea frondosi coma murmurat Apennini.

Erat & *Capillata*, vel *Capillaris arbor*, in qua capillum tonfum fufpendebant. Feftus in *Capillatam*. De hac coma arborum tegendo fepulcro Eleg. 13. lib. 2.

Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat exstincti funeris umbra locum.
PASS.

Pariter Franc. Marius Molfa, in illa fua cycnea cantione :

Quod mihi si tumulo vobis curantibus arbor
Ingruat, & virides explicet alta comas;
Quæ circum nitidis, æstus dum sævit, obumbret
Frondibus, & scissam tegmine opacet humum;
Jam mihi pyramides, regum monumenta, valete,
Et quidquid miri barbara Memphis habet.

& mellitiffimus Lotichius L. 3. Eleg. 9. ad J. Sambucum :

Ante fores templi, nudoque sub æthere, tellus
Accipiat gremio frigida membra sua.
Jamque vale, & tenera bustum superintege myrto.
Nec poterit cineres illa gravare meos.

ac M. Antonius Flaminius :

Dehinc tumulum viridi composuit margine ripæ,
Qua vetus arboreis decidit umbra comis.
BROUKH.

Legimus & in divinis libris, mortuorum cadavera fub arboribus infoffa. Genefeos

Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ.
Non juvat in media nomen habere via.

cap. 35. v. 8. *Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatumque est nomen loci illius: Quercus fletus.* Vulp.

v. 29. Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ] Sic Eleg. 7. sup.

Pætum sponte tua, vilis arena, tegas,

& Eleg. 17. lib. 1.

Hæccine parva meum funus arena teget?

Cumulus arenæ, acervus, agger. magis tamen probo alteram lectionem:

Aut humet ignota cumulis vallatus arena.

Vallatus, circumdatus tamquam vallo. Lucanus lib. 4. *Nullis vallarent oppida muris.* *Vallatus cumulis arenæ*. sic Virgilius 1. Æneid. *Aggere cingit arena*. *Ignotæ arenæ*. in litore ignoto, & solo. ut Virgilius 5. Æneid.

Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena.

Appulejus lib. 1. Asini: *Defletum pro tempore comitem misellum arenosa humo in arvis vicinia sempiterna contexit.* ubi *Arenosa humo*, ut hic *arena cumulis*. Virgilius 1. Georg. *Cumulosque ruit male pinguis arenæ.* vide adnotata ad Eleg. 7. sup. v. 12. Aliàs cumulus in modio, quod supra mensuram, vel pondus justum adjicitur. Festus in *Auctarium*, quod idem cum cumulo. Altitudinem Servius exponit ad illud 1. Æneid. *Insequitur cumulo præruptus aquæ mons.* & alibi. Pass.

v. 30. Non juvat in media nomen habere via] Et nomen incidi sepulcro, & celebrari. ut Eleg. 4. lib. 1.

Cynthia non illas nomen habere sinat.

De nomine in sepulcro dictum ad Eleg. 1. lib. 2.

Et breve in exiguo marmore nomen ero.

Mediâ viâ: quia secundum viam humabantur, ut ante dixi. Pass. Ovidius quoque 3. Fast. v. 65. de Romulo & Remo:

Ut genus audierunt, animos pater agnitus auget:

Non juvat in paucis nomen habere casis.

Brevis est hæc Propertii Elegia, sed venusta: urgebant enim jussa dominæ, ac nox media ruebat. Ineptus aliquis, oblitus propositi & argumenti, carmen ducentorum versuum scripsisset, donec lucesceret. Vulp.

Elegia XVII.

NUnc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.
Da mihi pacato vela secunda, pater.

Tu

Argumentum Elegiæ XVII. Libri III.] Ad morbum amoris tollendum, Bacchi opem implorat; cui vineti sationem, & carmen de gestis ejus vovet. Vulp.

v. 1. Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris] Vide Eleg. 6. lib. 3. Tibulli, quæ est ejusdem argumenti. Ovidius L. 1. A. A.

Ecce suum vatem Liber vocat. hic quoque amantes

Adjuvat, & flamma qua calet ipse, favet.

Nunc. difficili tempore scilicet. *humiles*, quasi humi abjecti, ut dictum ad Eleg. 9. sup. v. 29. Advolvimur *aris tuis*, procumbimus ante pedes simulacri tui. ut Elegia 8. sup.

Et Veneris magnæ volvitur ante pedes.

Adde Statium lib. 5. Silv. in Abascantii pietate:

Dum nocte dieque fatigat

Numina, dum cunctis supplex advolveris aris.

Appulejus lib. 6. A. A. *Tunc Psyche pedes ejus* (Cereris) *advoluta, & uberi fletu rigans deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis.* & lib. 11. *Provolutus denique ante conspectum deæ, & facie mea diu tersis vestigiis ejus.* & Apolog. 2. *Ut ante pedes nostros advolutus veniam postularet.* Pass. *Nunc*. Tibullus duplicavit Eleg. 3. lib. 1. *Nunc, dea, nunc succurre mihi.* *Tuis advolvimur aris.* προσπίπτομεν τοῖς σοῖς βωμοῖς. Tertullianus lib. de Pœnitentia: *Presbyteris advolvi,*

Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes.
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.

Te

volvi, & aris Dei adgeniculari. sunt qui legant, *caris Dei*. Dicebant & *genibus advolvi*. Sallustius in Hist. apud Servium in lib. 1. Æneid. *Genua patrum advolvuntur*. Livius quoque usus lib. 8. Seneca Hippolyto v. 700. *Iterum, superbe, genibus advolvor tuis*. & rursus Thebaide v. 306. *Guata, quid genubus meis Flec advoluta?* VULP.

v. 2. DA MIHI PACATO VELA SECUNDA, PATER] In futurum confertur. *Pacato*, tranquillo animo. Auratus legit, *Pacatus*, & Dousa pater. quidam libri habent, *Baccata*. unde Palmerius legit, *Bacchato*. *Da vela secunda*. Hoc imitatus Ovidius lib. 3. Fast.

Mite caput, pater, huc, placataque cornua vertas,
Et des ingenio vela secunda meo.

Vela secunda, quæ aguntur secundis ventis. *Felicia lintea* vocat Eleg. 21. infra. *Candida vela*, Eleg. 17. lib. 1. Eodem sensu Virgilius 1. Georg.

Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis. PASS.

primus noster *pacata*. Douza P. & Joannes Auratus legebant *pacatus*. quod poterat defendi auctoritate non tralatitia. Ovidius initio L. 4. Metam.

Pacatus mitisque, rogant Ismenides, adsis,
Jussaque sacra colunt.

Papinius L. 3. Silv. 1. ad Herculem:

Pacatus mitisque veni, nec turbidus ira,
Nec famulare timens.

sed non libet argutari in re clara. Groninganus habet *baccato*; secundus noster *bacchata*. quod verum est, neque alia eget adstructione. BROUKH.

v. 3. TU POTES INSANÆ VENERIS COMPESCERE FASTUS] Coërcere amicarum superbiam, & fastidia, & repulsas. Eleg. 18. lib. 1.

Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?

Legitur & *fluctus*. ut Catullus Carm. 67. *Amoris æstus*. & Carm. 63. *Curarum fluctuat undis*. *Veneris insanæ*, vel quæ insanos reddit: vel magnæ. Sic Eleg. 14. lib. 1.

Scilicet insano nemo in amore videt.

& *furor*, pro amore, & *furia*, & *furiosa libido*. PASS. *i. V. compescere fastus*. Gebhardus e libris Palatinis, & Commel. membr. reponit *componere*; quod est, inquit, paullatim abolere ac sepelire. ----- sed, ut verum dicam, satius est, uti nihil mutetur citra necessitatem. pariter locutus est Naso Epist. Paridis v. 229.

Sæpe mero volui flammam compescere: at illa
Crevit, & ebrietas ignis in igne fuit.

Sic alibi dixit, *rabidos compescere mores*. & *iram compescere*. Plinius L. 14. C. 20. *Vehementius id fieri arbitrantur cruda flore resinæ, excitarique levitatem. E diversa crapulâ compesci feritatem nimiam, frangique virus*. proprie ad rem nostram Tibullus initio Eleg. 2. L. 1. quem vide. BROUKH.

v. 4. CURARUMQUE TUO FIT MEDICINA MERO] Tibullus Eleg. 5.

Sæpe ego tentavi curas depellere vino.

& Eleg. 6. lib. 3. ad Bacchum:

Aufer & ipse meum pariter medicande dolorem.

Varro apud Nonium in *Coagulum*: *Vino nihil jucundius quidquam cluit. Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt: Hoc hilaritatis dulce seminarium: Hoc continet coagulum convivia*. Ovidius sub finem Remed. Amoris:

Aut nulla ebrietas, aut tanta sit ut tibi curas
Eripiat: si qua est inter utramque, nocet.

Tuo mero; a te invento. unde infra, *Tuis donis* v. 13. *Medicina fit*; ut Cicero pro Quintio, & in Epist. *Medicinam facere*. formula apud Festum est in *Meditrinalia*: *Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor*. PASS.

v. 5. PER TE JUNGUNTUR, PER TE SOLVUNTUR AMANTES] *Junguntur*, quia, ut Ovidius in Remed. Amor.

Vina parant animos Veneri, nisi plurima sumas,
Ut stupeant multo corda sepulta mero.

Junguntur. sic Eleg. 15. lib. 2.

Exempla junctæ tibi sint in amore columbæ.

Te quoque enim non eſſe rudem teſtatur in aſtris
Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres cuſtodit in oſſibus ignes,
Funera ſanabunt, vel tua vina, malum.

Semper

Solvuntur, dividuntur; quia rixæ, & diſcidia ex vino. *Solvuntur*. ſic Elegia ult. lib. 2.

Polluit ille deus cognatos, ſolvit amicos. P.

Junguntur. Tibullus pariter Eleg. 1. lib. 1.

Interea, dum fata ſinunt, jungamus amores.

Solvuntur. *Immodicas mero rixas* commemorat Horatius Ode 13. lib. 1. Vulp.

v. 6. Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo] Rem duram emolli, & tolle, ut maculæ eluuntur. Ovidius lib. 1. A. A.

Cura fugit, multo diluiturque mero.

Horatius Ode 12. lib. 3. *Dulci mala vino lavere*, & Ode 12. lib. 4. *Amaraque Curarum eluere efficax*. Idem Epodo 9. *Curam metumque Cæſaris rerum juvat Dulci Lyæo ſolvere*. *Diluere*, ut abſtergere ægritudinem. unde Tibullus Eleg. 1. lib. 2. *Securum* vocat *merum*, Horatius *Obliviaſum*, Græci λαθικηδέα, oblivionem mœrorum adferens; & παυσίλυπον, moleſtiis modum & finem imponens; & νηπενθής, luctum adimens. *Vitium*, pro, curam, quæ mentem vitiat & corrumpit. Horatius Ode 16. lib. 2. *Vitioſa cura*. vel pro amore ipſo; ut Eleg. 16. lib. 2. *Dolor hic vitiis neſcit abeſſe ſuis*. Pass. *Vitium ex animo meo dilue*. Ita Cicero Tuſc. 4. *Omnis ejuſmodi perturbatio placatione animi abluatur*. Vulp.

v. 7. Te quoque enim non esse rudem testatus in astris Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis] Hyginus Fab. 224. inter eos qui ex mortalibus immortales facti, numerat Ariadnam, quam a Baccho Liberam vocatam ait: unde Propertius hic innuit, ipſam Ariadnam in cælum vectam. Ceteri de ejus Corona id tantum ſcribunt. Horatius Ode 19. lib. 2. ad Bacchum: *Beatæ conjugis additum Stellis honorem*. Vide Apollonium Rhod. lib. 3. & Catullum in Coma Berenices. item Ovidium 3. & 5. Faſt. 8. Metam. lib. 1. & 3. A. A. ubi tota fabula, denique in Epiſt. Hypſipyles. Adde Hyginum Poet. Aſtron. in *Corona*, & Interpretem Arateorum Germanici. Seneca tamen Oedipo, de Ariadna: *Ducitur magno nova nupta cælo*. ubi celebratas Liberi & Ariadnæ nuptias memorat. Scaliger in lib. 1. Manilii, ejus verſibus etiam deſignari putat non ſolum Coronam, ſed & Ariadnam in cælum relatam. *Non eſſe rudem*. vide Eleg. 15. ſup. v. 5. *Vecta lyncibus*. Sic Horatius Ode 19. lib. 1. *Hac te merentem, Bacche pater, tuæ Vexere tigres*. & Virgilius 6. Æneid. *quos ardens evexit ad æthera virtus*. De lyncibus Plinius lib. 8. H. N. cap. 21. Ovidius 4. Metam. de Baccho: *Tu bijugum pictis inſignia frenis Colla premis lyncum*. Phurnutus pardales ei tribuit, quod vino feræ manſueſcant. *In aſtris*, *in cælum*. εἰς τὸ αὐτὸ. ut Elegia 11. lib. 1. v. 11. & 12. Pass. Ovidius etiam lib. 3. Faſt. v. 509. de Ariadna in cælum vecta, Propertio adſtipulatur:

Occupat amplexu, lacrimaſque per oſcula ſiccat:
Et, Pariter cæli ſumma petamus, ait.
Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula ſume.
Jam tibi mutatæ Libera nomen erit.

Phædra quoque in Senecæ Hippolyto, v. 663. verbis minime perplexis:

Te, te, ſoror, quacumque ſiderei poli
In parte fulges, invoco ad cauſſam parem.

Lactantius L. 1. D. I. C. 10. *Delatus Diam* [Liber] *cum ſemivira comitatu, nactus eſt impudicam mulierem in litore: ac fiducia victoriæ Indicæ vir eſſe voluit, ne nimium mollis videretur: atque illam patris proditricem, fratris interemtricem, ab alio relictam & repudiatam, in conjugium ſibi vindicavit; & Liberam fecit, & cum ea pariter adſcendit in cælum*. qui locus facundiſſimi & ſanctiſſimi viri, libros noſtros vetuſtos erroris convincit, in quibus *ad cælum vecta*. Poſtremo vide Probum grammaticum in Virgilium L. 1. Georg. v. 222. Br. *Ad cælum*, etiam Editio prima anni 1472. ex codd. mſſ. fideliter ſumta. Vulp.

v. 9. Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes, Funera sanabunt, vel tua vina, malum]. Mors huic malo,

Semper enim vacuos nox ſobria torquet amantes,
Speſque timorque animum verſat utroque modo.

Quod

lo, id eſt, amori, ſive amoris vulneri medebitur. ſic Eleg. 10. lib. 1.

Et poſſum alterius curas ſanare recentes.

& Eleg. 7. lib. 4.

Sic mortis lacrimis vitæ ſanamus amores.

Apud Auſonium Epigr. 90. Venus amanti quærenti remedium conſulit quod fecerunt Phædra & Eliſſa,

Quod Canace, Phyllisque, & faſtidita Phaoni.

[etenim hæ omnes διωσάμεναι mortem ſibi conſcivere.] Negat tamen alibi Propertius, ſe mortuum amori renuntiaturum. Eleg. 19. lib. 1.

Non adeo leviter noſtris puer hæſit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.

& mox:

Trajicit & fati litora magnus amor.

& Virgilius 6. Æneid. *Curæ non ipſa in morte relinquunt. Quod veteres cuſtodit in oſſibus ignes.* incluſos ſervat inveteratos amores, ideoque difficiliores curatu. Illud Ovidii Remed. Amor. tritum ac pervagatum:

Principiis obſta. ſero medicina paratur
Quum mala per longas convaluere moras.

Veteres ignes. ut Virgilius 4. Æneid. *Veteris veſtigia flammæ.* & Catullus Carm. 94. *Deſiderio veteres renovamus amores.* iccirco Eleg. 5. lib. 2. *Flebis amato diu.* & Eleg. ult. infra:

Quinque tibi potui ſervire fideliter annos.

Contra, Eleg. 4. lib. 4.

Neſcia ſe flammis occubuiſſe novis.

In oſſibus. Virgilius 3. Georg.

Quid juvenis magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor?

& 1. Æneid. *Atque oſſibus implicet ignem.* & 4. Æneid. *Eſt mollis flamma medullas.* Vide adnotata ad Eleg. ult. lib. 2. v. 60. PASS. *Vel tuo vina.* omnes libri *aut tua vina.* parum refert. Janus Parrhaſius, vir inter primos literarum Romanarum ſoſpitatores, hunc verſum laudans, *vel tuo dona* protulit Epiſt. 33. utrum e libro, an verò errore memoriæ, non habeo dijudicare. BROUKH.

V. 11. SEMPER ENIM VACUOS NOX SOBRIA TORQUET AMANTES] De noctis malis dictum ad Eleg. 1. lib. 1.

In me noſtra Venus noctes exercet amaras.

Nox ſobria, abſtemia, & temeto carens; ideo pervigilanda. Sic *nox non ebria* Martiali Epigr. 47. lib. 10. Donatus in Andriam: *Sobrius quaſi ſebrius*, id eſt ab ebrio ſeparatus. Tibullus pariter Eleg. 6. lib. 1.

Sæpe mero ſomnum peperi tibi: at ipſe bibebam
Sobria ſuppoſita pocula victor aqua.

Idem & *Sobria lympha* Eleg. 1. lib. 2. Statius 4. Silv.

Vitifero ſub palmite nudos
Umbravit colles, & ſobria rura Lyæus.

ideſt, in quibus vinum ante non naſcebatur. Sic Plautus: *Facite cœna ut ebria ſit.* & *Sobrius vicus* Feſto. *Memores noctes* dixit Noſter eodem pacto Eleg. 11. lib. 1. & *Sollicito Sipylo* Eleg. 20. lib. 2. *Torquet*, cruciat; ut alibi, *Impoſitum torqueris igni.* *Amantes vacuos*: vel ſolos, ut Elegia 6. ſup.

Gaudet me vacuo ſolam tabeſcere lecto.

vel otioſos, quod amor ſit morbus otioſorum; ut Eleg. 1. lib. 1.

Et nullo vacuus tempore deſit amor. PASS. *Vacui* dicuntur amantes, qui ſoli cubant. Noſter L. 2. Eleg. 7.

At tu non una potuiſti nocte vacare,
Impia: non unum ſola manere diem.

imitatus eſt nitidiſſimus ille Veneris Romanæ columbus Secundus noſter L. 2. Elegia 8.

Et modo in alterius ſe jurat amore perire,
Nec vacuum ad flammas pectus habere novas. BROUKH.

V. 12. SPESQUE TIMORQUE ANIMOS VERSAT UTROQUE MODO] Exercet, & male habet, opinione boni ſpes, mali metus. Sup. Eleg. 8.

Non eſt certa fides quàm non injuria verſat.

Spes etiam cruciat, quia ſuſpenſos homines tenet: blandius tamen eſt malum, quam metus. Virgilius 1. Æneid. *Spemque metumque inter dubii.* Ovidius 3. Faſt.

Sollicitæ mentes ſpeque metuque pavent.

De ſpe amantum Tibullus copioſe El. ult. lib. 2. & Ovidius Eleg. 19. lib. 2. Amor.

Spe-

Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullæ me vigilante feræ:

Dum-

Speremus pariter, pariter metuamus amantes.

& 3. A. A. *Incertus pectora versat Amor.* Si legitur, *animum versat utroque meum*; vel, *animos versat utroque meos*. *utroque* erit in utramque partem. PASS. In libris nihil sani. nisi quod Groninganus habet, *animum vexat utrimque meum*. lege *versat*, & habebis rem factam. Passeratius & Gebhardus malebant *utroque*: i. e. in utramque partem. nec valde repugno. Ovidius Remed. Amor.

Secta bipartito quum mens discurrit utroque.

sane & primæ editiones habent *utroque*. BROUKH.

v. 13. QUOD SI, BACCHE, TUIS PER FERVIDA TEMPORA DONIS ACCERSITUS ERIT SOMNUS IN OSSA MEA] Si advocatus venerit somnus in venas, medullasque, & interiora corporis, vino, quod hominibus donasti. ut apud Ovidium 1. Fast.

Nox erat, & vino somnum faciente jacebant.

nam accersere & arcessere cum effectu accipitur. Plautus Pseudolo: *Accerse victimas*. Vocabant autem somnum. Martialis Epigr. 39. lib. 1.

Et quia nulla venit, tu mihi somne veni.

Statius lib. 5. Silv. ad Somnum:

At nunc, heu, aliquis longa sub nocte puellæ
Brachia nexa tenens, ultro te, Somne, repellit.
Inde veni.

Ab Accio, Accerso: ab Arcio, quod idem est, Arcesso. Agrœtius tamen, & Charisius lib. 3. *Arcessere, accusare: accersere, vocare.* Contra Virgilius 4. Georg.

Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitae.

Donis. ut Virgilius 2. Georg.

Huc, pater o Lenæe; tuis hic omnia plena
Muneribus.

& ibidem: *Baccheïa dona* tulerunt. Horatius Ode 18. lib. 1. *Munera Liberi.* *Per fervida tempora.* ea enim pars maxime occupatur, & incalescit mero. Tibullus Elegia 2. lib. 1. *Multo perfusum tempora Baccho.* Horatius Ode 7. lib. 2. *Uda Lyæo Tempora.* Ignea vero natura vini; unde *ignigena* Bacchus fingitur. Horatius Epodo 11.

Simul calentis inverecundus deus
Fervidiore mero arcana promôrat loco.

& Sat. 8. lib. 2.

Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.

unde Livius lib. 29. Hist. *Vino incalescere.* quod Horatio Ode 22. lib. 3. *Mero calescere*; Ausonio, *Mero fervere*. PASS. Græci ex lege convivii tris pocula siccabant: primum vocabant sanitatis, alterum amoris, postremum somni; uti apparet ex sequentibus Eubuli versiculis:

Τρεῖς γὰρ μόνους κρατῆρας ἐγκεραννύω
Τοῖς εὐφρονοῦσι, τὸν μὲν ὑγείας ἕνα,
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι, τὸν δὲ δεύτερον
Ἔρωτος ἡδονῆς τε, τὸ τρίτον δ' ὕπνου,
Ὃν εἰσπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
Οἴκαδε βαδίζουσι.

Nam ternas tantum temperari pocula
Cotis jubebo. Sanitatis gratiâ
Primum hauriatur, alterum oblectaminis
Et Amoris ergo; deinde Somni tertium.
Ubi istud ebibêre, queis pectus sapit,
Domum redibunt. VULP.

v. 15. IPSE SERAM VITES, PANGAMQUE EX ORDINE COLLES] Tibullus pariter Elegia 1. lib. 1.

Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus.

Inde *vitisator*. Attius Bacchis apud Macrobium, *O Dionyse pater optime vitisator.* *Pangere*, figere; unde plantæ pangi dicuntur quum in terram demittuntur, & versus pangi quum figuntur in cera: Festus. Plautus: *Qui vult cubare, pangit saltem suavium.* [sed ibi alii rectius legunt, *pandit saltem suavium.*] Suetonius in Galba cap. 1. *Pangere ramos lauri.* *Pangere colles* dixit Noster, ut *Conserere arva* dicimus. & *Colles* dixit, quia, ut ait Virgil. 2. Georg. *Apertos Bacchus amat colles.* *Ex ordine.* τὸ *ex*, vacat. ut Eleg. 9. sup.

Eductosque pares silvestri ex ubere reges.

Sic Virgilius 4. Georg. *Septem .... ex ordine menses.* De ordine ponendarum vitium idem 2. Georg.

Indulge ordinibus, nec secius omnis in unguem

Arbo-

Dummodo purpureo ſpument mihi dolia muſto,
Et nova preſſantes inquinet uva pedes.

Quod

Arboribus poſitis ſecto via limite quadret , &c. & Ecl. 1. *Pone ordine vites* . vide & Plinium lib. 17. H. N. cap. 11. & Ciceronem in Catone majore , de arbuſtis in quincuncem digeſtis . PASS. *Ipſi* . videndus Beroaldus in Politiani Ruſticum p. 39. BR.

v. 16. QUOS CARPANT NULLÆ ME VIGILANTE FERÆ] Rodant & adtondeant me cuſtodiente diligenter , ſive circitore , ſive ſaxatore . *Feræ* , maxime capræ . Capræ feræ , capreæ . nam a carpendo dictæ , & *Omnicarpæ* Varroni 4. de L. L. an *Feræ* , ut Lucretio *Feræ pecudes*? P. Vites novellæ morſibus belluarum obnoxiæ ſunt . Id liquet vel ex præcepto Virgilii 2. Georg. v. 371.

Texendæ ſepes etiam , & pecus omne tenendum:
Præcipue dum frons tenera , imprudensque laborum :
Cui , ſuper indignas hiemes ſolemque potentem
Silveſtres uri aſſidue capreæque ſequaces
Illudunt : paſcuntur oves avidæque juvencæ .
Frigora nec tantum cana concreta pruina ,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus æſtas ,
Quantum illi nocuere greges , durique venenum
Dentis , & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix .
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Cæditur .

Huc pertinet M. Varronis locus memorabilis lib. 1. de Re Ruſt. cap. 2. *Quædam enim pecudes* , inquit , *culturæ ſunt inimicæ , ac veneno , ut iſtæ , quas dixiſti , capræ : eæ enim omnia novella ſata carpendo corrumpunt , non minimum vites , atque oleas . Itaque propterea inſtitutum diverſa de cauſſa , ut ex caprino genere ad alii dei* (Bacchi) *aram hoſtia adduceretur , ad alii* (Minervæ) *non ſacrificaretur ; quum ab eodem odio alter videre nollet , alter etiam videre pereuntem vellet* . lege reliqua , ſi otium eſt . *Feræ* . ſubaudi , capræ . Virgilius 12. Æneid.

Non illa feris incognita capris
Gramina , quum tergo volucres hæſere ſagittæ . VULP.

v. 17. DUMMODO PURPUREO SPUMENT MIHI DOLIA MUSTO , ET NOVA PRESSANTES INQUINET UVA PEDES] Ex utraque lectione , *Numerent* , & *Spument* , an legendum *ſuperent*? Spumat ſcilicet vinum generoſius . Eleg. 33. lib. 2.

Spumet & aurato mollius in calice .

Virgilius 2. Georg. *Spumat plenis vindemia labris* . *Dolia* . Olim ante inventum nomen dolii dicebatur *Calpar* . Varro lib. 1. de vita Pop. Rom. apud Nonium . Iſidorus libro 20. cap. 6. *Dolia etiam cupas & cupas vocabant , unde cauponet* . Sane quod *vinum doliare* vocat Ulpianus L. 1. §. *Si doliare* . *De periculo & commodo rei venditæ* ; Cicero in Bruto , *De dolio haurire* (vinum novum) & in Piſonem , *de cupa* . Ex doliis in amphoras & cados diffundebatur vinum . Proculus I. C. L. *Vinum* . *De tritico , vino , oleo legato* ; ubi negat , dolia eſſe in vaſis vinariis , (ad uſum ſcilicet) quia non utebantur vino niſi diffuſo . De vino in doliis Cato de R. R. cap. 148. *Purpureo muſto* ; ut Ovidius lib. 2. A. A. *Purpureo mero* . & *purpurea* ; quia ſunt & *candida muſta* . Tibullus & Plinius . *Muſtum* , inquit Nonius , quidquid novellum eſt . unde Nævio *Muſta virgo* . Muſtum autem Libero ſacrificabant . Feſtus in *Sacrima* . Iſidorus : *Muſtum eſt vinum , e lacu ſtatim ſublatum* . deinde addit ridiculam etymologiam . *Nova uva* , vel recens lecta ; vel ex qua vinum fit recens . *Inquinet* ; fœdet , inficiat . Virgilius 2. Georg. ad Bacchum :

Nudataque muſto
Tinge novo mecum dereptis crura cothurnis .

Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Oblitus & muſto feriet pede ruſticus uvas .

Ovidius 4. Faſt.

Venerat autumnus calcatis ſordidus uvis .

Inquinare , a cunire , ſtercus facere : Feſtus in *Cunire* . Idem : *Auennulentæ , feminæ menſtruo tempore appellantur , unde inquinamentum* . Catullus Carm. 23. *Non umquam digitum inquinare poſſis* . *Preſſantes pedes* . pro prementes , calcantes . Plautus Aſin. 3 , 3. *Quin tradis hanc crumenam preſſatum herum?* & Perſa : *Vomica eſt , preſſare cave* . & Virgilius in Bucol. *Preſſabimus ubera* . Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 6.

Diſſiluit nudo preſſa bis uva pede .

& Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores. P.

v. 19.

Quod supereſt vitæ, per te, & tua cornua, vivam,
Virtutiſque tuæ, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Ætnæo fulmine partus,
Indica Nyſæis arma fugata choris:

Veſa-

v. 19. Quod superest vitæ, per te, et tua cornua, vivam] Id eſt, reliquum vitæ traducam. Sic Horatius Epiſtola 18. lib. 1.

Sit mihi quod nunc eſt, etiam minus, ut mihi vivam
Quod supereſt vitæ, ſi quid ſupereſſe volunt dii.

Per tua cornua. Diodorus lib. 3. ſcribit, cornua bina Baccho tribui, ut duplex ejus natura ſignificetur, & ob inventionem vomeris & aratri. Feſtus: *Cornua Liberi ſimulacra adjiciuntur, quod homines nimio vino truces fiant*. Ovidius Epiſt. Laodamiæ:

Ut quas pampinea tetigiſſe bicorniger haſta
Creditur.

& lib. 1. A. A.

Purpureus Bacchi cornua preſſit Amor.

Hammon Dionyſi pater, ut Diodorus teſtatur, habuit pro inſigni galeæ arietinum caput; & re vera veluti cornua geſtavit; quæ propterea & ejus filio tribuuntur. Euripides in Bacchis Liberum patrem πυρόσπορον θεὸν appellat; Euſtathius in 1. Iliad. πῦρον κεραοφόρον. & eodem teſte in Iliad. 13. Cizyceni eum fingebant κερατοφυῆ. Orpheus in Hymnis vocat ταυρομέτωπον. Pass. Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Bacche veni, dulciſque tuis e cornibus uva
Pendeat.

ubi quid adnotaverim, vide. Horatius Ode 19. lib. 2. *Te vidit atrox Cerberus aureo Cornu decorum*. Bacchus pingebatur cornutus; immo & ebrii ſumere cornua dicebantur, id eſt, curarum omnium, dolorum, egeſtatis obliviſci, nova quaſi felicitatis imagine tumentes. Horatius Ode 21. lib. 3. ad amphoram vini: *Tu ſpem reducis mentibus anxiis, Vireſque, & addis cornua pauperi*. Ovidius pariter A. A. libro 1. v. 239.

Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit:
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit. Vulp.

v. 20. Virtutisque tuæ, Bacche, poeta ferar] Memorator tuæ laudis, nominis ac beneficentiæ tuæ præco. ut Elegia 7. lib. 1.

Ardoris noſtri magne poeta, jaces.

Ferar, perhibebor, celebrabor. ut Eleg. 9. v. ult. Pass.

v. 21. Dicam ego maternos Ætnæo fulmine partus] Duplices enim Bacchi partus, materni & paterni. Nam primum Semele fulmine percuſſa abegit conceptum, & abortum ejecit. deinde Jovis femori inſertum, Juppiter iterum edidit in lucem; unde *Bimatrem* vocat Ovidius. Vide eumdem lib. 3. Metam. in Fab. Semeles, & Euripidem in Bacchis. Meminit Noſter Eleg. 28. lib. 2. v. 27. Ignis operâ dicitur Bacchus prodiiſſe utero matris. unde πυρογενής. Ovidius 3. Faſt.

Nec, quod nos uris, mirum facis: ortus in igne
Diceris, & patria raptus ab igne manu.

Ætnæo fulmine partus. ſupple, cum. vel per Ætnæum fulmen & ejus operâ. Fulmen in Ætna Cyclopes fabricare finguntur. unde *Ætnæi Cyclopes* Virgilio Æneid. 8. De fulmine quo Semele conflagravit, lege Ovidium 3. Metam. Pass. Papinius L. 2. Thebaid.

Et nunc forte dies noto ſignata Tonantis
Fulmine, prærupti quum te, tener Evie, partus
Tranſmiſere patri.

memorabilis iſtic eſt Lutatii nota: *Primus natalis Liberi, quo fulminata eſt Semele, & exſecta utero Liber Jovis femori inſertus. Secundus enim dies natalis Dionyſii ille dicitur, quo, exactis menſibus legitimi partûs, Jovis eſt productus ex femore: quem diem homini ſcire fas non eſt*. Hauſit hæc doctiſſimus Grammaticus ex aliquo ſcriptore antiquo, qui nobis periit. qualia multa in egregio eo commentario, ſed quæ non raro ſub adſutis aliunde pannis deliteſcunt. Broukh. *Dicam ego maternos Æ. f. p.* Bacchi geſta recenſet Longus lib. 4. ποιμενικῶν. Vulp.

v. 22. Indica Nysæis arma fugata choris] Indorum acies pulſas, & domitas,

Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum:
Pentheos in triplices funera grata greges:

Cur-

tas. ut Eleg. 3. sup. *Gallica arma*. Plinius lib. 8. H. N. cap. 2. scribit, primum Bacchum victa India triumphasse junctis elephantis. Servius in illud 3. Æneid. *Bacchatamque jugis Naxon*; in Naxo, ait, Bacchum egisse de Indis triumphum. vide Plutarchum in Alexandro. Ovidius libro 1. A. A.

Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuisti
Quum timuit thyrsos India victa tuos?

vide eumdem lib. 4. Metam. & 3. Fast. Idem 15. Metam.

Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.

Martialis lib. 8. Epigr. 26.

Nam quum captivos ageret sub curribus Indos
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Nysæis choris. De Satyrorum choris, ac thyrsis, Silenorumque & Mænadum comitum Bacchi diximus ad Eleg. 32. lib. 2. v. 38. *Nysæis*; quia *Nysigenæ Sileni* Catullo Carm. 63. Apollodorus lib. 3. scribit, Mercurium Jovis jussu detulisse Bacchum recens natum ad Nymphas quæ Nysam urbem Asiæ incolebant; & eas nutrices postea a Jove stellatas, & appellatas Hyadas. Hyginus Fab. 167. Nyso cuidam datum educandum Bacchum scribit, unde Dionysus dictus sit. Plinius lib. 5. H. N. cap. 13. Nysam urbem juxta Arabiam a nutrice Bacchi ibi sepulta dictam ait, quum antea Scythopolis diceretur. Idem lib. 6. cap. 21. *Nysam urbem Indiæ adscribunt, montemque Merum, ubi Liber educatus*. Vide Strabonem lib. 15. ac Diodorum lib. 3. Ovidius 4. Metam. *Nysæum* vocat. PASS.

v. 23. VESANUMQUE NOVA NEQUICQUAM IN VITE LYCURGUM] Vesanientem, furentem, sævientem in vitem. nomen pro participio; ut Eleg. ultim. lib. 2. *Memorem Musis*, pro memorandum. & *in vite*, pro, in vitem. vide adnotata ad Eleg. 11. sup. v. 27. Apollodorus lib. 3. scribit, Lycurgum Dryantis filium, regem Edonorum [erant hi Thraciæ populi] Bacchum affecisse contumelia, & ejecisse; iccirco furorem illi objectum. Dryantem filium bipenni interfecit, quum se vitis palmitem crederet amputare. mox a suis in vincula conjectus est, & ab equis demum laniatus interiit. Vide Homerum 6. Iliad. & Eustathium in eum locum. Hyginus Fab. 132. in monte Thraciæ Rhodope pantheris a Baccho objectum fuisse, narrat, quum sibi alterum pedem excidisset pro vite. vites autem voluisse excidere, quod malum diceret medicamentum ferre. Servius in illud 3. Æneid. *Acri quondam regnata Lycurgo*, Hygino suffragatur, de crure abscisso: re vera tamen abstemium fuisse, ait; quod genus hominum acrioris est naturæ. Extant fragmenta quædam apud Grammaticos ex Nævii Lycurgo. Ovidius non semel *bipenniferum* vocat. *Novâ*, vel nuper repertâ, vel novellâ, & tenerâ. Virgilius Ecl. 3.

Atque mala vites incidere falce novellas.

Nequicquam, incassum, frustra; quia sibi, non viti nocuit. ut Eleg. 4. lib. 2.

Nequicquam perfusa meis unguenta capillis.

PASS.

v. 24. PENTHEOS IN TRIPLICES FUNERA GRATA GREGES] Meminit Penthei regis Thebarum, qui sacra Liberi patris contemnebat, Horatius Ode 19. lib. 2. Epist. 16. l. 1. Apollodorus lib. 3. Hyginus Fab. 184. Euripides & Theocritus in Bacchis, Plautus Mercat. 2, 4. Virgilius 4. Æneid. Pausanias Corinthiacis, Noster Eleg. 22. infra v. 33. Tibullus denique Eleg. 6. lib. 3.

Quales his pœnas qualis quantusque minetur,
Cadmea matris præda cruenta docet.

Funera, membra lacerata: *Funera ne-funera*, ut loquitur Catullus Carm. 63. quia multis in locis mortem habuit, ut Dirce, de qua Eleg. 15. sup. *Grata in greges*; ut Cicero Epist. 22. lib. 2. ad Attic. *In vulgus gratum esse sentimus*. *Greges*, thyasi, cœtus. Eleg. 8. sup. *Custodum gregibus*. Tres greges; Inûs, & Autonoës, materterarum, & Agaves, matris. Ovidius 3. Metam.

Prima suum misso violavit Penthea thyrso
Mater, &, O geminæ, clamavit, adeste sorores.

Legitur & *Tracta*: quod erit distracta, discerpta; ut Eleg. 1. lib. 4.

Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate.
Et tibi per mediam beneolentia flumina Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum:

Can-

Naufraga quum vasto Græcia tracta salo est. An legendum *rapta*? PASS. Seneca Phœniss. v. 15.

Qua per obscurum nemus,
Silvamque opacæ vallis instinctas deo
Egit sorores mater, &, gaudens malo,
Vibrante fixum prætulit thyrso caput. BR.

v. 25. CURVAQUE TYRRHENOS DELPHINUM CORPORE NAUTAS IN VADA PAMPINEA DESILUISSE RATE] De Tyrrhenis nautis viginti, qui Bacchum excipere conati ut venderent, quorum novemdecim mutati in delphinas, Ovidius 3. Metam. sub finem. Apollodorus lib. 3. ait, conduxisse Liberum navim prædatoriam Tyrrhenorum, ut ex Icaria insula Naxon transmitteret. illos relicta Naxo voluisse esportare in Asiam, ut venderent; sed furore actos in mare desiluisse, & delphinas factos. unde *Tyrrhenus piscis* pro delphine, Senecæ in Agememnone. vide Hyginum Fab. 134. & Poet. Astron. in *Delphin*. Ovidius 3. Fast.

Ecce libet subitos pisces, Tyrrhenaque monstra
Dicere: sed non est carminis hujus opus.

Dicti λῃσταί, Θύῤῥηνοι; prædones, Tyrrheni. vide Hymnum Homericum cui titulus: Διόνυσος, ἢ λῃσταί; Bacchus aut Latrones. & Servium ad illud 1. Æneid. *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor*. Appositio, *Nautas corpora delphinum*. vide adnotata ad Eleg. 3. sup. v. 31. *Corpora delphinum*, pro, delphines. Ennius apud Ciceronem 1. de Divinat.

Cedunt ter quatuor de cælo corpora sancta
Avium.

Ovidius lib. 5. Fast.

Romulus hoc vidit, selectaque corpora patres.

Curva, panda; quæ forma delphinum est. Ovidius eod. libro:

Inde (fide majus) tergo delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.

& lib. 3. Metam. in hac fabula:

Truncoque repandus in undas
Corpore desiluit: falcata novissima cauda est.

Pacuvius apud Quintilianum lib. 1. cap. 9.

Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus.

Desiluisse. Homerida ille in Hymno Bacchi & Latronum, leonis & ursæ specie territos, se præcipites dedisse, scribit. Hyginus, metu leonum & pantherarum territos, ait. Homerus:

Πάντες ὁμῶς πήδησαν, ἐπεὶ ἴδον, εἰς ἅλα δῖαν·
Δελφῖνες δ' ἐγένοντο.

Pampinea rate, quæ tota pampino vestita & hederâ fuit. Apollodorus & Ovidius hederæ tantum meminere. sed Homerida:

Ἀμφὶ δ' ἱστὸν ἐρέμνεν ἐμῶμασσε κισσὸς,
Ἀμπελος ἔνθα καὶ ἔνθα, κατεκρημνῶντο δὲ πολλοὶ
Βότρυες.

In vada, in maria, ἐλάτφεις. ut Eleg. 1. lib. 2. v. 22. PASS. Floride hæc exsequitur Seneca Oedipod. v. 449. V. ibi Delrium Com. p. 111. & Servius ad L. 1. Æneid. v. 71. ubi ait, *iratum numen tigres sibi sacratas visibus eorum objecisse*. BROUKH.

v. 27. ET TIBI PER MEDIAM BENEOLENTIA FLUMINA NAXON] Et dicam per mediam tuam Naxon beneolentia flumina. τὸ *tibi* enim vel jungi potest cum *Naxon*, pro, tuam; vel cum *flumina*, pro, tua. sic *tibi*, pro, tuus Eleg. 20. lib. 2. v. 17. Apud Hyginum Fabul. 134. Liber roget nautas Tyrrhenos, ut se Naxon devehant; & apud eumdem Naxos inter Cycladas numeratur. Meminit & Poet. Astron. in *Aquila*, & in *Delphino*. ubi Naxica dicitur scripsisse Aglaosthenes. Virgilius 3. Æneid. *Bacchatamque jugis Naxon*. ubi Servius: *Illic Bacchus egit triumphum de Indis, quæ & Dia dicitur, & Libero sacra est*. Plinius lib. 4. cap. 12. ait, Strongylen dictam olim Naxon, post Diam, postremo Dionysiada, a vinearum fertilitate. Hinc ergo fabulæ occasio de fluminibus vini. De ea & Strabo lib. 10. Sunt & Naxii populi Siciliæ Plinio lib. 3. cap. 8. (sed non hæc *turba Naxia*) & Naxos ibidem oppidum. *Beneolentia flumina*, ob odorem vini suavissimum. Sic Homerida in Hymno Bacchi & Latronum:

Οἶνος

Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Baſſaricas Lydia mitra comas.

Lævis

Οἶνος μὲν πρώτιστα θεῶν ἄπα νᾶμα μέλαιναν
Ἠλύσιος κελάρυζ' ἀοιδῆς, ὤρνυτο δ' ὀδμὴ
Ἀμβροσίη·

Horatius Ode 19. lib. 2. *Fas pervicaces eſt mihi Thyadas, Vinique fontem, lactis & uberes Cantare rivos*. Ex Euripidis Bacchis, ubi thyrſo conjecto Baccharum alia vini fontem, alia lactis, alia mellis excitat. Scaliger hic legit *bencolenti flumine*, & poſt *merum*, incidit, ut decurrat in tertium verſum. non eſt opus. PASS. Prodigioſo meri torrente inſignis Naxos. Ceterum odor vini gratiſſimus naribus tricongiorum, & anicularum delirantium. Plautus Curcul. 1, 2. inducit hujuſmodi vetulam bibaciſſimam ita geſtientem: *Flos veteris vini meis naribus objectus eſt. Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras. Ubi ubi eſt, prope me eſt. evax habeo. Salve animi mi, Liberi lepos. ut veteris vetuſti cupida ſum! Nam omnium unguentûm odor præ tuo nauteo eſt*. Plauto adjunge Phædrum Fab. 1. lib. 3. *Anus jacere vidit epotam amphoram, Adhuc Falerna fæce, & teſta nobili Odorem quæ jucundum late ſpargeret: Hunc poſtquam totis avida traxit naribus*, &c. Eleganter Achilles Tatius lib. 2. de Clitoph. & Leuc. verbis paſtoris Bacchum alloquentis: Πόθεν ὦ ξένε σοι τὸ ὕδωρ τοῦτο τὸ πορφυροῦν; πόθεν οὕτως εὗρες αἷμα γλυκύ; οὐ γάρ ἐστιν ἐκεῖνο τὸ χαμαὶ ῥέον. τὸ μὲν γὰρ εἰς τὰ στέρνα καταβαῖνον, καὶ λεπτὴν ἔχει τὴν ἡδονήν· τοῦτο δὲ καὶ πρὸ τοῦ στόματος εὐφραίνει τὰς ῥῖνας. *Undenam tibi, hoſpes, purpurea hæc aqua eſt? aut ubi gentium tam dulcem ſanguinem reperiſti? non enim ex eo eſt qui per terram labitur. ille enim minima cum voluptate in pectus deſcendit: hic autem nares prius quam os delectat*. Quæ autem vinorum genera minus magiſve odorata ſint, docet Plinius lib. 14. H. N. cap. 9. VULP.

v. 28. UNDE TUUM POTANT NAXIA TURBA MERUM] E quibus fluminibus a te divinitus profuſum merum potant incolæ Naxi. *Naxia turba*, ut Eleg. 1. lib. 4. *Turba togata*, nempe Quirites. *Turba potant*; ut Ovidius Epiſt. Penelopes:

Turba ruunt in me luxurioſa proci. PASS.

v. 29. CANDIDA LAXATIS ONERABO COLLA CORYMBIS] Implebo colla nivea corymbis fluxis. Sic Plautus Captiv. *Onerare amœnitate; onerare lætitia*. quod dulce onus. Eſt & onerare, ornare. ut Eleg. 9. ſup. *Onerare domum per arma*. *Corymbis*. unde *corymbifer Bacchus*; ut adnotatum ad Eleg. 30. v. 39. *Laxatis*, pro laxis, vagis, ac pendentibus. participium pro nomine. P. Cur Paſſeratius legere malit, *onerabo*, divinare non poſſum. editio enim princeps, anni 1472. codicibus mss. conſentiens, præfert *onerato*; quod ſane rectum eſt. nempe, tibi, o Bacche, onerato colla corymbis, cinget Lydia mitra comas. nulla igitur fuit mutandi cauſſa. *Laxatis corymbis*. hederacea corona a capitis vertice in cervicem defluente. quod ſignum ebrietatis ultimæ. Aliud, puto, ſibi valt Dio Chryſoſtomus Orat. 4. Στεφάνοις τισὶν ἐστεφανωμένος ἑώλοις τήν τε κεφαλὴν καὶ περὶ τὸν τράχηλον. *Coronis quibuſdam marcidis coronatus caput circa collum*. Tibullus item Eleg. 7. lib. 1.

Et capite, & collo mollia ſerta geras. V.

v. 30. CINGET BASSARICAS LYDIA MITRA COMAS] Velabit & vinciet caput Bacchi mitra Mæonia. Mitratus erat Bacchus, ut mollis. Noſter Eleg. 2. lib. 4.

Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Iacchi.

Statius 1. Achilleid. de Baccho: *Serta comis, mitramque levat*. unde μιτροφόρον vocant Diodorus, & Euſebius l. 2. Præparat. Evang. quod ebrio caput nutare ſoleat, & mitra ligaretur ſub mento, ne decideret. De mitra vide adnotata ad Eleg. 29. lib. 2. v. 15. *Baſſaricas comas*. Bacchicas; nam Bacchus *intonſus* Tibullo, & Βασσαρεὺς dicitur Orpheo. Baſſarides, Bacchæ, & Bacchus, Baſſareus, a genere veſtis, qua Liber pater utitur demiſſa ad talos, quam Thraces baſſaram vocant. vel a vulpibus, quarum pellibus Bacchæ ſuccingebantur, ut & lyncum, & pantherarum. vulpes inde Thraces baſſares dicunt: Cornutus grammaticus ad illud Perſii Sat. 1.

Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis.

Acron, & Porphyrio, a genere veſtis cui nomen baſſaris; quæ veſtis, inquit Acron, ad pedes uſque demiſſa, dicta a Baſſara

 loco

Lævis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudos veste fluente pedes.

Mol-

loco Lydiæ, ubi fit. Pollux & Hesychius vestem esse affirmant Bassarum. Phurnutus tamen *ἀπὸ τῦ βάζειν* deducit, a dicendo scilicet, vel clamando; & unico *s.* scribit. PASS. *Lydia mitra*. Seneca *Tyriam* vocat, Oedip. v. 413. *Te decet vernis comam floribus cingi, Te caput Tyriâ cohibere mitrâ.* hoc ad colorem purpureum refert Delrius Com. p. 106. ipse Noster L. 2. *mitram Sidoniam* vocat. Valerius Flaccus candidam facit, II. 271.

Teneat virides alatus habenas
Ut pater, & niveâ tumeant ut cornua mitrâ,
Et sacer ut Bacchum referat scyphus.

poterat sane Bacchus mitras habere non unius coloris. Juvenalis Sat. 3.

Ite, quibus grata est pictâ lupa barbara mitrâ.

vide Senecam Herc. fur. v. 471. BROUKH. *Lydia mitra*. Lydi molles fuerunt, ac deliciis dediti. vel unus Herodotus id satis testatur. VULP.

v. 31. LÆVIS ODORATO CERVIX MANABIT OLIVO] Catullus Carm. 6. *Sertis, ac Syrio fragrans olivo*. Callimachus Hymno in Apollinem v. 38.

Αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια.
Capilli vero odoriferis in terram stillans oleis.

Levis cervix. ut Eleg. 3. lib. 2. v. 13. *Levia colla*. ubi vide adnotata. Læves etiam depiles & vulsi. Ovidius 1. A. A.

Femina quid facias, quum sit vir levior ipsâ?

Bacchus autem imberbis, & investis fingitur. *Manabit oliva adorata*, diffluet unguento. Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Stillabat Syrio myrtea rore coma.

Festus: *Manare dicitur quum humor ex integro, sed non solido nimis per minimas suas partes erumpit. quod ex Græca trahitur: quia illi non satis solidum μανὸν dicunt*. Apud eumdem active: *Manalis lapis qui aquas manat*. Fundit, & manat Sol quum radios ab oriente jacit, quia ejus liquidum numen, quo spargit terras. *Manabit olivo*, ut Cicero 1. de Divinat. *Herculis simulacrum multo sudore manavit. Olivo odorato*. periphrasis unguenti. nam olivum unguentis componendis adhibetur. Virgilius 2. Georg.

Nec casiâ liquidi corrumpitur usus olivi.

Plinius lib. 13. H. N. cap. 2. oleum aptissimum esse ait ad odores conservandos; & ex balsamo, balsamium oleum vocat. *Odorata*, multi & suavis odoris, ut Eleg. 3. lib. 4.

Raptaque odorato carbasa lina duci. PASS.

Olivo. Ita & Persius Sat. 3. v. 44.

Sæpe oculos, memini, tingebam parvus olivo.
VULP.

v. 32. ET FERIES NUDOS VESTE FLUENTE PEDES] Quum incedes, vestis talos feriet ad eos demissa. quod Tibullus Eleg. 4. lib. 3. dixit:

Ima videbatur talis illudere palla.

nam & ludere, battuere. *Veste fluente*, & laxa & demissa. Virgilius 1. Æneid. *Talos vestis defluxit ad imos*. inde *vestifluus Lydus*, Petronius: ubi Turnebus male legit, *Septifluus*. Ausonius in Monosyllabis:

Jam pelago volitat mercator vestifluus Ser.

& apud Appulejum lib. 1. Florid. *Vestimento fluxos Arsacidas*. Tacitus quoque de moribus Germanor. *Non fluitante veste, sicut Sarmatæ & Parthi, sed stricta, & singulos artus exprimente*. Tibullus de Baccho Elegia 7. lib. 1.

Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

Et Statius 1. Achilleid.

Si decet auratâ Bacchum vestigia pallâ
Verrere.

vide & Euripidem in Bacchis. alii syrma intelligunt. *Nudos pedes*. atqui cothurnatus fingitur, ut probat Turnebus lib. 25. Advers. cap. ult. Sed interdum detrahit cothurnos. Virgilius 2. Georg. ad ipsum Bacchum:

Nudataque musto
Tinge novo mecum dereptis crura cothurnis.

sed ad premendum vinum, & tunc sine veste. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 6.

Dissiluit nudo pressa bis uva pede.

quare malim legere, *nitidos*. PASS. Et vates cothurnati fuerunt. Valerius Flaccus Lib. 1.

Hic vates, Phœbique fides non vana parentis
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes.

unde Passeratius malebat *pedes nitidos*. quod tamen non procedit, si uvas jam modo presse-

Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ:
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta dea magna Cybebe
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.

Ante

presserat Liber pater. Sed fingamus nobis oportet Bacchum descendentem de lacu, injecta sic temere veste, ne frigus lædat labore defessum ac sudantem. eam Lyæi bassaram ultra modum extendit Seneca Oedip. v. 425. videsis. BROUKH.

v. 33. MOLLIA DIRCÆÆ PULSABUNT TYMPANA THEBÆ] *Dircææ*, Bœoticæ, a Dirce fonte. dixi ad Eleg. 15. sup. *Pulsabunt*, plangent, quatient. Catullus Carm. 63.

Plangebant alii proceris tympana palmis.

Mollia tympana, quæ molles decent feminas, & cinædos. Suetonius Aug. cap. 68. *Viden' ut cinædus orbem digito temperat?* Plautus Trucul. 2, 7. *Mœchum, malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam*. & Pœnulo 5, 5. *Cur non adhibuisti, dum istæc loquereris, tympanum? Nam cinædum te arbitror magis quam virum*. unde in Hymnis in Cybelen, τυμπανοδόπης, & τυμπανοτέρπη. PASS. Tympanum erat pellis, vel coriam ligno ex una parte extensum. Isidorus lib. 3. cap. 21. Phædrus lib. 3. Fab. 21. *Detractâ pelle sibi fecerunt tympana*. Hesychius: Τύμπανα, τὰ δερμάτινα, βροντεῖα. *Tympana, coriacea, strepitum edentia*. Referebat cribri formam: unde κόσκινον Hesychio dicitur. Hæc affert Samuel Pitiscus ad Suetonium in Aug. cap. 68. VULP.

v. 34. CAPRIPEDES CALAMO PANES HIANTE CANENT] De Pane comite Bacchi Noster Eleg. 3. sup. *Calami, Pan Tegeæe, tui*. Servius in Ecl. 2. *Caprinos pedes habere Pan fingitur ob terræ soliditatem*. Capripedes Panes uno verbo *Ægipanes*. *Panes* numero multitudinis; & Fauni, Sileni, Lares. [Frequentius dicitur Pan singulari numero; ut & Faunus, & Silenus: rarius tamen Lar, quam Lares.] Virgilius in Culice: *Viridi ludentes Panes in herba*. *Calamo hiante* dixit, ut Lucretius lib. 4. de Pane:

Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes.

& Phurnuto Satyri ἀπὸ τοῦ σεσυρέναι, ab hiando. & *calamo*, pro calamis. PASS. *Panes*. Ovidius 1. Fast. v. 397.

Panes, & in Venerem Satyrorum prona juventus.

Idem lib. 14. Metam. v. 638. *Pinu præcincti cornua Panes*. Seneca Hippolyto: *Lasciva nemorum deus, Montivagique Panes*. Nonnus quoque Panopolites initio lib. 38. Dionysiac.

ἀγρονόμοι δὲ
Πᾶνες ἐνωλίζοντο χαραδρήεσσι μελάθροις.

Agrestes vero Panes inhabitabant præruptis montium domibus. Theocriti Scholiastes in Idyll. 4. Τοὺς Σατύρους οἱ πλείονές φασιν, ὡς καὶ τοὺς Σιληνοὺς, καὶ Πᾶνας. ὡς Αἰσχύλος μὲν Γλαύκῳ, Σοφοκλῆς δὲ ἐν Ἀνδρομέδᾳ. *Satyros plures dicunt, ut etiam Silenos, & Panes; ut Æschylus quidem in Glauco, Sophocles autem in Andromeda*. Vide Polyænum lib. 1. Strategem. cap. 2. de Pane Bacchici exercitûs duce, atque Echûs amatore. VULP.

v. 35. VERTICE TURRIGERO JUXTA DEA MAGNA CYBELLE TUNDET AD IDÆOS CYMBALA RAUCA CHOROS] *Juxta*; quia sacra Liberi patris, Cereris, & Cybeles communia multa habebant. Strabo lib. 10. Noster Eleg. 7. lib. 4.

Quæ numerosa fides, quæque æra rotunda Cybelles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

Dea magna. Lucretius lib. 2.

Quare magna deûm mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis una.

Catullus in Galliambo:

Dea magna, dea Cybele, dea Dyndimi domina.

Stephanus περὶ πόλεων in verbo Ἄμμων. ἀπὸ τῆς μεγάλης λεγομένης θεοῦ. unde Megalesia, ejus sacra. Strabo lib. 10. *Cybelle*, sic dicta a monte Phrygiæ. Stephanus περὶ πόλεων, Strabo lib. 10. Festus, & Servius. Vibius Sequester de montibus, in Phrygia montem Cybelum, & Gallum fluviam commemorat, Alii, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, a capitis rotatione. id enim Galli faciebant: Servius in 3. & 10. Æn. At Martianus Capella a cubo ei sacro Cybelen dictam putat. Nomina ejus vide apud

Ovi-

Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.

Hæc

Ovidium 4. Fast. *Turrigero vertice*. Sic Lucanus, de Roma lib. 1.

Turrigero effundens canos a vertice crines.

Ovidius 6. Fast.

Turrigerâ frontem Cybele redimita coronâ.

Claudianus 3. de Raptu Proserpinæ: *Turrigeramque petit Cybelen*. *Turritam* vocat Virgilius 6. Æneid. & Noster Eleg. ult. lib. 4. A Græcis πυργοφόρος dicitur. *Tundet*, feriet, quatiet. sup. *Pulsabunt*. Horatius in Arte: *Tundere pede terram*. Ovidius 4. Fast.

Ibunt semimares, & inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.

Cymbala. *Æra rotunda* vocat Noster Eleg. 7. lib. 4. v. 61. *Concava æra* Ovidius 4. Metam. unde Vet. Gloss. *Æneatores*, κυμβαλοκρόται. Cymbali formam intelligimus ex herba cotyledone, inquit Turnebus libro 26. Adv. cap. 33. Scribonius Largus: *Item mentastrum, vel radicem κοτυληδόνος, quæ herba folia similia cymbalis habet*. Virg. 4. Georg. *Matris quate cymbala circum*. ubi Servius: *Quæ in ejus tutela sunt; ideo quod similia sunt hemicyclis cæli, quibus cingitur terra, quæ est mater deorum*. Isidorus lib. 3. *Cymbala acetabula quædam sunt, quæ percussa invicem se tangunt, & sonum faciunt; dicta autem cymbala, quia cum ballematia simul percutiuntur. Ita enim Græci dicunt, cymbala, ballematica*. Inde *Cymbalissare*, cymbala quatere, apud Nonium. & *Cymbalum mundi* Apion Grammaticus vocatus a Tiberio Cæsare. *Rauca*, gravi sono, & querulo, ut notatum ad Eleg. 10. sup. v. 23. *Ad choros Idæos*, apud choros & cœtus Gallorum; ut *mitratos choros* Mænadum dixit El. 7. l. 4. *Ad*, ut El. 3. l. 4.

Ec crepat ad veteres herba Sabina focos.

Choros Idæos. ut Virgilius 9. Æneid. *Idæique chori*. Galli matris Idææ. Pass. *Cybelle*. Hoc loco non *Cybelle* legendum est, sed *Cybebe*. quam rem, novam fortasse multis, firmissimis rationibus liquidissimisque argumentis demonstravit Vir illustris Marquardus Gudius Not. in Phædr. L. 3. Fab. 20. & tetigerat olim in Virgilio cum Græcis collato doctissimus homo Fulvius Ursinus. Broukh.

v. 37. Ante fores templi crater antistitis auro Libatum fundens in tua sacra merum] De valvis templorum dictum ad Eleg. 31. lib. 2. v. 12. Hic autem locus docet, libationes factas fuisse ante fores templi. Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 4. *Ad aram Quæ stabat geminas ante cruenta fores*. *Ante fores templi*, dixit & Tibullus Eleg. 1. lib. 1. & *Ante sacras fores*, Eleg. 3. ejusd. libri. Vet. Gloss. *Ante templum*, πρόναον. *Crater antistitis auro*. deest, *ex*, vel *de*. ut adnotatum ad Eleg. 31. lib. 2. v. 11. Festus, *Craterre vocabulum trahitur a cratere, quod est vas vini*. Isidorus lib. 20. cap. 5. *Cratera calix est duas habens ansas. Græcis crater, Latinis cratera*. Fiebant autem primum a connexionibus virgultorum; & dictæ ἀπὸ τοῦ κρατεῖν, quod invicem se teneant. Macrobius libro 1. in Somnium Scipionis: Crater Liberi patris inter sidera. Græci deducunt a κεράννυμι, id est, misceo. Homero ubique vas vinarium, etiam aptum sacris. Virgilius in Daphn. & 6. Æneid. Crateres etiam, quibus funditur olivum. *Antistitis*. Antistitem olim *præstitem* vocabant. Festus in *Præstitem*. Antistare, præcellere. Fulgentius de Prisco Sermone: προστάτης, præcipuus inter sacerdotes. unde *Justitiæ antistes*, & *Antistes sapientiæ Plato*; Gellius. *Libatum fundens merum*. quia degustabant antequam funderent, & deum invocabant. Virgilius 2. Georg. *Sacris crateras coronant: Te libans, Lenæe, vocat*. & 5. Æneid.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi.

Libantes dicebant: *Macte hoc vino inferio esto*. Cato de R. R. cap. 134. & Arnobius. Xiphilinus in Nerone, de Thrasea venis incisis manus tollente, Σοὶ τοῦτο τὸ αἷμα, ὦ Ζεῦ ἐλευθέριε, σπένδω. & Tacitus lib. 15. Annal. de Seneca: *Postremo stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos servorum addita voce Libare se liquorem illum Jovi Liberatori*. Isidorus lib. 6. Libare, proprie fundere est: ductum a Libero, qui usum vini reperit. Sed λοιβὴ Græcum est: & libare est leviter degustare. Virgilius 4. Georg. *Flumina libant Summa leves*. & 1. Æneid.

Dixit,

Hæc ego non humili referam memoranda cothurno,
  Qualis Pindarico ſpiritus ore tonat.
Tu modo ſervitio vacuum me ſiſte ſuperbo,
  Atque hoc ſollicitum vince ſopore caput.

ELE-

Dixit, & in menſe laticum libavit honorem:
Primaque libato ſumma tenus attigit ore.

Crater fundens merum dicitur, ut Ovidio lib. 2. A. A. *Mihi fundat avitum Teſta merum.* Tibullua pariter Eleg. ult. lib. 1.

Funderet ut nato teſta paterna merum.

& Noſter Eleg. 10. ſup. *Nares ungat onyx.* *In tua ſacra*, pro, in tuis ſacris. ut Elegia 9. ſup. *In partes ſuiſſe.* v. ult. An in tuum honorem? PASS. *Crater antiſtitis*. ultima in *crater* longa eſt, κρατήρ. Ovidius 13. Metam. v. 701.

Summus inaurato crater erat aſper acantho.

Crater auro, id eſt, auro ſolidus. Corn. Tacitus lib. 2. Annal. cap. 33. *Decretumque ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent.* Virgilius lib. 1. Æneid. v. 655. *Duplicem gemmis auroque coronam.* & 5. Æneid. v. 662.

Furit immiſſis Volcanus habenis
Transſtra per, & remos, & pictas abiete puppes.

nempe naves abiegnas, ſive ex abiete. & in Copa: *Sunt vie cryſtalla ferre novos calices.* VULP.

v. 39. HÆC EGO NON HUMILI REFERAM MEMORANDA COTHURNO, QUALIS PINDARICO SPIRITUS ORE TONAT] Δὶς τὸ αὐτό, *Referam memoranda.* *Cothurno*, ſtilo graviore, qualis tragicorum eſt. unde τραγῳδεῖν, & *paratragœdiare* Plauto. vide notata ad Eleg. ult. lib. 2. v. 41. *Qualis ſpiritus*, vis & facultas pangendi carminis, ut Noſter *bisve carmen*, & *biſcere*. item Horatius Epiſt. 1. lib. 2. *Spirat tragicum ſatis.* & Sat. 4. lib. 1. *Acer ſpiritus, ac vis Nec verbis, nec rebus ineſt.* [loquitur ibi de Comœdia, humili poematis genere.] Quintilianus lib. 10. cap. 1. *Poetico ſpiritu.* Idem: *Novem Lyricorum Pindarus princeps, ſpiritus magnificentia.* *Animam* vocat Noſter Eleg. 10. lib. 2. v. 11. *Spiritus tonat*, forti horrendaque voce canit. vide adnotata ad Eleg. 1. lib. 2. v. 40. *Pindarico ore*; ut Horatius Ode 2. lib. 4. *Profundo Pindarus ore.* & Vellejus 1. *Niſi Thebas unum os Pindari illuminaret.* Optimus acerrimuſque poeta, & inimitabilis Pindarus fuit, Horatii judicio in Ode memorata, quod Dithyrambos etiam ſcripſerit. PASS. *Spiritus ore tonat.* Groninganus, cum noſtris, *ſonat.* fruſtra. Splendidiſſimum, & quale veterum nullus, Pindaro tropæum fixit nullo veterum minor Daniel Heinſius, Monobibli Elegia 14. BROUKH. De poetico ſpiritu plura olim dixi in libello meo typis edito; quem inſcripſi De Utilitate Poetices. V.

v. 41. TU MODO SERVITIO VACUUM ME SISTE SUPERBO] Formula eſt conditionis adjectæ: Faciam, tu modo id facias. ut Eleg. 11. lib. 1. v. 27. *Siſte me*, redde & præſta. & eſt verbum juris in obeundo vadimonio; de quo Cicero ſæpe pro Quintio; ac 3. Offic. *Vas factus eſt ſiſtendi ejus.* & alibi paſſim. Vide A. Gellium lib. 7. cap. 1. & lib. 18. cap. 10. Virgilius 2. Æneid.

Nuſquam abero, & tutum patrio te limine ſiſtam.

Plautus Curcul. 1, 3. *Siſte ego tibi me.* Et toto titulo π. *Si quis cautionibus.* Eſt & ſiſtere, verbum augurii. unde Feſto *Siſtere fana*, eſt in urbe condendâ *certa loca futurorum fanorum conſtituere.* Item ſacrorum; Virgilius 8. Æn. *Cum grege ſiſtit ad aram.* (ſuem.) *Vacuum ſervitio ſuperbo*, liberum injuſta & inclementi ſervitute. ut Eleg. 10. ſup. *Vacuum flore caput*, quod vacat, id eſt caret, flore. *Superbo ſervitio* contrarium eſt *ſervitium mite* El. 20. lib. 2. v. 20. P.

v. 42. ATQUE HOC SOLLICITUM VINCE SOPORE CAPUT] An pro vinci? ut *vincire mentem Lyæo*, El. 5. ſup. Sed *vince*, doma & opprime. ut Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Adde merum, vinoque graves compeſce dolores,
Occupet ut feſſi lumina victa ſopor.

Virgilius pariter 9. Æneid *Multoque jacebat Membra deo victus.* unde Homero dicitur πανδαμάτωρ ὕπνος. vide Orphei Hymnum in Somnum. *Sopore*, ſomno per te accerſito; ſup. v. 14. *Hoc ſollicitum caput*; id eſt, anxium me, & confectum curis. Vide Eleg. 4. ſup. v. 19. & 20. PASS.

ARGU-

ELEGIA XVIII.

PLausus ab umbroſo qua ludit Pontus Averno,
Fumida Bajarum ſtagna tepentis aquæ,

Qua

ARGUMENTUM ELEG. XVIII. LIB. III.] Adoleſcentis Marcelli mortem deflet, quam, adverſus communem hominum opinionem, atque hiſtoricam fidem, ait in aquis Bajanis ſubmerſum. Deinde, neminem ſupremæ ac fatalis neceſſitatis immunem, canit. VULP.

v. 1. CLAUSUS AB UMBROSO QUA LUDIT PONTUS AVERNO, HUMIDA BAJARUM STAGNA TEPENTIS AQUÆ] Bajarum ſitam deſcribit; & deſignat Averno, Miſeno, & via Hercalea. Strabo lib. 5. docet, in Cumano litore, proximum Cumis eſſe Miſenum, deinde ſub rupe lacus, mox ſinum Bajarum, ubi aquæ calidæ, & amœnæ & ſalutares. continuas lacus Lucrinus, intra qaem Avernus eſt, ubi χερρόνησος & ἰσθμός paucorum ſtadiorum, id eſt, pæninſula, & collum quoddam freta dividens. Legendus Servias in 2. Georg. ad illos verſus:

An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra,
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Julia qua Ponto longe ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſque fretis immittitur æſtus Avernis?

Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. *In ora* (maris) *Cumæ Chalcidenſium, Miſenum, portus Bajarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus. Qua ludit.* Auratus legit *Alludit*. id eſt, alluit ludendo. at Ovidius lib. 4. Metam.

In alludentibus undis
Summa pedum, taloque tenus veſtigia tingit.

Cicero Topicis: *Aquilius definiebat, litus eſſe qua fluctus alludit.* id eſt, ludendo procedit, ut ſit quidam undarum ludus & fluctuum; ut Æſchylus dixit, & adnotavi ad illud Catulli Carm. 63.

Procedunt, leviterque ſonant plangore cachinni.

Vide & Fabium lib. 5. cap. ult. Ductum a gladiatorum acceſſu & receſſu. Si legas, *ludit*, erit aphæreſis. *Pontus*, Cumarum mare ad Tenedum. *Pontus*, mare dicitur proprie a paludibus Mæoticis, ut aliàs notavi. *Clauſus*, quia Avernus efficit clauſtra Ponti. Scaliger legit, *Plauſus*; at Virgilius 12. Æneid. *Pectore plauſa. Ab Averno umbroſo*, ſilvoſo, ſilvis opaco. Virgilius 3. Æneid. *Averna ſonantia ſilvis*, nam ibi olim denſæ ſilvæ. Strabo lib. 5. *Humida ſtagna Bajarum*. Scaliger legit, *Fumida*. non placet. *Humida*, liquentia Catullo. Sic νότιος ἵδρως, Callimacho Hymno in Delum v. 21. Virgilius etiam 5. Æneid. dixit *maria humida*, & 3. Georg. *humida vina*. epitheton otioſum, ut *jucunda voluptas*, Eleg. 10. lib. 2. & *demens furor*. *fontes liquidi*, & *liquens fluvius*. *Stagna*, vel a ſtando, quod illic ſtet aqua: vel a Græco στεγνὸς, quod contineat aquam ille locas; Feſtus, Varro 4. de L. L. Servius in 1. Æneid. *Stagnum, ſtans aqua, vel profundum maris*. Ulpianus L. unica *Ut in flum. publ. na*. Stagnum proprie eſt, quod temporalem continet aquam ibidem ſtagnantem, quæ plurimum hieme cogitur. *Bajarum*. de iis dictum ad Eleg. 11. lib. 1. v. 1. & ult. *Tepentis aquæ*, pro, calidæ. ut Eleg. 33. lib. 2. *Nilo tepente*. PASS. *Plauſus*. libri fere *Clauſus*: quod e ſuo codice bene mutavit Scaliger. legebatur *Plauſus* & in priore Palatino Gebhardi. *Humida Bajarum ſ. t. a.* expreſſit quodammodo hunc Noſtri locum (nec ſemel tale quid facit) Papinius L. 3. Silv. 2.

Surgite de vitreis ſpumoſæ Doridos antris,
Bajanoſque ſinus, & fœta tepentibus undis
Litora, tranquillo certatim ambite natatu.

hìc autem legendum cum Scaligero *Fumida*. idem poeta Neapolitanus L. 3. Silv. 5. *Bajas* dixit *vaporiferas* & L. 4. 3. *æſtuantes*. BROUKH. Ita locutus & Statius de Aniene fluvio, lib. 1. Silv. Carm. 3. v. 73.

Aut ingens in ſtagna cadit, vitreaſque natatu
Plaudit aquas.

Nihilominus prætulerim, *Clauſus*, mſſ. libris

Qua jacet & Trojæ tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via:
Hic ubi, mortales dextra quum quæreret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo:

At

bris auctoribus; non enim Avernus plaudebat mare, sed mare potius Avernum assiduo fluctuum appulsu. Quomodo Agrippa Augusti gener interstitium illud quo lacus Lucrinus a mari dirimebatur, utrimque prope ipsam continentem perfoderit, effeceritque portus navium stationi aptissimos, refert Dio Cassius lib. 48. Lacus *Avernus* Lucrino adjacebat. ostio autem simul conjungebantur, quod etiam nunc visitur, quamvis terra oppletum est. Apparet tamen ex situ, interstitium paucorum fuisse passuum: quod Holstenius p. 133. suis oculis observatum adnotavit. Vibius Sequester de Lacubus: *Avernus immensæ altitudinis, cujus ima pars deprehendi non potest*. Vide Christophorum Cellarium Geograph. Ant. lib. 2. cap. 9. VULP.

v. 3. QUA JACET ET TROJÆ TUBICEN MISENUS ARENA] Vide adnotata de Miseno ad Eleg. 11. lib. 1. v. 4. *Jacet Misenus*, sepultus dicitur in litore quod promontorio vicinum est. *Tubicen Trojæ*; vel est genitivus, pro epitheto, ut *Mons Parnassi* Eleg. 13. sup. vel *Troja*, pro regione. Servius in 1. Æneid. Festus: *Misenum promontorium a Miseno tubicine Æneæ sit appellatum*. Statius non tubicinem, sed *liticinem* vocat 4. Silv. in Lyrico ad Max. Jun. cui favet Virgilius 6. Æneid. PASS.

v. 4. ET SONAT HERCULEO STRUCTA LABORE VIA] De hac via, sive aggere Noster Eleg. 11. lib. 1.

Qua jacet Herculeis semita litoribus.

ubi vide adnotata. *Structa*, exstructa & munita. Sic dixit Quintilianus lib. 2. cap. 14. *Stratum militari labore iter*. *Labore Herculeo*, ab Hercule laborioso. Sic Horatius Ode 3. lib. 2. *Perrupit Acheronta Herculeus labor*. *Sonat*, vel ob frequentiam populi viam celebrantis, ut Eleg. 9. lib. 4.

Omnis & insana semita nocte sonat;

vel ob fluctuum strepitum, ut Eleg. 10. lib. 4.

Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis.

unde & *resonantia litora* Virgilio. PASS. Sannazarius Ecl. 4. v. 41.

Hinc magni Alcidæ tauros, stratumque profundum
Aggeribus memorat, ductamque per oppida pompam.

M. Tullius Agraria 2. cap. 14. *Adjungetur illa via vendibilis Herculanea, multarum deliciarum, & magnæ pecuniæ*. *Herculeum iter* vocat Silius lib. 12. v. 118. Hanc viam Hercules muniverat & aggeraverat, quum Geryonis boves præ se ageret. vide Strabonem lib. 5. p. 245. *Sonat via*. Julius Pollux Onomast. lib. 3. cap. 16. ἱπποκρότος ὁδὸς commemorat, *equorum scilicet ungulis sonantem*. VULP.

v. 5. HIC UBI, MORTALES DEXTRA QUUM QUÆRERET URBES, CYMBALA THEBANO CONCREPUERE DEO] Beroaldus *quæreret* mutavit in *conderet*, quia in Campania condidit Herculaneum, & Pompejos. Scaliger *quæreret* dictum putat, ut nos dicimus, *conquerir*. id est, redigeret in potestatem. quod confirmatur τῷ *dextrâ*. Sic Eleg. 10. lib. 4.

Hic mihi quæsitæ, hic mea præda, boves.

Virgilius 7. Æneid. *Quæsitæ sanguine dotes*. Donatus in Phormionem: *Acquisitæ bello longe ab Italia regiones provinciæ dictæ*. ubi *Acquisitæ regiones*, ut hic *quæreret urbes*. Quærere, sæpe, parare est. Eleg. 2. sup. *Ingenio quæsitum nomen*. *Urbes mortales*; quia & ipsæ civitates intereunt, quum tot oppidorum projecta funera jaceant. vide notata ad illud Eleg. 22. lib. 1. *Patriæ sunt nota sepulcra*. vel est hypallage, pro, mortalis ipse. nisi omnino, *mortalis*, scribendum sit. id est, quum adhuc inter homines esset: cui respondet, quod sequitur, *deo*. Expugnavit autem plerasque urbes Hercules maxime ubi tyranni erant. ideo addidit *dextrâ*; nempe, vi & armis. ut lib. 2. Æneid. *Si Pergama dextrâ Defendi possent*. & 6. Æneid. *Invictaque bello Dextera*. sic *manu*, sæpe. *Deo Thebano*, Herculi interpretatur Beroaldus. Recte: nam duo

numi-

numina præcipua Thebanorum, Liber & Hercules. Statius in Thebaide. *τὸ deo*, pro, deo mox futuro. ut Albinovanus ad Liviam:

Quum sunt imposita membra cremata deo.

Ait idem Beroaldus, Herculem coli solitum a Campanis, cymbalis; quia in ea regione vicisset gigantes in Phlegræis campis. *Concrepuere cymbala*, id est, crepitum edidere quum pulsarentur. ut Eleg. prox. sup. *Pulsabunt tympana*. Petronius Arbiter: *Quum intrans cymbalistria, & concrepans æra omnes excitavit*. Martialis lib. 11. Epigr. 17.

Et Tartessiacâ concrepat æra manu.

Ovidius lib. 5. Fast.

Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra.

Vet. Gloss. *Concrepat*, συνηχεῖ, συναλλάξει.
PASS. *Dextra*, sive *manu*, *quærere* valet, per vim ac virtutem militarem sibi comparare. nam eam notionem habet *τὸ manus* apud optimum quemque auctorem. Pomponius L. 2. de Origine Juris: *Initio civitatis nostræ populus sine certa lege, sine jure certo primum agere instituit: omniaque manu a regibus gubernabantur*. Sallustius Jugurth. C. 5. *Populus Romanus, quascumque urbes & agros manu ceperat, regi dono dedit*. Virgilius L. 2. Georg.

Et duo rapta manu diverso ex hoste tropæa.

BROUKH.

Mortales urbes. epitheton elegantissimum, quod inconstantiam, brevitatemque rerum humanarum ob oculos ponit. Necesse est enim, haud solos urbium conditores, sed & urbes ipsas interire; longissimo tempore sensim omnia devorante. Audi Servium Sulpicium Epist. consolatoria ad Ciceronem lib. 4. ad Famil. qui de morte Tulliolæ filiæ querebatur: *Ex Asia rediens, quum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. post me erat Ægina: ante Megara: dextra Piræeus: sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata, & diruta ante oculos jacent. cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem: nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, quum uno loco tot oppidûm cadavera projecta jaceant?* Sulpicio concinit Seneca Epist. 91. *Frequenter*, ait, *nobis nuntiati sunt totarum urbium interitus*. & infra: *Ipsius naturæ opera vexentur; & ideo æquo animo ferre debemus totarum urbium excidia*. Idem Consolat. ad Marciam cap. 20. *De nostris ætatibus loquor, quas incredibili celeritate convolvi constat. computa urbium sæcula. videbis quam non diu steterint etiam quæ vetustate glorientur*. Rutilius quoque Numatianus Itinerario I.

Sola manent interceptis vestigia muris:
Ruderibus latis tecta sepulta jacent.
Non indignemur mortalia corpora solvi:
Cernimus exemplis oppida posse mori.

Adde Græcos. M. Antoninus lib. 4. τῶν εἰς ἑαυτόν: Πόσαι δὲ πόλεις ὅλαι, ἵν' οὕτως εἴπω, τεθνήκασι; Ἑλίκη, καὶ Πομπήϊοι, καὶ Ἡράκλειοι, καὶ ἄλλαι ἀναρίθμητοι. Lucianus in Contemplantibus, prope finem: Ἀποθνήσκουσι γὰρ αἱ πόλεις, ὥσπερ ἄνθρωποι. Poeta incertus, Anthologiæ lib. 1. cap. 90.

Τὴν πόλιν οἱ νέκυες πρότεροι ζῶσαν κατέλειψαν·
Ἡμεῖς δὲ ζῶντες τὴν πόλιν ἐκφέρομεν.

i. e. *Civitatem prius hanc mortui viventem reliquerunt, Nos autem viventes civitatem efferimus*. Placuit hæc Sannazario sententia. libro scilicet 2. de Partu Virginis v. 214.

Quo devictæ Carthaginis arces
Procubuere, jacentque infausto in litore turres
Eversæ. quantum illa metûs, quantum illa laborum
Urbs dedit insultans Latio, & Laurentibus arvis!
Nunc passim vix relliquias, vix nomina servans
Obruitur propriis non agnoscenda ruinis.
Et querimur genus infelix humana labare
Membra ævo: quum regna palam moriantur, & urbes?

& Eleg. 9. lib. 2; de ruinis Cumarum:

Et querimur, cito si nostræ data tempora vitæ
Diffugiunt? urbes mors violenta rapit.

Prior vero Dantes Aligherius Paradisi Cantu 16.

Udir, come le schiatte si disfanno,
Non ti parrà nuova cosa, nè forte,
Poscia che le cittadi termine hanno.
Le vostre cose tutte hanno lor morte,
Sì come voi, ma celasi in alcuna,
Che dura molto, e le vite son corte.

Denique Torquatus Tassus a Sulpicio, & Sannazario, Gothifredi Cantu 15.

Giace l' alta Cartago, e appena i segni
Dell' alte sue ruine il lido serba.
Muojono le città, muojono i regni,
Cuopre i fasti, e le pompe arena ed erba:

E l'

At nunc invisæ magno cum crimine Bajæ,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas;
Errat & in vestro spiritus ille lacu.

E l' uom d' esser mortal par che si sdegni;
Oh nostra mente cupida, e superba!

Πόλεως δὲ θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι. *mors civitatis, everti*, ait Lycurgus orator apud Grotium lib. 2. de Jure Belli, & Pacis lib. 2. cap. 21. §. 7. Isocrates nihilominus in Oratione de Pace memorat πόλεων ἀθανασίαν, *urbium immortalitatem*. Romam certe *urbem æternam* putabant olim superstitiosi, vel prædicabant adulatores. Dixi ad Tibulli Eleg. 5. lib. 2. v. 23. Hic unum T. Livii testimonium satis fuerit ex lib. 28. ab U. C. in Orat. P. Scipionis ad milites: *Ne istuc Juppiter optimus maximus siverit, urbem auspicato diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem esse*. Ita Romanorum *imperium sine fine*, ut ait Virgilius 1. Æneid. *Dextrâ quum quæreret urbes*. Armorum vi redigeret in potestatem. Usus est hac locutione Silius Italicus lib. 2. Punic.

In media steris urbe rogus: portantque, trahuntque
Longas pacis opes, quæsitaque præmia dextris.

Nec aliter Seneca Rhetor Suasoria 1. *Non quærimus orbem, sed amittimus*. loquitur de Alexandro deliberante, utrum Oceanum navigaret, necne. Κούρην, ἣν ἄρα οἱ ἐμῷ κτεάτισσα: *Puellam, quam hastâ meâ quæsiveram*, dixit Homerus Iliad. lib. 16. v. 56. VULP.

v. 7. AT NUNC INVISÆ MAGNO CUM CRIMINE BAJÆ, QUIS DEUS IN VESTRA CONSTITIT HOSTIS AQUA?] Dissimilitudinis est. Antea invisæ quidem Bajæ, sed parvo cum crimine, stupri scilicet. unde dixit Eleg. 32. lib. 2.

Sin autem longo nox una aut altera lusu
Consumta est, non me crimina parva movent.

& Eleg. 11. lib. 1.

Ah pereant Bajæ crimen amoris aquæ.

& Eleg. 30. lib. 2.

Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.

ubi & *Communem culpam* vocat. *Magno crimine*; quia consceleratæ morte Marcelli [filii Octaviæ sororis Augusti, qui præclarus adolescens ingentem de se exspectationem apud omnes excitaverat] cum magna invidia & infamia earum. Sic Eleg. 28. lib. 2.

Tam formosa tuum mortua crimen erit.

Quis deus, dictum ut a Catullo Carm. 40. *Quis deus tibi non bene advocatus Vecordem parat excitare rixam? Deus hostis*; ut Virgilius 12. Æneid. *Dii me terrent, & Juppiter hostis*. Idem 2. Æneid. *Mihi male numen amicum*. *Constitit in aqua*: pedem posuit, ut lavaret; vel pro consedit, & aliquamdiu mansit, ut aquas inficeret. Sic Eleg. 15. lib. 1.

Hypsipyle vacuo constitit in thalamo. PASS.

v. 9. HIS PRESSUS STYGIAS VULTUM DEMISIT IN UNDAS] Mentitus est Propertius, illic Marcellum periisse, quum constet contra ex Dione, ψυχρολουσίᾳ interiisse, ut hic ostendit Scaliger. *His pressus*. supple, undis, quia sequitur, *undas*. Eâdem loquendi formâ Eleg. 10. sup.

Dein qua primum oculos cepisti veste Properti,
Indue.

Pressus. ut Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11.

Argo funestas pressa bibisset aquas.

& lib. 2. Trist.

Pressere hoc fluctus Oceanusque caput.

vide adnotata ad Eleg. 9. sup. v. 6. Sic dicit Albinovanus ad Liviam: *Mergi aquâ Stygiâ*. *Vultum demisit*. languentis gestus & morientis. Virgilius 9. Æneid.

Purpureus veluti quum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput.

Vultum demittit qui submergitur gravato capite. At hoc etiam de mortuis Ovidius in Epicedio Tibulli:

Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno.

Sed & *Demitti Orco* & *morti* dicuntur βιοθάνατοι. Virgilius 2. Æneid. *Multos Danaûm demittimus Orco*. & 5. Æneid. *Infesta fulmine morti, Si mereor, demitte*. *In undas Stygias*; ut Narcissus apud Ovidium 3.

Met. *Se, postquam est inferno sede receptus, In Stygia spectabat aqua*. Et alludit hic ad Avernales aquas lacûs proximi Bajis. PASS. *His pressus S. v. d. i. u.* [MIRUM est, Propertium contra receptam opinionem, atque adeo contra verum, scribere, Marcellum in aquis Bajanis submersum interiisse, quum constet, ab Antonio Musa medico aquarum frigidarum lotionibus enectum fuisse. Dio libro tertio & quinquagesimo loquens de Augusto ægroto: *Καὶ αὐτὸν μηδὲν ὅ, τι μηδὲ τῶν πάνυ ἀναγκαίων ποιεῖν δυνάμενον Ἀντώνιός τις Μούσας ψυχρολουσίαις ἀνέσωσε*. Infra post: *Ὁ δὲ δὴ Μάρκελλος νοσήσας οὐ πολλῷ ὕστερον, καὶ τὸν αὐτὸν ἐκεῖνον ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Μούσα τρόπον θεραπευόμενος, ἀπέθανε*. Nam Musæ & ejus fratris Euphorbi inventum fuit, a balineis frigidâ multâ corpora adstringi, inquit Plinius libro quinto & vicesimo, capite septimo. Quare Horatius scribit: (Epist. 15. lib. 1.)

Nam mihi Bajas
Musa supervacuas Antonius: & tamen illis
Me facit invisum, gelida quum perluor unda
Per medium frigus. sane myrteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus gemit; invidus ægris
Qui caput & stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt & frigida rura.

In quibus vides Antonii Musæ ψυχρολουσίας, quas ipse instituit. Quare credibile, iisdem frigidis Marcellum quum curare vellet, occidisse. Sane Servius disertim scribit, eum in Stabiano periisse. Quod quum ipse dicat, suspicor, quum ex præscripto Antonii frigidâ lavaret, enectum fuisse in eo fonte qui Dimidia vocabatur, frigidissimo. Plinius libro uno & tricesimo: *Et quæ vocatur Acidula ab Theano Sidicino quatuor M. pass. hæc frigida, item in Stabiano, quæ Dimidia vocatur*. Quid ergo? tam illustris capitis interitus ignoratus fuisset & Propertio, viro & proceribus ipsis atque adeo Augusto ipsi notissimo? Minime. quid ergo? voluit gratificari ei quæ de ejus morte suspecta fuit, Liviæ Augustæ, quæ quum videret, Marcellum ita omnibus carum esse, ut describitur a Virgilio in sexto magni operis, muliebriter atque impotenter ζηλοτυπήσασα, curavit eum clandestino mortis genere de medio tollendum. Dio: *Αἰτίαν μὲν οὖν ἡ Λιβία τοῦ θανάτου τοῦ Μαρκέλλου ἔσχεν, ὅτι τοῦ υἱέος αὐτῆς προετετίμητο*. Scribit Dio id quod ego non dubito. Quin Cæsar ipse in Oratione in tralatione funeris Marcelli, illum in Minture monte devotum fuisse, dicit. Auctor, Vetus Virgilii Interpres, quem habet P. Daniel meus. En igitur εὐλάβεια, aut κακοήθεις Propertii; sed potius εὐλάβεια, qui mortem Marcelli deflens, maluit mendax Liviæ adulari, quam verum dicendo sibi periculum creare. Beroaldus autem, qui jactat, se primum omnium hujus Elegiæ sensum aperuisse, quam recte eam gloriam sibi vindicet sine iis quæ nunc nos primi protulimus, omnibus palam est.] *Aurea hæc Josephi Scaligeri, Criticorum sui seculi facile principis, Adnotatio nullo modo prætermittenda erat*.

' *His pressus*. nempe in Bajano; ut contra Scaligeri Stabianum, quod ex prava Servii lectione enatum erat, bene docuit magnus Lipsius in L. 1. Annal. Taciti C. 3. *Stygias vultum demisit in undas*. unus Palatinus Gebhardi habebat *vultum demersit*. quod passive ac poetice sumi debet, pro *demersus est vultum*. passive extulit Minucius Felix: *Sol demergit, & nascitur: astra labuntur, & redeunt*. In eadem re *submergendi* verbo utitur Ovidius L. 1. Amor. Elegia 9. ubi de Homero:

Nunc quoque summa dies nigro submersit Averno. BROUKH.

Vultum demisit in undas. Italice diceres: *Cadde boccone*. Sed Codex MSS. optimæ notæ, quem mihi commodavit vir Clarissimus JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLUS, Bononiensis, Abbas, habet, *demersit*. VULP.

v. 10. ERRAT ET IN VESTRO SPIRITUS ILLE LACU] Extremum halitum significat pæne adhuc spirantis mortui. Virgilius 4. Æneid. *Extremus si quis super halitus errat, Ore legam*. An umbram ipsam? ut de Cynthia Eleg. 7. lib. 4. *Spirantesque animos, & vocem misit*. Spiritum, umbram non audeo interpretari, quia non possum confirmare exemplis. sed tamen umbræ insepulto corpore errant centum annos; Virgilius 6. Æneid. & inultæ; Lucanus lib. 1. *Umbraque erraret Crassus inulta*. Sed & omnes umbræ noctu vagantur. Eleg. 7. lib. 4. *Nocte vagæ ferimur*. &c. *Spiritus ille*. ἔμφασις, ut Eleg. 3. lib. 2. *Cecidit spiritus ille tuus*. *Lacu*. supra hac Eleg. v. 2. *stagna* vocavit. Quid lacus, dixi ad Eleg. 3. v. 32. supra.

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexo Cæsaris esse focos?

Aut

pra. PASS. Credebant veteres, animas eorum qui in aquis periissent, non descendere in Orcum; sed circa eas ipsas aquas vagari atque oberrare. pulcre hunc locnm illustravit nuper Vir multarum literarum Petrus Petitus L. 3. Miscell. Observ. C. 22. *Spiritum* pro anima poni, atque hac ratione pro umbra, non est rarum, neque inusitatum: quamquam id Passeratius se posse confirmare exemplis negabat. Ovidius L. 15. Metam. aut Pythagoras, si voles:

Quoslibet occupat artus
Spiritus: eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster: nec tempore deperit ullo.

& alibi non semel. juvat, opinor, Tacitus L. 16. Annal. C. 34. ubi Thraseæ exitus: *De natura animæ, & dissociatione spiritûs corporisque inquirebat*. BROUKH.

v. 11. QUID GENUS, AUT VIRTUS, AUT OPTIMA PROFUIT ILLI MATER, ET AMPLEXUM CÆSARIS ESSE FOCOS?] Similis conquestio est Eleg. ult. lib. 4.

Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?

Ovidius in Epicedio Tibulli:

Quid pater Ismario, quid mater, profuit Orpheo?

Albinovanus ad Liviam:

Quid tibi nunc mores prosunt, actumque pudice
Omne ævum? & tanto tam placuisse viro?

Quid genus profuit? nempe avita nobilitas gentis Claudiæ quid adversus vim fati Marcello profuit? Genus non curat mors, neque parcit nobilibus. Horatius Ode 7. l. 4.

Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Aut virtus. De virtute Marcelli Virgilius 6. Æneid.

Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi quisquam se impune tulisset
Obvius armato, &c.

Optima mater. Octavia, maxime pia. Virgilius 10. Æneid. *Non te optima mater Condet humi*. Cicero 6. de Republ. *Pater sanctissime, atque optime*. De optimis moribus Octaviæ Plutarchus in Antonio. Albinovanus ad Liviam: *Marcellum Octavia flevit*. *Amplexum Cæsaris esse focos*. arctissimo vinculo conjunctum fuisse cum gente Julia & Cæsaris domo. vet. lib. *Amplexos*, ut παθητικῶς accipiatur. ita Cicero pro Sex. Roscio: *Quo uno scelere omnia scelera complexa esse videantur*. Scaliger intelligit adoptatum a Cæsare, quia adoptationes ante Larem familiarem fiebant, & libera toga sumebatur. Ego vero malo referri ad arctissimum vinculum affinitatis cum Cæsare, quia ei nupsit Julia Cæsaris filia, ut scribit Dio lib. 53. Albinovanus ad Liviam de Augusto:

Condidit Agrippam quo te, Marcelle, sepulcro:
Et cepit generos jam locus ipse duos.

Suetonius in Augusto cap. 63. *Focos*, penates, domum; ut Eleg. 1. lib. 2.

Restituit patriis Androgeona focis.

& ibid. v. 29. PASS. *Virtus*. De virtute adolescentis Marcelli vide Corn. Tacitum lib. 1. Annal. Suetoninm in Aug. cap. 63. Vellejum lib. 2. Dionem Cassium lib. 53. Virgilium in calce lib. 6. Æneid. & ibi Servium; Senecam denique in Consolat. ad Marciam. *Amplexum Cæsaris esse focos*. Nun adoptiones tantum, sed etiam sponsalia celebrabantur ante penates deos. Livius, præter alios, testis lib. 1. Hist. *Æneam*, inquit, *apud Latinum fuisse in hospitio. ibi Latinum apud penates deos domesticum publico adjunxisse fœdus, filiâ Æneæ in matrimonium datâ*. Penates autem dii colebantur in focis. res notissima. Broukhusius ex lectione aliquorum codd. *amplexos*, concinnat *amplexo*; ut Propertius ἐλληνίζῃ. Sic Ovidius lib. 11. Metam.

Siquidem Jovis esse nepoti
Contigit haud uni, conjux dea contigit uni.

& Epist. Hypermnestræ v. 64.

Quo mihi commisso non licet esse piæ?

ad quem versum consule virum eximium Nic. Heinsium, qui hujusmodi locutionem copiose illustrat. VULP.

v. 13.

Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, & misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.

I nunc,

v. 13. Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro] De velis theatrorum Plinius lib. 19. H. N. cap. 2. ubi ait etiam, hunc Marcellum, & sine ludis, velis forum inumbrasse, ut salubrius litigantes consisterent. Suetonius in Caligula cap. 26. *Reductis flagrantissimo sole velis.* Noster Eleg. 1. lib. 4.

Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro.

Martialis Epigr. 29. lib. 12.

Quamvis non medico caleant spectacula sole,
Vela reducuntur quum venit Hermogenes.

Lucretius lib. 4. de R. N.

Et volgo faciunt id lutea russaque vela,
Et ferrugina, quum magnis intenta theatris
Per malos volgata, trabesque trementia fluitant.

Ita Turnebus. *Fluitantia*, pendentia, & laxa, ideoque vento facile agitanda; ut Eleg. prox. sup. *Veste fluente.* Virgilius 10. Æneid. *Quos & fluitantia vela Impediunt.* in mari. & *vitris mare* dicitur Lucretio. Ovidius 11. Metam.

Vela tamen spectant summo fluitantia malo.

Pleno theatro, referto turba spectatorum. Marcelli theatrum struxit & dedicavit Augustus. Suetonius in Augusto cap. 29. & 43. Tacitus 3. Annal. Ammianus lib. 14. Plutarchus in Romulo, Lampridius in Commodo, Dio Cassius lib. 43. Vitruvius Præfat. lib. 10. Lipsius de Amphitheatro cap. 17. & 18. Pass.

v. 14. Et per maternas omnia gesta manus] Id est, ab Octavia matre administrata & tractata. Commendatio a pietate, quod Marcellus ædilitatis suæ curam matri commiserit. *Per manus*, pro, manibus; ut adnotatum ad Eleg. 7. sup. v. 30. *Gesta*, ut gerere bellum, rempublicam: & Jurisconsultis gerere negotium, bona, patrimonium. Pass.

v. 15. Occidit, et misero steterat vigesimus annus] Servius falsum annorum numerum recenset, qui ait, Marcellum incidisse in valetudinem anno decimo sexto, & periisse anno decimo octavo. Virgilius absorbet ejus ætatem, quum ait:

Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Esse sinent.

Neque Dio lib. 53. neque Plutarchus in Marcello ætatem numerant. & Corn. Tacitus lib. 2. Annal. *Marcellum*, inquit, *flagrantibus plebis studiis intra juventam ereptum; breves & infaustos Populi Romani amores.* *Occidit*, leto datus est. Sic Eleg. 28. lib. 2.

Et quæcumque erat in numero Romana puella,
Occidit.

Et misero; & quia mortuus, & quia primo ævo, miserum vocat. ut Eleg. 7. sup. *Primo miser excidit ævo.* Sic Virgilius Æn. lib. 6. de eodem Marcello: *Heu miserande puer.* *Steterat vigesimus annus*, pro, stabat. ut Eleg. 31. lib. 2. *Atque circum steterant armenta Myronis.* vel, pro, stetit. id est, currere desiit, & procedere illi ætas. Sic Eleg. 8. sup.

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas.

pro, *fuit*. Pass. Locus notabilis: neque est alius apud ullum auctorem, unde nobis constare possit de Marcelli ætate. ex τοῦ *steterat*, recte colligas, nondum viginti annos implevisse. hinc emendari potest Servius in L. 6. Æn. v. 861. *Significat Marcellum filium Octaviæ sororis Augusti, quem sibi Augustus adoptavit. Hic decimo sexto anno incidit in valetudinem: & periit decimo octavo in Bajano, quum ædilitatem gereret.* nimirum multa passim depravarunt librarii in bonis scriptoribus, quum literas eas quibus numerus indicabatur, conjungerent, & ex iis vocem aliquam efficerent; & rursus quum numerorum notis aterentur, vocum integrarum loco. illustribus id exemplis testatum fecerunt passim viri eruditi, quos exscribere nunc quidem nihil attinebat. talem autem errorem in his ipsis Servii verbis fuisse commissum, valde est vero simile. eum redimemus alio loco doctissimi grammatici ad L. 1. Æn. v. 716. Pesti devota futurae. *ideo ergo* infelix.

Pa-

I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent.

Atta-

PESTI *autem vel amori*, *vel malo*. DEVOTA *vero de oratione Augusti translata est locutio*, *quam habuit in tralatione funeris Marcelli*, *quum diceret*, *illum immaturæ morti devotum fuisse*. pessime schedæ P. Danielis habebant, *in Minturnæ monte devotum fuisse*. quod Scaligerum in errorem induxit non levem. BROUKH. Quum in numerie sæpe a librariie erretur, Meoecrates Medicus librum scripserat titulo ἀλογράμματος αὐτοκράτωρ, ut id vitium caveret; in quo scilicet libro numeri vocibus integrie, non vero literis singulis, notati erant. Meminit hujus libri Galenus lib. 1. de Antidotis, ubi ejusmodi consilium probat. Hæc ex Ægidii Meoagii Commentario in Procemium Diogenis Laertii. VULP.

v. 16. TOT BONA TAM PARVO CLAUSIT IN ORBE DIES] Sic Vetus Epitaphium apud Aldum in Orthographia:

Cassius Æquidicus jam centum vixerat annos:
Felices annos tot tulit hora brevis.

Lucretius lib. 3.

Miser, o miser, ajunt, omnia ademit
Una dies infesta tibi tot præmia vitæ.

Noster Eleg. 11. sup.

Tantum operis belli sustulit una dies.

Clausit, inclusit, finivit. ut Elegia 15. lib. 2.

Forsitan includet crastina fata dies.

Ovidius 3. Fast.

Mamurius, morum fabræne exactior artis,
Difficile est ulli dicere, clausit opus.

In orbe clausit, inclusit tam parvo annoram spatio, & circumscripsit. nam mensis, orbis lunæ; & orbis solis, annus. unde orbis temporis Horatio in Carm. Sæcul. *Certus ut denos decies per annos Orbis & cantus, referatque ludos*. Virgilius 6. Æneid.

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem.

& 5. Æneid.

Annuus exactis completur mensibus orbis.

Ovidius 1. Fast. orbem pro die posuit:

Est quoque (dies) *qui nono semper ab orbe redit.*

Nonæ scilicet. PASS.

v. 17. I NUNC, TOLLE ANIMOS, ET TECUM FINGE TRIUMPHOS] Sic Ovidius in Epist. Dejaniræ:

I nunc, tolle animos, & fortia facta recense.

I nunc, est insultantis, & reprehendentis, ut dictum ad Eleg. 7. sup. v. 29. *Tolle animos*, spe scilicet magnarum rerum. Horatius Ode 16. lib. 3. *Late conspicuum tollere verticem*. Cicero pro Domo sua: *Efferre animos insolentia dominatûs*. Contra idem de Finibus: *Animis cadere*, & *animos demittere*. Terentius Hecyra: *Sublati animi sunt*. ubi Donatus exponit elati; & dici ait de feris, quæ pro animi qualitate efferunt corpora. Virgilius 3. Georg.

Ingentes tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.

& 2. Georg. *Animos tollent sata*. id est, uberius & validius crescent. ductum a magnitudine animi. *Finge tecum triumphos*, spem triumphorum concipe. nam qui cupiunt, ipsi sibi somnia fingunt. Fingere est cupientium, & sperantium, & sibi blandientium. Tibullus Eleg. 5. lib. 1. *Hæc mihi fingebam demens*. Idem Eleg. 8. *Dum mihi venturam fingo*. Noster Eleg. 20. infra:

At tu stulta deos, tu fingis inania verba.

Tecum, ut mecum, secum. Secum est apud se, inquit Donatus, & in animo suo ac mente. PASS. In altero Colbertino, nostroque secundo legitur *centum finge tr.* quod non videtur de nihilo. sed & vulgata recta est. BROUKH.

v. 18. STANTIAQUE IN PLAUSUM TOTA THEATRA JUVENT] Id est, cuncti θεαταὶ, spectatores. Cicero in Lælio: *Stantes plaudebant in re ficta; quid arbitramini in vera esse facturos?* & lib. 2. ad Attic. Epist. 19. *Inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant*. Assurgebant in theatris honoris caussâ plausum daturi. & erat id majoris benevolentiæ signum. vide Plutarchum in Cicerone, & de lege Roscia. *Tota theatra*. Cicero 3. de Orat. *At in his, si paullum modo offensum est, theatra tota reclamant*. Auctor de Caussis corruptæ eloquentiæ: *Auditis versibus Virgilii populus surrexit universus, præsentemque, ut Augustum, veneratus est*. *Juvent*, quia *homini levi plausus*,

immor-

Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.

Sed

immortalitas ; sibilus , mors . Cicero pro Sextio. *In plausum*, pro, ad. ut Eleg. 9. sup. *In celeres gloria nata pedes.* & Eleg. 3.

Exercent teneras in sua dona manus. PASS. Observa & uni datum fuisse plausum, & adsurrexisse plaudentem populum. Cicero Orat. pro P. Sextio C. 55. *Auctori ipsi, atque absenti senatui plausus est ab universis datus: deinde, cum senatoribus singulis spectatum e senatu redeuntibus. Quum vero ipse, qui ludos faciebat, consul assedit: stantes, & manibus passis gratias agentes, & lacrimantes gaudio, suam erga me benivolentiam ac misericordiam declararunt.* quem locum exponens Nic. Abramus, nescio unde *fremant* scripserit, in adducto hoc versu, pro *juvent*. quod non est mutandum, ut Heinsio videbatur. Lucanus de Pompejo: *plausuque sui gaudere theatri*. BROUKH. Ingredientibus theatrum viris principibus, optimeque de republica meritis populus universus assurgebat, stansque manuum crepitu plaudebat. Martialis Epigr. 34. lib. 6.

Quæque sonant pleno vocesque manusque theatro,
Dum populus subiti Cæsaris ora videt.

Plinius in Panegyrico Trajani: *Quin etiam tanto majore consensu in venerationem tui theatra ipsa consurgent; quanta magis de te scenæ silebunt.* Horatius Ode 20. lib. 1. *Datus in theatro Quum tibi plausus, Care Mæcenas eques.* *Illis præcipue* qui populares erant olim *plaudebatur in theatro*. testatur id Cicero pro Sextio. hanc honoris significationem sibi uni vindicare voluit Augustus, ut narrat Suetonius in ejus Vita cap. 56. his verbis; C. & L. Agrippis *nepotibus suis, prætextatis adhuc, assurrectum ab universis in theatro, & a stantibus plausum, gravissime questus est*. Non est autem hic prætermittendus insignis locus M. Varronis ex Præf. lib. 2. de Re Rust. *Igitur*, ait, *quod nunc intra murum fere patres familiæ correpserunt, relictis falce & aratro, & manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in segetibus ac vinetis, frumentum locamus qui nobis advehat, qui saturi simus, ex Africa & Sardinia: & navibus vindemiam condimus ex insulis Coa & Chia. Manus movere*, hoc Varronis loco est plaudere. quod fiebat potissimum in theatro & circo. De pompa Circi Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Sed jam pompa venit . linguis animisque favete.
Tempus adest plausûs: aurea pompa venit.

& paullo post:

Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis.
Plaude tuo, miles, Marti.

& lib. 1. A. A. v. 147.

At quum pompa frequens cælestibus ibit eburnis,
Tu Veneri domina plaude favente manu.

Plausus porro fiebant non sine quodam artificio. propterea idem Ovidius eodem lib. v. 113. de rudibus Romuli temporibus:

In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
Rex populo prædæ signa petenda dedit.

Philostratus in pictura Comi: Μιμεῖται τινα ἡ γραφὴ καὶ κρότον· ὃ μάλιστα δεῖται ὁ Κῶμος. καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει ἐς τὸ κοῖλον, ἵν' ὦσιν αἱ χεῖρες ξύμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. *Plausus etiam quemdam imitatur pictura, quo maxime opus est Como. Nam dextera, contractis digitis, subjectam sinistram, quà cava est, tundit; ut manus etiam consonent, cymbalorum more percussæ.* VULP.

V. 19. ATTALICAS SUPERA VESTES, ATQUE OMNIA MAGNIS GEMMEA SINT LUDIS: IGNIBUS ISTA DABIS] Intellige vestes Phrygias, & aulæa auro intexta; de quibus vide adnotata ad Eleg. 13. lib. 2. v. 22. Attalicarum autem vestium meminit, quia & aulæa in scena. Virgilius 3. Georg.

Ut scena inversis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Ovidius 3. Metam.

Sic ubi tolluntur festis aulæa theatris,
Surgere signa solent. ---- Vide & Ciceronem pro M. Cœlio. *Gemmea*, tota ex gemmis. ὑπερβολή. Cicero 6. Verrina: *Trulla gemmea*, ex solida gemma. *Ludis magnis*. nam ædiles ludos curant: Cicero 7. in Verrem, & 3. de Legib. Marcellus autem & ædilis curulis erat, & Pontifex maximus. Corn. Tacitus I. Annalium

Ser-

Sed tamen huc omnes: huc primus, & ultimus ordo.
Eſt mala, ſed cunctis iſta terenda via.

Exoran-

Servius in 6. Æneid. *Magnos ludos, Romanos ludos appellabant, quos in honorem Jovis, quem principem deorum putabant, faciebant*: Feſtus Pompejus. Cicero 2. in Verr. Romanos ludos vocat; ubi Aſconius: *Romani ludi ſub regibus inſtituti ſunt, magnique appellati, quod magnis impenſis dati ſunt. Tunc enim primum ludis impenſa ſunt ducenta millia nummûm. Alii ideo magnos ludos dictos putant, quod Conſo, ſecretorum conſiliorum deo, id eſt Neptuno Latiorum regi, & rerum conditorum, & diis magnis*, id eſt, *Laribus urbis Romæ, dati ſunt: quibus ajunt raptas Sabinas eſſe, ut videatur dicere Virgilius* (8. Æn.) *magnis circenſibus actis. nam & magni, & circenſes iidem ſunt*. Hæc Aſconius. Vide Servium in 8. Æneid. Ciceroni lib. 1. de Orat. *Romani* vocantur, & *antiquiſſimi* dicuntur. quod & repetit 7. in Verr. & Orat. in Piſonem. *Ignibus iſta dabis*. iſta omnia tecum ardebunt, & in ignem rogi tui mittentur: nam pretioſiſſima quæque ſolebant cum mortuo cremari. ut Eleg. 11. lib. 2.

Omnia, crede mihi, tecum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.

Vide Virgilium 6. Æneid. Statium 6. Thebaid. in funere Archemori, & Suetonium in Julio Caſ. cap. 84. *Dare ignibus*; quod Virgilius 4. Æneid. *Permiſcere flammæ*; eſt in ignem mittere. Idem 2. Æneid.

Corpora ſalsa
Ad terram miſere, aut ignibus ægra dedere.

Catullus Carm. 36. *Electiſſima peſſimi poetæ Scripta tardipedi deo daturam*. [nempe Volcano claudo, ſive igni.] Albinovanus in Obitum Mæcenatis:

Illum piſcoſi viderunt ſaxa Pelori
Ignibus hoſtilis reddere ligna ratis. PASS.

Attalicas veſtes. fortaſſe lectorum tricliniarium ſtragula purpurea, vel etiam cubicularium. Horatius Sat. 6. lib. 2.

Ponit uterque
In locuplete domo veſtigia: rubro ubi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

& paullo poſt:

Purpurea porrectum in veſte locavit.

Catullus autem Carm. 63.

Purpuraeve tuum conſternens veſte cubile.

Gemmea. pro, gemmata, gemmis variata & diſtincta. Ovidius lib. 2. Faſt. v. 73.

Proximus Heſperias Titan abiturus in undas
Gemmea purpureis quum juga demit equis.
VULP.

v. 21. SED TAMEN HUC OMNES: HUC PRIMUS, ET ULTIMUS ORDO] Sic Albinovanus ad Liviam:

Fata manent omnes, omnes exſpectat avarus
Portitor, & turbæ vix ſatis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam:
Omnia ſub leges Mors vocat atra ſuas.

Horatius Ode 3. lib. 2. *Omnes eodem cogimur. Sed tamen*; ut Eleg. 25. lib. 2.

Sed tamen obſcuro teritur rubigine mucro.

Albinovanus in Obitum Mæcenatis:

Illa rapit juvenes prima florente juventa:
Non oblita rapit ſed tamen illa ſenes.

id eſt, atque etiam. *Huc*, pro, *Illuc unde negant redire quemquam*. nam dixit Eleg. 19. lib. 1.

Illic quidquid ero, ſemper tua dicar imago.

[ſcilicet, apud inferos.] Sic uſus & Albinovanus loco paullo ante citato: *Tendimus huc omnes*. *Omnes*, ſupple, ibimus. Statius 8. Thebaid.

Ne propera (o mors) venienus enim quo limite cuncti,
Qua licet ire via.

Huc primus, & ultimus ordo. ſic Eleg. 5. ſup.

Lydus Dulichio non diſtat Croeſus ab Iro.

Ordo primus, princeps ordo Ciceroni, ſenatorum & patriciorum; *ultimus*, plebejorum. Alluſum ad ordines civitatis Romanæ. *Ordo conditionem fortunæ ſignificat; ut locus, natalium*. Donatus in Eunuchum. PASS.

Huc omnes. Ovidius pariter lib. 10. Metam. v. 34. verbis Orphei:

Tendimus huc omnes: hæc eſt domus ultima: voſque
Humani generis longiſſima regna tenetis.

Primus, & ultimus ordo. Eques enim, ſeu equeſter ordo, medius inter ſenatum & plebem, nihil aliud erat quam honeſtior plebis pars. VULP.

v. 22. EST MALA, SED CUNCTIS ISTA TERENDA VIA] Odioſa eſt via ad inferos,

Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære:
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

Nirea

quia & mors vulgo malum habetur. Catullus Carm. 3. *At vobis male sit, malæ tenibræ Orci*. Sic *vias malas* de navigatione dixit Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11. *Ista via*, iter mortis, El. 7. sup. v. 2. *Est cunctis terenda*, sive reges, sive inopes erimus coloni. De verbo *terere* dixi ad Eleg. 3. sup. v. 18. PASS. *Ista tereuda via*. Codex Bononiensis, & Editio omnium princeps A. 1472.

Est mala, sed cunctis ista terenda via est. V.

v. 23. EXORANDA CANIS TRIA SUNT LATRANTIA COLLA] Eblandiendus, ne allatret, Cerberus, qui *canis tergeminus* dicitur Eleg. 7. lib. 4. v. 52. & ab Ænea sopitur, 6. Æneid. & apud Horatium Ode 19. lib. 2. *Tria colla latrantia cauit*, pro, triceps canis. ut Eleg. 5. sup.

Num tribus infernum custodit faucibus antrum Cerberus.

Superstitio veterum, Cerberum mulcera cupientium. Statius lib. 5. Silv.

Sævas utinam exorare liceret
Eumenidas, timidaque avertere Cerberon umbra.

& in Abascantii pietate:

Nempe times ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus: tacet ille piis.

Noster Eleg. ult. lib. 4.

Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras. PASS.

Exorauda c. t. s. l. c. Ita Fabios Valens, apud Tacitum L. 1. Hist. C. 67. *Quoties pecuniæ materia deesset, stupris & adulteriis exorabatur*. BROUKH.

v. 24. SCANDENDA EST TORVI PUBLICA CYMBA SENIS] Ingrediendum in cymbam Charontis: nam scanduntur naves, quia altum dicitur mare, & etiam in fluvio naves altiores ripa. Horatius Ode 16. lib. 2. *Scandit æratas vitiosa naves Cura*. *Cymba publica*; quæ omnibus populis patet, non uni populo Romano. quomodo publicum Jurisconsulti definiunt. sic *publica materies* Horatio in Epist. ad Pisones, communis: contra, *priva triremis*, quæ singulos vehit, puta ejus dominos, eidem Horatio. Cymba hæc *arundo Stygia* vocatur Eleg. 27. lib. 2. & *Ratis fati* Eleg. 28. libri ejusd. & *Inferna Ratis* Eleg. 3. sup. *Torvi senis*. aliàs legitur *Curvi*, quod minus placet; quia cruda ei viridisque senectus. Sic tamen Eleg. 18. lib. 2. *Curva anus*. Statius lib. 2. Silv. in Epicedio in Glauciam: *Avida trux navita cymba*. Virgilius 6. Æneid.

Portitor has horrendus aquas & flumina servat
Terribili squallore Charon &c.

Theocritos in Encomio Ptolemæi vocat ϛυγνὸν πορθμῆα καμόντων, tristem portitorem defunctorum. vide & Euripidem in Alcestide. *Torvus Charon*, ut *Torvus aper* Eleg. 3. lib. 2. Juvenalis Sat. 13. *Sicula torvus cum conjuge Pluton*. nam aspectus torvos feritatis indicium. PASS. *Publica cymba*, volgaris, in quam omnes temere confluunt, nullo dignitatis vel conditionis discrimine. Cicero de Haruspicum responsis: *Quæ navis umquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quam hujus ætas fuit?* explicatio enim Passeratii minus placet. Eodem pacto Noster lib. 4. Eleg. 7. meretricem vocat *publicam*, expositam scilicet τοῖς τυχοῦσι. *Qua modo per viles inspecta est publica noctes*. & Juvenalis Sat. 7. *vatem egregium* dicit, *cui non sit publica vena*, vulgaris videlicet, ut eorum qui in triviis canunt. VULP.

v. 25. ILLE LICET FERRO CAUTUS SE CONDAT, ET ÆRE] Sic fere Sallustius in Orat. M. Lepidi: *Quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro septis statuit*. Alludit ad cataphractum, de quo Eleg. 12. sup. v. 12. τὸ *Ille*, incertæ personæ, pro quilibet, hic vel ille. ut sup. *hue*. *Cautus*, timidus, providus, & sua opinione callidus. Eleg. 5. sup.

Ille parum cauti pectoris egit opus.

Condat se, abscondat, tegat. vide adnotata ad Eleg. 14. sup. *Protegit ære caput*. *Ferro & ære*; ut Eleg. 20. lib. 2. v. 11. & 12.

v. 26. MORS TAMEN INCLUSUM PRO-

TRA-

Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
  Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
  Atridæ magnò quum stetit alter amor.

At

TRAHIT INDE CAPUT] Mors eruet inde caput, & porro trahet ad sepulcrum. Ovidius in Epicedio Tibulli:

Mors gravis e templis in cava busta trahit.

Inclusum, tectum ferro & ære. Virgilius 11. & 12. Æneid. *furor inclusérat auro*. Protrahuntur autem latentia. Virgilius 2. Æneid.

Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios.

Livius lib. 27. *In occulto gliscens facinus per indicium protractum*. Huic Propertiano simile illud Martialis in senem lascivum, tinctâ comâ canos dissimulantem, Epigr. 43. lib. 3.

Non omnes fallis. scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo. PASS.

v. 27. NIREA NON FACIES, NON VIS EXEMIT ACHILLEM, CRŒSUM AUT, PACTOLI QUAS PARIT HUMOR, OPES] Formosis mors non parcit; nam, ut Noster Eleg. 28. lib. 2.

Sunt apud infernos tot millia formosarum.

De eximia Nirei forma Homerus Iliad. lib. 2.

Νιρεὺς, ὃς κάλλιςος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.

Non vis, id est, robur, vires, vivida vis animi. Horat. Ode 4. lib. 3. *Vis consili expers*. vel iracundia, ut Ode 16. lib. 1. *Insani leonis vim*. Exemit, eximium habuit, excepit. Horatius Ode 2. lib. 2. *Redditum Cyri solio Phraaten, Dissidens plebi, numero beatorum Eximit virtus*. Sic Cicero, ex reis, ex vinculis ærariis eximere. vulgo: *Rendre exempt*. De Crœso, cujus divitias ex Pactoli aureis arenis conflatas fuisse, ajunt Plinius & Strabo, vide adnotata ad Eleg. 5. sup. v. 39. & ad Eleg. 6. lib. 1. v. 32. *Parit opes*: Plautus Asin. 2, 2. *Maximas opimitates heris fuit una mecum pariet*. *Opes*, pro auro, quia opes auro æstimantur. sic Eleg. 23. infra:

Donabitur auro.

Quis pro divitiis ligna retenta velit?

Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro.

unde & *dives aurum* eidem. PASS. *Pactoli quas parit humor, opes*. unus Colbertinus, nostri duo, *premit*. frustra. Palatinus Gebhardi *perit*: unde ipse suspicabatur *gerit*. ego mallem *vehit*, si quid foret mutandum. Juvenalis Sat. 14.

Cujus votis modo non suffecerat aurum
Quod Tagus, & rutila volvit Pactolus arena.

sed nihil movendum: & *parere* hic de aqua dicitur, quemadmodum aliàs de tellure. BROUKH.

v. 29. HIC OLIM IGNAROS LUCTUS POPULAVIT ACHIVOS] Idem & ejusmodi luctus. comparat luctum populi Romani de morte Marcelli cum luctu Græcorum ob amissos tot socios gravi pestilentia. Virgilius 6. Æneid.

Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus!

Populavit Achivos, pæne exhausit Achaïca castra funeribus. qua de re Eleg. 6. lib. 4.

Egestisque avidis Dorica castra rogis.

Populare & populari idem. vulgo, *depeupler*. *Ignaros* autem *luctus* dixit, quia nesciebant unde illa pestilentia, antequam edocti a Calchante. Homerus 1. Iliad. P. *Hic luctus*; publicus, non privatus: intererat scilicet rei Romanæ, Marcellum vivere, atque ad senectutem pervenire. Sic Albinovanus ad Liviam v. 65. de Augusto Marcelli mortem lugente:

Vidimus erepto mærentem stirpe sororis.
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.

qui locus Propertium unice illustrat. Idem Scriptor eodem Carmine v. 9. significat, luctum de morte Drusi ad omnes pertinuisse:

Hei mihi, quam facile est (quamvis hic contigit omnes)
Alterius luctu fortia verba loqui!

Male igitur Josephus Scaliger hoc Nostri distichon loco movit, & ad Eleg. 8. [ipsi septimam] lib. 2. retraxit, quod ejus sententiam minus percepisset. Mors igitur

Mar-

Marcelli omnium Qniritium animos ita perculit, ut injuria quam Achilles ab Agamemnone accepit, quum hic illi rapuit Briseidem præmium victoriæ, Græcos omnes ad Trojanam expeditionem profectos dolore ac detrimento affecit. Achilles enim ob id vehementer iratus, a pugnando diutius abstinuit; quo cessante, maximas clades Trojani Græcis intulere. *Ignares Achivoe*, ignotos, ignobiles, plebem Achivorum; nam, ut ait Horatius de eadem re, Epist. 2. lib. 1.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Statius valde apposite lib. 1. Silv. Carm. 4. v. 39.

Quæ tum Patrumque Equitumque uctavi
Lumina, & ignara plebis lugere potentes!

Cicero ita usurpavit hanc vocem lib. 2. Tusc. Quæst. *Unde erat exortum genue Atticorum iis ipsie qui id sequi se prefitebantur, ignarum*. Sallustius pariter B. Jugurth. cap. 56. *Regio hastibne ignara*. Contra *gnaeus* pro noto. Corn. Tacitus I. Annal. cap. 63. *Trudebanturque in paludem, gnaeam vincentibus, iniquam nesciis*. *Populavit*: Virgilius 1. Æneid. v. 427.

Nou nee aue ferre Libycee populare penatee
Venimus.

& lib. 4. Æneid. v. 402.

Veluti ingentem formicæ farris acervum
Quum populant.

ad quem locum nescio quis in Pseudo-Virgilio, librorum nugacissimo: *Populant* pro *populantur solæcum est*. At, o bone, Virgilius tuus genuinus, videlicet scriptor Georgicorum, eodem pacto locutus est ejus operis lib. 1. v. 185.

Populatque ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.

ut luce meridiana clarius appareat, vel ex horum locorum comparatione, eumdem omnino esse qni Georgica, & qui Æneidem scripserit. Hinc porro participium παθητικῶς *populaeue*. Cicero Divinat. in C. Verrem: *Qui nunc populati atque vexati cuncti ad me publice sæpe venerunt*. Ita & *depopulare*. Valerius Flaccus lib. 4. Argon. v. 428.

Insuper Harpyiæ Typhonidee ira Tenantie
Depopulant. VULP.

v. 30. ATRIDÆ MAGNO QUUM STETIT ALTER AMOR] Emit magno illum amorem Briseidos tot suorum amissis irato Achille. qua de re dictum ad Eleg. 8. lib. 2. v. 31. *Stare magno*, [constare magno pretio.] sic fere Virgilius 2. Æneid. *Magno mercentur Atridæ*. Idem 3. Georg. *Quamvis Milesia magno Vellera mutentur*. ingenti pretio comparentur, inquit Servius. & 10. Æneid.

Turno tempus erit magno quum optaverit emtum
Intactum Pallanta.

Ibid. *Haud illi stabunt Æneïa parvo Hospitia.* Juvenalis Sat. 3.

Magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres (stant:) & frugi cœnula magno.

Ovidius lib. 2. Fast.

Heu quanto regnis nox stetit una tuis!

& 4. Fast. *Stat mihi non parvo virtus mea*. & 12. Metam. *Commissaque prælia magno Stant Danais*. Noster denique Elegia 10. l. 4.

Magno Tiresias aspexit Pallada vates.

Alter amor. nam amarat Arginum, Eleg. 7. sup. v. 21. 22. 23. Sic Eleg. 3. lib. 2.

Acrius ne moriar, venerit alter amor. PASS.

A. magno q. stetit a. a. Delectatur hac locutione Ovidius. lib. enim 7. Metam. v. 487. *Stabuntque tibi tua fœdera magno, Dixit*. Idem lib. 10. v. 596.

Neve feras, quibus arma dedit Natura, lacesse;
Stet mihi ne magno tua gloria.

& lib. 14. v. 493. *Magno stat magna potentia nobis*. & Epist. Didûs v. 47.

Exerces pretiosa odia, & constantia magno.

Livius quoque usus lib. 2. Hist. *Magno illis ea cunctatio stetit*. & lib. 23. *Multorumque sanguine ac vulneribus ea Pœnis victoria stetit*. Seneca pariter Consolat. ad Helviam, cap. 2. *Nulli tamen non magno constitit & bona noverca*. & in Medea v. 603. *Constitit nulli via nota magno. Vade qua tutum populo priori*. Adde Tacitum 3. Hist. cap. 53. *Casum Cremonæ bello imputandum: majore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias reipublicæ stetisse*. Horatius adhibuit sine ellipsi Sat. 2. lib. 1. v. 122.

Sibi qua neque magno
Stet pretio, neque cunctetur, quum est jussa, venire.

Hinc jocum petivit nequam ille Hispanus Epigr. 75. lib. 3. videsis. *Alter amor*: non puto hic significari Arginum, sed Chryseidem, quam Agamemnon Chrysæ sacerdoti, puellæ patri, invitus reddiderat, Apollinis religione permotus. post Chryseidem vero alter amor fuit Briseis. VULP.

v. 31.

At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animæ portent corpus inane tuæ:
Qua Siculæ victor telluris Claudius, & qua
Cæsar ab humana cessit in astra via.

v. 31. AT TIBI, NAUTA, PIAS HOMINUM QUI TRAJICIS UMBRAS, HUC ANIMÆ PORTENT CORPUS INANE TUÆ] τὸ *Tibi* vacat, ut Eleg. 17. sup.

Et tibi per medium beneolentia flumina Nason.

vide & Eleg. 7. sup. Sic Ciceroni, Terentio, Virgilio ornatûs caussâ tantum. *Qui trajicis*, vehis in alteram ripam; *transportas:* Virgilius. verbum nauticum; ut Elegia 9. lib. 1.

Trajicit & fati litora magnus amor.

Pias umbras hominum, piorum hominum, per hypallagen. Pios autem Charon separatim vehit. Virgilius 6. Æneid. *Secretosque pios.* & Noster Eleg. 7. lib. 4.

Turbaque diversâ remigat omnis aquâ.

Huc portent, vehant. ut Eleg. 7. sup.

Portabat sanctos alveus ille viros.

Corpus inane, lumine cassum. Ovidius in Epicedio Tibulli:

Ardet in exstructo corpus inane rogo.

An *corpus inane* dixit pro vana corporis imagine? ut Horatius Ode 24. lib. 1. *Num vanæ redeat sanguis imagini.* Immo corpora ipsa inania re vera Charon vehebat apud Ægyptios ad sepulturam certum in locum, unde poetæ totam illam fabulam confixerunt. Diodorus Siculus lib. 3. Eoque respexit etiam Virgilius 6. Æneid.

Huc omnis turba ad ripas effusa jacebat,
Matres, atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroum.

& ibid.

Corpora viva nefas Stygiâ vectare carinâ.

Ergo fas mortua. *Animæ tuæ*, an venti, qui vela cymbæ tuæ impellant? Horatius Ode 12. lib. 4. *Impellunt animæ lintea Thraciæ.* Immo umbræ, quas tu vehis, & quæ remigant. Noster Eleg. 27. lib. 2. *Stygia sedeat sub arundine remex.* PASS. *Animæ tuæ.* venti, quorum adminiculo cymba Charontis ferebatur. Notum hoc ex Virgilio lib. 6. Æneid. v. 302.

Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat.

& ex Nostro, qui Eleg. 27. lib. 2. Charontis rati vela tribuit:

Cernat & infernæ tristia vela ratis.

& rursus Eleg. 28.

Una ratis fati nostros portabit amores
Cærula, ad infernos velificata lacus.

Animas autem ventos a Latinis vocari, non ignotum. Accius in Myrmidonibus, apud Nonium: *Classes trahere in salum, & vela ventorum animæ immittere.* Lucretius lib. 5. *Aurarumque leves animæ.* Virgilius Ecl. 6. *Seminа terrarumque, animæque, marisque.* Idem 8. Æneid. *Quantum ignes, animæque valent.* VULP.

v. 33. QUA SICULÆ VICTOR TELLURIS CLAUDIUS, ET QUA CÆSAR AB HUMANA CESSIT IN ASTRA VIA] Ovidius 4. Fast.

Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius, & bello te quoque cepit, Eryx.

Noster Eleg. 10. lib. 4.

Claudius a Rheno trajectos arcuit hostes.

M. Claudius Marcellus scilicet, cujus de rebus in Sicilia gestis Livius lib. 24. & sequ. Plutarchus in Marcello, Cicero in Verrem sæpe, Vellejus lib. 2. Asconius in Orationem pro M. Scauro. Fuerunt duæ familiæ Claudiæ; plebeja Marcellorum: patricia Pulchrorum. Suetonius in Tiberio cap. 1. ab Appio Clauso scilicet. Virgilius 7. Æneid.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar;
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus, & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.

Plebeji Claudii non minus illustres, & potentes, quam patricii. Suetonius ibid. *Claudium* memorat, quod Marcellus adolescens ex ea gente natus fuerat: *Cæsarem*, quod in Juliam familiam adoptatus. Servius in 6. Æneid. *Victor Siculæ telluris*, insulæ, ac maxime Syracusarum. Virgilius 1. Æneid. *E conspectu Siculæ telluris.* *Ab huma-*

humana via, quasi certa via sit in terris, qua in cælum ascendatur. Eo allusit Seneca in Apocolocynthosi de morte Claudii, quia Appiâ viâ Claudiorum scilicet in cælum iit. *Velit nolit necesse est ei omnia videre quæ in cælo aguntur. Appiæ viæ curator est, qua scis & D. Augustum, & Tiberium Cæsarem ad deos iisse*. Sed quo Charontis cymba portabit Marcellum? ad campos Elysios, qui sunt aëris campi. Virgilius 6. Æneid. & Ausonius in Cupidine cruci affixo. Charon autem in Elysium vehit pios. Hic sup. & Eleg. 7. lib. 4. *Cessit*, pro concessit, discessit; ut Eleg. 3. lib. 1. *Cedente carina*. *In astra cessit*, quia factus est astrum. Horatius Ode 12. lib. 1. *Julium sidus*. Virgilius Ecl. 9.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

lege & Ovidium extremo lib. Metam. Noster Eleg. 6. lib. 4. *Pater Idalio miratus Cæsar ab astro*. Suetonius pariter in Julio, cap. pænult. & Plinius lib. 2. H. N. cap. 25. ex verbis ipsis Augusti. PASS. *Siculæ victor telluris Claudius*. Asconius in Divinat. in Q. Cæcil. C. 1. *Siculi veteres patronos habebant; in quibus Marcellos, a Marcello ortos, qui Syracusas victor servavit incolumes*. BROUKH. *Et qua C. ab humana cessit in astra via*. De hac via, quæ probos & virtute præditos, morte obita, in cælum duceret, Cicero Quæst. 1. Tusc. *Mortem*, ait, *non interitum esse omnia tollentem, atque delentem, sed quamdam quasi migrationem, commutationemque vitæ, quæ in claris viris & feminis dux in cælum soleret esse, in ceteris humi retineretur, & permaneret tamen*. & inferius, planissime: *Ita enim censebat Socrates, itaque disseruit: duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. nam qui se humanis vitiis contaminavissent, & se totos libidinibus dedissent .... iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum. qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio .... his ad illos, (deos) a quibus essent profecti reditum facilem patere*. Tullio concinit Cato apud Sallustium Catil. cap. 55. *Bene, & composite C. Cæsar paullo ante in hoc ordine de vita & morte disseruit, credo falsa existumans ea quæ de inferis memorantur, diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidolosa habere*. Lactantius quoque D. I. lib. 1. cap. 18. *Nostri .... fortes & bellicosos duces in deorum cœtum locari arbitrantur; nec esse ullam aliam ad immortalitatem viam, quam exercitus ducere, aliena vastare, urbes delere, oppida exscindere, liberos populos aut trucidare, aut subjicere servituti*. & lib. 6. cap. 3. mirifice ad rem nostram: *Duæ sunt viæ, per quas humanam vitam progredi, necesse est, una, quæ in cælum ferat; altera, quæ ad inferos deprimat, quas & poetæ in carminibus, & philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et quidem philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum*. Et post multa: *Poetæ fortasse melius, qui hoc bivium apud inferos esse voluerint: sed in eo falluntur, quod eas vias mortuis proposuerunt*. Adde Senecam Herc. Fur. v. 739. *Quisquis est placide potens .... longa permensus diu Felicis ævi spatia, vel cælum petit, Vel læta felix nemoris Elysii loca Judex futurus*. De geminis etiam inferorum portis, ad quas diverso itinere tendatur, plura Valerius Flaccus in calce l. 1. Argon. Tzetzes porro ad Hesiodi Opera & Dies: Αἱ ψυχαὶ γὰρ τῶν ἀγαθῶν ἀνθρώπων, διαζυγεῖσαι σωμάτων, καθ' Ἕλληνας τὸν ἀέρα περιπολοῦσαι ἐφορῶσι τὰ τῇδε. Silius Italicus in eamdem sententiam lib. 15. Punic. v. 75.

Fœdera certe (Natura)
Degeneres tenebris animas damnavit Averni.
At, quis ætherei servatur seminis ortus,
Cæli porta patet.

Tribuerunt vero Platonici piorum & proborum animis, quum e corporibus excessissent, περιλαμπὲς ὄχημα, *fulgidum vehiculum* e cælesti materia compactum, quo ad regionem astrorum tollerentur. Opinati sunt præterea veteres, viam lacteam in cælo a diis & heroibus calcari solitam. Cicero lib. 6. de Rep. in Somnio Scipionis: *Ea vita via est in cælum, & in hunc cœtum eorum qui jam vixere, & corpore laxati illum incolunt locum quem vides*. Ubi sic Macrobius: *Significans galaxian. Sciendum est enim quod locus in quo sibi esse videtur Scipio per quietem, lacteus circulus est, qui galaxias vocatur*. Luculente Manilius lib. 1. Astron. v. 756. de orbe lacteo:

An fortes animas, dignataque nomina cælo,
Corporibus resoluta suis, terraque remissa
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cælum
Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur?

Lege

Lege reliqua. Præcipue illa ad Propertium pertinent v. 791.

Censu Tullius oris
Emeritus cælum; & Claudia magna propago.

& v. 795.

Veneisque ab origine proles
Julia descendit cælo, cælumque replevit.

& paullo post;

Altius æthereis quam candet circulus orbis,
Illa deûm sedes: hæc illi proxima divûm
Qui virtute sua similes vestigia tangunt.

Denique Georgius Buchananus lib. 3. de Sphæra, ubi galaxiam describit:

Sunt quibus ad superos, & magni tecta Tonantis
Hac iter esse placet: sunt qui jam corpore functis
Mentibus hic sedem credant restare beatis,
Curarum expertes ubi, securique laborum
Perpetuum degant, ceu dii, feliciter ævum.

Vulp.

Elegia XIX.

Objicitur toties a te mihi nostra libido.
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos ubi contemti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.

Flam-

Argumentum Elegiæ XIX. Libri III.] Virorum libidinem longe a muliebri superari, veterum historiarum exemplis testatur. Vulp.

v. 1. Objicitur toties a te mihi nostra libido] Exprobratur virorum incontinentia. ut El. 30. lib. 2. *Mi nemo objiciat.* *Toties*, ut Eleg. 29. lib. 2. id a Cynthia objicitur Propertio:

Me similem vestris moribus esse putas?

Nostra libido. Sic Ovidius in Epist. Penelopes: *Quæ vestra libido est*. nempe, virorum. Sic *vestra ira* Eleg. 15. sup. v. antepænult. Pass.

v. 2. Crede mihi, vobis imperat ista magis] Profecto vos libidini magis servitis, & deditæ estis quam nos. Interpres Juvenalis in Sat. 6. *Una uncia est libidinis in masculis, undecim in feminis*. Ovidius lib. 1. A. A.

Parcior in nobis, nec tam furiosa libido:
Legitimum finem flamma virilis habet.

& mox.

Omnia feminea sunt ista libidine mota:
Acrior est nostra, plusque furoris habet.

Seneca lib. de Tranquillitate animi: *Impotens animal est* (mulier) *&, nisi scientia accessit, & multa eruditio, fere cupiditatum incontinens*. *Imperat vobis*; ut Eleg. 9. l. 2.

Et tibi nunc quævis imperat emta modo.

Cicero 2. Tusc. *Quum præcipitur, ut nobis imperemus*. id est, ut ratio coërceat cupiditatem. Pass. *Ista*. *illa* est in nostro primo. Broukh.

v. 3. Vos, ubi contemti rupistis frena pudoris] Mulieres, postquam perfregistis pudoris repagula, quibus libido vestra coërcebatur. ductum a tenacibus equis, & indomitis. Sic Virgilius: *Ruptis objicibus, & aggeribus*. Horatius Epist. 14. lib. 1. *Amat spatiis obstantia rumpere claustra*. & Sat. 7. lib. 2.

Tolle periclum,
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.

Cicero pro Cluentio: *O libidinem effrenatam & indomitam*. Contra Cato apud T. Livium lib. 34. *Date frenos impotenti naturæ*. de mulieribus. *Vos*, ut Eleg. 33. lib. 2.

Est quiddam quod vos quærere cogat amor.

Gallice: *Entre vous femmes*. *Contemti pudoris*, spreti, posthabiti, læsi, violati. ut contemnere deos, & leges, & aras. sic Virgilius 4. Æneid. *Solvitque pudorem*. Quid pudor, dixi ad Eleg. 13. sup. v. 51. Pass. Dixerunt etiam, *Atterere pudorem*. Sallustius Catil. *Post, ubi eorum famam, atque pudorem attriverat, majora alia imperabat*. Vulp.

v. 4. Nescitis captæ mentis habere modum] Sic dixit Eleg. 24. lib. 2. *Non habuisse fidem*. id est, infideles fuisse; ut non habentes modum, immodestæ. Plautus

Pœnu-

Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput:

Et

Pœnulo 1, 2. *Modus muliebris nullus*. Terentius Eun. 1, 1. *Quæ res in se neque consilium, neque modum habet ullum*. [Idem contra Andria 1, 1. *Habere suæ vitæ modum*.] *Captæ mentis*, cæcæ amentia, & rationis expertes. Captæ, nominandi casu, vel vocandi, numero multitudinis; ut dicitur a Virgilio lib. 1. Georg.

Aut oculi capti fodere cubilia talpæ.

[sed ibi vulgo legitur, *oculis capti*.] Sic Suetonius in Augusto cap. 53. *Captum oculis* dixit, pro cæco. Festus: *Mente captus, cui mens ex potestate abiit*. Ovidius 6. Fast.

O nimium faciles, o toto pectore captæ. P. *Captæ mentis*. Hinc Itali hominem insanum dicimus, *mentecatto*. Non assentior Passeratio existimanti τὸ *captæ* nominandi casum esse, vel vocandi, pluralis numeri. est enim omnino genitivus numeri singularis. & *habere modum captæ mentis*, est aliquo fine continere mentem, sive animum libidine impulsum. Favet mihi Seneca lib. de Tranquill. animi, cap. 12. *Proritat illos*, ait, *alicujus rei species, cujus vanitatem capta mens non coarguit*. VULP.

v. 5. FLAMMA PER INCENSAS CITIUS SEDETUR ARISTAS] Hyperbole, ut Eleg. 15. lib. 2. v. 31. & sequ. & Eleg. 32. ejusd. lib. v. 49. *Flamma per aristas*, quæ maturam segetem corripuerit. Virgilius 2. Æneid.

In segetem veluti quum flamma furentibus austris
Incidit.

Ovidius 12. Metam.

Correpti rapidâ, veluti seges arida, flammâ
Arserunt crines.

Sedetur, restinguatur, ut sedare sitim. Cicero 3. de Legib. *At aliquando incenditur, & quidem sæpe sedatur*. & lib. 1. de Divinat. *Illa etiam animi parte sedata, atque extincta*. Epist. vero 8. lib. 13. ad Attic. sedare minus est, quam restinguere. *Sermunculum omnem aut restinxerit, aut sedarit*. Neutrum est, sed absolutum Gellio lib. 18. cap. 12. *Postquam sedavit tempestas*. *Aristas*. Servius in finem 7. Æneid. *Aristæ primæ spicæ partes, quod primæ arescant*. Varro lib. 1. R. R. cap. 47. *Granum, quod intimum solidum: Gluma, qui est folliculus ejus: Arista, quæ, ut acus tenuis, longa eminet e gluma*. Agnas pennatas, & impennatas in Saliari Carmine significare spicas cum aristis, & sine aristis, ait Festus in *Pennatas*. Arista pro segete. Virgilius 1. Georg. *Pingui glandem mutavit arista*. & pro messibus Ecl. 1.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas. PASS.

Sedetur. admodum venusta est lectio Palatini codicis apud Gebhardum, *sedaret*, i. e. sedaretur, mutatis temporibus, ut solent poetæ. Cn. Gellius apud cognominem scriptorem Noctium Atticarum L. 18. C. 12. *Postquam tempestas sedavit, Atherbal taurum immolavit*. totum id caput evolvere debes: est enim refertum elegantiæ antiquæ, & bene hoc facientis. Macrobius pariter I. in Somn. Scip. 18. dixit, *mergit sol*, &, *sole mergente*. verbum *sedandi* cum *flamma* junxit etiam Sallustius Jugurth. cap. 4. Ba. Nihil mutandum censeo propter lectionem unius codicis, venustam quidem, non tamen necessariam. VULP.

v. 6. FLUMINAQUE AD FONTIS SINT REDITURA CAPUT] Vide adnotata hac de re ad Eleg. 15. lib. 2. v. 33. PASS. *Ad fontis caput*. Ipsum fontem *caput* dixerunt Latini scriptores. Lucretius lib. 6. v. 635. loco plane memorabili:

Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Confluit: inde super terras redit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.

Horatius Ode 1. lib. 1. *Ad aquæ lene caput sacræ*. Ovidius lib. 2. Metam. v. 277.

Et Mysum capitisque sui ripæque prioris
Pœnituisse ferunt, alia nunc ire, Caïcum.

Ἀρχὰς Græci interdum vocant. Septuaginta Interpretes Geneseos c. 2. v. 10. Ποταμὸς δὲ ἐκπορεύεται ἐξ Ἐδὲμ ποτίζειν τὸν Παράδεισον· ἐκεῖθεν ἀφορίζεται εἰς τέσσαρας ἀρχάς. Vulgatus Interpres ita vertit: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum: qui inde dividitur in quatuor capita*. VULP.

v. 7.

Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis
Præbeat hoſpitio ſæva Malea ſuo:
Quam poſſit veſtros quiſquam reprehendere curſus,
Et rabidæ ſtimulos frangere nequitiæ.

Teſtis

v. 7. ET PLACIDUM SYRTES PORTUM, ET BONA LITORA NAUTIS PRÆBEAT HOSPITIO SÆVA MALEA SUO] Ita Seneca Hippolyto: *Ignibus junget aquae, Et amica ratibus ante promittet vada Incerta Syrtis*. Syrtes quid, dixi ad Eleg. 9. lib. 2. v. 33. *Placidum portum*, tranquillum & quietum. ut Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 4.

Nec placidos portus hoſpita navis habet.

Noſter Eleg. 20. lib. 1. *Placidis ut conſtitit oris*. & Eleg. 8. ejuſd. libri: *Placidis Oricos æquoribus*. *Sæva Malea*. Promontorium eſt Laconiæ, nautis periculoſum. Id propterea vitabant nautæ, ac potius in altum ſe conjiciebant. Proverbium: *Maleam legens, quæ ſunt domi obliviſcere*. Virgilius 3. Æneid. *Maleaque ſequacibus undis*. Papinius Statius 6. Theb. *Raucæ circumtonat ira Maleæ*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 16.

Nec timeam veſtros, curva Malea, ſinus.

Homerus lib. 1. Odyſſ. περιγνάμπτοντα Μάλειαν, *circumflectentem ſe Maleam* dixit. Vide Pauſaniam in Laconicis, & Strabonem lib. 8. *Sæva*, quia infeſta nautis. *Præbeat*, exhibeat. verbum officii. ut Eleg. 7. ſup. *Præbet pabula*; & Eleg. 9. lib. 1. *Faciles præbuit alas*. *Hoſpitio ſuo*, ſede quieta, ubi tantiſper bene accipiantur, & commorentur ad tempus. Noſter Eleg. 20. lib. 1. *Fluminis hoſpitio*. Virgilius 3. Georg.

Undaque jam tergo ferratos ſuſtinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris.

& 1. Æneid. *Hoſpitio prohibemur arenæ*. & 3. Æneid. *Quo tutior hoſpita luſtres Æquora*. Contra Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 11. *Inhoſpita litora*. Sic *Inhoſpita Syrtis*, & *Inhoſpitalis Caucaſus*. *Bona litora nautis*, apta, fida, amica, commoda. ut Virgilius 2. Georg. *Bona bello cornus*. & 2. Æneid. *Litora curſu Tuta petunt*. Sic Noſter Eleg. 7. lib. 4. v. 13. *Melior*, pro, fidelior. PASS. *Sæva Malea*. Narrat Strabo lib. 8. Corinthios ab antiquiſſimis uſque temporibus vectigal percipere ſolitos de mercibus, quæ ad vitandum Maleæ flexum periculi plenum, itinere terreſtri ex Ægeo in Ionium, vel ex Ionio in Ægeum a viatoribus transferebantur. VULP.

v. 9. QUAM POSSIT VESTROS QUISQUAM REPREHENDERE CURSUS] Femineos retinere impetus. Terentius Prol. Adelph. *Furtumne factum exiſtimetis, an locum reprehenſum*. id eſt, retentum, reſumtum, inquit Donatus. & actu 4. ſc. 4. *Sed me reprehendi tamen, ne quid garrulæ illi Dicerem*. id eſt, retinui. Plautus Pſeud. 1, 2. *Reprehende hominem*. id eſt retrahe & retine. & in Milite, 2, 1. *Vel quæ hero pallio me reprehendit*. Suetonius in Calig. cap. 45. *Inſecutus veluti profugos, ac reprehenſos in catenis reduxit*. *Veſtros*, ut Eleg. 15. ſup.

Neſcit veſtra ruens ira referre pedem. PASS.

v. 10. ET RABIDÆ STIMULOS FRANGERE NEQUITIÆ] Domare aculeos libidinis, quibus illa incitatur. ut Eleg. 33. lib. 2. *Mediæ nequeunt te frangere noctes*. & Eleg. 11. ſup. *Pyrrhi fracta gloria*. *Stimulos nequitiæ*; ut Virgilius 3. Georg. *Cæci ſtimulos avertere amoris*. Cicero pro Cælio: *Erant apud eum illecebræ libidinum: erant etiam ſtimuli induſtriæ & laboris*. Rapidam vero nequitiam vocat quæ ita fertur & rapitur, ut ei nihil obſtet. Virgilius de equarum libidine 3. Georg.

Illas ducit amor trans Gargara, tranſque ſonantem
Aſcanium.

Sic *rapida procella*, Eleg. 16. lib. 2. *Rapidus ignis, torrens, vortex*, Virgilio. An *Rabidæ*, ut dicitur efferari libidine? PASS. Legendum *Rabidæ*, quod Douza P. jam occupaverat, ex illo Horatii Epodo 12. *Indomitam properat rabiem ſedare*. adde locum Terentii inſignem Eunuch. 2, 3. *Ecce autem alterum, Neſcio quid de amore loquitur. o infortunatum ſenem! Hic vero eſt, qui ſi occeperit, ludum jocumque dicet Fuiſſe illum alterum, præ ut hujus rabies quæ dabit*. Donatus: *Artifex ſummus, quod ætati non poteſt, naturæ attribuit Chaereæ: ut ſolidior ingenio, & ante annos amator, non libidinem* in

Teſtis, Cretæi faſtus quæ paſſa juvenci,
Induit abiegnæ cornua falſa bovis.
Teſtis Theſſalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota ſubire deo.

Crimen

in ſeſe , ſed quamdam rabiem deſignaverit in Venereos appetitus . nihil aptius ad mentem noſtri poetæ. Broukh. *Stimulos* . Urticas vocat Juvenalis Sat. 11.

Irritamentum Veneris languentis , & acres
Divitis urticæ .

Dantes Aligherius ea voce uſus eſt in affectione laudabili , Purg. Cantu 31. v. 85.

Di penter sì mi punſe ivi l' ortica ,
Che di tutt' altre coſe , qual mi torſe
Più nel ſuo amor , più mi ſi fè nimica .

Vulp.

v. 11. Testis , Cretæi fastus quæ passa juvenci , Induit abiegnæ cornua falsa bovis] Fabulam attigit El. 32. lib. 2.

Uxorem quondam magni Minoïs , ut ajunt ,
Corrupit torvi candida forma bovis .

ubi plura adnotavi . De hac fabula vide & Pauſaniam in Atticis, Iſocratem in Helenes Encomio , Euſebium lib. 5. Præparat . Evang. *Teſtis* . ſic Eleg. 15. v. 11. ſup. *Cretæi juvenci* , ut *Creſſa bos* Eleg. 7. lib. 4. ſic *Cretea rate* , hac Elegia , infra . *Niveum juvencum* , vocat Virgilius ; alii taurum . *Paſſa faſtus ;* quæ ſæpe tulit repulſam , quia faſtidiebat eam taurus . vide Virgilium 6. Ecl. *Pati faſtus* , ut Virgilius Ecl. 2. *Pati faſtidia* . & Noſter Eleg. ult. infra : *Faſtus patiere ſuperbos* . ſic *ferre faſtus* Eleg. 5. lib. 4. v. 42. *Induit cornua* , vel a Dædalo juſſit aptari , ſi *bovi* legimus : vel ipſa cornua bovis induit ; quod magis placet . ſe texit forma bovis , tamquam veſte . Sic Virgilius 1. Æneid. *Nate , puer , indue vultus* . & 7. Æneid.

Quos hominum e facie dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus , ac terga ferarum .

& *Cornua bovis* , bos cornuta & vacca . ut Eleg. 4. lib. 4.

Prodita quid narrem fraterni cornua monſtri?

id eſt , monſtrum cornutum . ſic eſt in aliis libris . vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 1. v. 20. *Falſa* , ficta & ſimulata , quia tauro ligneo cornua illa Dædalus affinxerat . Ovidius lib. 5. Faſt.

Præbuit ut taurus Tyriæ ſua terga puellæ
Juppiter , & falſâ cornua fronte tulit .

Abiegnæ , ligneæ , propter materiam præſtantem abietis , ut notamus ad Eleg. 1. ſup. v. 25. Nam , ut Ovidius 8. Metam.

Quæ torvum ligno decepit adultera taurum .

Paſiphaë ſcilicet . vide Eleg. 7. lib. 4. v. 58. At idem Ovidius lib. 1. A. A.

Hanc tamen implevit vacca deceptus acerna
Dux gregis , & partu proditus auctor erat .

Pass.

Cretæi juvenci . Ita *Cretæam capram* dixit Cæſar Germanicus in Arateis , apud Lactantium Firmianum lib. 1. Divin. Inſtit. Seneca pariter in Ἀποκολοκυντώσει : *Cretæa tenens oppida centum* . Fabulam Paſiphaës , totumque hoc de mulierum libidine argumentum copioſius perſequitur Ovidius lib. 1. A. A. a verſu 281. Vulp.

v. 13. Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo] Duo fluvii Enipei , unus Achajæ , de quo Strabo lib. 8. cujus amore capta Tyro Salmonei filia : alter Theſſaliæ , de quo idem Strabo lib. 9. qui labitur in Apidanum . huic Propertius tribuit quod illius eſt , ut adnotavi ad Eleg. 13. lib. 1. v. 21. Pass. De hoc flumine Livius lib. 44. Hiſt. *Quinque millia paſſuum ab urbe citra ripam Enipei amnis* (Perſeus) *caſtra ponit : amnem ipſum tranſitu perdifficilem pro munimento habiturus . Fluit ex valle Olympi montis , æſtate exiguus , hibernis idem incitatus pluviis : & ſupra rupes ingentes gurgitibus facit , & infra prorupta in mare evolvendo terram , prealtas voragines , cavatoque medio alveo ripas utrimque præcipites* . Vulp.

v. 14. Quæ voluit liquido tota subire deo] Tota prolui , non pedibus tantum , & crinibus . *Subire* furti eſt & concubitûs , ut ſubigi , ſuccubare , ſuccuba , ſuccuboneus , *Subſternere ſe* , Catullo Carm. 63. Ovidius Epiſt. Helenæ :

Poteſtque
Velle ſub amplexus ire puella tuos .

Juvenalis Sat. 2. *Hiſpo ſubit juvenes* . Apud Feſtum in *Suillum* , ut ſubare , ſic & ſubire le-

Crimen & illa fuit patria fuccenfa fenecta,
Arboris in frondes condita Myrrha novæ.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piavit amor?
Quidve Clytæmneftræ, propter quam tota Mycenis
Infamis ftupro ftat Pelopea domus?

Tuque

re legitur. fed docti legunt *furire*. *Voluit fubire*, pro, libenter fubiit. ut El. 9. fup.

Intra fortunam qui cupis effe tuam.

Liquido deo. periphrafis fluvii, in quem Neptunus transformatus. ut Eleg. 7. fup. *Cæruleus deus*. Contra Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Siccus ut amplecti Salmonida poffet, Enipeus
Cedere juffit aquam: juffa receffit aqua. P.

v. 15. CRIMEN ET ILLA FUIT PATRIA SUCCENSA SENECTA, ARBORIS IN FRONDES CONDITA MYRRHA NOVÆ] Id eft, infamis & fcelefta habita. ut Eleg. 5. lib. 1. *Rumor erit*. & Eleg. 28. lib. 2. *Criminis cæli*. & *Tuum mortua crimen erit*. Ovidius lib. 4. Trift. Eleg. 9.

Perpetuæ crimen pofteritatis erit.

Patriâ fuccenfa fenectâ, flagrans amore patris fenis Cinyræ. ut Eleg. 18. lib. 2. *Non Tithoni fpernens Aurora fenectam*. Fabula eft apud Apollodorum lib. 3. Ovidius 10. Metam. eam multis verfibus defcribit. Idem lib. 1. A. A.

Myrrha patrem, fed non ut filia debet, amavit,
Et nunc obducto cortice preffa latet.

& in Ibin:

Sanguine probra luat, ut avo genitore creatus,
Per facinus foror eft cui fua facta parens.

[nempe Adonis, ex nefario Cinyræ ac Myrrhæ concubitu procreatus, & ab apro poftea interemtus.] Vide etiam Hefiodum in Theogonia, Hyginum Fab. 58. ubi Zmyrna dicitur, & Fulgentium 3. Mythol. *Novæ arboris*, fui nominis, quæque non ante exftiterat, & fert myrrham. Ovidius lib. 10. Metam. *Tanti nova non fuit arbor*. P. De Zmyrna, feu Myrrha, celebre poema fecerat, fed obfcurum Cinna; de quo Catullus Carm. 93. ubi vide quæ adnotavimus. VULP.

v. 17. NAM QUID MEDEÆ REFERAM, QUO TEMPORE MATRIS IRAM NATORUM CÆDE PIAVIT AMOR] Sic Ovidius lib. 2. Trift.

Nam quid de tetrico referam domitore Chimæræ?

Nam quid, pro, quid autem. ut Eleg. 11. fup. *Nam quid ego heroas, quid r. i. c. d.?* *Medeæ*; fupple, nequitiam, crimen, fcelus; quod notiffimum. Nofter El. 24. l. 2.

Jam tibi Iafoniâ nota eft Medea carinâ.

Matris iram natorum cæde piavit amor. Sic Virgilius Ecl. 8.

Sævus amor docuit natorum fanguine matrem
Commaculare manus.

Ovidius lib. 2. A. A.

Conjugis admiffum, violataque jura maritæ
Barbara per natos Phafias ulta fuos.

& 7. Metam.

utroque
Sanguine natorum perfunditur impius enfis.

& lib. 2. Trift.

Tingeret ut ferrum natorum fanguine mater,
Concitus a læfo fecit amore dolor.

Horatius in Epift. ad Pifones:

Nec pueros coram populo Medea trucidet.

Legendus Euripides in Medea, & Seneca; item Aufonius in Epigrammatis. *Cæde piavit*, nempe geminorum nece. dictum ut Eleg. 10. fup. *Ubi ture piaverit aras*. *Iram*, conceptam ex pellice Creufa. PASS.

v. 19. QUIDVE CLYTÆMNESTRÆ, PROPTER QUAM TOTA MYCENIS INFAMIS STUPRO STAT PELOPEA DOMUS?] Quidve referam Clytæmneftræ crimen, cujus ob libidinem, adulterio tota familia Pelopis fœdata & diffamata? Tyndarei & Ledæ tres liberi, Timandra, Philonoë, Clytæmneftra. Apollodorus lib. 3. Ea nupfit Agamemnoni, & folita cum Ægyftho. unde Eleg. 7. lib. 4. *Una Clytæmneftræ ftuprum vehit*. Vide Homerum 4. & 9. Odyff. & Virgilium 11. Æneid. ut dolo Ægyfthi & Clytæmne-

Tuque o Minoa venumdata, Scylla, figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.

Hanc

ſtræ Agamemnon perierit. Præterea Sophoclem in Electra, Euripidem in Oreſte, Hyginum Fab. 117. Ovidium 2. A. A.

Dum fuit Atrides una contentus, & illa
Caſta fuit: vitio eſt improba facta viri.

Domus Pelopea, ut Horatius Ode 6. lib. 1. *Nec ſævam Pelopis domum*. Tantalus Pelopis: Pelops Atrei, & Thyeſtæ: Atreus Agamemnonis, & Menelai pater. Infamis Atreus & Thyeſtes ſtupro [Æropes Atrei uxoris a Thyeſte corruptæ:] Agamemnon adulterio Clytæmneſtræ, & amore Caſſandræ; Chryſeidis, Briſeidis, Argini: Menelaus adulterio & fuga Helenæ. unde *Pelopidæ* abiere in proverbium. Uſurpat aliquoties M. Tullius in Epiſtolis hunc verſum, quem eſſe puto ex Attii Pelopidis: *Ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam: Noxitudo Pelopidarum:* Attius Armorum judicio, apud Nonium in *Noxitudo*. *Stat*, eſt, vel manet. ut Eleg. 4. ſup.

Stant mihi cum domina prælia dura mea.

Infamis. vide adnotata ad Eleg. 11. ſup. v. 28. *Stupro*, pro libidine & adulterio, quo nihil turpius. nam ſtuprum proprie dedecus & turpitudo: Feſtus. vide notata ad Eleg. 32. lib. 2. v. 4. *Mycenis*, urbe Peloponneſi, regia Agamemnonis. unde Virgilius 6. Æneid. *Mycenas Agamemnonias* vocat. PASS. *Propter quam*; cur propter Clytæmneſtram ſolam tota domus Pelopea infamis? nonne & Ærope uxor Atrei, & Helena uxor Menelai adulteræ fuerunt? Sed videlicet *Mycenis* addidit poeta, ubi Agamemnon imperavit: nam Menelao paruit Lacedæmon. Pelopea igitur domus quæ Mycenis floruit, infamis ob Clytæmneſtram. *Stat infamis*. permanet; non enim ejus tantum ſæculi finibus infamia illa circumſcripta eſt. *Pelopea domus*. Atreus genuit Pliſtheneo Agamemnonis & Menelai patrem, qui quum juvenis admodum obiiſſet, ejus liberi Atreo avo, tamquam genitori, tributi ſunt, & Atridæ appellati. Aulus Sabinus in Epiſt. Ulixis Menelaum vocat *Pliſtheniden*. VULP.

v. 21. TUQUE O MINOA VENUMDATA, SCYLLA, FIGURA] Quæ te Minoï Cretæ regi proſtituere voluiſti, non capta pretio, ſed ejus forma. Scylla ipſa apud Ovidium 8. Metam. *Præmia nulla peto, niſi te*, inquit Minoï. De forma Minoïs Ovidius ibid. *Venumdata figurâ*, ut Eleg. 2. lib. 1. *Vendere muneribus*. ubi vide adnotata ad verſum 4. *Minoâ*. Ovidius in Ibin:

Si tua contigerit Minoas puppis arenas.

Minoi brachia tauri, Statius 1. Achilleid. Auſonius:

Non ſum ego Minoæ machina Paſiphaæ.

Virgilius: *Minoia regna*. PASS.

v. 22. TONDENS PURPUREA REGNA PATERNA COMA] Inſignis διλογία in *Tondens*. proprie tondere comam, & crinem: tranſlate tondere regnum, pro ſpoliare & diripere. Sic Eleg. ult. lib. 4.

Sub quorum titulis Africa tonſa jacet.

Homerus lib. 22. Odyſſ. Οἵ οἱ ἔκειρον Κτήματα ἐνὶ μεγάροις. *Qui ipſi totonderunt* (Ulixi) *rem familiarem in ædibus*. (proci) Hinc & lucem capit jocus Plauti Bacchid. *Metuo ſi ſenex reſciverit, ne ulmos paraſitos faciat, quæ uſque attondeant*. vide plura hujuſmodi adnotata ad illud Tibulli lib. 4. Carmine 1.

Tondeturque ſeges maturos annua partus.

& ad Propertii Eleg. 16. lib. 2. *Pleno vellere carpe pecus*. Bene, *tondens*, nam inde *Ciris* dicta. tondeo, κείρω. *Regna paterna*. Megara. *Purpureâ comâ*. cum, ſubaudiendum. De illa coma Virgilius in Ciri [elegantiſſimo poemate] & 1. Georg. *Pro purpureo pœnas dat Scylla capillo*. [Tibullus El. 4. lib. 1. *Carmine purpurea eſt Niſi coma*.] Ovidius 1. A. A.

Filia purpureos Niſo furata capillos
Puppe cadens celſâ facta refertur avis.

& in Remed. Amor.

Impia ſi noſtros legiſſet Scylla libellos,
Heſiſſet capiti purpura, Niſe, tuo.

Tota fabula eſt lib. 8. Metam. & apud Apollodorum lib. 3. qui πορφυρίαν ἐν μέσῳ τῇ κεφαλῇ τρίχα vocat. vide & Hyginum Fab. 198. & Pauſaniam in Atticis. Fabulam ſimilem de Pterelai crine affert Apollodorus lib. 2. PASS.

v. 23.

Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptæ, felicius urite tædas:
Pendet Cretæa tracta puella rate.

Non

v. 23. HANC IGITUR DOTEM VIRGO DESPONDERAT HOSTI !] Patris & Patriæ proditionem tradito fatali crine. Sic Elegia 4. lib. 4.

Dos tibi non humilis prodita Roma venit.

Ibidem :

Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.

Ovidius 8. Metam.

Cœpta placent, & stat sententia tradere mecum
Dotalem patriam.

Igitur, est indignantis; ut Eleg. 8. lib. 1. *Tune igitur demens? Desponderat*. promiserat sine auctore. Donatus in Adelphos : *Despondet puellam, qui petit : spondet, a quo petitur*. hic aliter. Varro 5. de L. L. *Qui spoponderat filiam, despondisse dicebatur, quod de sponte ejus exibat*. Sed L. 7. de Verb. signif. Sponsio, omnis promissio. præterea non legitima hæc sponsalia. PASS. *Virgo*. neque hoc vocabulum sua caret ἐμφάσει. nam, si quem alium, virginem certe decet morum innocentia, & alienus a proditione animus. VULP.

v. 24. NISE, TUAS PORTAS FRAUDE RECLUSIT AMOR] Portas aperiri jussit Nisææ urbis; ut Pausanias : Nisæam enim condidit Nisus. Strabo lib. 9. vel Alcathoës; ut Ovidius initio lib. 8. Metam.

Prætentatque sui vires Mavortis in urbe
Alcathoë, quam Nisus habet.

[Sita erat hæc urbs in provincia Megaride, Atticæ proxima.] Est autem proditionis aperire portas hosti; ut Eleg. 4. l. 4.

Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem.

Ovidius loco prædicto :

Omnia tradentur, portas reserabimus hosti.

Ibidem :

Cur suus hæc illi reseret mea mœnia Mavors,
Et non noster amor?

Ibid. *Æratas hosti recludere portas*. *Amor reclusit*; quia, ut Ovidius lib. 2. Trist.

Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crinem desecuisset amor.

Fraude; scelere, & proditione; ut adnotavi ad Eleg. 6. sup.

Iram, non fraudes esse in amore meo. PASS.

v. 25. AT VOS, INNUPTÆ, FELICIUS URITE TÆDAS] Ita Sabinus in Epist. Demophoontis :

Estque tibi pectus cujusquam accendere tædas?

id est, cuiquam nubere. At Ovidius 4. Fast. aliter :

Et, si tura aberunt, unctas accendite tædas.

Felicius urite tædas, lætioribus auspiciis nubite. nam nubentibus tædas præferri olim consuevisse, notum ex Catulli Epithalamio. ubi vide quæ adnotavi. *Urite tædas*; ut Eleg. 1. lib. 2. *Urat acina focis*. PASS.

v. 26. PENDET CRETÆA TRACTA PUELLA RATE] Sic Ovidius 8. Metam. *Puppimque amplexa recurvam Per freta longa trahor*. & mox :

Gnosiacæque hæret comes invidiosa carinæ.

Virgilius in Ciri :

Tum suspensa novo ritu de navibus altis
Per mare cæruleum trahitur Niseïa virgo.

Apollodorus : Καὶ τὴν κόρην τῆς πρύμνης τῶν ποδῶν ἐκδήσασ' ὑποβρύχιον ἐποίησε. *Puellam e puppi pedibus vinctam submersam effecit*. id est, submersit. At Hyginus Fab. 198. mutatam in piscem Cirin vocatum, ait; quem haliæetus, quoties natantem conspicatur, unguibus raptum dilaniat. *Tracta* ergo, quia arripuerat puppim navis; & ita trahebatur, non vehebatur. An pro, districta, & vincta; ut Virgilius 6. Æneid. *Radiisque rotarum Districti pendent? Cretæa*; *Minoa*. v. 11. sup. hac Elegia. PASS. *Pendet C. tracta p. r.* quasi dicat : Virgines nupturæ, aspicite improbæ hujus infelicem exitum, & quærite vobis maritos melioribus artibus. Efficax autem & mira brevitas : *Pendet tracta*. Propertius nimirum in dicendo expeditus & celer. VULP.

v. 27.

Non tamen immerito Minos ſedet arbiter Orci.
Victor erat quamvis, æquus in hoſte fuit.

v. 27. NON TAMEN IMMERITO MINOS SEDET ARBITER ORCI] *τὸ Tamen*, pro igitur, ergo, vero, *ἐπιφωνηματικῶς*. ut *Sed* Eleg. 6. lib. 2. v. 35.

Sed non immerito velavit aranea fanum.

De Minoë judice apud inferos vide Homerum Iliad. Λ, & Virgilium 6. Æneid. Plato in extremo Gorgia tres ait ab Jove judices ad inferos conſtitutos: duos ex Aſia, Minoëm & Rhadamanthum: unum ex Europa, Æacum. hunc de Europæis, illos de Aſiaticis judicare. vide eundem Platonem in Minoë. Horatius Ode 7. lib. 4. *De te ſplendida Minos Fecerit arbitria.* *Sedet.* quia ſedere judicum eſt. Cicero ubique. Noſter Eleg. ult. lib. 4. *Si quis poſitâ judex ſedet Æacus urnâ.* unde & *Minoiam ſellam* vocat ibidem. *Orci arbiter*, pro, judex apud inferos: nam olim confundebant. Feſtus: *Arbiter dicitur judex, quod totius rei habeat arbitrium, & facultatem.* Cicero tamen pro Roſcio Comœdo ait, arbitria ſolutiora eſſe, & liberiora judiciis bonæ fidei. PASS. Noſter hic confundit duos Minoas: fuere enim duo. Jupiter, ſive is Aſterius fuit, ex Europa Minoëm, Rhadamanthum, & Sarpedonem procreavit. ex his Minos, regno ſuſcepto, & Itone Lyctii filia in uxorem ducta, genuit Lycaſten. is vero Lycaſtes de Ida Corybantis filia Minoëm alterum ſuſtulit, celebrem illum imperio maritimo ac præpotentem. hic eſt ille qui Niſum vicit, Megara expugnata, ejuſque filiam Scyllam juſto mactavit præmio proditionis. prior vero, Rhadamanthi frater, is eſt quem Orci arbitrum antiquitas conſtituit, & liberalis favor poetarum. vide Diodorum Siculum L. 4. BROUKH.

v. 28. VICTOR ERAT QUAMVIS, ÆQUUS IN HOSTE FUIT] Victores, iniqui, ſuperbi, ac inſolentes eſſe conſueverunt: Minos tamen etſi victor, æquus fuit, ultus & aſpernatus proditricem, ultus quoque vicem proditi Niſi, licet hoſtis. Leguntur ſimilia de Alexandro erga Darium, & de Tatio adverſus Tarpejam. Æquitatem Minoïs memorat Plato in Minoë. Ovidius in Fab. Niſi 8. Metam.

Dixit, & ut leges captis juſtiſſimus auctor
Hoſtibus impoſuit, claſſis retinacula ſolvi
Juſſit - - - - De Juſtitia etiam in hoſtes ſervanda Cicero 1. Offic. *Æquus in hoſte*, pro, in hoſtem; ut ſup. *veſanum in vite*, Eleg. 17. v. 23. Sic Ovidius lib. 5. Triſt. Eleg. 2.

Sæpe ſuo victor lenis in hoſte fuit.

& Eleg. 7. lib. 1. Amor. *Tydides ſævus in hoſte fuit.* in Venerem. & Vellejus lib. 2. Hiſt. *Odium in victis*, pro, in victos. Virgilius 2. Æneid. *Talis in hoſte fuit Priamo.* Æquum Propertius Minoëm facit: contra Catullus Carm. 63. de eodem:

Attigit injuſti regis Gortynia tecta.

Sed vetus liber, *Invicti*. PASS. Sane Niſi hoſtis mortem ultus eſt ſeveriſſime, inſigni juſtitiæ atque æquitatis exemplo - - - - - - pulcre Darius apud diſertiſſimum rerum Alexandri ſcriptorem L. 4. C. 10. *manantibus adhuc lacrimis, veſte ab ore rejecta ad cælum manus tendens; Dii patrii, inquit, primum mihi ſtabilite regnum: deinde, ſi de me jam tranſactum eſt; precor, ne quis Aſiæ rex ſit, quam iſte tam juſtus hoſtis, tam miſericors victor.* BROUKH. Quomodo æquus, idemque injuſtus Minos videretur, dixi ad Carmen Catulli 63. v. 75. VULP.

ELEGIA XX.

CRedis eum jam posse tuæ meminisse figuræ,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam.
Tantine in lucris Africa tota fuit?

At

ARGUMENTUM ELEGIÆ XX. LIBRI III.] Puellam ab amante relictam comiter ad se invitat, novique amoris mutua fœdera, & sanctiones proponit. VULP.

v. 1. CREDIS EUM JAM POSSE TUÆ MEMINISSE FIGURÆ] Increpat ut credulam. sic Eleg. 21. lib. 1. *Tu nimium credula sola jaces*. & ibid.

Ah nimium facilis aurem præbere puellæ.

Credis & contra oculos tuos sentis? *Eum*, prætorem, fortasse, de quo Eleg. 16. lib. 2. aut Panthum, de quo Eleg. 21. lib. 2. *Jam*, amplius, ut Eleg. 5. lib. 1.

Nec jam pallorem totiez mirabere nostrum.

Jam posse tuæ meminisse figuræ; nondum oblitum esse tui formosæ. quamdiu memoria, tamdiu amor. ut Eleg. 19. lib. 1.

Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.

& Eleg. 20. lib. 2.

Possum ego naturæ non meminisse tuæ? P. Hi, qui sequuntur, decem versus male coaluerant cum superioribus. nam ut de libris vetustis nihil dicam, (qui omnes novam Elegiam faciunt, cum hac epigraphe, DE CONTEMPTORE AMICAE, vel DE CONTEMPTIONE AMICAE) quid poterat absurdius excogitari, quam incipere a libidine omnium feminarum, desinere vero in levitate viri unius? fragmentum est Elegiæ majoris: quod aliquando ratus sum posse non incommode jungi cum fine Elegiæ 16. lib. 2. hodie non eadem mens est. cogitent acutiores: nam palma in medio relinquitur. interea ad pensum redeamus. BROUKH.

v. 2. VIDISTI A LECTO QUEM DARE VELA TUO?] Ab ipsa recenti voluptate, adhuc pæne de lecto surgentem, & statim oblitum tamen. quid ergo facturus procul, & diu absuturus? *Vela dare*, vela facere, ut Eleg. 4. sup.

Ite, agite, expertæ bello date lintea proræ.

Eleg. 21. lib. 2. quæ est in rivalem, ut hujus initium:

Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso;
Vidit amatorem pandere vela suum. P.

v. 3. DURUS, QUI LUCRO POTUIT MUTARE PUELLAM] Ferreus, qui sustinuit relinquere amicam formosam, ut spem prædæ sequeretur. *Durus potuit*. sic Eleg. 12. sup. *Potuisti linquere Gallam*. mox:

Duritiæque tuæ non erit illa memor.

Mutare puellam lucro, lucrum malle quam puellam. nam non mutamus, nisi quod minus volumus. vide adnotata ad Eleg. 32. lib. 2. v. 31. ad hanc sententiam. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Ferreus ille fuit, qui, te quum posset habere,
Maluerit prædas stultus, & arma sequi. P.

Durus qui potuit. Sic idem Tibullus Eleg. 2. lib. 3.

Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere & erepta conjuge qui potuit. VULP.

v. 4. TANTIS NE IN LACRIMIS AFRICA TOTA FUIT?] Vide adnotata ad Eleg. 12. sup. v. 3. Mentio Africæ, opinor ob purpuram & puniceum colorem; ut Eleg. 3. lib. 4. *Pœnis ahris*. vel ob copiam frumenti, unde ille lucrum captabat: nisi & feras Africanas, aut marmor Numidicum significet. Si legitur, ut omnes fere libri habent, *Tantisne*, sententia erit: Africam olim quum a Scipionibus diriperetur non tantum lacrimarum fudisse, quantum Cynthia. Si *Tanti. in lacrimis*, præcise. pro, quum in lacrimis esses. omnino non intelligo. PASS. Groninganus, *Tantis ne lacrimis*: quomodo & Comelinianus Gebhardi, cujus expositionem oppido absurdam piget refer-

At tu, stulta, deos, tu fingis inania verba.
Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo.

For-

referre. quam tamen debet Passeratio. vix sunt meliora quæ Andr. Schottus attulit L. a. Observ. Human. C. 26. quid multa? rescribe cum perspicacissimo Gronovio L. 3. Observ. C. 17.

Tantine in lucris Africa tota fuit?

id ipse exponit: *Africa tota in lucris*] *omnes illius provinciæ opes in reditu, non tanti, ut illa desereretur, fuerunt. o durum hominem atque inhumanum, qui lucri caussa discidium fecit! an tanti, ut te derelinqueret, fuit vel totam Africam κερδῆσαι, & inter lucra habere?* nihil melius, nihil verius. ------ posses etiam ita refingere, & quidem vix ulla literarum immutatione,

Tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit?

an tanti erant omnes reditus provinciæ Africæ, ut tu vel unam lacrimulam profunderes? sic loquitur Tibullus L. 2. El. 7.

Desino, ne dominæ luctus renoventur acerbi.
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

Ovidius Epist. Herûs:

Ne non sim tanti, superentque pericula caussam:
Et videar merces esse labore minor. BR.

Gronovii lectionem, *Tanti ne in lucris*, confirmare possunt illa Tibulli Eleg. 9. lib. 1.

Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager. V.

v. 5. AT TU, STULTA, DEOS, TU FINGIS INANIA VERBA] Persuades tibi esse deos, quos ille fallere non audeat: quum tamen nullos esse putet. Sic Eleg. 28. lib. 2.

Intereat, qui nos non putat esse deos.

(ultores perfidiæ) & hic infra:

Non habet ultores nox vigilanda deos.

Stulta, credula; quia temere credere est stultitiæ. *Fingis*, tibi persuades esse quod non est. ut El. 18. sup. *Tecum finge triumphos*. *Inania verba*, pondere carentia promissa, fidemque irritam. ut Eleg. 8. lib. 1.

Quin ego, vita, tuo limine verba querar.

id est, fidem levem. & Eleg. 22. lib. 2. v. 44. An interpungendum:

At tu, stulta, deos tu fingis, inania verba? ut Horatius Epist. 17. lib. 1. *Aut virtus nomen inane est*. & Epist. 6. *Virtutem verba putas, ut lucum ligna*. Ovidius quoque in Ep. Ariadnæ: *Data poscenti nomen inane fides.* Brutus apud Dionem lib. 47. moriens: ὦ τλῆμον ἀρετή. λόγος ἄρ' ἦσθα. ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἐδούλευες τύχῃ. sic λόγοι apud Comicum. PASS. At tu tecum repetis, o Cynthia, deos testes, quos homo iste levis perfidiæ suæ ultores imprecabatur, si falleret: tu inania ejus verba pondus aliquod habitura reputas, nimis credula. BROUKH.

v. 6. FORSITAN ILLE ALIO PECTUS AMORE TERIT] τὸ *Forsitan* (id est, fieri potest) aptum movendæ suspicioni; ut Elegia 9. lib. 1.

Forsitan & de me verba fuere mala.

Ille. contemtim, ut Eleg. 21. lib. 2. v. 4. & 10. *Terit pectus*; an animum conficit & consumit? Immo pectus pectore premens arctius amplectitur aliam. nam in hoc certamine adversis pectoribus pugnatur, nec terga vertuntur. Eleg. 7. lib. 4. *Pectore mixto*. *Terere*, verbum libidinis; ut notatum ad Eleg. 11. sup. v. 30. *Alio amore*, alia amica: ut Eleg. 3. lib. 2. *Venerit alter amor*. Alium & aliam quærere, verba mutati amoris, & adulterii. PASS. *Alio pectus amore terit*. aliam amplectitur. Papinius L. 7. Theb.

Quid colla amplexibus ambis,
Invisamque teris ferrato pectore matrem? B.

Illud Tibulli non dissimile Eleg. 8. lib. 1.

Neque amplexus aspera barba terit. VULP.

v. 7. EST TIBI FORMA POTENS, SUNT CASTÆ PALLADIS ARTES] *Forma potens*, ut Eleg. 10. sup.

Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis.

Castæ Palladis artes, quia Cynthia nendi perita, ut noto ad Eleg. 6. sup. *Media nebat & ipsa loco*. Præterea artes Cynthiæ, doctrinæ, litteræ, versus, canere lyrâ. Eleg. 2. & 3. lib. 1. Eleg. 1. 3. & 13. lib. 2.

Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
  Fidus ero. in nostros curre, puella, sinus.
Tu quoque qui æstivos spatiosius exigis ignes,
  Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.

Nox

lib. 2. Minerva ingeniis præest, & inganiosa, capitalisqua daa. vida Ovidium 3. Fast. unda Horatius:

Tu nihil invitâ dices, faciesve Minervâ.

Casta Pallas, quia perpetua virgo fingitur ob ignis naturam, eademque Vesta. Horatius Ode 3. lib. 3. *Castaque damnatum Minerva*. Notum responsum Demosthenis quum Demades dixisset: *Demosthenes corrigere me vult. Sus Minervam. At ista*, inquit, *Minerva in adulterio nuper deprehensa est*. PASS.

v. 8. SPLENDIDAQUE A DOCTO FAMA REFULGET AVO] Fulgorem accipit, & splendorem ab avo, quem ipsa reddit. id enim refulgara. Virgilius 9. Æneid. *Rediitque adversa refulsit (galea.)* Ovidius lib. 2. A. A. *Sol a liquida sæpe refulget aqua*. Interdum refulgere est ex adverso, & contra folgere; ut apud Horatium Ode 17. lib. 2. *Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit*. Avum Cynthiæ illustrem doctrina fuisse, significari monuimus Elegia 13. libri 2.

Nec si qua illustres femina jactat avos.

Illustres enim a luce, inquit Varro; unde hic *refulget*. Hostius autem de bello Histrico scripsit: Festus in *Tesqua*, & Macrobius. Hostia proprio nomine dicebatur Cynthia, ut notavi ad Eleg. 1. lib. 1. v. 1. PASS. Hostius carmina scripsit historiam. Testatur id Varro apud Servium Petri Danielis: *Hostius belli Histrici primo: Percutit, atque hastam pilans præ pondere frangit*. Idem: *Sententia præstet Pectore pilata est*. Festus quoqua Pompejus: *Hostius belli Histrici lib. 3. Per gentes alte æthereas & tesqua volabis*. VULP.

v. 9. FORTUNATA DOMUS, MODO SIT TIBI FIDUS AMICUS] Ita Catullus in Epithalam: *En tibi domus & potens, Et beata viri tui*. vida adnotata ad Eleg. 2. sup. v. 17. *Domus*, ubi puallæ mater; ut Elagia 15. lib. 2.

Ostendes matri brachia læsa tua.

Fidus amicus. ut Eleg. 12. supra, *Fido toro*. *Amicus* vero, amator; ut Eleg. 13. lib. 2.

Tu tamen amisso nonnumquam flebis amico. PASS.

v. 10. FIDUS ERO. IN NOSTROS CURRE, PUELLA, TOROS] Certus tibi ero, veni propere in sinus & amplexus nostros. Tibullus Carm. 3. lib. 4.

Et celer in nostros ipse recurre sinus.

Curre. Sic ipsam Cynthiam ad se venire jubet Eleg. 25. lib. 2. v. 2. & Eleg. 9. lib. 4. *Toros*. dixit, ut sup. hac Elegia v. 2. *lecto*. PASS. *l. n. curre, puella, toros*. satis licenter. noster primus itemqua Borrichianus habent *sinus*: quod magis placet. Catullus Carm. 36. *Puella nam mea, quæ meo sinu fugit, Consedit istic*. - - - - - Ovidius Epist. Sapphûs:

Huc ades, inque sinus, formose, relabere nostros.

Cicero Catilinar. 2. *Postremum genus est, quod proprium est Catilinæ, de ejus delectu, immo vero de complexu ejus, ac sinu*. BR.

v. 11. TU QUOQUE, QUI ÆSTIVOS SPATIOSIUS EXIGIS IGNES, PHŒBE, MORATURÆ CONTRAHE LUCIS ITER] Longiorem enim circulum lustrat Sol æstate; & accessu, recessuque efficit tempestates. *Exigis*, agis, ducis. ut Eleg. 16. sup. *Percutit faces*, pro quatit. exigera, est agere ad extremum; ut exigere ætatem. & Nonius illud e Captivis Plauti: *Hanc ærumnam exigo*; ago, exponit. Exigere, pro anta se ax aliquo loco agere. Varro 4. de L. L. *In Palatio porta Mucionis, a mugitu; quod ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant*. *Ignes æstivos*, orbem tuum igneum ardentioram æstatis tempora. Tibul. Carm. 1. lib. 4.

Seu propior terris æstivum fertur in orbem.

tibi vida adnotata. *Contrahe iter lucis*, breviorem redda diem gradiens breviore itinera. vel *Iter lucis*, pro luce; ut amoris iter, soporis iter, Natalis iter. Contrahara, corripere, ut *contracto cupidine* Horatio, & *contracta æquora*. Virgilius 1.

Nox mihi prima venit: primæ data tempora noctis
  Longius in primo, Luna, morare toro.
Fœdera ſunt ponenda prius, ſignandaque jura,
  Et ſcribenda mihi lex in amore novo,

Hæc

Georg. *Tibi brachia contrahit ardens Scorpius.* Cicero Paradoxis: *Lucubratum opus contractioribus noctibus.* Ita Ovidius 5. Faſt. *Nox coarctat iter.* *Moraturæ*, longæ & tardæ futuræ; ut Eleg. 3. lib. 1. *Moraturis luminibus.* & Horatius Ode 7. lib. 2. *Cum quo morantem ſæpe diem mero Fregi.* PASS. *Phœbe, m. c. l. i. Interiore diem gyro trahe*, ut hieme conſueviſti. VULP.

v. 13. NOX MIHI PRIMA VENIT: PRIMÆ DATA TEMPORA NOCTIS] Scaliger hoc diſtichon anteponit præcedenti. Quæ porro *nox prima?* certe ex Eleg. 14. & 15. l. 2. conſtat, poetam jam una aut altera nocte potitum amica fuiſſe. ergo priorum oblitus: vel, quod verius eſt, velut redintegratus amor hic, & novus. ſequitur enim:

Et ſcribenda mihi lex in amore novo.

Item:

Contineant nobis omina prima fidem.

Beroaldus putat, amicam novam hic ſignificari, ad initium Elegiæ. Sed forma potens, Palladis artes, avi fama referuntur ad Cynthiam. *Venit*, mihi inſtat; ut Elegia 8. lib. 1. v. 44. *Primæ data tempora noctis.* Oblata facultas & occaſio potiendi amica noctu. ſic Eleg. 3. lib. 1. *Ubi longa meæ conſumſti tempora noctis? Data tempora*; ut Virgilius 6. Æneid.

Et fors omne datum traherent per talia tempus.

Noctis, ut Eleg. 8. ſup. *Furandæ copia noctis.* PASS. *Nox prima*, quod videlicet Cynthiam deinceps tamquam conjugem ſit habiturus, vel ſaltem ut certam concubinam; neque amplius inſtabili amore ac deſultorio ſit uſurus. omnia quæ ſequuntur in Elegia, huic explicationi favent. VULP.

v. 14. LONGIUS IN PRIMO, LUNA, MORARE TORO] Ut Solem properare vult contrahendo diei: ſic Lunam morari producendæ nocti. Sed quid *in toro primo?* an Lunam orat, ut tardius ſurgat, quum in prima parte lecti ſit ad ſurgendum; quod notavi ad Eleg. 17. lib. 2. *Fractus utroque toro.* Sed malo ſimpliciter, pro nocte & complexu primo Propertii & amicæ, ut hic ſup. v. 2. & ſit repetitio *noctis primæ*, *primo toro.* *Longius morare tempora noctis*, eſt longiora effice morando. & *longius*, pro, diutius; neque enim hic eſt adverbium loci, ſed temporis. ut adnotavi ad Eleg. 28. lib. 2. v. 58. PASS.

v. 15. FŒDERA SUNT PONENDA PRIUS, SIGNANDAQUE JURA] Translatum a jure publico ad privatam pactionem & conditiones legeſque amatorias. ut Eleg. 9. lib. 2.

Quam cito feminea non conſtat fœdus in ira.

ubi vide adnotata. *Fœdera ponenda*, ſancienda, & ſtatuenda. Ita Cicero pro M. Cælio: *Amorum turpiſſimorum fœdera ferire.* *Prius.* δὶς τὸ αὐτὸ. *Prius*, antequam; licet inſertis tribus verſibus. Virgilius pariter 4. Æneid. *Mihi tellus optem prius ima dehiſcat ----- Ante, pudor, quam te violem.* Apulejus etiam 1. Florid. *Prinſquam tibias occiperet inflare, prius quædam de ſe & Apolline barbare effutivit.* Sic Turnebus Tomo 3. πρὶν πρὶν Homero geminari docet. *Signanda jura.* ductum a jure Romano, & tabulis, quæ cera, lino, & ſignis contrahentium teſtium anulo impreſſis obſignabantur. *Signare, ſignum anulo imprimere*: Feſtus. Cicero pro Quintio: *Tabulæ ſignis hominum nobilium conſignantur.* & alibi ſæpe. Plautus Bacchid. 4, 4. *Cedo tu ceram, ac linum actutum; age, obliga, obſigna* (tabellas) *cito.* Juvenalis Sat. 2. de nuptiis loquens: *Signatæ tabulæ, dictum Feliciter.* unde ſignatores, & obſignatores apud Ciceronem, & apud Juriſconſultos de teſtibus, probationibus, teſtamentis, Plautum Pſeud. & Bacchid. & Curcul. Juvenalem Sat. 10. Sed maxime Suetonium in Nerone cap. 17. ubi docet ſolitas obſignari tabulas adverſus falſarios. *Jura*, pacta; genus pro ſpecie. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 10. *Lecti ſocialia jura.* & in Epiſt. Hypſipyles:

Heu ubi pacta fides? ubi connubialia jura? P.

v. 16. ET SCRIBENDA MIHI LEX IN AMORE NO-

Hæc Amor ipse suo constringet pignora signo:
Testes sidereæ tota corona deæ,

Quam

RO NOVO] Lex pro conditionibus , ut sexcentis locis apud Catonem , Varronem , & Plautum . Scribebantur autem leges , & incidebantur . vide Plautum Asinaria de his legibus amatoriis 4 , 1. & Nostrum El. 9. lib. 4. v. 53. Scribere legem , est condere , quia tum litteris mandatur , & proponitur scripta antequam feratur . Ita Cicero 2. & 3. de Legibus , & sæpe aliàs . & scribere proprium Jurisconsultis . unde lusus Ciceronis in Trebatium Jurisconsultum , Epist. 14. lib. 7. ad familiar. nimis sæpe dantem litteras . *Quia si scribere* , inquit , *oblitus es , minus multi te advocato caussâ cadent* . PASS.

v. 17. HÆC AMOR IPSE SUO CONSTRINGIT PIGNORA SIGNO] Obligat hæc pacta . sic enim Eleg. 4. lib. 4.

Pacta ligas , pactis ipsa futura comes .

& quæ *fœdera* , *jura* , *leges* vocavit , nunc vocat *Pignora* , cautiones certas . ut enim pignoribus cavetur creditori , sic adscriptis legibus cavetur iis qui inter se contrahunt . Eleg. ult. lib. 4.

Nunc tibi commendo communia pignora natos .

quibus , tamquam pignoribus , cautum est amori , & fidei nostræ . Ibid. *Famæ pignora tanta meæ* . quia majores mei me obstringunt famæ , & pudori . ut obsidibus in bello , prædibus & prædiis in publico ; sic pignoribus & hypothecis cavetur inter privatos . Virgilius Ecl. 8.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit ,
Pignora cara sui .

& 3. Æneid.

Ipse pater dextram Anchises , haud multa moratus ,
Dat juveni , atque animum præsenti pignore firmat .

& lib. 5.

Ferre sui dederat monimentum , & pignus amoris .

vulgo vocamus *Seurete* . Isidorus lib. 5. *Pignus est quod propter rem creditam obligatur , cujus rei possessionem solam ad tempus consequitur creditor* . Jurisconsulti L. *Plebs* 238. de Verb. Sign. *Pignus , a pugno , & propria rei mobilis* . Sed sæpe confunditur pignus , & hypotheca . *Pignosa* veteres dicebant , pro pignora : Festus . *Signo* , impresso nempe anulo . PASS. *Constringit* . libri fere *confringit* , inepto ac crasso errore . tu cum Livinejo lege *constringet* . venuste admodum adludit pacta nuptialia , ubi Signatores , & Testes . priores partes Amori dedit , alteras Stellis ac Lunæ . nam qui de Ariadna intelligunt , aut etiam de Nocte siderum matre , næ illi toto errant cælo ; ut jam videbimus . potest ut ad hunc locum respexerit Naso L. 2. Art. Amat.

Non legis jussu lectum venistis in unum :
Fungitur in vobis munere legis Amor .

BROUKH.

Confregit , Editio princeps anni 1472. V.

v. 18. TESTIS SIDEREÆ TORTA CORONA DEÆ] Stellæ ipsæ , ut testes , adsunt signandis tabulis , ut Eleg. 9. lib. 2. v. 41. *Torta corona* , quia torqueri , vieri , & plecti coronæ solent . Sed *Tota* , vet. lib. rectius . Coronam Ariadnes intelligit Beroaldus , de qua dictum ad Eleg. 17. sup. v. 8. ubi ex 3. Fast. Ovidii notavi , deam existimatam fuisse Coronam ipsam . *Deæ sidereæ* , Noctis , quæ siderum mater . Tibullus Elegia 1. lib. 2.

Ludite . jam Nox jungit equos , currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro .

Euripides Electra : ὦ νὺξ μέλαινα χρυσέων ἄστρων τροφέ . vocant & νύκτα εὐστέφανον Græci . unde hic *Corona* . Appulejus de Deo Socratis : *Radiantes deos* (astra) *quibus cæli chorum comtum & coronatum sudo tempestate visimus* . PASS. E versu præcedente apparet legendum esse *testes* . gaudent enim nomina ista collectiva , ut Grammatici vocant , pluraliter efferri . cujus locutionis in promtu mille sunt exempla . ------ *siderea dea* est Luna , *Siderum regina bicornis* Horatio Carm. Sæculari . Petronius : *Luna innumerabilibus comitata sideribus , etiam feras ducit ad pabulum* . ecce dominam , ecce comitatum . vide & Senecam Hippol. v. 410. Valerius Flaccus , ipso fine L. 5. *sideream Noctem* appellat . dixerat paullo ante :

Qualibus adsurgens Nox aurea cingitur astris .

ubi Nox , ut sæpe , non est alia quam ipsa Luna , cui diadema sideribus distinctum dedit Ausonius in Cupidine cruci affixo , ele-

Quam multæ ante meis cedant sermonibus horæ,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus.
Namque ubi non certo vincitur fœdere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda deos.
Et quibus imposuit, solvit mox vincla libido.
Contineant nobis omina prima fidem.

Ergo

gantissimo poemate . ------ at vero stellas Noctia crinibus innexas, gemmarum in morem, docet laudatus modo Valerius L. 5. v. 370. Sol pariter *Sidereus deus* dicitur Martiali L. 12. Epigr. 60.

Martis alumne dies, roseam qua lampada primum
Magnaque siderei vidimus ora dei.

------ *tota* autem lege cum Passeratii libro vetere. male alii *torta*; quod pejus etiam interpretantur. Facit Juvenalis Sat. 8.

Nocte quidem: sed Luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos. BROUKH.

v. 19. QUAM MULTÆ ANTE MEIS CEDANT SERMONIBUS HORÆ] Sic Elegia 15. lib. 2.

Quam multa appositâ narramus verba lucernâ!

& apertius Eleg. ult.

Et modo formosâ quam multa Lycoride Gallus
Mortuus infernâ vulnera lavit aquâ.

Anastrophe hic est. *Quam ante*, pro, antequam. ut Eleg. 18. lib. 2.

Quam prius abjunctos sedula lavit equos.

Cedant sermonibus horæ. Prius, inquit, fœderis tabulæ signentur, quam congrediamur. Congressus autem duplex; unus verborum, de quo hic loquitur: alter rei, de quo versu proximo, & Eleg. 15. lib. 2. v. 3. *Cedant horæ*, abeant, prætereant, consumantur; ut Eleg. 18. sup. *Cessit in astra*. pro, concessit, abiit. Sic Horatius Sat. 5. lib. 1. *Dum æs exigitur, dum mula ligatur, Tota abit hora*. Scaliger & hoc distichon proxime præcedenti anteponit. PASS. *Cedant horæ*. Sic & Plautus Casina, 2, 8, 10. *Candidatus cedit hic mastigia*. pro, incedit, ambulat. VULP.

v. 20. DULCIA QUAM NOBIS CONCITET ARMA VENUS] Ut Martis arma tristia, sic contra Veneris blanda. Itaque *dulcem risum* vocat Eleg. 8. sup. v. 1. & v. 32. *Helena in gremio maxima bella gerit*. & Eleg. 1. lib. 4.

Militiam Veneris blandis patiere sub armis.

Venus concitet arma; moneat accendere Martem. *Venus ministra, noctis sacra instituens*, Eleg. 10. sup. v. 30. Sic *Concitare bellum* Ciceroni in Epist. & Horatius Ode 35. lib. 1. *Ad arma concitet cessantes*. Ita *Concitet amores*, Eleg. 15. sup. PASS.

v. 21. NAMQUE UBI NON CERTO VINCITUR FŒDERE LECTUS] Id est, non consignantur tabulæ matrimonii, non constringuntur pignora; ut supra. inde vincla jugalia dicuntur. *Lectus*, pro conjugio, ut thalamus, & torus ubique. *Certo fœdere*, quo diserte aliquid cautum & scriptum. Sic Virgilius 1. Æneid.

Qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Horatius Ode 24. lib. 3. *Certo fœdere copulas*. Persius Sat. 5. *Amborum fœdere certo*
Consentire dies. PASS.

v. 22. NON HABET ULTORES NOX VIGILANDA DEOS] Id est, Nox curis & lacrimis traducenda deserto & prodito amanti; cujus miserias dii non ulciscuntur, quia ad eum amorem firmandum testes non sunt advocati, ideoque non sunt violati. *Ultores dii*, in genere. Aliàs Nemesis & Diræ. sic *Cerberus ultor* Eleg. 5. lib. 4. Horatius Ode 2. lib. 1. *Cæsaris ultor*. Ultor perjurii Juppiter ipse, qui fœdera fulmine sancit. Qua de re Eleg. 16. lib. 2. v. 49. & 53. Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius ultorem post caput esse deum.

Nec habet deos. aliter Elegia 7. sup. *Non habet unda deos*. PASS.

v. 23. ET QUIBUS IMPOSUIT, SOLVIT MOX VINCLA LIBIDO] Id est, vincla induit, devinxit, conjunxit. ut El. 5. lib. 4. Impo-

Ergo qui tactas in fœdere ruperit aras,
Pollueritque novo ſacra marita toro:

Illi

Imponere leges Lunæ. Imponuntur onera: & vincla onerant. Sic indere catenas. Plautus Captiv. 1, 2. *Hic indito catenas ſingularias*. Quos, inquit, conjunxit libido, non verus amor conſtrinxit, eadem eoſdem ſtatim ſeparat, ac dirimit. Ariſtoteles l. 8. Ethic. cap. 7. Tria, inquit, amicitiæ genera: unum ex utilitate, alterum ex voluptate, tertium ex honeſtate. Duo ſuperiora facile diſſolvuntur, quum ſcilicet utilitas, & voluptas abſceſſerint. Idem de juvenibus: Ideo cito fiunt amici, & deſinunt; ſimul enim cum voluptate amicitia mutatur. ejuſmodi vero voluptatis cita eſt mutatio. ἅμα γὰρ τοῦ ἡδέος ἡ φιλία μεταπίπτει· τῆς δὲ τοιαύτης ἡδονῆς ταχεῖα ἡ μεταβολή. PASS.

v. 24. CONTINEANT NOBIS OMINA PRIMA FIDEM] Auſpicia primis in amoribus noſtris ac nuptiis captata ſervent conſtantiam in amore conjugali & perpetuitatem. nam omina captabantur in nuptiis, & auſpices adhibebantur. Noſter Eleg. 3. lib. 4. *Mihi deductæ fax omen prætulit*. Cicero pro Cluentio: *Nubit genero ſocrus nullis auſpiciis, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium*: (Nam *Feliciter* ſolebant acclamare. Juvenalis Sat. 2. *Signatæ tabulæ, dictum Feliciter*.) Idem Cicero 1. de Divin. *Quum vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare, exiſſe in quoddam ſacellum, ominis captandi cauſſâ, quod fieri more veterum ſolebat*. Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. De inſtitut. antiq. *Nuptiis*, inquit, *etiamnum auſpices interponuntur; qui quamvis auſpicia petere deſierint, ipſo tamen nomine veteris conſuetudinis veſtigia uſurpantur*. Virgilius 1. Æneid.

Cui pater intactam dederat, primiſque jugarat
Ominibus.

ubi tamen prima omina infelicia. Horatius Ode 11. lib. 3. *I ſecundo omine*. quia interdum repetebant omina. ut Virgilius 2. Æneid. *Omina ni repetant Argis*. Tacitus lib. 11. Annal. ubi de Nuptiis Meſſalinæ, & lib. 15. ubi de Nuptiis Neronis cum Pythagora, auſpices commemorat. Plinius vero lib. 10. H. N. cap. 8. ſcribit, nuptialibus negotiis fuiſſe proſperrimi augurii accipitris circi altero pede claudi aſpectum. PASS.

v. 25. ERGO QUI PACTAS IN FŒDERA RUPERIT ARAS] Violarit deos per quos fœdera pepigerit. hypallage, pro, ruperit pacta fœdera in aras; id eſt, in aris ipſis; quia jurantes aras tangebant. vel ruperit aras in fœderibus pactis, id eſt, deos. vide adnotata ad Eleg. 10. ſup. v. 19. De aris fœderum Virgilius 6. Æneid. & Servius illic. & 12. Æneid. initio. Sane rumpi fœdus dicitur. Horatius Epiſt. 3. lib. 1. *Indigni fraternum rumpere fœdus*. ita *rumpere fidem* Eleg. 6. ſup. *Pacta ara*, vel potius fœdera. ut Eleg. 3. lib. 4.

Hæcne marita fides, & pactæ ſunt mihi noctes?

Virgilius 4. Æneid. *Pactoſque hymenæos Exercemus*. Cicero pro Sextio: *Pacto fœdere provinciarum*. Paco. is. & pacio. is. unde paciſco Nævio apud Nonium: hinc paciſcor. Paco. is. pago. is. inde pango, quod eſt figo, & in terram, firmiter ut ſit, demitto. Sed vet. l. *Tactas*. quod apertum ex Virgilio & Macrobio. PASS. *Tactas aras* verum reor. vide Plautum Rudent. 5, 2. & Briſſonium L. 8. de Formulis. *rumpere aras* eſt rumpere pactum conventum in aras ſolenniter ſancitum. BROUKH.

v. 26. POLLUERITQUE NOVO SACRA MARITA TORO] Temerarit, violarit; ut Eleg. ult. lib. 2. *Polluit ille deus cognatos*. *Sacra*, jura, fœdera, ſacrata jura militiæ Veneris. vide adnotata ad Eleg. 10. ſup. v. 30.

Noctis & inſtituet ſacra miniſtra Venus.

Ovidius Epiſt. Cydippes: *Quatinus ſocialia ſacra parantur*. *Marita*, pro maritalia & connubialia. Ovidius Epiſt. Parid.

An pudor, & metuis Venerem temerare maritam?

& Epiſt. Medeæ:

Conſcia ſit Juno ſacris præfecta maritis.

& lib. 3. Pontic. Eleg. 1.

Exigit hoc ſocialis amor, fœduſque maritum.

Horatius in Carm. ſæcul. *Proliſque novæ feraci Lege marita*. *Novo toro*: Amore novo dixit ſup. v. 16. hujus Elegiæ. *Lecto* v. 2. & *toro* v. 10. & 14. PASS. *Marita ſacra*. poetæ tantum non luxuriant in eo uſu hujus vocis. exempla multa congeſſit Nic. Hein-

Illi sint quicumque solent in amore dolores,
 Et caput argutæ præbeat historiæ.
Nec flenti dominæ patefiant nocte fenestræ.
 Semper amet, fructu semper amoris egens.

ELI-

Heinsius ad Ovid. Epist. Hypermnestræ v. 19. BROUKH.

v. 27. ILLI SINT QUICUMQUE SOLENT IN AMORE DOLORES] Subandi, *esse*. *Dolores*, ut curæ, suspiria, lacrimæ, insomnia. PASS.

v. 28. ET CAPUT ARGUTÆ PRÆBEAT HISTORIÆ] Famæ garrulæ; *Narranti*; Eleg. 18. lib. 2. v. pænult. Historia quævis narratio, etiam fabulosa. dixi ad Eleg. 1. lib. 2. v. 16. *Præbeat caput*, se ipsum offerat. Præbere conjunctum cum ludibrio & contumelia. Cicero lib. 2. ad Attic. Epist. 15. *Dignus qui Palicano, sicut facit, os ad male audiendum quotidie præbeat*. & 5. in Verrem, *Testibus tacitum os præbere*. Idem in Vatinium: *Linguam & vocem suam sceleri alterius præbere*. sic *Cervices præbere*, & alia ejus generis passim apud eumdem. Tacitus: *Præbere ora contumeliis*. In Catalectis, *Caput præbere*, est infandæ libidinis. *Caput*, sic Eleg. 10. sup.

Inque meum semper stent tua regna caput.

ubi vide adnotata. PASS. *Et caput a. præbeat h.* tam sit infelix in amore, ut argumentum præbere possit fabulæ alicui Milesiæ, qua sub ficto nomine palam apud puellas traducatur. *arguta historia* est id scripti genus, quod Galli hodie vocant *Nouvelle galante*. nam ne istis quidem deliciis caruisse veteres, supra est ostensum. BROUKH.

v. 29. NEC FLENTI DOMINÆ PATEFIANT NOCTE FENESTRÆ] De hoc more amantium dictum ad Eleg. 29. lib. 2. v. 5. Ovidius lib. 3. A. A.

Quum melius foribus possis, admitte fenestrâ.

& inde, opinor, origo Terentiani proverbii Heaut. 3, 1. *Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris!* Suetonius in Tiberio cap. 28. *Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis*. de calumniis. PASS.

v. 30. SEMPER AMET, FRUCTU SEMPER AMORIS EGENS] Semper sitiat, nec sitim illam amoris possit exstinguere. id est, semper miser sit. Sic apud Ovidium lib. 3. Metam. in Fab. Narcissi:

Inde manus aliquis despectus ad æthera tollens:
Sic amet ipse licet, sic non potiatur amato.

Petronius contra: (verius Appulejus) *Amare liceat, si potiri non licet*. *Egens*. ita Plautus Asin. 3, 3. *Cur me retentas? Quia tuî amans absentis egeo*. *Fructu amoris*, ut Elegia 15. lib. 2. *Hunc fructum ne defere vitæ*. PASS. *Semper amet, f. s. a. e.* quod tamen acerbissimum esse novimus vel ex illis Anacreontis Ode 46. Χαλεπώτερον δὲ πάντων Ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα· *Durissimum autem omnium, Amare, nec potiri*. *Egens*. versus hic participio clauditur; quod improbat Servius in illud Maronis 3. Æneid.

Progreditur portu, classes & litora linquens.

Finitus, inquit, *est versus participio, quod raro fit apud Latinos; apud Græcos vere vitiosissimum est*. Hanc tamen regulam confringunt plura & Homeri, & Virgilii exempla: ut & alias regulas Grammaticorum. VULP.

ARGU-

ELEGIA XXI.

MAgnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.

Cre-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXI. LIBRI III.] Athenas iturus, ut ibi obstinatum amorem depellat studiorum varietate, patriæ, amicis, Cynthiæ denique valedicit. VULP.

v. 1. MAGNUM ITER AD DOCTAS PROFICISCI COGOR ATHENAS] Mihi necesse est eo tendere, si velim hoc morbo sanari. nam pæne ingratiis discedit amator ab amica. *Proficisci*, in rem ægram ac difficilem: Donatus in Andriam. *Ad iter proficisci*: Cæsar 1. de Bello Civili. *Magnum iter*. vel suspense, vel proficisci iter, ut ire viam. *Magnum*, longum. ut Eleg. 12. lib. 1. *Mutat via longa puellas*. [Tibullus etiam Eleg. 3. lib. 1.

Tellus in longas est patefacta vias.]

Ad Athenas. antique. Virgilius Ecl. 6.

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Cicero Philipp. 2. *Quum ad Aquinum accederet*. Quintilianus Declam. 333. *In Athenas misit*. Terentius: *In Piræum conveniinus*. Plautus ubique. vide Fabium lib. 1. Instit. Orat. cap. 9. *Doctas*. nam inde humanitas, doctrina, leges, fruges. Cicero in Orat. pro Flacco. Ovidius Epistola Phyllid. *Doctas eat, inquit, Athenas*. Horatius Epist. 1. lib. 2.

Adjecere bonæ paullo plus artis Athenæ.

nempe, doctæ; ad discrimen aliarum Athenarum. unde Plauto *Atticæ Athenæ*. Varro lib. 7. de L. L. *Quum trinæ fuerint Athenæ, ab una dicti, Athenæi; ab altera, Athenienses; a tertia, Athenæopolitæ*. PASS. Id iter ingressus etiam Virgilius: cujus rei testem habemus Horatium Ode 3. lib. 1. *Navis, ait, quæ tibi creditum Debes Virgilium, finibus Atticis Reddas incolumem precor, Et serves animæ dimidium meæ*. Ac Virgilium ipsum in Catalectis: *Nos ad beatos vela mittimus portus, Magni petentes docta dicta Scironis, Vitamque ab omni vindicabimus cura*. Sciron eo tempore philosophiam Epicuri docebat. Fortasse autem Horatius de Virgilio loquitur, quum hæc scribit Epist. 2. lib. 2. v. 81.

Ingenium sibi quod vacuas desumsit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris & curis, statua taciturnius exit
Plerumque, & risu populum quatit.

Certe ingenio excellenti fuisse Virgilium, & tamen cultûs corporis negligentem, atque ideo aulicis hominibus ridiculum, testatur idem Horatius disertis verbis Sat. 3. lib. 1. a v. 29. ut quidem explicant Scholiastæ veteres. Ad priorem Horatii locum ita Lævinus Torrentius: *An forte solenne aliquid in septennio? mihi certe non videtur. nam pro quovis longo ad discendum spatio posuit; quum M. Tullius filium suum annum jam habentem Athenis abundare existimet præceptis institutisque philosophiæ*. Hæc profecto nihili sunt. non enim ait Cicero, filium suum annuo tempore effectum jam fuisse magnum philosophum: verùm ei Cratippum Peripateticum audienti affatim suppetere præceptorum & institutorum, quibus si recte utatur, fore ut in dies magis magisque proficiat. Hæc autem est vis τῦ *abundare*. Ovidius quoque in ea urbe litteris & disciplinis operam dedit. Sic enim l. 1. Trist. Eleg. 2.

Nec peto, quas quondam petii studiosus, Athenas. VULP.

v. 2. UT ME LONGA GRAVI SOLVAT AMORE VIA] Legendus hac de re Ovidius in Remed. Amoris, ab eo loco:

Tu tantum, quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul, & longas carpere perge vias.

& Seneca in Consolat. ad Helviam cap. 16. *Solvat amore*: dixi ad Eleg. 17. sup. v. 5. *Gravi*. sic Seneca in Hippolyto de Amore: *Volitatque cælo pariter & terris gravis*. dixi ad Eleg. 8. sup. v. 10. PASS.

v. 3.

Crescit enim assidue spectando cura puellæ.
  Ipse alimenta sibi maxima præbet Amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
  Possit: at ex omni me premit ille deus.
Vix tamen aut semel admittit, quum sæpe negavit:
  Seu venit, extremo dormit amicta toro.

Unum

v. 3. CRESCIT ENIM ASSIDUE SPECTANDO CURA PUELLÆ] Vide adnotata ad Elegiam 1. lib. 1. v. 1. & ad illud Eleg. 32. lib. 2. *Qui videt, is peccat*. *Crescit cura*. ut Virgilius Ecl. 10. *Crescetis, amores*. Ibidem : *Galli, cujus amor mihi crescit in horas*. Vetus poeta in Pervigilio Veneris : *Gliscit ardor*. *Spectando*. dum spectatur. Virgilius 3. Georg.

Carpit enim vires paullatim, uritque videndo
Femina.

& 1. Æneid. *Ardescitque tuendo*. PASS. Bene Lucretius in hoc negotio, L. 4.

Ulcus enim vivescit, & inveterascit alendo,
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit.

videndus Erasmus noster Adag. *Ex adspectu nascitur amor* : itemque in *Mulieris oculus*. BROUKH.

v. 4. IPSE ALIMENTA SIBI MAXIMA PRÆBET AMOR] Vide adnotata ad Eleg. 12. lib. 1. v. 5. Scitum illud Catonis huc facit : *Bellum se ipsum alet*. *Præbet pabula*, ut Eleg. 7. sup.

Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes.

Appuleji est lib. 8. A. A. *Odiosum amorem suum delectando nutrire*. & lib. 10. *Quamdiu primis alimentis Cupido parvulus nutriebatur*. vulgo legitur, *elementis*. PASS.

v. 5. OMNIA SUNT TENTATA MIHI, QUACUMQUE FUGARI POSSIT : AT EX OMNI ME PREMIT IPSE DEUS] Anacolouthon, *Omnia, quacumque*. ut Eleg. 13. sup.

Felix agrestum quondam pacata juventus,
  Divitiæ quorum messis & arbor erant.

Omnia sunt tentata. sic Horatius Epist. ad Pisones :

Nil intentatum nostri liquere poetæ.

Virgilius 4. Georg.

En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum & pecudum custodia sollers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.

Idem fere est *Omnia experiri*, Terentio & Ciceroni. Neque illa dissimilia, *Omnem movere lapidem*, *Vertere se in omnes formas*. *Quacumque*, supple, via vel ratione. Sic Horatius Sat. 6. lib. 1. *Quacumque libido est, Incedo solus*. Virgilius Ecl. 9. *Quacumque novas incidere lites*. *Fugari*, repelli, & procul amoveri tamquam hostis. ut Eleg. 3. sup. *Lares fugantes Hannibalem*. *Ex omni*. supple, parte. ut Catullus Carm. 63.

At pater ex alia florens volitabat Iacchus.

Me premit, me urget, mihi gravis instat Amor. ut Eleg. 1. lib. 1.

Et caput impositis pressit Amor pedibus.

& Horatius Sat. 6. lib. 2.

Jam vino quærens, jam somno fallere curam :
Frustra; nam comes atra premit, sequiturque fugacem.

Ipse deus. Amor. vide Tibullum Eleg. 9. lib. 1. Nostrum item Eleg. 16. lib. 2. v. 54. PASS. *Ipse deus*. in uno Regio est *ille deus*. quod non displicet. vide notata ad L. 2. Eleg. 7. v. 17. ita & hoc libro habuimus, Eleg. 8. [10]

Sit sors & nobis, talorum interprete jactu,
  Quem gravibus pennis verberet ille puer.
    BROUKH.

Favet editio princeps. VULP.

v. 7. VIX TAMEN, AUT SEMEL ADMITTIT, QUUM SÆPE NEGAVIT] Vix me domum suam recipit vel semel postquam sæpe exclusit. ut Eleg. 17. lib. 2.

Vix decimo admittor nunc ego quoque die.

Alii, *addicit*. e conjectura. *Sæpe negavit*, ut Eleg. 4. lib. 2.

Sæpe rogat aliquid, sæpe repulsus eat.

Quid *negare*, vide ad Eleg. 14. lib. 2. v. 20. PASS. Augurale verbum est *admittere*; ----- Festus : *Admissivæ aves dicebantur ab auguribus, quæ consulentem juvarent*. Plautus Asin. 2, 1. *Unde sumam? quem inter-*

Unum erit auxilium: mutatis, Cynthia, terris
Quantum oculis, animo tam procul ibit Amor.

Nunc

tervertam? qua boue telocem tauferam? Impetritum, inauguratum est, quovis admittunt aves. sic optime Umbrum comicum & medicina & interpretatione erexit magnus Lipsius L. 1. Ant. Lect. C. 7. itaque sensus nostri Umbri erit, Postquam diu me multis modis miserum habuit, vix tandem vultu minus duro jubet ut pergam spem bonam fovere. Hac ratione caussa nulla erit cur de mendo suspicemur, aut conjecturam nescio quorum hominum *addicit* recipiamus. quod tamen verbum, si vel maxime hic verum esset, eodem rediret. Ba. Hujus explicationis, quamvis novæ atque ingeniosæ, nolim me Broukhusio fidejussorem præbere. *Admittere*, est intro recipere: *negare noctem* frequens apud scriptores amatorios. Ovidius lib. 1. Amor. El. 8. *Sæpe nega noctes.* ut hic Noster: *quam sæpe negavit*. Quid igitur medio flumine aquam quærimus? Vulp.

v. 8. Seu venit, extremo dormit amica toro] *Seu*, pro, aut si, ut versu pænult. hujus Elegiæ. Virgilius 2. Æneid.

Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum.

Mallem tamen hic, *Sin. Venit*, ut Eleg. 25. lib. 2.

Excludit quoniam sors mea sæpe, veni.

Extremo toro. Horatius Epodo 3. *Extrema in sponda cubet.* dixi ad Eleg. 17. lib. 2. v. 4. Contra Eleg. sup. prox. *Primo toro.* Ovidius 4. Fast.

Edidit a dextro talia verba toro.

nempe, dextra parte tori. *Dormit amica.* Scaliger legit e conjectura, *Amicta.* probo. sic Eleg. 15. lib. 2. *Vestita cubaris.* P. Noster primus, Borrichianus, & Comelinianus Gebhardi, *solvit amica.* quod miror ei potuisse placere. Scaligeri correctio est τὸ *amicta*, & ex ipso quidem tripode. --- Sic L. 2. Eleg. 12.

Interdum tunicâ duxit aperta moram. Ba.

Seu venit. Venire & *negare*; opposita in re amoris. Eleg. 22. lib. 2.

Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.

Ruit propterea omnino verbum augurale. Vulp.

v. 9. Unum erit auxilium, mutatis, Cynthia, terris] Medicina ei morbo, & remedium. Eleg. 1. lib. 1.

Quærite non sani pectoris auxilia.

Auxilia, etiam altaria. Isidorus, Appulejus lib. 11. *Mutatis terris.* vide Senecam Epist. 28. de mutatione locorum; quum docet nihil prodesse vitiis tollendis, ut mœrori & amori. Ennium quoque Iphigeniâ apud Gellium lib. 19. N. A. cap. 10. & Lucretium lib. 3. *Se quisque fugit, sed nemo effugit.* Horatius Epist. 11. lib. 1.

Cælum, non animum, mutant qui trans
mare currunt. Pass.

v. 10. Quantum oculis, animo tam procul ibit Amor] Quo magis recedes a conspectu amicæ, eo magis recedes ab ejus memoria, ut facile obliviscimur absentium. Athenæus lib. 4. hanc refert sententiam, ut ipse ait, μισανθρωποτάτην, inhumanissimam, τηλοῦ φίλοι ναίοντες, οὐκ εἰσὶ φίλοι. *Procul degentes amici, non sunt amici.* vide Ciceronem pro Plancio de absentium oblivione. *Quantum, tam*, ut Eleg. 12. lib. 1. v. 3. & 4. ubi vide notata. Sic Ennius τὸ *procul* cum 6. casu jungit apud Ciceronem lib. 7. ad famil. *Multi suam rem bene gessere, & publicam patria procul.* Virgilius 2. Georg. *Procul discordibus armis.* Horatius Epodo 2. *Procul negotiis.* & Sat. 6. lib. 1. *Ambitione procul.* Pass. *Quantum oculis, a. t. p. i. A.* Sic Aristænetus Epist. 12. lib. 1. Καὶ παροιμιαζόμενοί δέ φασιν· τοσοῦτον φίλος, ὅσον ὁρᾷ τις ἑκάστην. Proverbium Italorum est: *Lontano dagli occhi, lontano dal cuore.* Eleganter admodum summus poeta Dantes Aligherius Purgatorii Cantu 8. de amore viduarum erga viros mortuos:

Per lei assai, di lieve, si comprende,
Quanto in femmina fuoco d' amor dura,
Se l' occhio, o 'l tatto spesso nol raccende.

Contra Minucius Felix initio Octavii: *Ita ejus* (amici Octavii) *contemplatio, quantum subtracta est oculis, tantum pectori meo, ac pæne intimis sensibus implicata est.* Sed lege reliqua, si vacat. Vulp.

Nunc agite, o ſocii, propellite in æquora navem,
Remorumque pares ducite ſorte vices:
Jungiteque extremo felicia lintea malo:
Jam liquidum nautis aura ſecundat iter.

Ro-

v. 11. NUNC AGITE, O SOCII, PROPELLITE IN ÆQUORA NAVEM] Sic fere Virgilius lib. 5. Æneid. *Nunc nunc incumbite remis, Hectorei ſocii*. Noſter Eleg. 4. ſup.

Ite, agite, experta bella date lintea proræ.

Propellite, facite ut longius a portu feratur, & provehatur in altum. Ovidius Epiſt. Hypſipyles:

Cærula propulſæ ſubducitur unda carinæ.

Cicero 4. Tuſc. *Vela orationis pandere, vel remis dialecticorum propellere*. Lucanus initio lib. 3.

Propulit ut claſſem velis cedentibus Auſter
Incumbens, mediumque rates tenuere profundum,

Eſt & *impellere* verbum nauticum. Virgilius 5. Æneid. *Triplici pubes quam Dardana verſu Impellit*, Dicitur & *promovere*. Idem 10. Æneid. *Ingentem remis centaurum promovet*. PASS. *Navem*. Noſter primus cum Groningano *navim*. quod eſt contra canonem Flavii Chariſii L. 1. *Clavim, Tibullus, Hinc clavim janua ſenſit, Strigilim quoque Lucilius. Varro de poematis ſecundo, lentim, quod eorum nominum ablativus ſingularis in i exit. Avem autem & navem, quoniam ab [l. ablativum] hac ave & nave faciat, accuſativus per i dari non poteſt*. Videndus tamen incomparabilis Voſſius L. 2. de Analog. C. 12, BROUKH.

v. 12. REMORUMQUE PARES DUCITE SORTE VICES] Viciſſim remigate alii aliis ſuccedentes. Ducite remos viciſſim eos ſortiti per tranſtra. *τὸ Ducite* refertur & ad *vices*, & ad *ſorte*, & ad *Remorum*. ad *vices*, ut Eleg. 15. lib. 1.

Annus & inverſas duxerit ante vices.

ad *ſorte*, ut Virgilius lib. 6. Æneid.

Stat ductis ſortibus urna.

ad *Remorum*, ut Ovidius 1. Metam.

Et ducit remos illic ubi nuper ararat.

Et lib. 11. Metam.

- - - - redeunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,

quod idem lib. 4. Triſt. Eleg. 1.

Quiqus refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulſâ brachia verſat aquâ.

ubi *pariter*, ut hic *pares vices*. Id Virgilius 1. Æneid. *Operumque laborem Sortibus æquabat juſtis*. Sorti vero committebant remigandi munus. Virgilius 3. Æn.

Sternimus optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos.

ubi Servius, *Per ſortem diviſi*, inquit, *ad officia remigandi, quis eſſet proreta, quis pedem teneret*. Vide & Apollonium Rhodium lib. 1. Argonaut. PASS.

v. 13. JUNGITEQUE EXTREMO FELICIA LINTEA MALO] ut Eleg. 17. lib. 1.

Candida felici ſolvite vela choro.

Aptate, inquit, malo carbaſa; quia malus ſuſtinet vela. Catullus Carm. 63.

Inde infecta vago ſuſpendam lintea malo.

Ovidius 11. Metam.

Vela tamen ſpectas ſummo fluitantia malo.

Iſidorus lib. 19. cap. 2. *Malus arbor navis, qua vela ſuſtinentur; antenna, lignum in malo tranſverſum, quod vela ſuſtinet*. Plinius lib. 7. H. N. cap. 55. *Vela Icarus: malum & antennam Dædalus reperit*. Inde fabula. PASS.

v. 14. NAM LIQUIDUM NAUTIS AURA SECUNDAT ITER] Ventus benignior ſecundam nautis præbet navigationem, & curſum. Virgilius 3. Æneid.

Rite ſecundarent viſus, omenque levarent.

& 4. Georg.

Expediat morbi cauſſam, eventuſque ſecundet.

Ovidius Epiſt. Laodamiæ;

Blandaque compoſitas aura ſecundet aquas.

Pro, *Nam*, Nonius legit, *Jam*, in *Secundare*. *Liquidum iter*; ut Virgilius 5. Æn. de aëre:

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Sic Homerus ὑγρὰ κέλευθα lib. a. Odyſſ. vocat τὴν διὰ τῆς θαλάσσης ὁδόν. Plautus Rud. act. 1. ſc. ult. *Nempe equo ligneo per vias cæruleas eſtis vectæ*. Virgilius 6. Æn. *Camposque liquentes*. PASS. *Jam*, editio princeps. VULP.

v. 15.

Romanæ turres, & vos valeatis amici,
Qualiſcumque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar æquoris hoſpes,
Cogar & undiſonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus quum feſſa Lechæo
Sedarit placida vela phaſelus aqua:

Quod

v. 15. ROMANÆ TURRES, ET VOS VALEATIS AMICI] Sic Eleg. 4. lib. 4. Tarpeja:

Romani montes, & montibus addita Roma,
Et valeat probro Veſta pudenda meo.

Neptunus apud Euripidem in Trojadibus Troja migrans:

Ἀλλ᾽ ὦ ποτ᾽ εὐτυχοῦσα χαῖρέ μοι πόλις
Ξεστόν τι πύργωμ᾽ εἴ σε μὴ διώλεσεν
Παλλὰς Διὸς παῖς ἦσθ᾽ ἂν ἐν βάθροις ἔτι.

Limina etiam amicæ jubet valere Eleg. ult. De turribus Romanis ipſe Eleg. 10. lib. 4.

Hanc vides ante caves vibrantem ſpicula turres
Romulus.

Juvenalis Sat. 6. *Stantes Collina turre mariti*. Feſtus in *October*, Maniliæ turris meminit. PASS.

v. 16. QUALISCUMQUE MIHI TUQUE PUELLA VALE] Sic Ovidius El. 6. lib. 1. Amor.

Qualiſcumque vale, ſentique abeuntis amorem:

Lente, nec admiſſo turpis amante, vale.

ὑγίαιν ita Græcis in deteriorem partem: & Vale mortuis dicitur. *Qualiſcumque*, formoſa, ſed impudica. adnotavi ad Eleg. 1. ſup. v. 30. PASS. *Qualiſcumque*. Sic infra Eleg. 23. v. 9. de tabellis:

Qualeſcumque mihi ſemper manſere fideles.
VULP.

v. 17. ERGO EGO NUNC RUDIS HADRIACI VEHAR ÆQUORIS HOSPES] Indignatur & ſtomachatur, quia ſtatuerat non navigare. nam Eleg. 7. ſupra dixit:

At tu, ſæve Aquilo, numquam mea vela videbis.

Ergo. vide adnotata ad Eleg. 8. lib. 2. v. 13. *Rudis*, imperitus & inſolens navigationis. ut *Rudis pinus* Eleg. prox. ſequ. v. 14. & 15. *Hoſpes*. vide adnotata ad Eleg. 9. ſup. v. 8. Ovidius 1. Faſt.

Acta per æquoreas hoſpita navis aquas.

& 4. Faſt.

Vix tulit adverſas hoſpita navis aquas.

Æquoris Hadriaci. nam mari Hadriatico navigatur Athenas. Noſter Eleg. 6. lib. 1. v. 1. & 13. Horatius ad navem Ode 3. lib. 1. *Finibus Atticis Reddas incolumem precor*. Et mox de vento Auſtro: *Quo non arbiter Hadriæ Major*. Dicitur Hadriacum & Hadriaticum. Horatius & *mare Hadrianum* vocat Ode 16. lib. 1. PASS. *Æquoris hoſpes*. Supra Eleg. 20. lib. 1.

Sive ubicumque vago fluminis hoſpitio. V.

v. 18. COGAR ET UNDISONOS NUNC PRECE ADIRE DEOS] Vide adnotata ad Eleg. 7. ſup. v. 57. *Prece adire deos*, eſt ad deos ſalutandos accedere, & venerari, ac poſcere aliquid. Eleg. ult. lib. 2.

Solum te noſtros lætor adire deos.

Plautus Aſin. 1, 1. *Quum me adiit, ut prudentem gnatum decet*. id eſt, me oravit. Ibid. ſc. ult. *Dignos, indignos adire*. id eſt, iis ſupplicare. Albinovanus ad Liviam:

Cur adeo fratres heu ſine fratre deos?

Lucretius lib. 1.

Num divûm pacem votis adit, ac prece quæſit
Ventorum pavidus paces, animaſque ſecundas.

Seneca Hippolyto: *Nec adire caſtis precibus aut ritu pio Adjudicatam præſidem terræ deam*. Lucillius apud Nonium in *Aditus*: *Quum pacem peto, quum placo, quum adeo, & quum appello meam*. Idem apud eumdem in *Appellare*: *Quum mei me adeunt ſervuli, non dominam ego appellem meam? Adire deos*, ut affari Virgilio, & veteribus poetis. PASS. *Undiſonos deos*. Dioſcuros puta, & Æolum, & Apollinem Embaſium, & Herculem, & Priapum, & ipſas denique Undas. vide Plautum Trinum. Act. 4. Sc. 1. & Gonſalium de Salas ad illud Petronii; *Adoratis ſideribus intro naviginm*. BROUKH.

v. 19. DEINDE PER IONIUM VECTUS QUUM FESSA LECHÆO SEDARIT PLACIDA VELA PHASELUS AQUA] A mari Hadriatico incipit mare Ionium, ut adnotatum ad Eleg. 26. lib. 2. v. 2. *Phaſelus*, inquit

 No-

Quod superest sufferte pedes, properate laborem
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.

Inde

Nonius, navigium Campanum. Servius brevem naviculam interpretatur in 4. Georg. Baifius de re navali docet ex Plutarcho, & Appiano, interdum myoparonas, & phaselos eosdem esse, mixta forma ex nave oneraria, & longa triremi, qua forma vocamus *galeones*. fortasse, inquit, a Phaselide loco, ut Parones, & Rhodiæ. Cicero Epicopum vocat lib. 14. ad Attic. *Quum sedarit*, quiescere fecerit. ut Eleg. 16. lib. 2.

Nullane sedabit nostros injuria fletus?

Velo fessa; longo itinere pæne fracta. quasi vela sentiant laborem; ut Virgilius 2. Æneid. *Fessas naves*. & Ovidius 1. Metam.

In mare deducunt fessas erroribus undas.

Placidâ aquâ. quietâ. ut Eleg. 8. lib. 1. *Placidis Oricos æquoribus*. *Lechæo*. Statius 2. Thebaid.

Irataque terræ
Curva Palæmoniis secluditur unda Lechæo.

& 2. Silv. in Surrentino Pollii:

Qualis, si subeat Ephyres Baccheïdos altum
Culmen, ab Ionio fert semita tecta Lechæo.

Noti sunt gemini portus Corinthi Cenchreum & Lechæum, de quibus Pausanias Corinthiacis, qui illis promontoriis disterminari ait Isthmum Corinthiacum. Strabo lib. 8. Lechæo ait uti qui ex Italia navigant, ut Cenchreo qui ex Asia. & utrumque describit. Plinius item lib. 4. H. N. cap. 4. Callimachus Hymno in Delum v. 271. & ibi Scholiastes. aliàs legitur *Lycea*, &, *Lycheo*. PASS.

v. 21. QUOD SUPEREST SUFFERTE PEDES, PROPERATE LABOREM] Alloquitur pedes suos, ut Plautinus Pseudolus: *Sicciné hoc fit, pedes? Quod superest*, viam reliquam Athenas usque. ut Eleg. 17. sup. v. 19. *Quod superest vitæ*. *Sufferte*. Virgilius 2. Æneid. *Nec claustra, nec ipsi Custodes sufferre valent*. Terentius: *Sufferre sumtus, & supplicium*. Cicero: *Sufferre pœnam, & mulctam*. Est & sufferre, supponere; ut Nonius docet exemplis. *Properate laborem*, accelerate, avide exantlate laborem itineris. ut Eleg. 28. lib. 2. *Properarint fata quietem*. PASS.

v. 22. ISTHMOS QUA TERRIS ARCET UTRUMQUE MARE] Repellit, & prohibet inter se misceri Ægæum & Ionium. Plinius lib. 4. H. N. cap. 4. *Isthmos*, angustiæ unde procedit Peloponnesus vocantur, inquit Plinius ibid. & intervallum inter duo maria Ægæum & Ionium. In illo medio intervallo fuit Corinthus, quæ ideo *bimaris* Horatio. De ejus eversione Cicero in Rullum. Est & Isthmos Atho montis; item Thraciæ apud eumdem Plinium. Charisius ex Hygino commemorat Leucadiensium Isthmon. Hunc Achaicum, sive Corinthiacum Isthmon Julius, & Caligula, & Nero Cæsares perfodere cogitarunt, infelici exitu eorum. testantur id Plinius & Suetonius. Strabo lib. 1. vocat ἰσθμοὺς loca quæ prominentibus anguste frontibus distinguuntur inter duo maria. scilicet γῆν ἀμφιθάλασσον. Vide eumdem lib. 8. de hoc Isthmo, unde *Isthmius Neptunus*, & ludi *Isthmia*. Vetus poeta apud Senecam & Ciceronem: *Ego imperio Argis, regna mihi liquit Pelops Qua Ponto ab Helles, atque ab Ionio mari Urgetur Isthmos*. Ovidius lib. 6. Fast. ita περιγράφει:

Est spatio contracta brevi, freta bina repellit,
Unaque pulsatur terra duabus aquis.

Arcet, depellit. Horatius Epist. ad Pison. *Classes Aquilonibus arcet*. id est, Aquilones classibus. Virgilius 1. Æneid. *Finibus arcere*. PASS. *Utrumque mare*. nostri libri, cum editione Veneta. recte. Ovidius L. 7. Metam.

Sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis,
Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque.

Geminum mare sæpe vocat Seneca in Tragœdiis; & Lucanus semel lib. 1. Mela L. 2. C. 3. *Corinthos ea summa arce, quam Acrocorinthon appellant, maria utraque contuens*. Legunt alii, *utrimque mare*; minus recte. BROUKH.

v. 23.

Inde ubi Piræi capient me litora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Illic vel ſtadiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis.

Per-

v. 23. INDE UBI PIRÆI CAPIENT ME LITORA PORTUS] Poſtquam accipiet Piræos. nam *Iſthmi anguſtiis Hellas incipit, in qua prima Attica*, ioquit Plinius H. N. lib. 4. cap. 7. & *Ab Iſthmo quinquaginta millia paſſuum Piræus & Phalera portus, 2. M. paſſ. muro recedentibus Athenis juncti*. obi vide initiom illius capitis, ad hoc iter Propertii intelligendum. item Strabooem lib. 9. & Paoſaniam in Atticis. Porro quioqne millibus paſſuum mare receſſit a Piræo, ut ait Plinius lib. 2. cap. 85. meminit & lib. 4. cap. 12. ut & Plutarchus io Pericle, Themiſtocle, Alcibiade. Servius Sulpicius Ciceroni Epiſt. 5. lib. 4. ad famil. *Poſt me erat Ægina, ante Megara, dextrâ Piræus, ſiniſtrâ Corinthus*. *Capient me litora*. aliàs, *capient mea lintea*. PASS. Neſcio quo modo gratius ad animom cadit Groningani codicis lectio, *capient mea lintea*. quod io Palatiois quoque membranis Gebhardus invenerat. *τὸ litora portûs* abſoοum eſt & frigidulum. BROUKH. *Piræi litora portûs*. hæc lectio non ſollicitanda: ita enim & Catullus Carm. 63. v. 74. de Theſeo:

Egreſſus curvis e litoribus Piræi.

Item Ovidios lib. 6. Metam. v. 445.

Veloque & remige portus
Cecropios intrat, Piræaque litora tangit. V.

v. 24. SCANDAM EGO THESEÆ BRACHIA LONGA VIÆ] Sic appellat longos muros conſilio Themiſtoclis ab orbe ad mare uſqoe ductos XL. ſtadiorum ſpatio, ot Piræue urbi conjungeretur. vide Thucydidem lib. 1. & 2. Strabooem quoqne lib. 9. qui veluti crura fuiſſe ait, non brachia; & Plutarchum io Themiſtocle. *Brachia* metaphorice de ſitu loci ita porrecto, ot amplecti quid velle videatur. Sic Livios l. 38. *Superato brachio in urbem penetrat*. & lib. 44. *Veluti per devixum in mare brachium tranſitum tentaturus*. Suetonius in Claudio c. 20. *Portum Hoſtiæ extruxit, circumducto dextra, ſiniſtraque brachio*. Sic *Terga jugi* dixit Noſter Elegia 4. lib. 4. v. 48. *Theſea via*. Beroaldus hic nogatur de vicis & oppidis Atticæ a Theſeo qoaſi ſoblatis, ut unum conciliom fieret, & ut in aſtu convenireot. ego de via perpurgata & liberata a latronibus Athenas uſque a Scironiis ſaxis intelligo. qua de re El. 16. ſup. v. 12. PASS. Præiverat Maro L. 3. Æn.

Portus ab Euro fluctu curvatus in arcum;
Objectæ ſalſa ſpumant adſpergine cautes:
Ipſe latet. gemino demittunt brachia muro
Turriti ſcopuli, refugitque a litore templum.

------- Joſtinos L. 5. C. 8. *Negarunt ſe Spartani ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos; pacem polliciti, ſi demiſſa Piræeum verſus muri brachia dejicerent*. & C. 9. *Quum omnes Athenienſes proditionis ſuſpectos haberent, demigrare eos ex urbe jubent, & in brachiis muri, quæ diruta fuerant, habitare*. ſæpe utitur A. Hirtius in belli Alexandrini atque Africani voluminibus, ſcriptor nobilis, & oris bene Romani. BROUKH. *T. brachia longa v.* Piræus portus ab urbe noo parum diſtabat; ſed nihilominus ei conjunctus erat ope murorum, quos μακρὰ τείχη, *longos muros* appellabaot. μακρὰ σκέλη, *longa crura* vocat Appianos in Mithridaticis. Livios pariter lib. 31. *Inde* (Philippos) *eruptione ſubita peditum equitumque inter anguſtias ſemiruti muri, qui brachiis duobus Piræum Athenis jungit, repulſus*. Eodem pacto Strabo lib. 9. noo procul ab initio, murum XVIII. ſtadiorum, qui Niſæam navale Megarenſium ipſis Megaris conjuogebat, appellat σκέλη. σκέλεσι ἑκατέρωθεν συναπτόμενον πρὸς αὐτῷ. VULP.

v. 25. ILLIC VEL STUDIIS ANIMUM EMENDARE PLATONIS INCIPIAM, AUT HORTIS, DOCTE EPICURE, TUIS] *τὸ Illic*, Athenis, etiamſi non expreſſit, ut Eleg. 19. lib. 1. v. 11. *Studiis*; ut Eleg. 3. lib. 2. *Studiis vigilare ſeveris*. *Emendare animum ſtudiis Platonis*. in ſilvis Academi quærere verum, & animum vitiis perpurgare ſtudiis Socraticis. nam Socrates mores excoluit, & ſapere docuit. Sic *Emendati mores* Ciceroni in Lælio: *Emendatrix vitæ poetica* in 4. Tuſc. *Emendatrix vitiorum lex, & commendatrix*

datrix virtutum, 1. de Legib. Mendæ, animi vitia, ut corporis. Charisius lib. 1. *Mendum mendacii; menda operis, vel corporis*. *Hortis, d. Epicure, tuis*. Sic Statius 1. Silv. in Tiburtino Manlii:

Luxuque carentes
Deliciæ, quas ipse suis digressus Athenis
Mallet deserto senior Gargettius horto.

Epicurus. ut in Surrentino Pollii: *Monitus quas dat Gargettius auctor*. Cicero 1. de Nat. Deor. *Cur tantum Epicuri hortus habuerit licentiæ*. Ibid. *Democriti fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit*. Plinius lib. 19. H. N. cap. 4. *Primus in urbe hortulos habere instituit Epicurus, otii magister*. Juvenalis Sat. 13.

Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.

& Sat. 14.

Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis.

Vide & Virgilium initio Ciris, & Laertium in Vita Epicuri. *Docte E*. Sic Petronius:

Ipse pater veri doctrinæ Epicurus in arte.

ubi aliàs: *Doctus Epicurus in arte*. Lucretius de illo lib. 3. *Qui genus humanum ingenio superavit*. At ipse Cicero, maxime 1. de Finibus negat, satis politum Epicurum iis artibus quas qui tenent eruditi appellantur. PASS. *Studiis a. o. Platonis*. In τῷ *studiis* latet mendum; nam altero abhinc versu habemus iterum *studium linguæ*. quæ tam inconcinna repetitio indigna est politissimo poeta. ----- nullus dubito, quin primitus scriptum fuerit *stadiis*. Etenim uti in stadiis juvenes exercebantur ad cursum, & luctam: ita in scholis philosophorum homines studiosi ad virtutem. sic & *gymnasii* & *palæstræ* nomina, & quæ id genus plura sunt, transierunt ad culturam animorum. *Stadium artis rhetoricæ* commemorat Auctor ad Herennium L. 4. C. 3. Marius autem Victorinus in 1. Rhetor. Cicer. *Alii hanc constitutionem realem vocaverunt, quod in ea quæratur, utrum res, de qua agitur, facta esse videatur*. alii σταδιαζουσαν *Græco vocabulo quidem, quod in ea de incerto investigando maximum certamen habeatur. unde & stadium dicitur quod ibi exerceantur certamina*. Ita Noster aptissime *stadii* vocem transtulerit ad Platonis Philosophiam difficilem ac laboriosam. Quod ut recte capias, vide sis elegantem Apuleji libellum quem *de dogmate Platonis* inscripsit. ----- *Studium* quidem scimus poni aliquando pro secta vel disciplina, etiam apud ipsum Ciceronem: sed tamen & hoc scimus, serium istud ac virile Platonis *stadium* pulcerrime componi cum Epicuri horto, illo ignavo, illo voluptario. BROUKH.

Hortis, docte Epicure, tuis. de Epicuri hortis omnia nota, & trita: qua vero ratione ipse *doctus* dicatur, non item. deinde altero abhinc versu Menander quoque dicitur *doctus*. idem error qui in versu superiore. Epicurum certe pro docto numquam habuit antiquitas. vide Ciceronem L. 1. de Finib. C. 7. Orat. post reditum in senatu C. 6. pro Sextio C. 10. L. XIII. ad famil. Ep. 1. Philipp. 1. C. 6. in Pison. C. 29. Fabium Quintilian. L. 12. C. 2. Multo etiam acerbius in Epicuri ruditatem invehitur Cleomedes L. 2. Theor. Meteor. Quid igitur? nisi me omnia fallunt, scripsit poeta *dux Epicure*: quod librarii, quasi compendio breviatum foret, more suo dilatarunt in *docte*. *Dux* est princeps, sive auctor, magister, signifer, doctor. Cicero pro Sextio C. 46. *Qui quum auctores sunt & duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in republica fluctus excitantur*. & alibi sæpius. -- jam quemadmodum singulæ philosophorum sectæ *familiæ* appellabantur: ita earum conditores & patres *duces* audiebant. Quintilianus L. 5. C. 13. *Ideo miror inter duos diversarum sectarum velut duces non mediocri contentione quæsitum* &c. Lucretius L. 1.

Heraclitus init quorum dux prælia primus.

Horatius L. 1. Epist. 1. loco notabili:

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter,
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.

Festus: *Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur pater, & mater familias*. hinc est *familiam ducere*. ---- Sed & *domus* dicebantur ex sapientum familiæ. *Socraticam domum* Horatius memorat L. 1. Ode 29. qua ratione familiarum duces audiebant *patres*. hinc *pater Chrysippus* apud eumdem Sat. 3. L. 1. Lucretius ipsum hunc Epicurum *patrem* vocat initio L. 3.

Tu pater, & rerum inventor; tu patria nobis
Suppeditas præcepta, &c.

qui locus vel solus opinor evincit, quanto rectius

Persequar aut ſtudium linguæ, Demoſthenis arma,
Librorumque tuos docte Menandre ſales.

Aut

rectius dux appelletur Epicurus, quam *doctus*. BROUKH.

Hortis, d. Epicure, tuis. Pulchre Cicero lib. 3. de Oratore: *Nec ulla tamen ei philoſophiæ* (Epicuri ſcilicet) *fiet injuria a nobis; non enim repelletur inde quo aggredi cupiet: ſed in hortulis quieſcet ſuis, ubi etiam recubans molliter, & delicate, nos avocat a roſtris, a judiciis, a curia, fortaſſe ſapienter, hac præſertim republica*. Quamobrem Epicurei dicuntur a Sex. Empirico adverſus Mathem. *οἱ ἀπὸ τῶν κήπων, ex hortis philoſophi:* ſicuti Stoici *οἱ ἀπὸ τῆς ϛοᾶς, e porticu philoſophi:* Laërtius autem lib. 10. Apollodorum quemdam, quod *princeps hortorum* ſuo tempore haberetur, *κηποτύραννον* vocat. VULP.

v. 27. PERSEQUAR AUT STUDIUM LINGUÆ, DEMOSTHENIS ARMA] Acrem & conſtantem aſſiduamque operam navabo eloquentiæ. tamen negat, id ſibi antea per Apollinem licuiſſe Eleg. 1. lib. 4.

Et vetat (Apollo) *inſano verba tonare foro*.

Perſequitur, inquit in Andriam Donatus, *qui non deſinit ſequi*. & in Hecyram, *Perſequi eſt conſtantia*. Cicero 4. Tuſc. *Perſequi diſciplinam bene vivendi*. & 1. de Finib. *Eas artes perſequeretur, vivendi artem relinqueret? Studium linguæ*, artem bene dicendi. lingua, pro oratione, ut Eleg. 32. lib. 2. v. 25. Horatius Epiſt. ad Piſones:

Nec virtute foret, clariſve potentius armis,
Quam lingua Latium.

Idem Epiſt. 3. lib. 1. *Seu linguam cauſſis acuis*. *Demoſthenis arma*. Appulejus lib. 4. Florid. *Prima cratera* (Muſarum) *Literatoris ruditatem eximit, ſecunda Grammatici doctrina inſtruit, tertia Rhetoris eloquentia armat*. unde A. Gellius *Arma rhetorica & diſciplinarum* vocat lib. 7. N. A. cap. 3. Petronius in Satyr. *Ingentis quatias Demoſthenis arma*. Ovidius 1. Faſt.

Quæ ſit enim culti facundia ſenſimus oris,
Civica pro trepidis quum tulit arma reis.

& lib. 4. Triſt. Eleg. 10.

Fortia clamoſi natus ad arma fori.

Idem *garrula bella fori*, & *Martem fori*, & *loquendo pugnare*, alibi dixit. Pulchre Lucanus Panegyr. ad Piſonem:

Licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub judice bella movere.

Heraclitus apud Hermodorum: *ἐν ταῖς γλώτταις ἔχετε τὰ ὅπλα*. Heſychius ſcribit, *γλωττάσπιδας* dictos qui lingua pro armis uterentur. & proverbium eſt, *γλώττῃ πολεμίζειν*. *Arma μεταφορικῶς* ea omnia quibus pugnatur, ſive clam, ſive palam. dixi ad Eleg. 13. ſup. v. 9. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Defenſa eſt armis noſtra puella ſuis.

id eſt, formâ. Idem 2. A. A. de Icaro:

Tractabat ceramque puer, pennaſque renidens
Neſcius hæc humeris arma parata ſuis.

Juvenalis Sat. 14. *Parvoque eadem movet arma fritillo*. nempe talos ac teſſeras. PASS. *Studium linguæ*. Sic Tibullus Eleg. 8. lib. 1. *Studium formæ*. Cicero lib. 1. de Invent. non procul ab initio, *Studia rationis & officii*. *Demoſthenis arma*. Imbellium hominum telum eſt eloquentia: quamobrem Turnus apud Virgilium 11. Æneid. Drancen intra parietes curiæ ferocius loquentem, at prœlio ineptum, ſubſannat:

An tibi Mavors
Ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit?

Cicero tamen 1. de Orat. *Quid autem tam neceſſarium, quam tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel provocare improbos, vel ulciſci laceſſitus?* & lib. 3. *Quæ quo major eſt vis, hoc eſt magis probitate jungenda ſummaque prudentia: quarum virtutum expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, ſed furentibus quædam arma dederimus*. Idem lib. 1. de Invent. *Qui vero ita ſe ſe armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, ſed pro his pugnare poſſit, is mihi vir & ſuis, & publicis rationibus utiliſſimus, atque amiciſſimus civis fore videtur*. *Arma facundiæ* legere eſt apud Quintilianum lib. 2. cap. 16. Antiquiorum vero æmulator Symmachus Epiſt. 9. lib. 7. *Ut in veſtitu hominum, ceteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta ſumuntur: ita ingeniorum varietas in familiaribus ſcriptis negligentiam quamdam debet imitari, in forenſibus vero capere arma facundiæ*. Adde

his

his D. Augustinum lib. 9. Confess. cap. 2. *Placuit mihi .... subtrahere ministerium linguæ meæ nundinis loquacitatis: ne ulterius pueri meditantes non legem tuam, non pacem tuam, sed insanias mendaces, & bella forensia, mercarentur ex ore meo arma furori suo*. Lucianus pariter Ocypo: Γέρων μὲν αἰεὶ τοῖς λόγοις ὁπλίζεται. Et Musarum ocellus Franciscus Petrarcha Triumphi Amoris cap. 4.

E mille altri ne vidi, a cui la lingua
Lancia, e spada fu sempre, e scudo, ed elmo,

Idem in Triumpho Famæ cap. 3.

Porfirio; che d' acuti sillogismi
Empiè la dialettica faretra,
Facendo contra 'l vero arme i sofismi.

Et de carminum vi (*nel Sonetto 263.*)

Di rime armato, ond' oggi mi disarmo.

denique (*nella Canzone 26.*) *Dolci rime leggiadre, Che nel primiero assalto D' Amore usai, quando non ebbi altr' arme*. Simile est illud Ovidii lib. 2. Amor. Eleg. 1.

Blanditias, elegosque leves, mea tela, resumsi. VULP.

v. 28. LIBRORUMQUE TUOS DOCTE MENANDRE SALES] Hypallage, pro, Sales librorum tuorum, id est, comœdiarum. *Sales*, lepores, argutiæ, joci. Donatus in Eunuch. *Sal neutraliter, condimentum; masculino, sapientia*. Charisius lib. 1. *Sales, jocum* interpretatur. item, *Sales*, οἱ ἅλες. & eodem libro: *Sal tantum pluraliter facetias significat*. Servius in illud 1. Æneid. *Spumas salis: Sales plurali tantum numero quum jocos significamus: sed tamen & salem, pro urbanitate dixit Terentius*. Plutarchus lib. 4. Symp. Quæst. 4. Καλλωπίζουσι γὰρ οἱ ἅλες τὸν ἄλλον ὄψον ὄψον εἶναι, ἢ ἥδυσμα· διὸ ἢ χάριτας ἔνιοι προσαγορεύουσιν αὐτούς· ὅτι τῆς τροφῆς ἀναγκαῖον ἡδὺ ποιοῦσι. vide eumdem Quæst. 10. lib. 5. Symp. & maxime in comparatione Aristophanis & Menandri. & Plinium lib. 31. H. N. cap. 7. notat Beroaldus. *Menandre*, a recto Menandrus, ut Evandre, Thymbre, Leandre. Menandri meminit Noster Eleg. 6. lib. 2. v. 3. & Eleg. 5. lib. 4. v. 43. Ejus laus est apud Fabium cap. 1. lib. 10. & A. Gellium lib. 2. cap. 23. Athenis Menandro statuam in theatro positam commemorat Pausanias in Atticis; & Plinius lib. 7. cap. 30. advocatum classe, & per legatos ab Ægypti regibus scribit; nec ire ad eos voluisse. LXXX. Fabulas scripsit: Suidas. Ovidius lib. 2. Trist.

Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri:
Et solet hic pueris, virginibusque legi. PASS.

Librorumque tuos sales. Hæc hypallage vetustis auctoribus frequens, poetis præsertim. Plautus Menæchm. 2, 1, 33. *Hominum natio Epidamnia*. id est, hominum Epidamniorum. Lucretius eam adamavit. libro enim 1. *Species patefacta est verna diei*; nempe diei vernæ. & *Impia rationis elementa*. item; *Per gentes Italas hominum*. quamquam ibi nonnulli legunt *omnium*. Idem lib. 2.

Purpura Thessalico concharum tincta colore,

& lib. 4. v. 598.

Humanum genus est avidum nimis auricularum.

id est, avidarum. & lib. 5. v. 24. *Nemeæus magnus hiatus Ille leonis*. Denique lib. 6. *Aliena rogorum insuper exstructa*. nempe super strues rogorum alienorum. Vetus poeta apud Ciceronem lib. 1. de Nat. Deor. *Ubi initiantur gentes orarum ultimæ*. Cicero ipse lib. 3. ad Q. Fratrem Epist. 5. *Nostrum hoc tempus ætatis*. Virgilius pariter Ecl. 9.

Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

pro, antiquorum signorum. Idem 1. Æn. v. 361. *Odium crudele tyranni*. scilicet crudelis tyranni. & 8. Æneid. v. 526.

Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.

Horatius Ode 29. lib. 3. *Tyrrhena regum progenies*. id est, Tyrrhenorum. Ovidius lib. 1. A. A. v. 114.

Rex populo prædæ signa petenda dedit.

pro, petendæ. Noster ipse Eleg. 6. lib. 2.

Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos.

videlicet puellarum ingenuarum, quas maxime decebat ab omni turpitudine immunes custodiri. & Eleg. 9. hujus libri:

Mæcenas eques Etrusco de sanguine regum.

Menandre. Sic *Rex Evandrus* apud Virgilium lib. 8. Et Ovidius Epist. Herûs:

Quod cupis, hoc nautæ metuunt, Leandre, natare.

Dicebant quoque *Histrus*, pro Hister. vide A. Gellium lib. 10. cap. 7. & Cato apud Priscianum lib. 6. dixit *Novembris*, pro *November*. VULP.

v. 29.

Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,
Sive ebore exactæ, ſeu magis ære manus.
Aut ſpatia annorum, aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera noſtra ſinu.

Seu

v. 29. AUT CERTE TABULÆ CAPIENT MEA LUMINA PICTÆ] Saltem me ſpectantem oblectabunt pictæ ab Apelle, Zeuxide, Parrhaſio tabulæ. vide adnotata ad Eleg. 24. infra v. 2. *Oculis meis*. PASS.

v. 30. SIVE ABORE EXACTÆ, SEU MAGIS ÆRE MANUS] Manus pro opere ipſo manu docta elaborato, & arte, unde & *monn-pretium* dicitur. Martialis Epigr. 51. lib. 8.

Mentoris hæc manus eſt, on Polyclete tuo?

Ovidius 3. Faſt.

Et licet antiqus monibus cellatus Epeo
Sit prior, irato Pallade mancus erit.

Solinus: *Ea ædes manus Dædoli oſtendebat*. *Ebore*; ut *eburnum ſignum Jovis* Eleg. 9. v. 15. ſup. Et Seneca lib. de Tranquill. cap. 9. *Nomen marmore, aut ebore captare*. Horatius Epiſt. 1. lib. 2.

Marmoris, ant eboris fabros, aut æris omavit.

Græcia nimirum. *Exactæ*. dixi ad Eleg. 1. ſup. v. 8. *Exacta ære*, ærificè ductæ. Varro apud Nonium in *Ærificium*, & *Ducere*. *Nihil ſunt Muſæ Polyclis veſtri, quas ærifice duxit*. Myronis & Lyſippi opera ænea. Horatius Epiſt. 1. l. 2. *Ant alins Lyſippo duceret æra*. PASS. *Manus*. Picturæ oobiliſſimorum artificum, figmeota, ſculpturæ, atqoe id genus alia, *manus* nomiue interdom ſignificantur. Petronius Arbiter: *Zeuxidos manus vidi nondum vetuſtatis injurio victas*. Statius lib. 1. Silv. Carm. 3. v. 47. *Vidi artes, veterumque manus*. Silius Italicua lib. 14. Punic. v. 653.

Hic ſoncta vetuſtos
Artificum monibus. non uſquam clarior illo
Glorio picturæ ſæclo.

Martialis Epigr. 39. lib. 4. *Solus Praxitelis manus, Scopæque, Solus Phidiaci toreuma cæli, Solus Mentoreos habet labores*. Et apud Julium Pollucem legimus paſſim: Χεὶρ Ἀπελλοῦ, Χεὶρ Πολυκλείτου. ut animadvertit Erhardus. *Manus* uſurpatur etiam pro chirographo. Sabinus Epiſt. Ulixis:

Agnovi caramque manum, gemmaſque fideles.

Cicero 3. in Catilin. *Atque ibi vehementiſſime perturbatus Lentulus, tamen & ſignum ſuum & manum cognovit*. Quintilianos lib. 1. cap. 7. *Quomodo & ipſum* (Ciceronem) *& Virgilium quoque ſcripſiſſe, manus eorum docent*. D. Auguſtinus de Nupt. & Concup. lib. 1. cap. 23. *Manus vocatur ſcriptura, quam facit manus*. Hoc repetit lib. 1. ad Bonifaciom contra duas Epiſt. Pelagianor. cap. 13. Idem Tract. 48. in Joannis Evang. num. 7. *Aliquando & ipſum opus hominis dicitur, quod fit per manum: ſicut dicitur quiſque agnoſcere manum ſuam, quum id quod ſcripſit, agnoſcit*. Et Enarrat. in Pſalmum 34. Serm. 2. num. 3. *Dicis etiam, Agnovi manum ipſius abſentis, non manum in corpore, ſed ſcripturam quæ facta eſt per manum, quæ erat in corpore*. vide & lib. 14. contra Fauſtum cap. 3. VULP.

v. 31. AUT SPATIA ANNORUM, AUT LONGA INTERVALLA PROFUNDI LENIBUNT TACITO VULNERA NOSTRA SINU] Quod legitur, *arvorum*, mendoſum eſt. nam non loquitor de geometria & agrimenſura: neque amplius fit mentio artium. Sed ait, ſe temporis diutornitate, vel intervallo locorom, taoto interjecto mari, vel certe morte ipſa amorem depoſiturum. *Spatia annorum*. longinquitas temporis, Servio Sulpicio ad Cicer. Epiſt. 5. lib. 4. & Epiſtola 4. lib. 6. ad famil. Eamque temporia medicinam Tullius vocat Epiſt. 16. lib. 6. de qua ſæpe aliàs Auſonius:

Admittunt olii ſolatia temporis ægri:
Hæc graviora facit vulnera longa dies.

Intervallo profundi. Tantum maris, quod ioterjectum inter me & amicam. Sic Fabius lib. 2. cap. 17. *Intervalla ſiderum*. Iſidorus lib. 15. Orig. cap. 9. *Intervalla, ſpatia ſunt inter capita vallorum*. nempe ſtipitum, quibus vallum fit. unde & cetera quoqoe ſpatia dicuntur intervalla. *Profundi*, maris, qood porro ſit a fundo ſumma aqua. Soetonius in Calig. cap. 16. *Profundo mergere*. Virgilios 12. Æneid. *Penituſque profundo Velo dabit*. *Lenibunt vulnera noſtra*. minuent atque mollient, ac pæne ſanabunt vulnera mihi facta telo Cupidinia.

Seu moriar, fato, non turpi fractus amore.
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

ELE-

nis. sic *lenire noctem* Eleg. 9. lib. 4. v. 5. *Lenibunt*, pro, lenient. ut Horatius, *Mollibit*. Ennius apud Nonium, *Audibo*. Plautus, *Scibo*; & *venibo*, pro veniam: Nonius. *Expedibo*, Pacuvius. *Aperibo*, Pomponius. Idem, *Peribit*, & *pervenibunt*, & *reperibitur*. Contra Tibullus Eleg. 4. lib. 1. *Transiet aetas*. *Tacito sinu*, clanculum, nemine advertente, & me id dissimulante, ut Eleg. 25. lib. 2.

In tacito cohibe gaudia clausa sinu. PASS. L. *tacite vulnera n. sinu*. sion divinabat Gebhardus. quod vix possum non probare, Gellius L. 20. C. 1. *Passus est leges illas de tam immodico supplicio situ atque senio emori*. etiam Naso firmare videtur L. 3. Pontic. Epist. 7.

Curando fieri quaedam pejora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit,

& Diris in Ibin:

Vulneraque immitis requiem quaerentia vexat,

tum L. 4. Trist. Eleg. 4.

Neve retractando nondum coëuntia rumpam
Vulnera; vix illis proderit ipsa quies.

L. 2. Pont. Epist. 2.

Vulneris id genus est, quod quum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse putem.

Florus L. 3. C. 23. *Expediebat igitur quasi aegrae sauciaeque reipublicae requiescere quomodocumque: ne vulnera curatione ipsa rescinderentur*. quod pulchre expressit facundissimi oris homo Dominicus Baudius Jamb. L. 3.

Asperat morbum magis
Medela summa tempore haud idoneo,
Sunt vitia quae sanantur efficacius
Tolerando quam tollendo: sunt quibus quies
Medetur,

potest tamen τὸ *sinu* commodo sensu servari, si Tempus & Longinquitatem capias pro personis quibusdam divinis, aegrum ex amore animum gremio suo foventibus, BROUKH.

v. 33. SEU MORIAR, FATO, NON TURPI FRACTUS AMORE] Aut si moriar, mors ipsa lenibit malum, immo sanabit. ἰλλειπτικῶς. nam dixit Eleg. 17. sup.

Funera sanabunt, vel tua vina malum.

vel iterandum, *moriar*. *Seu moriar*, *moriar fato*. *Moritur fato*, qui fatales annos explevit, ut loquitur Tibullus Eleg. 3. lib. 1. Cicero in Bruto: *Hortensii vox extincta fato suo est, nostro publico*. hinc *fato functi*, & *fato concessisse* mortui dicuntur. vide adnotata ad illud Tibulli Carm. 1. lib. 4.

Seu matura dies fato properat mihi mortem.

Turpi amore, quia vulgarem puellam amare turpe. Eleg. 16. lib. 2. v. 36. & Eleg. 11. sup. *Infamis amor*; ubi plura notata sunt. *Fractus amore*, quia amor vires carpit, exhaurit, & enervat. ut Eleg. ult. lib. 2. v. 34. & Eleg. 14. lib. 1. v. 17. PASS. *Seu moriar*, *fato*, Fato mori putabantur qui naturae necessitati cedebant, nulla compulsi violentia. Ideo Virgiliana Dido, quae sibi necem consciverat,

Nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore.

quam sententiam expendit A. Gellius l. 13. cap. 1. His adde Plinium Caecilium Epist. 12. lib. 1. eadem distinctione utentem: *Est enim*, ait, *luctuosissimum genus mortis, quae non ex natura, nec fatalis videtur*. Item Ovidium lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Est aliquid fatove suo, ferrove cadentem
In solida moriens ponere corpus humo.

& Justinum lib. 9. cap. 8. *Habuit* (Philippus Macedo) *& alios multos ex variis matrimoniis regio more susceptos, qui partim fato, partim ferro periere*, vide eumdem l. 39. cap. 4. VULP.

v. 34. ATQUE ERIT ILLA MIHI MORTIS HONESTA DIES] Tandem aliquando sapit. nam dixerat Eleg. 1. lib. 2. *Laus in amore mori*. & Eleg. 6. lib. 1.

Multi longinquo periere in amore libenter:
In quorum numero me quoque terra tegat.

& Eleg. 7. sup.

Ante fores dominae condar oportet iners.

& sibi conscius mortis inhonestae amantium mandat Eleg. 16. sup. ut extra viam humetur, quia *Tumuli infamantur amantum*.

Hom-

Honesta diei mortis, ut Cicero pro Quintio: *Mors honesta sæpe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit*. PASS. Phyllis Ovidiana ad Demophoontem v. 159.

Quæ fuit ante illam, mallem suprema fuisset
Nox mihi: dum potui Phyllis honesta mori.

Vere Isocrates in Panegyrico: Τῶν ἀνδρῶν τοῖς καλοῖς, κἀγαθοῖς αἱρετώτερόν ἐςι καλῶς ἀποθανεῖν ἢ ζῆν αἰσχρῶς. VULP.

ELEGIA XXII.

FRigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,

Din-

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXII. LIBRI III.] Ad Tullum, qui Cyzicenos vel gubernaverat, vel adhuc gubernabat: Romam, & Latium ceteris urbibus, ac regionibus longe præstare. Confer Horatium Epist. 11. lib. 1. VULP.

v. 1. FRIGIDA TAM MULTOS PLACUIT TIBI CYZICUS ANNOS, TULLE, PROPONTIACA QUA FLUIT ISTHMOS AQUA] Ad hunc Tullum El. 6. lib. 1.

Non ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Ægeo ducere vela salo.

ubi proficiscitur Cyzicum opinor, ut Cyzicenos regat, quibus ademta fuerat libertas ab Augusto, quam meruerant bello Mithridatico; ob cives Romanos flagris cæsos, ut notavi ad Eleg. 6. lib. 1. v. 20. De Cyzico, insula & urbe Propontidis, juncta continenti duobus pontibus, Cicero pro lege Manilia, pro Murena, & Archia, Plutarchus in Lucullo, Strabo lib. 12. A Cyzico, rege Dolionum, nomen habuit, quem imprudentes Argonautæ interemerunt. vide Apollonium Rhodium lib. 1. Melam lib. 1. cap. 19. ubi etiam Cyzicum neutro genere vocat, ut & Plinius lib. 2. H. N. cap. 32. qui a Milesiis conditam innuit, insulamque junctam continenti ab Alexandro. Idem lib. 31. c. 2. ait, Cyzici fontem fuisse Cupidinis dictum, in quo potantes amorem deponere tradat Mutianus. Cyzicenum unguentum memorat Pausanias Messenicis. τὸ *Placuit*, reprehendentis: ideo addidit, *frigida*. Quum frigida sit, ideoque inamœna, placuit. Sic Eleg. 9. lib. 2.

Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.

Tam-multos annos. ut eadem Elegia, *Tam-multis femina digna procis*. Sic *quam-multæ bore*, Eleg. 20. & *Tam-graciles*, Eleg. 13. *Tam-magnis fontibus*, Eleg. 3. sup. *Tam-dura manu*, Eleg. 11. sup. *Tam-plena theatro*, Eleg. 18. sup. *Propontiaca qua fluit Isthmos aqua*. hypallage, pro, Qua aqua fluit Isthmo Propontiaco. non enim Isthmos fluit: nisi quis pro, alluitur, dictum putet. Sic Eleg. 3. sup.

Bellerophontei qua fluit humor equi.

Isthmon autem Cimmerium intelligit, inter Euxinum, & Caspium mare, & Tauricam Cherronesum; ut superiore Elegia Peloponesiacum, sive Achaïcum. Hunc Isthmon Seleucus Nicanor perfodere conatus. *Propontiacâ aquâ*; ut Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 9.

Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon Hæmoniæ nobile gentis opus.

Propontis unda dicitur Varroni Marcipore, apud Nonium in, *Capere*: *Propontis unda quem* (*lege*, quam; *de alveis*) *liquenti cærulo natantem perfundit*. Ægæum mare, ubi coarctatur, Hellespontus: mox ubi se laxat, Propontis, usque ad Thracium Bosphorum. Plinius lib. 4. H. N. cap. 11. *Alius namque ibi Isthmos angustia simili est, eodem nomine, & latitudine. Illustrant duæ urbes utrimque litora; quæ haud dissimili modo tenuere, Pactye a Propontide, Cardia a Melane sinu*. vide eumd. & cap. 12. lib. ejusd. & cap. ult. lib. 5. Strabonem lib. 13. initio, & Melam lib. 1. cap. 1. & cap. 9. lib. ejusd. Itali vocant, *Mar di Marmora*. Vide proverbium: *Isthmum perfodere*. PASS. *Frigida Cyzicus*. Noster *frigidam* vocat ratione aëris admodum crassi, qui difficulter calefit; æstate vero calefactus propter eamdem caussam plurimum facit æstum. ita commode hunc locum ex Aristotele & Galeno exponit Isaacus Vossius

 Ob-

Dindymus, & sacræ fabricata juvenca Cybebæ,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos.

Si

Observat. ad Catull. pag. 107. interpretes minus bene ceperant epitheti rationem, alter alterum, ut solent, exscribentes. BR. *Cyzicus*. De hac urbe lege Strabonem lib. 12. Geographiæ. Florus lib. 3. cap. 5. *Cyzicum*, ait, *nobilis civitas, arce, mænibus, portu, turribusque marmoreis Asiaticæ plagæ oram illustrat*. *Frigida*: an quod opposita & obnoxia ventis Borealibus? Eodem pacto Illyriam cavillatur Eleg. 8. lib. 1.

An tibi sum gelidâ vilior Illyriâ? VULP.

v. 3. DINDYMUS, AT SACRÆ FABRICATA INVENTA CYBELLES] Strabo lib. 12. montem Cyzico imminentem vocat Dindyma, ubi Dindymenæ, matris deûm, templum ab Argonautis ædificatum. Plinius lib. 6. cap. 32. *Cyzicum, alio nomine Dindymis, cujus a vertice mons Dindymus*. Ovidius 4. Fast.

Dindymon, & Cybelen, & amœnam fontibus Iden
Semper, & Iliacas mater amavit opes.

Vide Apollonium lib. 1. Argon. *Fabricata inventa Cybelles*. Reperio in vet. lib. *Dindyma quæ Argivæ* (aliàs, *Argivum*) *& quæ sunt templa alta Cybelles*. An legendum:

Dindyma quæ Argivæ sunt templa sacrata Cybellæ?

nam ex, *fabricata*, & *sacra*, feci, *sacrata*, & Argivi viri, id est, Argonautæ id templum dedicarunt Cybelæ: Strabo lib. 12. vel

Dindyma, quæ sacra fabricata in templa Cybellæ.

Sed Scaliger sic locum explicat περιφραστικῶς. *Fabricata inventa*, fabricæ ipsæ. quem vide. *Inventa fabricata*, an pro, inventa fabrilia? sic Eleg. 27. lib. 2. *Phœnicum inventa*. P. *fabricata inventa* habent omnes libri, & priscæ editiones. Verum auro contra non cara est Is. Vossii restitutio, *sacræ fabricata juvenca Cybellæ* legentis, & de Arcto monte Cyziceno exponentis, cujus in medio umbilicus sive antrum, in quo Magnæ Matri & Attini sacra faciebant Tauroboli. adi sis ipsum Vossium Observat. ad Catull. p. 161. sane signis & picturis nobilissimam fuisse Cyzicon declarat Cicero Accus. 4. in Verr. C. 60. BROUKH. *fabricata inventa Cybelles*. Ita Lucretius lib. 2. v. 137. dixit, *Grajorum obscura reperta*. VULP.

v. 4. RAPTORISQUE TULIT QUA VIA DITIS EQUOS] At Cicero 6. Verrina, Ovidius, Hyginus, Claudianus, denique fere omnes, raptam in Sicilia Proserpinam, narrant: hic in Propontide; quia ad Heracleam Ponti est Acherusia specus. Mela lib. 1. cap. 19. *In eo* (Euxino) *Mariandini urbem habitant, ab Argivo, ut ferunt, Hercule datam: Heraclea vocitatur. Juxta specus est Acherusia, unde extractum Cerberum existimant*. Idem Solinus, & obiter Ovidius lib. 5. Metam. de aconito e spuma Cerberi. Pausanias in Atticis raptam scribit Proserpinam in Eleusino agro ad Cephissum amnem. Idem in Corinthiacis ad Lernam in agro Argivo. Ausonius Theoni:

Qualis floricoma quondam populator in Ætna,
Virgineas inter choreas Deoida raptam
Sustulit, emersus Stygiis fornacibus, Orcus.

Phurnutus raptum Proserpinæ a Plutone factum interpretatur de sterilitate terræ & fame, quum terra recepta semina non redderet. & Cicero 2. de Nat. Deor. Περσεφόνη frugum semen, quod absconditum a Cerere quæri fingant. An Proserpinæ meminit, quia illic colebatur? sic inquit Scaliger ex Epigrammate in Catalectis. *Quæ tulit*. aliàs legitur *Qua*. sic Virgilius 6. Æneid.

Hinc via tartarei quæ fert Acherontis ad undas.

sic & *via ducere* dicitur. *Equos*. Orphnæum; id est, obscurum: Æthona; urentem: Nyctеum; nocturnum: Alastora; perniciosum. Claudianus lib. 1. de R. P. v. 283.

Orphnæus crudele micans, Æthonque sagittâ
Ocior, & Stygii sublimis gloria Nycteus
Armenti: Ditisque notâ signatus Alastor.

Inde Homero Iliad. ε. κλυτόπωλος ᾅδης. τοῦτ' ἐστιν ἔνδοξος ἵππους ἔχων. Ovidius lib. 5. Metam.

Raptor agit currus, & nomine quemque vocando
Exhortatur equos.

Ditis. Dis pater, quia omnia e terra oriantur, & eo recidant. Cicero 2. de Nat. Deor. Fabius lib. 2. cap. 10. *Dis pater*,

quis

Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes,
Et desiderio, Tulle, movere meo:
Tu licet adspicias cælum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,

Geryo-

quia minime dives sit . quia nudi mortui . *Raptoris* . de rapto Proserpinæ Ovidius 4. Fast. Hyginus Fab. 146. *Pluto quadrigis venit, & eam* (Proserpinam) *rapuit* . Pluto ipse apud Statium 8. Thebaid.

Ast ego vix unum, nec celsa ad sidera furto
Ausus iter, Siculo rapui connubia campo . P.

Innuit fortasse Propertius , abreptam quidem e Trinacria Proserpinam , sed latam super mare usque ad Cyzicenam regionem ; ibique terræ hiatu receptam , venerationem sui numinis incolis reliquisse . Huic sententiæ adstipulatur Orpheus in Argonauticis , quem affert Natalis Comes lib. 3. Mythologiæ cap. 16. VULP.

v. 5. SI TE FORTA JUVANT HELLES ATHAMANTIDOS URBES, NEC DESIDERIO , TULLE , MOVERE MEO] Oblectant , & retinent urbes Hellesponti , nec te cura nostri absentis tangit . De Hellesponto , angustiis maris Ægæi , & urbibus ea in ora Plinius lib. 4. C. 12. Strabo lib. 13. & Mela lib. 1. cap. 1. Hellespontus fretum est angustum inter Ægæum & Propontidem . vulgo , *El for de Gallipoli* . De Helle dictum ad Eleg. 26. lib. 2. v. 5. Athamantida vocat , quia filia fuit Athamantis , & Nepheles . unde *Athamantidos undas* , pro Hellesponto dixit Eleg. 20. lib. 1. Est & Athamantis fontis , vel fluvii nomen , de quo Ovidius lib. 15. Metam.

Almosis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur minimos quum Luna recessit in orbes .

Desiderio meo , ut Eleg. 3. lib. 4.

E desiderio sit color ille meo .

pro mei . vide notata ad Eleg. pænult. lib. 1. v. 4. sic Plautus Amphitr. *Exsurgite qui terrore meo occidistis* . pro mei . An *meo* , eodem quo ego ? PASS. *Et desiderio T. m. meo* . τὸ *Et* nemo sollicitavit , neque suspectum habuit de mendo . Groningauus medicinam facit , qui aperte habet *Nec* . optime . Si tanto amore urbium Græcarum teneris , o Tulle , ut neque Italiæ parentis tuæ recorderis , neque desiderio mei videndi movearis ; accipe tamen Italiæ tuæ commoda , Urbisque æternæ miracula . &c. scripta est hæc Elegia , antequam poeta ipse consilium cepisset de profectione in terram Græciam , neque suo legitur loco . *Meo* . forte *mei* ; exprimit enim Tullii sui verba lib. de Amicit. cap. 3. *Ego si Scipionis desiderio me moveri negem , quam id recte faciam , viderint sapientes . sed certe mentiar* . BA. Distichon illud ita explicandum : Si tu , o Tulle , dum provinciam administras , nostram absentiam ægre fers , quum tamen ceteroqui amœnitate regionis detinearis , tecum ipse velim cogites , nullum esse terrarum situm Romæ ac Latio præferendum, immo cum iis ne comparandum quidem . Si igitur Romæ fueris , & amici congressu frueris , & quidquid optabilis ac jucundi est in Asiaticis urbibus , hic una intueberis . Roma enim complectitur optima omnia , & Universi compendium est . *Si te f. juvant H. A. urbes* . Ita Cicero Orat. 2. de Lege Agraria : *Si quis est forte quem Capua magis , quam Roma delectat* . VULP.

v. 7. TU LICET ASPICIAS CÆLUM OMNE ATLANTA GERENTEM] Vertice cælum fulcientem , sive, ut poeta ait , axem humero torquentem stellis ardentibus aptum . Atlas Latine Telamo , inquit Servius in 4. Æneid. ut Nilus , Melo . Describit eum Herodotus in Melpomene, Virgilius 4. Æneid. Ovidius 4. Metam. Servius Astrologum fuisse scribit , & Herculem Astrologiam docuisse . Plinius lib. 2. cap. 8. Sphæram ab eo repertam scribit . Idem lib. 7. cap. 56. Astrologiæ inventorem fuisse ait , & Libyæ filium . Est & mons ejus nominis celsissimus : Pausanias in Atticis . Idem in Eliacis , non cælum modo , sed & terram , ait , Atlantis humeris sustineri . Strabo lib. 17. a Græcis Atlantem eum montem Mauritaniæ vocari scribit , a barbaris Dyrim . Hyginus Fab. 150. Atlanti cæli fornicem super humeros impositum a Jove, scribit , quod dux Titanum fuisset in bello contra Jovem . PASS.

v. 8. SECTAQUE PERSEA PHORCIDOS ORA MA-

Geryonæ ſtabula, & luctantum in pulvere ſigna
Herculis Antæique, Heſperidumque choros:

Tuque

MANU] Amputatum Meduſæ caput harpe, ſive ſalcato enſe. *Phorcidos* : Hyginus initio Phorcum unum Gigantum facit, ex quo, & Ceto natæ Phorcides. Idem facit Heſiodus in Theogonia, & Virgilius Æneid. 5. *Nereidum Phorcique chorus*. Ab aliis Phorcys, vel Phorcyn dicitur, unde Phorcynides ejus tres filiæ; qua de re multa Palæphatus. Ovidius lib. 5. Metam. *In partem Phorcynida tranſtulit illam*. vide Hyginum lib. 2. Aſtron. in Perſeo. Apollodorus lib. 10. Φόρκυ δὲ καὶ Κητοῦς Φορκίδες γοργόνες ſupple, παῖδες. Idem lib. 2. Gorgonum ſorores facit, & nominat; Enyo, Pemphredo, & Dino. ab his oculum mutuum ſumſit Perſeus iturus ad Gorgonas. Idem ibid. PASS.

v. 9. GERYONÆ STABULA, ET LUCTANTUM IN PULVERE SIGNA HERCULIS ANTÆIQUE, HESPERIDUMQUE CHOROS] *Stabula*, pro armentis μετωνυμικῶς, ut Virgilius 9. Æneid. *Ovilia*, pro ovibus. & Ecl. 3. *Triſte lupus ſtabulis*. *Geryonæ*. de illo Heſiodus in Theogonia ab eo verſu

Χρυσάωρ δ' ἔτεκε τρικέφαλον Γηρυονῆα.

Virgilius 6. Æneid. *Forma tricorporis umbræ*. & lib. 7.

Poſtquam Laurentia victor
Geryone exſtincto Tirynthius attigit arva.

ubi Servius: *Tricipitem eum finxerunt, & trimembrem, quia rex Hiſpaniæ tribus inſulis proximis præfuit, Balearicæ majori, & minori, & Ebuſæ*. Idem Virgilius 8. Æneid. *Tergemini nece Geryonæ*. Plinius lib. 4. cap. pænult. Pauſanias Atticis. Diodorus Siculus lib. 4. Juſtinus lib. ultimo, tres fratres tantæ concordiæ fuiſſe, ait, ut animo uno regi viderentur. Vide & Apollodorum l. 2. Hyginum Fab. 30. & Fab. 151. & Strabonem lib. 3. Palæphatus tricipitem fictum ait, quod civitatem τρικάρηνα dictam incoluerit. *Signa*, an ſtatuas & ſimulacra? Sane Plinius lib. 3. cap. 8. a Polycleto factum memorat Herculem Antæum procul a terra ſuſtinentem. Sed quia addit *in pulvere ſigna*, veſtigia ſunt palæſtræ, impreſſis pulveri pedibus, genibus, totoque corpore. nam pulvis luctatorum eſt. Papinius 6. Thebaid.

Tandem preſſus humi, pronamque extenſus in alvum
Sternitur. ac longa mæſtus poſt tempore ſurgit,
Turpia ſignata linquens veſtigia terra.

Ibidem:

Herculeis preſſum ſic fama lacertis
Terrigenam ſudaſſe Libyn; cum fraude reperta,
Raptus in excelſum; nec jam ſpes ulla cadendi,
Nec licet extrema matrem contingere planta.

Ovidius in Ibin:

Ut jacet Aonio luctator ab hoſpite fuſus
Qui (mirum) victor cum cecidiſſet erat.
Ut quos Antæi fortes preſſere lacerti. &c.

Hercules ipſe apud eumdem lib. 9. Metam. *Sævoque alimenta parentis Antæo eripui*. Juvenalis Sat. 3.

Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis Antæum procul a tellure tenentis.

Plinius lib. 5. H. N. cap. 1. in Mauritania: *Lixos, vel fabuloſiſſime ab antiquis narrata. ibi Antæi cum Hercule certamen, & Heſperidum horti*. Pomponius Mela extremo libro 3. *In ora exteriore Mauritaniæ Antæus regnaſſe dicitur, & ſignum fabulæ clarum prorſus oſtenditur collis modicus reſupini hominis imagine jacentis: illius, ut incolæ ferunt, tumulus. unde ubi aliqua pars eruta eſt, ſolent imbres ſpargi, donec effoſſa repleantur*. Vide & Heſiodum, Apollodorum lib. 2. Strabonem lib. 17. Hyginum Fab. 31.

Heſperidumque choros. videntur circa illam arborem aurea mala ferentem Heſperides choros duxiſſe. Sane ceciniſſe ait Apollonius lib. 4. *Chorus*, eſt cœtus canentium & ſaltantium æqualium. Servius. Noſter Eleg. 5. ſup. *Pleiadum choro*. & Pleiades ſunt Heſperides, ſive Atlantides. Pauſanias in Eliacis; & Servius ad illud 4. Æn. *Heſperidum templi cuſtos*, re vera nobiles puellas fuiſſe ait, quarum greges abegerit Hercules, earum paſtore interfecto. unde locus fabulæ de malis aureis Heſperidum. nam & μῆλα, oves; & μηλονόμος, paſtor. Mela in extremo lib. 3. in Atlantico mari ait inſulas eſſe quas Heſperides tenuiſſe dicuntur. Hyginus Fab. 31. *Heſperidibus, ſive Nymphis Herculis fractum cornu Acheloi donavit, quod illæ pomis repleverunt, & Cornu Copiæ*

Tuque tuo Colchum propellas remige Phasim,
  Peliacæque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
  In faciem proræ pinus adacta novæ:

Et

pia eppellarunt. Hesiodo in Theogonia, & Ciceroni 3. de Nat. Deor. filiæ Erebi & Noctis sunt. Diodoro lib. 5. sunt tres, Arethusa, Hesperethusa, & Ægle: Apollonio Hespera, Erytheïs, & Ægle. Apollodorus lib. 1. quatuor nominat, Æglen, & Erythiam, Vestam, & Erethusam. Hæ in Hyperboreorum Atlante servabant aurea mala, quæ Juno Jovi donarat ipso nuptiarum die. Vide & Palæphatum, qui duas fuisse tradit. De hortis Hesperidum Plinius lib. 19. cap. 4. lib. 37. cap. 2. & l. 5. cap. 1. & 5. PASS.

Luctantum in pulvere signa Herculis Antæique. admirabili judicio in ipsa penthemimeri syllabam elisit, quum ostendere vellet Antæum tam arcto nexu ab Hercule fuisse pressum, ut nullis omnino modis solvi posset, nisi præfocata atque interstincta prius anima. Hauserat hoc artificium Noster de fontibus Maronianis. Lege lib. 11. Æn. a versu 631. ibi quoque rem ipsam videbis atque intueberis, non tantum leges. Propertianam venerem bellissime expressit tenerrimus omnium Italorum M. Ant. Flaminius Carmin. L. 4.

Has lacrimas, atque hæc imo suspiria corde
  Tracta gemens libo, candida Hyelle, tibi.
Hæc tibi nunc: mox vitem ipsam libabo animamque,
  Cumque tuis miscebo ossibus ossa mea.

quamquam hæc talia pro duris atque hiulcis isti habent, quibus jejunæ aridi alicujus magistri observatiunculæ instruunt corpus dictionis poëticæ, quarum Marsyarum festiva hodie copia est. BROUKH. *Hesperidumque choros*. Locus est memorabilis M. Varronis lib. 2. R. R. cap. 1. unice huc pertinens. *Veteres poetæ*, inquit, *ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt; ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxe queritur; ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Libya ad Hesperidas, unde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem, capras & oves, quas* *Herculse ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim sua voce Græci appellarunt* μῆλα. V.

v. 11. TUQUE TUO COLCHUM PROPELLAS REMIGE PHASIN] *Colchum*. Lege, *Colchum*, id est Colchicum, sive per Colchidem fluentem; ut Horatius Ode ult. lib. 2. de populo: *Me Colchus noscet*. & in Epist. ad Pison. *Colchus, an Assyrius*, sic *Perrhabus Pindus* Eleg. 5. sup. v. 33. Phasis est fluvius Colchidis, ut dixi ad Eleg. 20. lib. 1. v. 18. *Propellas*. non tantum remis navis ipsa, sed etiam fluvius incitari videtur. sic Virgilius 11. Æneid. *Quum flumina Thermodontis Pulsant*. Ovidius 3. Metam. *Impellit properantibus æquora remis*. & Statius lib. 1. Silv. in Equo Domitiani: *Ingenti propellis Strymona flatu*. nempe equus Martis. Ut hic, *Propellas*, sic Virgilius 3. Æneid.

Certatim socii feriunt mare, & æquora verrunt.

vide Eleg. 2. lib. 4. v. 8. *Tuo remige*. vide adnotata ad Eleg. 12. sup. v. 34. P. *Colchum Phasim* habent libri, scriptione Latina. *Colchus* autem dicitur pro *Colchicus*, quod jam notatum supra. Seneca Hippol. v. 907. *Hunc Graja tellus aluit, an Taurus Scythes, Colchusve Phasis?* BROUKH. Huic scriptioni favet Editio princeps A. 1472. *Propellas r. Phasim*. Tibullus pariter Eleg. 4. lib. 1.

Hic placidam niveo pectore pellit aquam. V.

v. 12. PELIACÆQUE TRABIS TOTUM ITER IPSE LEGAS] Ovidius 4. Fast.

Ioniumque capax, Icariumque legit.

vide adnotata ad Eleg. 20. lib. 1. v. 7. *Totum iter*, de navigatione; ut Eleg. prox. sup. v. 1. *Magnum iter*. *Peliacæ trabis*. vide adnotata ad illud Catulli:

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

ubi & *pinus* pro navi, ut hic, *trabs*. vel, *trabes*. & apud Horatium Ode 1. lib. 1. *Trabe Cypria*, Virgilium, & alios. PASS.

v. 13. QUA RUDIS ARGOA NATAT INTER SAXA COLUMBA IN FACIEM PRORÆ PINUS ADACTA NOVÆ] De materia navis Jasonis vide adnotata ad illud Catulli:

Pelia-

Et si quadrigæ visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias:

Omnia

Peliaca quondam prognata vertice pinus. *Rudis pinus*. vide adnotata ad Eleg. 26. lib. 2. v. 39. *Adacta in faciem prora*. eo perducta, sive conversa fabricando, ut formam navis sumeret. nam adigere, est cogere adire, & eo impellere; ut *adigere arbitrum; adigere ad insaniam*. Plautus Bacchid. *Quis hac huc ovet adenit? Prora nove:* nam ea *prima ratis* Ovidio. & prora pro navi. Eleg. 4. sup. *Dats lintea prora*. *Natat*, labitur, & fertur. & est enallage temporis, pro, natavit; non enim adhuc natat. Natare etiam naves dicuntur. ut Virgilius 4. Æneid. *Natat uncta carina*. *Saxa*, concurrentes cautes Ovidio lib. 2. Amor. Eleg. 11. Symplegadas scilicet, de quibus vide El. 26. lib. 2. v. 39. ad illud, *Duo litora*. *Argoâ columbâ*, supple, cum; ut Eleg. 3. sup.

Nec tibi sit rauco prætoria classica cornu Flere.

Argoâ; ut Horatius Epodo 16.

Non huc Argoa contendit remige pinus.

Sic ab Ino, Inous. *Columbâ*. Phineus enim Argonautas monuerat, ut ad Symplegadas viæ ducem columbam emitterent; quod factum ab Euphemo. vide adnotata ad Eleg. 26. lib. 2. v. 40. Pass. *In faciem prora n.* scilicet in formam, in figuram. Italice: *In sembianza, in guisa*. Sallustius lib. 2. Hist. apud A. Gellium lib. 3. cap. 29. & apud Nonium: *Sardinia in Africo mari facie vestigii humani, in Orientem, quam in Occidentem latior, prominet*. Vulp.

v. 15. Et qua Gygæi visenda est ora Caystri] Scaliger ait, in suo libro legi: *Et si qua origæ*. unde legit: *Et si quadrigæ*. non valde probo. Lipsius lib. 1. Var. Lect. e conjectura legit: *Cygnæi*. Nihil mutandum. nam *Gygæus Cayster*, Lydius, a Gyge, quondam Lydorum rege, de quo Herodotus lib. 1. & Cicero in lib. Offic. Sic *Gygæus lacus* Eleg. 11. sup. Sed in vet. cod. testatur legi Beroaldus *Olorigeri*, ut nulla fiat synalœpha, sed vocalis longa corripiatur ob sequentem. Virgilius 7. Æn. de cygnis: *Sonat amnis* (Cayster) *& Asia longe Pulsa palus*. Ovidius lib. 2. Metam.

Et quæ Mæonias celebrabant carmine ripas Flumineæ volucres medio caluere Caystro.

Ab eodem alibi dicitur, *Caystrius ales*, pro cygno. De Caystro Sardeis alluente Plinius lib. 2. cap. 29. ab eo Caystrii campi juxta lacum Gygæum. Strabo lib. 13. Mela lib. 1. cap. 17. *Ora Caystri*, regio illa non procul a mari. ut Eleg. 20. lib. 1. *Ora litoris gigantæi*. *Visenda*, spectanda, conspicua ob amœnitatem regionis, & nobilitatem urbium. Virg. 4. Geor. *Visenda modis animalia miris*. id est, digna spectaculo. Plinius lib. 16. cap. 44. *Ilex magnitudinis visendæ*. eximiæ, ac dignæ quæ visatur. Pass. *Et si quadrigæ visenda est ora Caystri*. multos incertos certare super hoc versu vidimus. nostri duo cum Groningano ac Borrichiano & tribus Gebhardi libris, *Et si qua origæ* exhibent. quod ipsum in suo repertum Scaliger mutavit in *quadrigæ*. Isaacus Vossius Observ. in Pomp. Melam reponebat, *Et si qua Ortygii;* ideo quod Epheso subjungatur a Mela Cayster fluvius, Ephesus autem ipsa olim dicta fuerit *Ortygia*. nihil poterat melius. & tamen bonam emendationem deserens, in Notis ad Catullum substituit *Et si qua Phrygii*. veræ lectionis vestigia clara servarunt Regii libri, *Et si qua Origiæ;* (unde manavit ceterorum τὸ *origæ;*) est & in uno *Ogygiæ*, quod ipsum non multum abludit. etiam editio princeps [A. scilicet 1475.] & ei proxima Veneta, habent *At si qua Origiæ*. inde vides paullula mutatione elici *Ortygii*, quo modo omnino legi debet. Tacitus lib. 3. Annal. C. 61. memorat lucum Ortygiam apud Ephesios. *Ortygiam* Ephesum vocatam testatur Plinius L. 5. C. 29. & *alluî Caystro in Cylbianis jugis orto*. vide & Strabonem L. 4. ubi de simulacro Ortygiæ nutricis. ------------ si istud *Gygæi* in ullo usquam vetere libro compareret, caussa nulla esset quare rejiceremus. sed primum est conspectum in editione Antonii Volsci, qua prodiit A. 1488. hoc est totos annos tredecim post principes editiones, quæ a manu scriptis libris nihil abibant. nota est autem hujus hominis temeraria audacia,

quid;

Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hic poſuit quidquid ubique fuit.

Armis

quidvis quovis modo reſingentis, neque hoc loco vel verbulo uno indicantis, unde hauſerit ſuum *Gygæi:* quod tamen ſactum oportebat, ubi a lectione jam recepta diſcedebatur. caſtigavit igitur, vel potius corrupit, ex conjectura, ut ipſe non invitus confitetur. BROUKH. Editio A. 1472. ignota Broukhuſio, & vere omnium princeps, exhibet, *At ſi qua orige*. quod ſavet emendationi Scaligeri, *quadrigæ*. adſtipulatur & Codex Bononienſis optimæ notæ. Quadrigam Cayſtri vocatas a Propertio cenſet Scaliger quatuor nobiliſſimas urbes, Epheſum, Zmyrnam, Colophonem, Miletum; quarum clariſſima Epheſus ſita erat ad Cayſtrum. Animadvertit autem, quadrigam, bigam, trigam a Latinis numeros quaternarium, binarium, ternarium more Græcorum vocari, qui eodem modo *συνωρίδα*, *τετρωρίδα* dicunt. Sic Marcellus Empiricus quadrigam dixit *τὸ τετραφάρμακον* medicorum. & apud Vopiſcum Auctorem vitæ Probi Imperatoris legitur, *quadriga tyrannorum*, de Firmo, Saturnino, Bonoſo, & Proculo. VULP.

v. 16. ET QUA SEPTENAS TEMPERAT UNDA VIAS] Fluvius, ſive Rheſus, ſive Nilus, ſive Ganges, ſive Tanaïs, niſi, *Una*, legendum ſit. *Una* (via) *ſeptenas temperat*. id eſt, quum in ſeptem vias & alveos unus alveus dividitur, curſum ſuum moderatur, & minus rapidum reddit. Septenæ viæ, vel Rheſi fluvii Phrygiæ, de quo Homerus Iliad. 2.

Ῥῆσός θ' ἑπτάπορός τε, Κάρησός τε Ῥοδίος τε.

Aut Nilum ſignificat, de quo dictum ad Eleg. 1. lib. 2. v. 32. Aut Tanaïm, de quo Seneca initio Troadis: *Qui frigidum Septena Tanain ora pandentem bibit*. Aut Gangem potius, de quo Virgilius 9. Æn.

Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges.

nam quod, *ſedatos amnes* vocat, id reſpondet verbis Propertii: *Septenas temperat unda vias*. *Via*, curſus fluminum, ut Eleg. 2. lib. 1.

Ut ſciat indociles currere lympha vias. PASS. Beroaldus Rheſum Troados fluvium innui putat, ex Homero. Eum ſane Strabo ſeptics tranſiri, ſive ſeptem vada habere, dicit L. 13. Sed quid jam facies verbo *temperat?* nam id non convenit Rheſo. potius eſt ut de Nilo capias, cujus ſeptem oſtiis nihil eſt celebrius. noſter primus legit,

Et qua ſeptenas temperat unda minas.

id profecto Nilum deſignat, quem *magnum fluere* Virgilius dixit L. 3. Georg. & *bello undare*. certe de Gange hic locus accipi non poteſt, ſuper cujus oſtiis tantopere inter ſe diſſident ſcriptores antiqui; aliis unum tantum, aliis etiam centum agnoſcentibus. vide Servium in L. 9. Æn. & Strabonem L. 15. BROUKH.

v. 17. OMNIA ROMANÆ CEDENT MIRACULA TERRÆ. NATURA HIC POSUIT QUIDQUID UBIQUE FUIT] Quæcumque alibi mirantur homines, & viſenda putant, ea in agro Romano. Sic Plinius lib. 36. cap. 15. enumeratis pleriſque orbis terræ miraculis: *Verum & ad urbis noſtræ miracula tranſire convenit*, &c. Sic *ſeptem orbis miracula* dixere, quæ Strabo & Plutarchus τὰ ἑπτὰ θεάματα vocant. Vitruvius in Proœmio lib. 7. *Septem ſpectacula*. Martialis:

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis.

Feſtus: *Miracula, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus utebantur*. Ovidius 3. Metam. *Ad quæ miracula, dixit, Venerie?* id eſt, monſtra. Horatius in Epiſt. ad Piſones:

Ut ſpecioſa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdin.

& Epiſt. 2. lib. 2.

Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
Nocturnos Lemures, portentaque Theſſala rides.

A. Gellius lib. 16. cap. 11. *Miracula medelarum faciunt Marſi*. Suetonius in Caligula cap. 51. *Miracula locorum irridere*. unde *Miraculæ*, mulieres deformes, a miris, id eſt, monſtris. Varro 6. de L. L. *Cedent*, ſe longe ſatebuntur inferiora. contendere nolent cum ea. *Romanæ terræ*. *Romanus ager*, dicitur Varroni 4. de L. L. *Nam quinque agrorum genera; Romanus, Gabinus, peregrinus, hoſticus, incertus*. PASS. *Natura hic poſuit, q. u. f.* feſtive Polemon rhetor Romam

Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ,
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ.

Nam

mam vocabat *totius universi compendium*, uti e Galeno notavit magnus ille veteris doctrinæ mystes Hadrianus Junius L. 4. Animadv. C. 4. idem quoque apophthegma Athenæo datur L. 1. Deipnos. atque inde notavit disertissimus Muretus L. 17. Var. Lect. C. 12. qui, errore memoriæ, ita laudat hexametrum hic præcedentem:

Omnia sunt pariter rerum miracula Romæ.

adeo lubricum est proferre aliquid e veterum flavissis, libro non inspecto. BROUKH. *Omnia Romanæ c. m. s.* Martialis de Spectaculis:

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro.

M. Tullius lib. 3. de Nat. Deor. *Nihil est mundo melius in rerum natura: ne in terris quidem urbe nostra. num igitur iccirco in urbe esse rationem, cogitationem, mentem putas?* Idem Orat. ad Quirites post reditum: *Ipsa autem patria, dii immortales, dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habet, quæ species Italiæ! quæ celebritas oppidorum! quæ forma regionum! qui agri! quæ fruges! quæ pulchritudo urbis! quæ humanitas civium! quæ reipublicæ dignitas! quæ vestra majestas!* vide insignem de hac re locum Athenæi lib. 1. *Natura hic posuit q. u. f.* Lucanus lib. 1. v. 511.

Urbem populis victisque frequentem
Gentibus, & generis, coëat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæsari prædam
Ignavæ liquere manus.

Et prior Ovidius Epist. 1. lib. 2. Pontic.

Quaque capit vastis immensum mœnibus orbem,
Hospitiis Romam vix habuisse locum.

Id tamen ingenio potius & industriæ Romanorum, quam naturæ tribuendum. Polybius lib. 6. Ἀγαθοὶ γὰρ, εἰ καὶ τινες ἕτεροι, μεταλαβεῖν ἔθη, καὶ ζηλῶσαι τὰ βέλτιον Ῥωμαῖοι. Adde Q. Ciceronem de petitione Consulatûs: *Roma est civitas ex nationum conventu constituta.* VULP.

v. 19. ARMIS APTA MAGIS TELLUS, QUAM COMMODA NOXÆ] *Apta armis*, ut Eleg. 11. sup.

Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus.

unde Virgilius 4. Æneid. de Italia: *Gravidam imperiis, belloque frementem.* & maxime 2. Georg.

Hæc genus acre virûm Marsos, pubemque Sabellam,
Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit, hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello.

Commoda noxæ, accommodata; & in deteriorem partem. ut 11. Æneid.

Est curvo anfractu vallis accommoda fraudi.

& 4. Georg.

Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.

Commodus, a modo, id est, ratione: Festus. Cornelius Fronto: *Commodus, qui aliis prodest.* [Quamobrem illud Horatii Epist. 8. lib. 1. ὀξύμωρον:

Dissimulator opis propriæ, sibi commodus uni.

respondet illi Terentiano: *Amicus sum egomet mihi.*] *Noxæ*. Servius in 1. Æneid. *Unius ob noxam*; pro, noxiam, inquit. nam noxia culpa est; noxa, peccatum, aut pro peccato pœna. Donatus in Hecyram, *Pro levibus noxis*; id est, inquit, injuriis, culpis. Idem in Eunuchum, Noxiam & noxam docet permisceri. Quod autem Justinianus Instit. titulo de Noxalibus, Noxam putat dici corpus ipsum, quod nocuit, & Noxiam ipsum delictum; vaticinatur sine lauro & tripode, Jurisconsulti enim noxam, noxiamque nocere interdum dicunt conjunctim. Induxit eum in fraudem L. 1. *Si quadrupes* §. 6. ubi noxæ dedere, exponitur animal tradere vivum. Sed aliud est dedere noxæ, id est, ob noxam, vel ad noxam expiandam; & dedere noxam, id est, corpus. ut ille putat. Ulpianus de Ædilitio Edicto: *Noxa privati delicti: fraus publici.* PASS. *Commoda noxæ*. Damno inferendo. Romani enim gentes bello devictas non delebant, nisi forte sæpius rebellantes, at in provinciæ formam redigebant, & interdum civitate donabant. Claudianus, de secundo Consulatu Stilichonis v. 150.

Hæc est, (Roma) in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ, ritu: civesque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Nec

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus. victrices temperat ira manus.

Hic

Nec prætereundus locus insignis Corn. Taciti, quamvia longiusculus, qui hos Claudiani versus mire illustrabit. Is est lib. Annalium 10. ubi Claudius Cæsar de Eduis in civitatem recipiendis ita Senatum alloquitur: *Majores mei, quorum antiquissimus Clausus origine Sabina, simul in civitatem Romanam, & in familias Patriciorum ascitus est, hortantur uti paribus consiliis rempublicam capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro, Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, &, ne vetera scrutemur, Hetruria, Lucaniaque, & omni Italia in Senatum accitos: postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tum solida domi quies, & adversus externa floruimus, quum Transpadani in civitatem recepti, quum specie deductarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num pœnitet, Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros ex Gallia Narbonensi transivisse?* Consulendus & Cicero pro L. Cornelio Balbo. Item Livius lib. 8. in concione Camilli. Scriptor idem præstantissimus lib. 40. *Ex infestis hostibus plerumque socii fideles, interdum etiam cives fiunt. Albani diruta Alba Romam traducti sunt: Latini, Sabini in civitatem accepti.* Tacitus lib. 5. Annal. *Conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, deinde cives habuerit.* Denique Seneca lib. 2. de Ira cap. 34. *Quos populus Romanus fideliores habet socios, quam quos habuit pertinacissimos hostes? quod hodie esset imperium, nisi salubris providentia victos permiscuisset victoribus?* VULP.

V. 20. FAMAM, ROMA, TUÆ NON PUDET HISTORIÆ] Non erubescit fama quum res a te gestas prædicat, quia non potest argui mendacii. ut Eleg. ult. lib. 4.

Nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos. PASS.

V. 21. NAM QUANTUM FERRO, TANTUM PIETATE POTENTES STAMUS] Quantum armis & bello, tantum religione, fide, & clementia valemus. Sic Virgilius 6. Æneid.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

& mox:

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Horatius Carm. sæcul. *Imperet bellante prior, jacentem Lenis in hostem.* Pietas & clementia justitiæ partes. *Potentes ferro & pietate.* ut 7. Æneid.

Fata per Æneæ juro, dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus & armis.

Cicero pro Rege Dejotaro: *Per dexteram te istam, Cæsar, oro, quam hospes hospiti Dejotaro porrexisti, istam, inquam, dexteram, non tam in bellis, & in præliis, quam in promissis, & fide firmiorem.* *Pius*, lenis; ut impius, crudelis. Hinc *pietas* etiam pro clementia; species pro specie. *Stamus*, & sumus, & futuri sumus. ut Eleg. 2. sup. *Ingenio stat sine morte decus.* Ennius:

Moribus antiquis res stat Romana, virisque. P. *Pietate potentes Stamus.* Pietati erga deos præcipue tribuit Horatius Ode 6. l. 3. diuturnum Romanorum imperium: *Diis te minorem quod geris, (Romane) imperas.* V.

V. 22. VICTRICES TEMPERAT IRA MANUS] Lipsius lib. 3. Var. Lect. cap. 2. ex conjectura emendat, *Illa*; quam lectionem veram puto. ut Eleg. 16. lib. 2.

Illa, qua vicit, condidit arma manu.

Ovidius lib. 5. Fast.

Victus uterque parens tamen est pietate sororum.
Illa dedit cælum, nomina fecit Hyas.

Temperat victrices manus. docet moderate uti victoriâ, & victis parcere. nam victoria naturâ suâ est insolens, ut notavi ad Elegiam 19. sup.

Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.

Temperat, lenit, moderatur. Virgilius 1. Æneid. *Lenitque animos, & temperat iras.* Hinc temperantiæ nomen: Cicero. *Manus victrices.* vim ipsam victoriæ. PASS. Lipsii conjecturam *Illa* Canterus & Passeratius probaverunt; ac deinde Jo. Marius Matthius L. 1. Opin. C. 14. videlicet quia veteres non geminarint liquidas; atque ideo ex *ila*, pro *illa*, indoctus aliquis descriptor fecerit *ira*. sane in Borrichiano libro *illa* legebatur. cui scripturæ aperte favet

 Sene-

Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, & æternum Marcius humor opus.

Alba-

Seneca Thyest. a v. 559. lege fis. Ovidius quoque L. 3. Pont. Epist. 6.

Principo nec nostro deus est moderatior ullus.
Justitia vires temperat ille suas.

& Rutilius L. 1. Itiner.

Mitigat armatas victrix clementia vires.

tamen quum ipse Mattius in omnibus quos consuluerit codicibus *ira* legi fateatur; & nos quoque ita in septem libris scriptis invenerimus, satius est servare antiquam lectionem, quam & perspicacissimus Gronovius defendit Not. in Papin. L. 1. Theb. v. 112. Nos in ipsa victoria iræ temperamus. nos, quamvis irati, postquam vicimus, manibus temperamus. juvat luculentus Ciceronis locus Accus. 2. in Verr. C. 2. de M. Marcello; quem vide. itemque alius, Orat. pro Marcel. C. 6. ad Cæsarem: *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam; gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat quos potest.* Hæc est illa ira, quæ temperat manus victrices. BROUKH. *Ira* est in Editione quoque omnium principe. In hanc sententiam Auctor ad Herennium lib. 4. cap. 16. *Bene majores nostri hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepissent, vita privarent. Quid ita*, &c. lege reliqua. & Lactantius Firmianus lib. 5. Inst. Div. *Parcitur victis, & est locus inter arma clementiæ.* loquitur de Romanis, qui hostibus parcebant, fidelem Deo populum affligebant. Insigne exemplum clementiæ præbuit Marcellus ille Romanorum dux, qui Syracusas captas ab excidio servavit. vide Silium Italicum lib. 14. Punic. a versu 665. VULP.

v. 23. HIC ANIO TIBURTE FLUIS, CLITUMNUS AB UMBRO TRAMITE, ET ÆTERNUM MARCIUS HUMOR OPUS] Duos hos fluvios conjungit etiam Elegia 20. libri 1.

Sive leges umbrosæ flumina silvæ,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes.

Anio Tiburte, alii libri, *Tiburne*. nam & Tiburis conditor Tiburnus. Horatius Ode 7. lib. 1. *Et præceps Anio, & Tiburni lucus.* Tamen vulgo legitur apud Virgilium 7. Æneid. *Tiburtus*:

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburni dictam de nomine gentem.

Sed & illic vet. lib. *Tiburti*, & Servius. Notum ut Catilus, Coras & Tiburnus, Amphiarai liberi, Tibur condiderint. unde Horatius Ode 6. lib. 2. *Tibur Argeo positum colono.* Item Ode 18. lib. 1. *Circa mite solum Tiburis, & mœnia Catili.* *Tiburnus*, pro Tiburtino. ut sup. *Colchus Phasis*, pro Colchicus. *Ab Umbro tramite.* ab Umbriæ silva scilicet fluit Clitumnus. de quo ad Eleg. 20. lib. 1. v. 7. & ad Eleg. 19. lib. 2. v. 25. *Trames*, pro silva; quia illic frequentes tramites, ut & Eleg. 13. sup. v. 44. *Umber*, ex Umbria; ut Eleg. 1. lib. 4.

Et lacus æstivis intepet Umber aquis.

Inde jocus Plauti in Mostellaria [sane frigidus.] *Hic umbra nisi in puteo. Quid? Sarsinatis ecqua est, si Umbram non habet?* *Marcius humor.* vide adnotata ad Eleg. 11. sup. v. 14. *Æternum opus.* monimentum aquæ ductûs numquam interiturum. dicuntur & hæc in laudem Augusti, qui ita de se in Breviario rerum a se gestarum: *Aquam quæ Marcia* (vulgo, *Maria*) *appellatur, duplicavi, fonte novo in rivum ejus immissa.* PASS. *Hic Anio T. f. &c.* v. Merula ad Ennium p. 386. BROUKH. Plinius lib. 31. H. N. cap. 3. *Marcia clarissima aquarum omnium in toto orbe. Hanc primus in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus: & invexit in urbem Virginem. Ea postea restituta fuit a M. Agrippa.* Pulcre Statius lib. 1. Silv. Carm. 3. v. 66.

Teque, per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, & audaci transcurris flumina plumbo.

id est, siphonibus vel canalibus plumbeis. ubi vide notas doctorum virorum. Memorat quoque Martialis Epigr. 19. lib. 9.

Sicca domus queritur nullo se rore foveri,
Quum mihi vicina Marcia fonte sonet. V.

v. 25.

Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis nympha salubris equo.

At

v. 25. ALBANUSQUE LACUS SOCII NAMORENSIS AB UNDA] Ita legit Scaliger ex vet. lib. quia Albanus, inquit ille, & Nemorensis ab iisdem fontibus. In nemore Albano lacus dictus Albanus, cujus aquæ intumescentis prodigio capti Veji. Livius lib. 5. Plutarchus in Camillo, Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. Strabo lib. 5. Albano monti proximos lacus Albanus. Virgilius 9. Æneid.

Jamque imprudens evaserat hostes,
Atque lacus, qui nunc Alba de nomine dicti
Albani.

Juvenalis Sat. 4.

Utque lacus suberant ubi, quamquam diruta, servat
Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem.

Interpres Juvenalis in Sat. 3. *Egeria Nympha colebatur in Aricino lacu.* Alii *luco*. *Socium Nemorensem* (lacum) Albani vocat, vel sociam undam, (nam & *socia* legitur) quia non longe abest. Strabo lib. 5. Mons Albanus habet lacum ampliorem eo qui ad Artemisium montem jacet. id est ad nemus Aricinum, de quo dictum ad Eleg. 32. lib. 2. v. 10. Servius in illud 7. Æneid. *Quo protinus omne Contremuit nemus.* *Nemus*, inquit, *locus est non longe ab Aricia, in quo lacus est, qui Speculum Dianæ dicitur.* Illic est & fons Egeriæ. Ovidius 3. Fast. PASS. De Albano lacu, & Albanæ aquæ deductione plura Cicero lib. 1. de Divinat. V.

v. 26. POTAQUE POLLUCIS LYMPHA SALUBRIS AQUO] Juturna fons, cujus aquam bibit Cyllarus equus Pollucis, vel Castoris. Sic Ovidius 4. Fast. *Tanta est Albula pota deo.* *Lympha salubris*, utilis etiam ægris. Corn. Fronto: *Salubre ad locum refertur, & ad cibum: salutare consilium est. ita salubre non vocat, salutare prodest consiliis.* Sed Appulejus & *salutares aquas* dixit alicubi in Asino aureo. Virgilius 1. Georg.

Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Allusit vero Noster ad notationem Juturnæ. nam, ut ait Varro 4. de L. L. *Ab aqua lapsu lubrica lympha. Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi ægroti propter id nomen, hinc aquam petere solent.* Eodem respexit Virgilius 12. Æneid.

Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?

De Juturnæ aquæ salubritate & Servius in illud 12. Æneid. *Stagnis quæ fluminibusque sonoris Præsidet.* *Juturna*, inquit, *fons est in Italia saluberrimus juxta Numicum fluvium, cui nomen a juvando est inditum. quum enim naturaliter omnis aqua noxia sit externorum corporibus: hic omnibus saluberrimus fons est.* De hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua afferri consueverat. Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. *Castorem & Pollucem excubuisse pro populo Romano cognitum est quum apud lacum Juturnæ, suum equorumque sudorem abluisse visi sunt. Junctaque fonti ædes eorum, nullius hominis manu reserata, patuit.* Hujus rei meminit Cicero 2. de Nat. Deor. & Tusc. 1. Dionysius autem Halicarn. lib. 6. ait, Fontem vicinum templo Castorum monumentum esse, olim eos illic apparuisse. Publ. Victor in Regione 8. urbis Romæ: *Templum Castorum ad lacum Juturnæ.* & in 9. *Ædes Juturnæ ad aquam Virginem.* Ovidius 1. Fast.

Fratribus illa (templa) *deis fratres de gente deorum*
Circa Juturnæ composuere lacus.

Ibidem:

Te quoque lux eadem, Turni soror, æde recepit
Hic ubi virgineâ campus obitur aquâ.

Pollucis equo. sup. Eleg. 14. Pollucem pugilem facit, equitem Castora, v. 16. & 17. De hoc equo vide adnotata ad Eleg. 7. lib. 2. v. 16. Martialis Epigr. 28. lib. 8.

An tua multifidum numeravit lana Timavum,
Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit?

Ausonius in Grat. Act. *Cyllarus atque Arion inter Argos Nemeamque senuerunt. Ipsi castrorum equi quod longissimum iter est* (sic emendo) *non nisi mutato vectore transcurrunt.* PASS. Recte *nympha* ex Varrone restituit Scaliger, pro *lympha*. fons ille dicebatur Juturna, quæ & *Nympha* Maroni vocatur, & *Dea*, L. 12. Æn. *Pollux* sæpe ponitur pro utroque Dioscuro. historia ipsa notissima

At non ſquamoſo labuntur ventre ceraſtæ,
Itala portentis nec furit unda novis.

Non

ſima eſt, nec repetenda, niſi nt addas hunc Minucii Felicis locum: *Teſtes equeſtrium Fratrum, in lacu, ſicut ſe oſtenderant, ſtatuæ conſecratæ, qui anheli ſpumantibus equis atque fumantibus, de Perſe victoriam eadem die, qua fecerant, nuntiaverunt.* ------- Sed ecce Florus, *legibus hiſtoriæ contemtis*, quam ſecure ineptit, in hoc ipſo Dioſcurorum negotio, L. 2. C. 2. *Sed multo prius gaudium victoriæ populus Romanus quam epiſtolis victoris perceperat. quippe eodem die quo victus Perſes in Macedonia, Romæ cognitum eſt. Duo juvenes candidis equis apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant. hi nuntiavere. Caſtorem & Pollucem fuiſſe creditum vulgo, quod gemini fuiſſent: interfuiſſe bello, quod ſanguine maderent: a Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.* o hominem acutum, qui unde quis venerit tam perite conjectat ex ſolo anhelitu! tum quantæ ſapientiæ eſt iſtud ejuſdem artificis, L. 1. C. 11. *Ea atrocitas fuit prælii, ut interfuiſſe ſpectaculo deos fama tradiderit; duos in candidis equis, Caſtorem atque Pollucem nemo dubitarit. Itaque & imperator veneratus eſt, pactuſque victoriam templa promiſit: & reddidit, plane quaſi commilitonibus ſtipendium diis.* --- Paullo reverentior poſteritatis fuiſſe videtur Suetonius in Nerone C. 1. quo loco Lævinus Torrentius pulcrum A. Poſtumii Albini denarium profert, in cujus altera parte juvenes duo haſtati ſtantes, atque inter eos equi duo bibentes, cum hac inſcriptione, A. ALBINVS SEX. F. BAOUKH. Florus multa quidem peccavit hiſtoriâ ſcribendâ; non diffiteor: hoc tamen loco, pace acutiſſimi Broukhuſii, eum crimine abſolvo. ait enim; *vulgo creditum*, non ſibi: *tradidiſſe famam*, non verum fuiſſe. Pertinet porro ad fidelem hiſtoricum & accuratum, celebres etiam populi opiniones de re aliqua narrare, maxime de religione; judicium autem legentibus relinquere. Quid? quod ipſi imperatori Poſtumio perſuaſum fuit, quod cuſis nummis expreſſum, Florus negligeret, ac ſilentio præteriret? non opinor factum oportuit. Ceterum, ædes Caſtoris & Pollucis a Tiberio & Druſo Auguſti privignis prope Juturnæ ſtagna ædificatum fuerat. vide Suetonium in Tiberio, cap. 20. Tribuit autem Propertius Polluci quod Caſtoris proprium eſt: Pollux enim πυκτης, Caſtor vero ἱπποδάμος. Quamquam ambos equum inſcendere ſolitos fabulæ tradunt: cujus rei, præter nummos veteres, teſtem locupletem habemus Pauſaniam in Meſſenicis. Vide & Lactantium lib. 1. D. I. c. 7. Similia narrat Juſtinus lib. 20. Hiſt. cap. 3. ubi de Crotonenſium & Locrenſium bellis. VULP.

v. 27. AT NON SQUAMOSO LABUNTUR VENTRE CERASTÆ] Iſidorus lib. 12. cap. 4. *Ceraſtes ſerpens, dictus eſt eo quod in capite cornua habeat ſimilia arietum. κέρατα enim Græci cornua vocant. Sunt autem illi quadrigemina cornicula, quorum oſtentatione veluti eſca illiciens ſollicitata animalia perimit. totum enim corpus arenis tegit: nec ullum indicium ſui præbet, niſi ex ea parte qua invitatas aves, vel animalia capit. Eſt enim flexuoſus pluſquam alii ſerpentes, ita ut ſpinam non habere videatur.* unde intelligitur cur Lucanus dixerit lib. 9. *Spinaque vagi torquente ceraſtæ.* Plinius lib. 8. H. N. c. 23. *Ceraſtis corpore eminere* (vulgatum eſt) *cornicula ſæpe quadrigemina, quorum motu, reliquo corpore occultato, ſollicitent ad ſe aves.* Sunt & ceraſtæ Plinio vermes, a quibus eduntur ficus. Alii etiam ceraſtæ Ovidio lib. 10. Metam. cornibus geminis inſignes homines, quos, quia hoſpites necabant, Venus in tauros mutavit. Sunt & Ceraſtæ inſulæ, de quibus Plinius lib. 5. cap. 9. *Labuntur*, repunt, ſerpunt. Virgil. 2. Æn.

At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt.

ubi Servius, *Labi proprie*, inquit, *ſerpentium eſt.* Horatius Epodo 1. *Serpentium allapſus timet. Squamoſo ventre*, quorum alvus ſquamis tecta. nam, ut ait Plinius lib. 8. cap. 23. ſerpentibus: *aliis ſquamæ, aliis picturæ, omnibus exitiale virus.* PASS. *At non ſ. l. v. 1.* Huc pertinent verba Cornelii Celſi lib. 5. cap. 27. *Italia frigidioreſque regiones hac quoque parte ſalubritatem habent, quod minus terribiles angues edunt.* Sardinia quoque dicitur Silio Italico l. 12. Punic. v. 370.

Ser-

Non hic Andromedæ resonant pro matre catenæ,
Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes.
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo.

Pen-

Serpentum tellus pura, ac viduata venenis. De hac laudandi ratione Aristoteles lib. 3. Rhet. Καὶ τὸ Ἀντιμάχου χρήσιμον, ἐξ ὧν μὴ ἔχει λέγειν· ----- αὔξεται γὰρ οὕτως εἰς ἄπειρον. id est: *Atque etiam illa Antimachi ratio utilis est, nempe ea commemorare quæ rei non adsunt. ------- nam hoc modo infinite potest oratio amplificari.* Ex eodem fonte hausit plures Italiæ laudes Virgilius 2. Georg. a versu 134. quem locum videsis. V.

v. 28. ITALA PORTENTIS NEC FURIT UNDA NOVIS] Mare quod supra, & infra Italiam alluit, [Hadriaticum puta, ac Tyrrhenum] non commovetur & concitatur munstris & immanibus belluis, qualia cete, quibus expositæ Hesione, & Andromede. Sic Eleg. 5. sup.

Tisiphones atro si furit angue caput.

Virgilius quoque 7. Æneid.

Exsultantque æstu latices, furit intus aquæ vis.

Portentis novis, monstris ingentibus, inusitatis & miris. ut in Epigr. Ventidii apud Gellium lib. 15. N. A. cap. 4. *Concurrite omnes augures, haruspices, Portentum inusitatum conflatum est recens, Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.* Et apud Horatium Ode 2. lib. 1. *Nova monstra.* Ita Virgilius 7. Æneid.

Sola novum, dictuque nefas, Harpyia Celæno
Prodigium canit:

Servius notat, apud Virgilium sæpe novum pro magno accipi. Sic Ciceroni pro Ligario: *Novum crimen.* PASS. *Nec fuit una*, omnes libri: unde Scaliger recte *furit* formabat. quod tamen jam tum legebatur in editione Colinæi. pro *una* bene reposuit *unda* flos ille Brugarum Lucas Fruterius L. 1. Verisim. C. 14. BROUKH. Ἐγκώμιον illustre terræ Italiæ dabit Varro lib. 1. R. R. cap. 2. VULP.

v. 29. NON HIC ANDROMEDÆ RESONANT PRO MATRE CATENÆ] Vide notata hac de re ad Eleg. 28. lib. 2. v. 21. *Catenæ resonant*, tintinant, vel titinniunt. Nævius apud Festum: *Tantum ubi mola crepitum faciebant, tintinnabant compedes.* *Pro matre*, ob maternam superbiam, quia Cassiope uxor Cephei, mater Andromedæ, se Nymphis præposuerat. Ovidius 4. Metam.

Illic immeritam maternæ pendere linguæ
Andromeden pœnas injustus jusserat Hammon.

Noster Eleg. 7. lib. 4.

Hæc sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.

[*maternis catenis*, nempe quæ matri debebantur.] Ennius Andromacha:

Filiis propter te objecta sum innocens Nerei.

Citat Priscianus lib. 7. in *filiis*, pro filiabus. PASS.

v. 30. NEC TREMIS AUSONIAS, PHŒBE FUGATE, DAPES] Id est, horres: id quod sequitur, pro eo quod antecedit; quia horrorem ex formidine tremor consequitur. *ut tremulus horror* Eleg. 5. lib. 1. *Ausonias dapes*, epulas humanas, appositosque liberos parentibus, ut Ityos membra Tereo; de quo Eleg. 10. sup. v. 10. vel Thyesteam cœnam intelligit, cujus spectaculum Sol refugit. unde Virgilius 1. Æneid.

Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.

vide Senecam Thyeste actu 4. choro. Euripides in Oreste: Ὅθεν Ἔρις τὸ πτερωτὸν Ἡλίου μετέβαλλεν ἅρμα. Ovidius Epist. Paridis:

Non dabimus certe socerum tibi clara fugantem
Lumina, qui trepidos a dape vertat equos.

& lib. 3. Amor. Eleg. 12.

Aversumque diem mensis furialibus Atrei.

& 1. A. A.

Non medium rupisset iter, curruque retorto
Auroram versis Phœbus adisset equis.

Servius in 1. Æneid. natam ex eo fabulam ait, quod primus Atreus Solis eclipsin prædixerit. PASS. *Ausonias dapes.* quemadmodum horruisti Thracias & Mycenæas epulas. Italorum enim mensæ humanis carnibus non instruuntur. VULP.

v. 31. NEC CUIQUAM ABSENTES ARSERUNT IN CAPUT IGNES, EXITIUM NATO MATRE MOVENTE SUO] De fato Meleagri, fata-

Penthea non sævæ venantur in arbore Bacchæ;
Nec solvit Danaas subdita cerva rates.

Cor-

fatalique ejus titiune ; & matris Altheæ impia pietate hi capiendi versus . Ovidius 8. Metam. pluribus rem narrat . Humerus Iliad. 9. Meleagei meminit irati matri suæ ; nihil de titione. Vide Apollodorum lib. 1. qui & varie narrat de morte Meleagri , Hyginum Fab. 174. Appulejum extremo lib. 7. A. A. Diodorum lib. 5. Attius Meleagro apud Nunium in , *Torris : Tum suum vitæ finem , ac fati internecionem fere , Ubi torris esset interstinctus flammeus* . Ovidius l. 1. Trist. Eleg. 6.

Cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias , & melior matre fuisse soror .

Idem Remed. Amur.

Thestias absentem succendit stipite natum .

Cuiquam , dativus pro genitivo . ut Elegia 13. sup.

Diique deæque omnes quibus est tutela per agros .

Ignes arserunt . Sic Horatius Ode 4. lib. 1. *Vulcanus ardens* . & Sat. 8. lib. 1. *Imagine cerea Largior arserit ignis* . *Absentes* . ut Ovidius 5. Fast.

Respice Thestiaden ; flammis absentibus arsit .

Idem in Ibin :

Natus ut Althea flammis absentibus arsit ,
Sic tuus ardescat stirpibus igne rogus .

In caput . in vitam , & perniciem capitis . ut Eleg. 1. lib. 4.

Et grave Saturni sidus in omne caput .

Moventur exitium , moliente necem filiu suo Meleagro . ut Virgilius 7. Æneid. *Majus opus moveo* . Horatius Ode 4. lib. 3. *Iidem* (dii) *odere vires Omne nefas animo moventes* . Livius lib. 27. *Audenda aliquid moventa* . PASS. *E. u. matre parante f.* in octo libris est *matre movente* . quod etiam habebant codices Gebhardi , & editiones vetustæ. recte & Latine. BROUKH.

v. 33. PENTHEA NON SÆVÆ VENANTUR IN ARBORE BACCHÆ] Crudeles & infestæ Mænades mater Agave , & matris duæ sorores Ino & Autonoë non sectantur , & captum lacerant Penthea , quasi aprum . Θῆρα enim , id est , feram eum vocat Apollodorus lib. 3. & Euripides , ac Theocritus in Bacchis ἐρημαίων ἐλάτη , *insidentem abieti* facit , & abiegnis ramis propulsantem Baccharum impetum ; ubi & revellunt abietem Bacchæ , & ita miser laceratur . vide adnotata ad Elegiam 17. sup. v. 24. PASS. *In arbore* . Possis etiam explicare in silva arboribus consita , vel in campo silvis coronato . Sane sic Ovidius fabulam recitat lib. 3. Metam. a. v. 708.

Monte fere medio est , cingentibus ultima silvis ,
Purus ab arboribus , spectabilis undique campus :
Hic oculis illum cernentem sacra profanis
Prima videt , prima est insano concita motu ,
Prima suum misso violavit Penthea thyrso
Mater ; Io , geminæ , clamavit , adeste , sorores .
Ille aper , in nostris errat qui maximus agris ,
Ille mihi feriendus aper . ruit omnis in unum
Turba furens .

Idem vero similiter locutus 12. Metam. v. 512. *Parvoque in tempore nudus Arboris Othrys erat* . Præterea Sallustius B. Jugurth. c. 20. *Ager frugum fertilis , arbori infrunitus* . ita enim ibi legendum contendit Wasse . Neque dissimilis locutio illa Biblica , Geneseos cap. 3. Καὶ ἐκρύβησαν ὅ, τε Ἀδὰμ καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἀπὸ προσώπου κυρίου τοῦ Θεοῦ ἐν μέσῳ τοῦ ξύλου τοῦ παραδείσου . Sed & aliter exponunt Interpretes . Pausanias Corinthiacis cap. 2. tradit , Pentheum ἀναβάντα ἐς δένδρον θεάσασθαι τὰ ποιούμενα . *ascendisse in arborem , atque inde omnia conspicatum* . VULP.

v. 34. NEC SOLVIT DANAAS SUBDITA CERVA RATES] De hac fabula Eleg. 7. sup. v. 24. Tangit Ovidius 12. Metam.

Supposita fertur (Diana) mutasse Mycenida cerva .

& lib. 4. Trist. Eleg. 4.

Hic pro supposita virgo Pelopeïa cerva
Sacra deæ coluit qualiacumque suæ .

Juvenalis Sat. 12.

Et si qua est nubilis illi
Iphigenia domi , dabit hanc altaribus , atsi
Non speret tragicæ furtiva piacula cervæ .

Martialis denique Epigr. 49. lib. 3.

Suppositam fama est quandam pro virgine cervam .

Euripides , subditum , ait ἔλαφον ὀρειδρόμον . PASS.

v. 35.

Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreasque cruces Sinis, & non hospita Grajis
Saxa, & curvatas in sua fata trabes.

Hæc

v. 35. CORNUA NEC VALUIT CURVARE IN PELLICE JUNO] Vide adnotata de hac re ad Eleg. 3. lib. 1. v. 20. *Cornua curvare*, inflectere, & unca ac recurva formare. Virgilius 4. Georg.

Tum vitulus bimâ curvans jam cornua fronte
Quæritur.

Pellex, inquit Nonius, *quasi Pallex, a Græco* παλλακη. Festus : *Pellices, nunc alienis succumbentes non solum feminæ, sed etiam meres. olim proprie quæ uxorem habenti nubebat. cui generi mulierum pœna lege Numæ constituta. Pellex Junonis aram ne tangito* (quia Junoni odio pellices): *si tanget, Junoni crinibus demissis agnum feminam cædito.* vide A. Gellium lib. 4. cap. 3. Paullum J. C. L. 144. *De Verb. Signif.* Isidorus lib. 9. nugatur. PASS. *non valuit*, habet noster secundus cum Groningano. ita versu proxime superiore alter Regius habebat,

Non solvit Danaas subdita cerva rates. BA.

v. 36. AUT FACIEM TURPI DEDECORARE BOVE] Formam humanam dehonestare, fœdare, & turpare vaccæ turpi forma. Virgilius 3. Georg.

Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix.

ubi Servius : *Turpe, magnum. ut, Turpes pascit sub gurgite phocas. Agrestem figuram* vocavit Eleg. 33. lib. 2. v. 13. *Dedecorare.* Horatius Ode 4. lib. 4. *Dedecorant bene nata culpæ.* Donatus in illud Hecyræ : *Quæ me, & te, & familiam dedecorat*; Dedecoratur, inquit, quod honestum est : turpatur, quod honestum est corporale. hic Noster permiscuit. PASS. Contra Ovidius Epist. Hypermnestræ; de Iûs apotheosi :

Per septem Nilus portas emissus in æquor
Exuit insana pellicis ora bove. VULP.

v. 37. ARBOREASQUE CRUCES SINIS, ET NON HOSPITA GRAJIS SAXA, ET CURVATAS IN SUA FATA TRABES] Bene, *Cruces*, quia ex arboribus laceri pendebant, & excruciabantur atrocissime quum divellerentur. *Crux*, quidquid cruciat. Donatus in Eunuch. 2, 3. *Illis crucibus referam gratiam.* id est, meretricibus. unde *Crucium vinum* Lucillio, & Carneadis jocus in vinum asperum. De crucibus, patibulis, stipitibusque legendus Seneca cap. 19. libri de Vita Beata. Pausanias in Corinthiacis narrat, ut Sinis flexis pinis alligarit homines, quibus in sublime renitentibus discerperentur. Ovidius lib. 8. Metam.

Occidit ille Sinis magnis male viribus usus:
Qui poterat curvare trabes, & agebat ab alto
Ad terram late sparsuras corpora pinus.

& in Ibin :

Quique trabes pressas ab humo mittebat in auras,
Æquoris aspectans hujus & hujus aquas.

[latrocinabatur enim Sinis in Isthmo Corinthiaco, unde prospectus in Ionium & Ægæum.] & Epist. Phyllidis :

Quum fuerit Sciron lectus, torvusque Procrustes,
Et Sinis, & tauri mixtaque forma viri.

Legendus Plutarchus in Theseo, & Alexandro. Sed apud Plutarchum, & Euripidem legitur *Sinnis.* Pausanias in Atticis Sinim propinquum Thesei fuisse ait ob avum maternum Pittheum. De hujusmodi cruciatu Vopiscus in Aureliano : *Militem qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, easdemque subito dimitteret, ut scissus ille utrimque penderet. quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Non hospita saxa.* Scironidas petras significat, de quibus vide adnotata ad Eleg. 16. sup. v. 11. Sic Horatius Ode 22. lib. 1. *Inhospitalem Caucasum* dixit, quem Æschylus ἄξενον, ἀπάνθρωπον. Contra Euripides in Hippolyto, Λιμένα τὸν εὐξενώτατον ναύταις. *Portum maxime hospitalem nautis. Curvatas in sua fata trabes.* in suam ipsius perniciem flexas arbores. Nam eâ pœnâ Sinin affecit Theseus, qua ipse alios affecerat. Pausanias Corinthiacis, & Plutarchus in Theseo.

Hæc tibi, Tulle, parens, hæc est pulcherrima sedes:
Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, & venturæ conjugis aptus amor.

ELE-

seo. *Trabes* autem pro arboribus. Virgilius 6. Æneid. *Sonat icta securibus ilex, Fraxineæque trabes.* & *Sua Fata*, ut Eleg. 9. supra:

Antaeique graves in sua fata manus. PASS. *Arboreasque cruces Sinis.* supple ex jam dictis, *non valuit curvare.* frustra enim Livinejus quædam desiderari suspicabatur. ceterum *Sinis* scribendum est cum Apollodoro, ipso fine libri tertii. quod alludunt omnes membranæ, in quibus *fenis*. unus Borrichianus habet *finis*. - - - v. Vossius Etymol. p. 474. 6. in *Sinapi*. BROUKH. Hunc latronem Plutarchus in Theseo appellat πιτυοκάμπτην. vide Scholiasten Pindari Hypothesi Isthmiorum; item Pausaniam in Corinthiacis cap. 1. Ceterum, nemo negaverit, in hoc disticho ἀνακόλουθον esse, ac syntaxin perturbatam. Sinis crudelitatem, ac Scironidas petras conjungit etiam Seneca Hippol. v. 1218. *Pinus coacto vertice attingens humum Cælo remissum findat in geminas trabes, Mittatque præceps saxa per Scironia.* VULP.

v. 39. HÆC TIBI, TULLE, PARENS, HÆC EST PULCHERRIMA SEDES] Cicero 1. de Orat. *Patria, communis est omnium nostrûm parens.* & lib. 9. ad Attic. Epist. 11. *Quum sit nefarium parentes non alere, nostri principes antiquissimam & sanctissimam parentem patriam fame necandam putant.* Idem multa de patria lib. 1. Offic. & 2. de Legib. Varro quoque Lege Mævia apud Nonium in *Eunuchare*: *Si quis patriam majorem partem extinguit, culleo insuatur.* *Pulcherrima*; Virgilius pariter in calce 2. Georg.

Sic fortis Hetruria crevit
Scilicet, & rerum facta est pulcherrima Roma.

Eadem, *Aurea*, Martiali dicitur; Horatio, *Regia*, *Domina*, *Beata*. Pulcrum a poliendo; ut a luendo lucrum, a fulciendo fulcrum, a sepeliendo sepulcrum. *Sedes*, domicilium. Alfenus I. C. L. *In lege censoria*, *de Verb. Sign.* Domum ait esse, ubi quis sedes, & tabulas habeat, & rerum suarum constitutionem fecerit. Cicero pro Sylla: *Hæc urbs, sedes omnium nostrum est, domicilium imperii.* PASS.

v. 40. HIC TIBI PRO DIGNA GENTE PETENDUS HONOS] Id est, ambiendi, capessendique magistratus; ut dignitas, & nobilitas gentis vestræ postulat. Sic El. ult. lib. 2. *Pro nostra amicitia.* Gens, illa appellatur quæ ex multis familiis constat, inquit Festus; & Gentiles, qui simili nomine appellantur. Suspicor, hunc Tullum L. Volcatii Tulli, fratris filium fuisse, qui collega fuit in secundo consulatu Augusti, ut Dio scribit extremo libro 49. nam dixit Eleg. 6. lib. 1.

Tu patrui meritas conare anteire secures.

Digna, eximia & nobili, sine adjectione, ut in Epigrammate Ludii pictoris in templo Ardeatium, apud Plinium lib. 35. cap. 10.

Dignis digna loca picturis condecoravit
Reginæ Junoni' supremæ conjugi' templum,
Marcus Tullius Elotas Ætolia oriundus,
Quem nunc, & post semper ob artem hanc
Ardea laudat.

Ovidius 4. Fast. de Venere:

Illa quidem totum dignissima temperat orbem.
PASS.

Tibullus lib. 4. Carm. 7.

Cum digno digna fuisse ferar. VULP.

v. 41. HIC TIBI AD ELOQUIUM CIVES, HIC AMPLA NEPOTUM SPES, ET VENTURÆ CONJUGIS APTUS AMOR] Præsto erunt qui tuam facundiam audiant & probent. Sunt hic cives quos eloquio tuo juvare possis. *Cives ad eloquium*, ut servi ad manum. Eleg. 16. lib. 2. *Venales ad manus.* Si legatur *Cursus*, pro cives, ita locutus est Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 9.

Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo.

Sic Ciceroni, Cursus ad laudem, gloriam, voluptatem. *Ampla nepotum spes.* Virgilius 2. Æneid.

Quinquaginta intus thalami, spes tanta nepotum.

Ovi-

Ovidius 1. Metam.

Spesque fuit generi mihi prima, secunda nepotum.

Aptus amor. an facilis? Eleg. 5. sup.

Optima mors parcâ quæ venit apta die.

Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

Sed chorus, & cantus, & levis aptus amor.

An decens & conveniens? Eleg. 10. lib. 4.

Et manibus duris apta puella fui.

Festus in *Apex: Aptus, qui convenienter alicui junctus est.* Aptus amor est inter pares. *Venturæ conjugis:* vel futuræ, vel quæ domum veniet, & arcessetur. Catullus Carm. 60. *Ac domum dominam voca.* Donatus in Terentium. PASS. *Ventura c. aptus amor.* libri magno consensu *aptus amor.* Ovidius Epist. Deïaniræ:

Si qua voles apte nubere, nube pari. Br

ELEGIA XXIII.

ERgo tam doctæ nobis periere tabellæ,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.

Illæ

ARGUMENTUM ELEG. XXIII. LIB. III.] Tabellarum, quibus amoris arcana ipse, atque amica semper commiserant, jacturam dolet. VULP.

v. 1. ERGO TAM DOCTÆ NOBIS PERIERE TABELLÆ] Vide initium Eleg. 7. sup.

Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ.

Tam doctæ. ut Eleg. prox. sup. *Tam multos annos.* v. 1. ubi vide adnotata. *Doctæ*, disertæ, infra. *Tabellæ doctæ.* ut Eleg. 30. lib. 2. *Docta tibia*, & *doctâ cuspide*. *Tabellæ periere;* codicilli, sive pugillares amissi sunt. De tabellis Noster Eleg. 20. lib. 2.

Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.

Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 11. & 12. tabellas ad amicam mittit, & de iis queritur. *Nobis;* nostro incommodo. Cicero lib. 1. ad Attic. *Pater nobis decessit.* Aut *nobis tabellæ*, pro nostræ: ut *nobis Æschinus* Terentio. vel *periere nobis*, non item aliis qui invenere. *Periere*, ut Eleg. 22. lib. 2.

Et levibus curis magna perire bona.

& Eleg. 21. *Tot noctes periere.* PASS. *Tabellæ.* Scribebant aliàs in palimpsesto, sive charta deletitia, de qua Cicero Epist. 18. lib. 7. ad famil. VULP.

v. 2. SCRIPTA QUIBUS PARITER TOT PERIERE BONA] Anastrophe, pro pariter quibus. & *pariter*, pro una, simul, cum. jungiturque cum sexto casu; ut Græcorum ἅμα cum tertio. Nemesianus in Cynegetico:

Hos igitur genitrice simul, jam vere sereno Molli pasce fero.

Tacitus Annal. 5. *Scauro Mamerco simul.* & alibi: *Simul magnatibus.* Livius lib. 45. *Pullo amictu simul filio Perseus.* Virgilius l. 5. Æneid. *Simul his dictis faciem ostentabat.* Potest & τὸ, In, subaudiri. P. *Bona*, Responsa nimirum puellæ noctem promittentis, quæ inferius memorantur. VULP.

v. 3. HAS QUONDAM NOSTRIS MANIBUS DETRIVERAT USUS] τὸ *Quondam* dicitur de rebus amissis, vel functis vita. ut Eleg. 13. lib. 2. v. 36.

Unius hic quondam servus amoris erat.

An pro nuper: ut dictum ad Eleg. 7. lib. 2. v. 2. *Nostris manibus*, meis & puellæ simul. *Detriverat usus.* utendo enim omnia minuuntur, & consumuntur. unde Ovidius:

Ferreus assiduo consumitur anulus usu.

Inde Varroni 5. de L. L. *Detrimentum a detritu, quod ea quæ trita* (usu) *minoris sint pretii.* Horatius Epist. 1. lib. 2.

Quod legeres, tereresque viciſſim publicus usus.

Propterea Cicero *usitatum & tritum verbum* conjungit. PASS. Tabellas enim ceratas non ad unam tantum scriptionem adhibebant. innovabatur scilicet, ut cum Prudentio lo-

Illæ jam ſine me norant placare puellas,
Et quædam ſine me verba diſerta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum.
Vulgari buxo ſordida cera fuit.

Qua-

quar in Supplicio Caſſiani Martyris, earum area obtuſiore ſtyli parte, ut novæ ſcriptioni fieret idonea. VULP.

v. 4. QUI NON SIGNATAS JUSSIT HABERE FIDEM] Quod enim ſæpe manibus & Propertii, & amicæ tererentur, notæ ac familiares illis erant, ideoque facilius ejuſmodi tabellis credebatur, ut notis ac fidis ſolet. Hinc jocus in ſervum furacem apud Ciceronem 2. de Orat. *Solum eſſe cui domi nihil clauſum & ſignatum eſſet*. De ratione ſignandarum tabellarum dictum ad Eleg. 20. ſup. *Signandaque jura*. *Habere fidem*, ut *habere pondus* Eleg. 7. ſup. id eſt, auctoritatem, & iis credi. Habet fidem & qui credit, & cui creditur. Eleg. 6. ſup.

Majoremque timens ſervus habere fidem.

vide illic. Creditur autem magis ſignatis tabellis; unde Cicero 3. Tuſc. proverbiali figura dixit: *Tu quidem tabellis obſignatis agis mecum*. vide eumdem in Catilinam. Plautus Bacchid. 4, 6. *Æquum eſt tabellis conſignatis credere*. PASS.

v. 5. ILLÆ JAM SINE ME NORANT PLACARE PUELLAS] Tabellæ ſupplices quum abeſſem didicerant iratas lenire & exorare. De tabellis ſupplicibus vide Eleg. 20. lib. 2. v. 33. PASS. Sententiæ hujus elegantiam & urbanitatem videtur Paſſeratius minus percepiſſe. Ait enim poeta, ſi quid video, tabellas hujuſmodi pellaces eam vim habuiſſe, ut inſcriptarum litterarum ope non indigerent, ac viſæ tantummodo ſilentio ipſo loquerentur, & puellas iratas demulcerent atque lenirent. Simile quid ſcribit de navibus Phæacum Homerus lib. 8. Odyſſ. v. 558.

Οὐδέ τι πηδάλι' ἐστὶ τά τ' ἄλλαι νῆες ἔχουσι.
Ἀλλ' αὐταὶ ἴσασι νοήματα καὶ φρένας ἀνδρῶν. &c.
Neque ullis paſſis gubernacula ſunt quæ aliæ naves habent:
Sed ipſæ ſciunt cogitationes & mentem virorum. &c. VULP.

v. 6. ET QUÆDAM SINE ME VERBA DISERTA LOQUI] Loqui etiam dicuntur muta, quum ſignificant. ut Eleg. 2. lib. 4.

Et ſibi commiſſos fibra locuta deos.

Plautus in Pſeud. 1, 1. *Ut litterarum harum ſermonem audia*. Cicero lib. 1. de Legibus: *Dum Latine loquuntur litteræ*. & alibi non ſemel. *Verba diſerta*, apta ad perſuadendum & demulcendum. facunda. Varro 5. de L. L. *Ut olitor diſſerit in areas ſui cujuſque generis res, ſic in oratione qui facit, diſertus*. Feſtus: *Diſertus a diſſerendo dictus*. Cicero 1. de Orat. & in Orat. *Diſerti multi, eloquens nemo*. Ut hic autem verba diſerta tribuuntur tabellis, ita Auſonius: *Bipatens pugillar expedi, Cui multa fandi copia*. PASS.

v. 7. NON ILLAS FIXUM CARAS EFFECERAT AURUM] Lamellæ aureæ affixæ pretioſas non reddiderant. aurum enim ceteria omnibus rebus pretium ponit, eoque citreæ, vel eburneæ tabellæ ornabantur. P. Locupletes amatores videntur eburneas tabellas ad lenocinium adhibuiſſe, & lamellis aureis affixis pretium illis addidiſſe. Unde poſteriora ſæcula exemplum ſumſerunt parandi atque ornandi Diptycha Conſularia; de quibus Claudianus in libro de altero Conſulatu Stilichonis v. 345.

Tum virides pardos, & cetera colligit Auſtri
Prodigia, immaneſque ſimul Latonia dentes,
Qui ſecti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inſcripti rutilum cælato Conſule nomen
Per proceres & vulgus eant.

Non ſolum autem Conſularia, ſed etiam Quæſtoria, & aliorum magiſtratuum, ut videtur; quæ nimirum auro addito ornabantur ſi Principi mittenda eſſent. Teſtis omni exceptiona major Symmachus Epiſt. ad Flavianum, 81. lib. 2. quam legeſis; & ſimul quid attulerim ego in Divinatione ad Diptychum eburneum Cardinalis QUIRINI, pag. 31. & 32. edit. Romanæ. V.

v. 8. VULGARI BUXO SORDIDA CERA FUIT] De ceris tabellarum Plautus Curculione, Bacchid. & Pſeud. Suetonius in Julio, & Nerone. unde Titinnius apud Chariſium lib. 1. *Velim ego oſſe arare campum cereum*. *Cera ſordida*, an turpis, ut

Hora-

Qualeſcumque mihi ſemper manſere fideles,
Semper & effectus promeruere bonos.
Forſitan hæc illis fuerant mandata tabellis:
Iraſcor, quoniam es lente moratus heri.

An

Horatio *fordidus Cupido ?* an decolor , ut eidem , *Sordidus fumus ?* an minimi pretii , ut vilis aqua , vilia tura ? an quod cera alia purior , & candidior ? vide Plinium lib. 21. H. N. c. 14. Ovidius in fine El. 12. lib. 1. Amor. ad tabellas :

Vas carioſa ſenectus
Rodat , & immundo cera ſit alba ſitu .

Fuit buxo , ſupple *in* , vel *cum* . aut *ſum* cum tertio caſu jungitur , pro ſexto cum præpoſitione . ut Eleg. 7. lib. 4. *Lateri veſtis adusta fuit* . & Eleg. 30. lib. 2. *Capiti pendere* . id eſt , e capite . *Buxo* , inquit , quia ligneæ tabellæ ; unde Juriſconſulti : *Poſſeſſionem dare contra lignum* . & *lignea ſalus* dicitur in Pſeudolo , quæ per tabulas mittitur . & apud Ovidium lib. 1. Amor. Eleg. 12. tabellæ dicuntur *Inutile lignum* ; & *Vile acer* Eleg. 11. lib. ejuſd. & Plauto in Perſa *Obſignata abies* , pro abiegnis tabellis 2 , 2. Vide Martialem lib. 14. Apophoreto 3. & ſeq. Sed Interpres Juvenalis Sat. 11. *Codices lanionum* , inquit , *ex ulmis ſunt omnes* . Per buxum & ceram ſignificat totas tabellas , ut Plautus Pſeud. 1 , 1. *Per lignum & ceram* . *Vulgari buxo* ; vili & plebeja . Sic Eleg. 13. lib. 1. *Vulgares amores* . PASS.

v. 9. QUALESCUMQUE MIHI SEMPER MANSERE FIDELES] Licet viles , ſemper tamen fidem mihi ſervarunt . vide Eleg. 1. ſup. v. 30. Sic Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 11. *Veneri , fidas ſibi Naſo tabellas Dedicat* . Contra El. 4. lib. 4. *Via perfida* . Virgilius 12. Æneid. *Perfidus enſis* . Et Braſidas Lacedæmonius quum quæreretur ex eo quomodo vulneratus eſſet , *Me* , inquit , *clypeus meus prodidit* . PASS. *Qualeſcumque* , Ovidius pariter lib. 2. A. A. v. 283.

Carmina lector
Commendet dulci qualiacumque ſono .

m. ſ. m. fideles . Franciſcus Petrarcha (*nel Sonetto* 309.)

Diceami ſpeſſo il mio fidato ſpeglio
. . . .
Non ti naſconder più , tu ſe pur veglio. VULP.

v. 10. SEMPER ET EFFECTUS PROMERUERE BONOS] Semper lætos & ſecundos rerum exitus conſecutæ ſunt , & merito ſuo . Servius in 4. Æneid. Promeritam , præſtitiſſe , bene ſe geſſiſſe . *Promereri* , bene agere : *Commereri* , male agere . Donatus in Adelphos : Bene promeruit , multum adjuvit , profuit . Cui contrarium eſt , commeruit . nam mereri , & promereri eſt præſtare beneficium . Plautus Trinummo apud Nonium in *Promeres* , pro promereris :

Nam retinere nequeo quin dicam ea quæ promeres .

Idem in Amphitr. in malam partem , inquit Nonius : *Here , quid mali ſum ex te tua promeritus ?* Feſtus : *Promeritum , præcipuum , præter ceteros meritum* . *Promereri effectus* ; ut Suetonius in Calig. cap. 3. *Promerendi amoris mirum & efficax ſtudium* . Effectus & effecta Ciceroni . vide Eleg. 9. ſup. v. 27. PASS.

v. 11. FORSITAN HÆC ILLIS FUERANT MANDATA TABELLIS] *τὸ Mandata* non eſt nomen , ſed participium , pro commiſſa ; ut Auſonius dixit : *Feliceſque notas mandare libellis* . & dicitur *Mandare litteris aliquid* . PASS. *Mandare* hic eſt , nuntio ſcripto indicare . Juvenalis Sat. 6. *Flavam , cui det mandata , puellam* . intellige tabellas , ad adulterum portandas . Corn. Nepos Conon. C. 3. *Neceſſe eſt , ſi in conſpectum veneris , venerari te regem . hoc ſi tibi grave eſt , per me nihilo ſecius editis mandatis conficies quod ſtudes* . ſubdit poſt pauca : *Ita quæ volebat , huic ſcripta tradidit :* M. Cœlius Ciceroni L. 8. ad famil. Epiſt. 17. *Tum tu porro , quum ad te proficiſcens noctu Ariminum veniſſem , dum mihi pacis mandata das ad Cæſarem , & mirificum civem agis , amici officium neglexiſti , neque mihi conſuluiſti* . Juſtinus L. 24. C. 2. *Nota ſcelerata Ptolemæi voluntas ſorori erat . itaque non credenti mandat , velle ſe cum filiis ejus regni conſortium jungere* . Sed & ſine ſcripto dabantur mandata . Salluſtius Catilin. C. 44. *Ipſe* [Lentulus] *Vulturcio literas ad Catilinam dat :*

quo-

An tibi nescio quæ visa est formosior? an tu
  Non bene de nobis crimina ficta jacis?
Aut dixit, Venias hodie, cessabimus una:
  Hospitium tota nocte paravit Amor.
Et quæcumque volens reperit non stulta puella,
  Garrula quum blandis ducitur hora dolis.

Me

quarum exemplum infra scriptum est. --- Ad hoc mandata verbis dat: quum ab senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet? Cicero Catilin. 3. Cap. 2. *Eosque in Galliam ad suos cives, eodemque itinere cum literis mandatisque ad Catilinam esse missos.* Ibidem Cap. 4. *Dixit, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata, & literas.* BROUKH.

v. 12. IRASCOR, QUONIAM ES, LENTE, MORATUS HERI] Convicium amatorium in tepentem vel frigentem in amore, *lente*. ut Eleg. 6. lib. 1.

Ah pereat si quis lentus amare potest.

Moratus es heri, venire distulisti; & fortasse intelligit quod scripsit Eleg. 16. sup.

Tibure me missâ jussit adesse morâ.

& verba sunt puellæ, *Irascor*, &c. κατὰ μίμησιν. PASS.

v. 13. AN TIBI NESCIO QUÆ VISA EST FORMOSIOR? AN TU NON BONA DE NOBIS CRIMINA FICTA JACIS?] Contemtim, *Nescio quæ*, ut adnotatum ad Eleg. 11. lib. 1. v. 7. *Visa est formosior*; magis placuit, & te detinet. ut Eleg. 29. lib. 2. v. 25. & Eleg. 31. v. 5. *Jacis crimina de nobis*; mihi maledicis, & insimulas me probri. vide adnotata ad Eleg. 1. lib. 2. v. pænult. & ad Eleg. 11. sup. v. 3. unde petitum: *Hoc in me jacis*. *Non bona*. ut infra hac Elegia, *Non stulta*. vide adnotata ad Eleg. 32. lib. 2. v. 24. PASS. Eleganter restituit Nic. Heinsius, *Non bene d. n. c. f. j.* Not. in Ovid. L. 1. Trist. Eleg. 6. nihil verius. *crimine* dixit *ficto*, Ciceronis sui more, pro Dejotaro rege C. 11. *Sed quamvis ingrate & impie necessitudinis nomen repudiaritis, tamen inimicitias hominum more gerere potueratis, non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere.* BROUKH.

v. 15. AUT DIXIT, VENIAS HODIE, CESSABIMUS UNA] τὸ *dixit*, quia v. 6. hujus Elegiæ loqui ipsas tabellas ait. *Venias*: Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 11.

Hoc habeat scriptum tota tabella, Veni.

& Martialis lib. 14. Lemmate 6.

Nunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Quum se venturam scribet amica tibi.

Cessabimus una, feriati erimus, & amori, seu desidiæ operam dabimus. nam amor mera cessatio. Noster Eleg. 6. lib. 1. *Tua non ætas umquam cessavit amori*. sic enim vet. lib. An *cessabimus una*, quiescemus, dormiemus? Horatius Epist. 2. lib. 1.

Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.
PASS.

Aut dixit, Venias h. c. u. Dicere est jubere. Ovidius Remed. Amor.

Dixerit ut venias pacta tibi nocte, venito.

unde etiam liquet *Venias* hic scribi debere, non *venies*, quod vulgatas occupat. -- deinde repone *cessabimus*, auctoribus libris. BROUKH.

v. 16. HOSPITIUM TOTA NOCTE PARAVIT AMOR] Sic Venus noctis sacra instituit Eleg. 10. sup. v. 30. & Plautus Trinummo 3, 2. *Insanum est malum in hospitium devorti ad Cupidinem*. De hospite Cupidine Anacreon. *Paravit hospitium*. Cicero lib. 9. ad famil. Epist. 9. *Ut scires hospitium ubi parares*. Martialis initio lib. 9. *Vale, & para hospitium*. *Hospitium*, locum liberum ubi facias nequam. *Tota nocte*. sic El. 14. lib. 2. *Tota nocte receptus amans*. PASS.

v. 17. ET QUÆCUMQUE DOLENS REPERIT NON STULTA PUELLA] Vel irata, vel mœsta, vel zelotypa; ut Eleg. 8. sup.

Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem.

Reperit, quia nata ad fraudes puella. Eleg. 9. lib. 2.

Sed vobis facile est verba & componere fraudes.
Hoc unum didicit femina semper opus.

Præterea, ut ait Ovidius lib. 6. Metam.

Gra-

Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter ephemeridas.

Quas

Graude dolorie
Ingenium est, miserisque venit sollertia rebus. & alibi: *Ingenium mala sæpe movent.* *Non stulta*, cata, callida. contra *stulta*, oimiom simplex, & credula, Eleg. 21. lib. 2. v. 18. PASS. Certo legendum est, *volens*, i. e. copiens, sive, ut Noster loquitur, parata. Catullos Carm. 8.

Ibi illa multa tum jocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.

------- porro *volens* puella admodom est fœcunda in reperiundis astutiis: &, ut recte Naso dixit,

Non caret effectu quod voluere duæ. BROUKH.

v. 18. GARRULA QUUM BLANDIS DUCITUR HORA DOLIS] Si *Garrula* ad *puella*, refertur, est argota, procaxque. ot Eleg. 23. lib. 2. & Nonius *Erodia: Totum diem argutatur quasi cicada.* Si ad *hora*; tempus garrulum, quod garriendo consumitur. *Hora*, pro tempore. ut dictum ad Eleg. 10. sup. v. 29. *Ducitur*, ut Eleg. 15. sup.

Tertius haud multo minus est quum ducitur annus.

An *ducitur dolis*, producitur, & differtur fictis caossis? *Dolis blandis*, blanditiis dolosis. nam blanditiæ fallaces. Plautus Trucul. *Linguæ meretricum in melle sitæ, ac lacte: Corda in felle atque acerbo aceto.* Donatus io Adelphos: *Mulierum proprium est quum loquuntur, aut aliis blandiri, aut se commiserari.* Deinde. & *Venus dolosa est.* P.

v. 19. ME MISERUM! HIS ALIQUIS RATIONEM SCRIBIT AVARI] Miseratur Propertius fortunam tabellarum, quæ avaro serviant, vel avari servo dispensatori, & atriensi ignoto. Plautus Curcul. 1, 1. *Lenonis hæ sunt ædes, scelestam servitutem serviunt.* *Me miserum!* adverbii vice, pro, hei mihi. est se, vel alios commiserantis. Terentius Adelph. 3, 1. *Me miseram! neminem habeo, solæ sumus.* Cicero 2. Philipp. *Bona (me miserum! consumtis enim lacrimis animo fixus inhæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii acerbissimæ voci subjecta præconis.* [Centies Ovidius.] *Rationem scribit:* utrumqoe verbom argentariorum, fœneratorum, & rei pecooiariæ; ut & ratiuncula. unde *Ratio constat.* putatur, subducitur. *Ratio* & rationes ab eo qood ratæ esse soleant & firmæ: Festus in *Ratissima*. De verbo *scribere* & rescribere vide Gellium lib. 5. cap. 18. PASS. *H. a. rationem scribit avari.* in Groningano est *avarus;* quod e Fraocisci Modii excerptis jam olim monuit Douza F. Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 12. ubi pariter querela est de tabellis:

Inter ephemeridas melius tabulasque jacerent,
In quibus absumtas fleret avarus opes. BR.

Rationem scribit. Ulpianus L. 6. §. 3. D. *de Edenda: Rationem autem esse Labeo ait ultro citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sui caussa negotiationem. nec ullam rationem nuda dumtaxat solutione debiti incipere: nec si pignus acceperis, aut mandatum, compellendum edere. hoc extra rationem esse.* Eleganter Plinius de Fortuna lib. 2. H. N. cap. 7. *Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit.* otraque pagina est ratio expensi & accepti: Italice *scrittura doppia*. Expensum ferre, Latinis est quod vernaculo sermone dicimus, *chiamarsi creditore, dar debito:* acceptum ferre, quod Italice *dar credito, confessarsi debitore*. Rationes autem accipere, *farsi render conta*. Seneca Epist. 14. *Rationes accipit, forum conterit, Kalendarium versat, fit ex domino procurator.* nisi hoc loco Senecæ *rationes* sunt ipsi libri, in quibus ratio scribebatur. sane Soetonius in Julio c. 47. *Comparasse servitia recentiora politioraque immenso pretio, & cujus ipsum etiam puderet, ita ut rationibus vetaret inferri.* qui libri si accuratius confecti fuissent, tabulæ etiam vocabantur. Locus est memorabilis M. Tullii pro Q. Roscio Comœdo: *Quid est*, ait, *quod negligenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de caussa? quia hæc sunt menstrua, illæ sunt æternæ: hæc delentur statim, illæ servantur sancte: hæc parvi temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc sunt dejecta, illæ in ordinem confectæ. Itaque adversaria in judicio protulit nemo: codicem protulit: tabulas recitavit. His aliquis rationem s. avarus.* Seneca pariter lib. de Constantia Sapientis cap. 6. *Fœneratores*

perdi-

Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?

I puer,

perdiderunt tabellas suas, quibus avaritia, falso læta, divitias imaginatur. Vulp.

v. 20. Et ponit duras inter ephemeridas] Id est, miscet diurnis. De ephemeride vide Gellium lib. 5. cap. 18. & ex eo Isidorum lib. 1. in fine: *Genus historiæ triplex, Ephemeris, unius diei digestio; Latine Diurnum: Calendaria, quæ in menses singulos digeruntur: Annales, quæ in singulos annos.* Asconius in tertiam Verrinam: *Moris fuit unumquemque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere. Diurnos commentarios* vocat Suetonius in Augusto cap. 64. Nos, *Papier journal*. Plutarchus de Cæsaris commentariis: O' Καῖσαρ ἐν ταῖς ἐφημερίσιν γέγραφεν. Memorat Ephemeridem Cæsaris etiam Servius in 11. Æneid. Citatur & Varro ex Ephemeride navali apud Nonium in *Antumnitas*. Cicero pro Quintio: *Discedens in memoriam rediit Quintius quo die in Galliam profectus sit; ad Ephemeridem revertitur, invenitur dies profectionis*. Cornelius Nepos in Vita Attici: *Scimus non amplius quam terna millia æris peræque in singulos menses ex Ephemeride eum expensum sumtui ferre solitum*. Volunt, Calendaria eadem esse: sed Gellius & Isidorus distinguunt. Vulgo, *Registrum*. *Duras*, nempe sævas; quia fœnore trucidamur. Cicero pro Cælio. unde & Cato quærenti, *Quid fænerari?* respondit, *Quid hominem occidere?* Cicero 2. Offic. Sic durus tyrannus, durum sidua, duri mores. Pass. *Duras* habet idem ille Groninganus, i. e. inclementes, & inlacrimabiles, quas non miseret neminis, ut pater Ennius dicebat. in multis libris est *diras*, errore librariorum. quod tamen Gebhardo placebat. male. *durus pater, duri homines, duri capitones*, pro tenacibus atque avaris sæpe apud comicos occurrunt. in quorum locum si quis *diras* velit substituere, is vero vim attulerit sermoni Romano. Broukh. *Duras inter ephemeridas*. Seneca Epist. 123. *Quotidie sobrius prodis. sic cœnas, tanquam ephemeridem patri approbaturus*. Isidorus lib. 1. Originum cap. ult. affirmat, Quod Latini Diurnum, Græcos Ephemerida dicere. σύμβολον vero Lucianus appellat libellum in quem referebantur expensa & accepta. *Diurnos* etiam *commentarios* vocabant chartas, in quibus notabant quidquid ipsis in die accideret. vide Suetonium in Augusto cap. 64. Idem in Julio cap. 20. memorat *acta diurna*. Horum similes libri erant Calendaria. id colligas e Seneca lib. 1. de Beneficiis cap. 2. ubi ait: *Nemo beneficia in Calendario scribit: nec avarus exactor ad horam & diem appellat*. Cur autem *duras* vocat Noster *ephemeridas*? An quod, quum recitarentur, servi frequentissime vapulabant, ob rem domini male administratam? Pedo Albinovanus apud Senecam Epist. 122. *Audio*, inquit, *circa horam tertiam noctis flagellorum sonos; quæro quid faciat. dicitur rationes accipere*. M. autem Seneca pater Controv. 33. *Sed ubi quotidianum diurnum, & mendicantium quæstus recognoscit; Tu hodie minus attulisti: cæde lora*. Concinit Juvenalis Sat. 6. v. 482. de muliere irata:

Et cædens longi relegit transacta diurni;
Et cædit, donec lassis cædentibus, Exi,
Intonet horrendum, jam cognitione peracta.

Ut autem *duras ephemeridas* dixit Propertius, sic idem Aquinas poeta Sat. 10. v. 236. —— *Codice sævo*
Heredes vetat esse suos. Vulp.

v. 21. Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro] Sic Petronius Arbiter: *Si quis eum (Gitona) reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille*. vide & Plautum Rud. Act. 5. Sc. 3. Citat Brissonius in formula, *Si quis*; & morem illum confirmat ex Luciano in Demonactis Vita. *Donabitur auro*. accipiet mille nummos, id est, decem aureos, ut Turnebus docet aureum numis centum æstimatum. Sic Fortunatianus lib. 1. Rhetor. dixit se daturum denarios mille ei qui ad se servum perduxisset. Appulejus autem: *Cede præmium. Mille nummi deponentur tibi*. Εὕρετρα vocat Ulpianus L. *Falsus creditor*. ff. *De furtis*. quæ & μήνυτρα dicuntur, id est, præmia danda ei qui invenerit, & reddiderit. Pass. Ita Venus apud Moschum Idyllio 1. fugitivum Amorem quærens:

O' μαιυ-

I puer, & citus hæc aliqua propone columna,
Et dominum Exquiliis fcribe habitare tuum.

ELE-

Ο' μανυτὰς γέρας ἑξεῖ.
Μισθός τοι τὸ φίλαμα τὸ Κυπρίδος· ἂν δ' ἀγάγῃς νιν,
Οὐ γυμνὸν τὸ φίλαμα, τὺ δ' ὦ ξένε καὶ πλέον ἑξεῖς.

Indicanti pollicetur ofculum; adducenti vero aliquid ofculo majus. VULP.

V. 22. QUIS PRO DIVITIIS LIGNA RETENTA VELIT?] Simile illud Plauti Pfeud. 1, 1. *Pro lignea falute vis argenteam remittere illi*. *Divitiis*; auro. ut *Opes* Eleg. 18. fup. v. 28. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Divitias alius fulvo fibi congerat auro.

Pro divitiis ligna. ut pro thefauro carbones. *Ligna*, ligneæ tabellæ. fup. *Buxum*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 12.

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ.

Velit retenta, pro Libenter retineat. ut *Nollem factum*. τὸ *Retenta*, rem alienam non jure poffeffam notat. nam retinet, qui adverfum aliquem tenet, inquit Donatus in Adelphos. Cicero 5. Verrina: *Quos de publico nummos acceperat, retinuit omnes*. Idem pro Cluentio: *Pecuniam acceptam nomine judicii retinere, atque fupprimere*. Hæc duo tantum exempla reperi, licet ita vulgo loquamur. PASS. *Divitiis*. Auctor ad Herennium lib. 4. *De tota pars intelligitur: ut fi quis ei qui veftitum aut ornatum fumtuofum oftentet, dicat: Oftentas mihi divitias, & locupletis copias jactas*. Horatius Ode 8. lib. 4. de ftatuis pretiofis: ---- *Nec tibi talium*

Res eft aut animus divitiarum egens.

Livius ad rem propius lib. 4. Hift. *Indicibus dena millia gravis æris, quæ tum divitiæ habebantur, ex ærario numerata, & libertas præmium fuit*. VULP.

V. 23. I PUER, ET CITUS HÆC ALIQUA PROPONE COLUMNA] Lygdamum fortaffe alloquitur de quo Eleg. 6. fup. Pueros fuos commemorat etiam Eleg. 29. lib. 2. Horatius Ode 14. lib. 3. *I, pete unguentum, puer*. & Sat. 10. lib. 1.

I puer, atque meo citus hæc fubfcribe libello.

Plautus Afin. *I puere, pulta*. & Pfeud. *I puere præ*. *Citus*, properus. Virgilius 1. Æneid. *Libyæ citus aftitit oris*. Nonius: *Citum, celere, vel divifum*. *Propone*. Chirius Fortunatianus lib. 1. Rhet. *Edicto, vel præconio quomodo fit? Cujus fervus fugerat, libello propofito, vel per præconem nuntians, dixit, Daturum fe denarios mille ei qui ad fe fervum perduxiffet*. Ulpianus in L. *Falfus creditor* §. *folent* π. *de furtis* tit. 2 l. 47. *Solent plerique etiam hoc facere, ut libellum proponant, continentem Invenisse, & redditurum ei qui defideraverit*. Proponi dicuntur quæ ita ponuntur, ut oculis omnium pateant. fic apud Jurifconfultos edicta, & actiones proponi, & leges dicuntur. vulgo, *Afficher*. *Aliqua columna*, quia columnæ in porticibus publicis; de quibus Elegia 31. lib. 2. v. 3. Aufonius in Grat. act. pro confulatu: *Hoc ego litteras tuas fi in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi poffint, inftar edicti, pendere mandavero*. An in columnis templorum? Elegia 14. lib. 2.

Magna ego dona tuâ figam, Cytherea, columnâ.

Aufonius, *Nofce te: Quod in columna jam tenetur Delphica*. Erat *Columna Lactaria* in foro olitorio, *Columna aurea*, five milliare aureum, in foro Romano, *Columna Mevia*. Juvenalis Sat. 6.

Confulit ante phalas, Delphinorumque columnas.

Inde *Columnarii*, qui juxta columnas frequentes operas fuas locabant. Cicero 8. ad famil. & στηλίτης apud Demofthenem: *ἄτιμος ἦν ἐν στήλῃ ἀναγραφείς*. unde στηλιτικοὶ λόγοι, orationes infamantes & programmata ignominiofa. PASS. *L. p. e. c. b. a. p. c.* nimirum in re tenui compendium faceret Præconis vel Conquifitorum. tanti enim non videbantur tabellæ amiffæ. pulcre huc facit Plauti locus Rudente Act. 5. Sc. 2. *Cubitum hercle longis literis fignabo jam ufquequaque, Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo, Ad Gripum ut veniat*. unde liquet, in pilis & columnis proponere folitos eos etiam, qui rem aliquam inveniffent, non tantum qui amififfent. BROUKH. *I puer*. Horatius Sat. 10. lib. 1.

I puer, atque meo citus hæc fubfcribe libello.

Horatii verba & locutiones haud raro fub-

legit Propertius : quamobrem *ſimius* ab illo vocari videtur Sat. 10. lib. 1. Lege Commentariolum noſtrum de Vita Propertii. *A. propone columna*. Cicero pro Quintio : *De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certo tacite, obſcureque conceditur*. Sed & leges proponebantur in columnis & pilis, ut ab omnibus legi & conſiderari facile poſſent. Demoſthenes Orat. in Evergum : Τὰς νόμους ἐπισκεψάμενος τὰς τοῦ Δράκοντος ἐκ τῆς στήλης. *Inſpectis Draconis legibus in pila*. Verum hæ leges fortaſſe non affixæ, ſed inſculptæ columnis fuerunt. Res porro amiſſæ interdum præconis voce requirebantur. Elegantem producam teſtem Petronium Arbitrum : *Intrat*, inquit, *ſtabulum præco cum ſervo publico, aliaque ſane modica frequentia, facemque fumoſam magis quam lucidam quaſſans, hæc proclamavit : Puer in balneo paullo ante aberravit, annorum circa XVI. criſpus, mollis, formoſus, nomine Giton : ſi quis eum reddere, aut commonſtrare voluerit, accipiet nummos mille*. VULP.

V. 24. ET DOMINUM EXQUILIIS SCRIBE HABITARE TUUM] Nam in libellis propoſitis notabant habitationem. Sic Appulejus lib. 6. A. A. *Conveniat Mercurium prædicatorem retro metas Murcias*. Ipſe autem Propertius hic, & initio Eleg. 8. lib. 4. docet, ſe Exquiliis habitaſſe. *Exquiliæ*, τόπος ἐν Ῥώμῃ : Chariſius lib. 1. Livius lib. 1. hunc collem a Rege Tullio urbi adjectum, ſcribit. & Dionyſius lib. 4. & Ovidius 6. Faſt. ipſum Servium Tullium ſub Exquiliis, ubi erat ſua regia, cæſum. In Exquilina regione figuli ; Feſtus in *Salinum*. Item in *Septimontio*, partem Exquiliarum ait jacere ad Vicum Patricium verſus, ubi templum Mephitis. Varro 4. de L. L. *Puticulæ, locus ultra Exquilias*. Ibidem : *Secunda regio Exquilina ab Exquiliis. alii has ſcripſerunt ab excubiis Regis dictas. alii ab eo quod exculta a Rege Tullio eſſent*. Ibidem : *Exquiliæ duo montes habiti, quod pars ejus Ciſpius antiquo ſuo nomine dicitur*. Ibidem : *Exquilinus lucus : Exquilinus mons*. Cicero 2. de Legib. *Exquiliis ara Fortunæ malæ*. & in Piſonem : *Exquilina porta*. Horatius Sat. 8. lib. 1. *Nunc licet Exquiliis habitare ſalubribus*. Apud eumdem *Exquilinæ alites*, &, *Exquilini Pontifex venefici*. Juvenalis Sat. 11.

Cedere namque foro nunc non eſt deterius, quam
Exquilias a ferventi migrare Suburra.

ubi Interpres : *Exquiliæ, poſtea Diocletianæ*. vide Onuphrium Panvinium. PASS. *Exquiliis habitare*. Ibi etiam Virgilius domum habuit. Auctor vetus ejus vitæ : *Poſſedit prope centies ſeſtertiûm ex liberalitatibus amicorum, habuitque domum Romæ in Exquiliis juxta hortos Mæcenatis*. Locus erat nemoroſus, & in quem cadavera plebejorum, & damnatorum ſepelienda vel abjicienda inferebantur, priuſquam juſſu Mæcenatis purgaretur, & ſalubris evaderet. vide Horatium Sat. 8. lib. 1. Livius quoque id teſtatur lib. 26. Hiſt. *Quum commiſſum*, inquit, *prælium eſſet, conſules transfugas Numidarum, qui tum in Aventino ad mille & ducentos erant, media urbe tranſire Exquilias juſſerunt : nullos aptiores, inter convalles tectaque hortorum & ſepulcra & cavas undique vias, ad pugnandum futuros rati*. Adde Tacitum lib. 2. Annal. *In P. Marcium Conſules extra portam Exquilinam, quum claſſicum canere juſſiſſent, animadvertêre*. & rurſum : *Sumtum more priſco extra Exquilinam de nocentibus ſupplicium*. Demum, ſepulcris amotis, & aëre ſalubri effecto, Auguſtus æger in Exquilina Mæcenatis domu cubavit : ac Tiberius etiam, quietem ſectatus, e Carinis ac Pompejana domo Exquilias in hortos Mæcenatianos commigravit ; quod teſtatur Suetonius. VULP.

AECU-

ELEGIA XXIV.

FAlsa est ista tuæ, mulier, fiducia formæ,
Olim oculis nimium facta superba meis.

Noster

ARGUMENTUM ELEG. XXIV. LIB. III.] Ut Cynthiæ fastum compescat, ait, laudes quibus illam ornaverat, amoris nimii commenta fuisse. VULP.

v. 1. FALSA EST ISTA TUÆ, MULIER, FIDUCIA FORMÆ] *Mulier*. Convicium hoc gravissimum mulieri quum suo nomine appellatur. vide Plautum Amphitr. 2, 3. Terentius Heaut. 5, 3. *Pergin' mulier esse?* & Hecyra 2, 1. *Egone? Tu, inquam, mulier.* *Ista fiducia tuæ formæ*, confidentia, arrogantia, impudentia. Terentius Andr. 5, 3. *Qua fiducia id facere audeam*. Donatus, Fiducia, inquit, modo impudentiam significat. Idem tamen sui oblitus, ibidem: Confidentia, inquit, interdum in bona, interdum in mala significatione ponitur: fiducia semper in bona. Nonius: Fiducia, confidentia. Virgilius 9. Æneid.

Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum.

Item audacia. Sallustius lib. 2. Hist. *Ita fiducia, quam argumentis purgatiores dimittunt*. Servius in illud 1. Æneid. *Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?* Fiduciam, inquit, pro confidentia posuit; quum in malis sit confidentia, fiducia in bonis. Sic 2. Æneid. *Quæ sit fiducia capto*. Est & fiducia Jurisconsultis: sed nihil ad hunc locum. De muliebri confidentia Plautus Milite 2, 5. *Neque eques, neque pedes præfectus quisquam tanta audacia est, Qui æque faciat confidenter, quam mulieres faciunt*. *Falsa est*, inanis; ut Eleg. 8. lib. 1. *Falsa gaudia*. Ceterum hæc Elegia, & sequens eodem est argumento quo Catulli Epigr. 8. *Miser Catulle*. PASS. *Fiducie formæ*. Insolescunt mulieres quum se amari sentiunt. Hinc Circe Petroniana: *Non timeo, ne quis inveniatur cui minus placeam*. Ovidius 3. Metam. v. 269. ex ore Junonis exitium Semelæ meditantis:

Mater, quod vix mihi contigit uni,
De Jove vult fieri. tanta est fiducia formæ.

& 4. Metam. v. 683. in fabula Andromedæ:

Quantaque materna fuerit fiducia formæ,
Indicat.

& in Epist. Helenæ:

Non quod fiducia desit,
Aut mea sit facies non bene nota mihi.

& ibid. *Non est tanta mihi fiducia corporis*. Apud Justinum lib. 26. cap. 3. legitur *fiducia pulchritudinis*. Veterum imitator Joannes Boccatius (*nella Fiammetta* lib. 1.) *Ma veramente mi fuggì la fidanza, la quale io nella mia bellezza soleva avere*. Et lib. 4. *Manifesta cosa è, l' umana bellezza esser fior caduco, e da un giorno ad un altro venir meno: la quale se di sè dà fidanza ad alcuna, miseramente, a lungo andare, se ne trova prostrata*. Quod simile est illi Virgiliano Ecl. 2.

O formose puer, nimium ne crede colori.

& illi Nasonis lib. 2. A. A. v. 143. *Fallaci timide confide figuræ*. Ceterum eodem pacto dixit Justinus lib. 12. cap. 7. *Quum ad Nysam urbem venisset* (Alexander M.) *oppidanis non repugnantibus fiducia religionis Liberi patris, a quo condita urbs erat, parci jussit*. Valerius Flaccus pariter L. 3. Argon. v. 669. verbis Tydei: *Nec parva mihi fiducia gentis*. nempe generis, nobilitatis. *Lepidum superbientem XX. legionum fiducia*, dixit Suetonius in Augusto cap. 16. Idem cap. 14. *Fiducia consulatûs, & fraternæ potentiæ*. Seneca Consolat. ad Helviam cap. 1. *Fiducia ingenii*. Pomponius J. C. lib. 1. π. L. 2. §. 47. de Labeone, *Fiducia doctrinæ*. Sic *Fiducia studiorum*, apud eosdem Jurisconsultos. Seneca de Tranquill. Animi cap. 4. *Alius eloquentiæ fiducia prolabitur*. *Fiduciam orationis*, legere est apud Quintilianum I. O. lib. 2. cap. 15. *Fiducia cantûs*: Ovidius lib. 5. Metam. in fabula Pieridum & picarum. Denique *Fiducia magnarum rerum*, occurrit apud Corn. Celsum lib. 8. ubi de quodam Hippocratis errore, quod ipse non

 invi-

Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
 Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi sæpe figura;
 Ut quod non esses, esse putaret amor.

Et

invitus fatebatur. Jocose Plautus Asin. 3, 2, 3. *Confidentiâ scapularum*. servi scilicet audacter peccabant, quod se tergo soluturos confiderent. erant enim *plagipatidæ*. Idem Mostell. 1, 1, 36. verbis Tranionis servi nequam: *Mei tergi facio hæc, non tui, fiduciâ*. Vulp.

v. 2. Olim oculis nimium facta superba meis] Nempe, quum antea non esses superba, feci ipse, quia te dixi & scripsi mihi videri formosam; ut Eleg. 7. lib. 2. *Tu mihi sola places*. *Facta superba*, ut Eleg. 33. lib. 2. v. 14. *Nimium*. licet modus non sit in vitiis, nimium tamen in iis est, & dicitur. sic Eleg. 8. lib. 2. *Nimium temerarius*. & Eleg. 12. *Nimium credula*. Sed & *Nimium pii*, Horatius Ode 3. lib. 3. *Meis oculis*, mihi spectanti, [vel potius ob me spectantem; ut *oculis meis* sit ablativus.] sic Eleg. 10. sup.

Dein quæ primum oculos cepisti veste Properti,
  Indue.

Olim. ante annos quinque. vide Elegiam prox. seq. An pro nuper? ut Eleg. 12. lib. 1. *Olim gratus eram*. Pass.

v. 3. Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes] Ita Ovidius 3. A. A.

Nos facimus tacitæ late præconia formæ.
  Nomen habet Nemesis, Cynthia nomen habet.

Vide Eleg. 2. lib. 1. & Eleg. 3. lib. 2. *Noster amor*, ego amans. *Tribuit tibi laudes*. impertitur tale decus formæ, & artium. Pass.

v. 4. Versibus insignem te pudet esse meis] Carmine meo nobilem: Horatius. Noster Eleg. ult. lib. 2.

Cynthia quin etiam versu laudata Properti.

Donatus in Eunuchum *Insigne magnum, & nobile* interpretatur. Idem ibidem: *Insigne & insignia armorum sunt*. & Varro 4. & 6. de L. L. inde *insigniti milites*, qui certo signo in galeis conspicui. Nonius: *Insigne, magnum, præstans, utile*. Festus: *Insignis tam ad laudem, quam ad vituperationem inflecti potest*. Idem: *Insignes boves, qui album in femine, aut in pede habent, quasi insigniti*. Insignis, ἐπίσημος, *Remarquable*. *Insignis deformitas* Gellio, & *Turpitudo insignis* Ciceroni. *Pudet*. supple, me. Sic Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Quin etiam attonitâ laudes tibi mente canebam.
  At me nunc nostri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapidâ Volcanus carmina flammâ
  Torreat, & liquidâ deleat amnis aquâ.
 Pass.

Aliud agunt qui dicunt Cynthiam erubescere quod celebrata sit versibus Propertii: neque capiunt, quid sit, cur poeta dicat, se nunc primum resipiscere post tam longam insaniam. Broukh.

v. 5. Mixtam te varia laudavi sæpe figura] Nam ad formam plura simul miscentur, ut candor cum rubore, fulva coma, longæ manus, oculorum geminæ faces, incessus; de quibus Eleg. 3. lib. 2. *Variâ figurâ*; ut Eleg. 14. lib. 2. *Variis serica textilibus*. An id significat quod scribit Eleg. 18. lib. 2. de forma Cynthiæ adulterina? Pass. Ipse Propertius Eleg. 5. lib. 2.

Non illis olim variabant tecta figuris. Vulp.

v. 6. Ut quod non esses, esse putaret amor] Ut sibi persuaderet, te esse pulchram & venustam; quum reapse non esses. nam, ut ait Theocritus Idyllio 6.

          ἔρωτι
Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ
  πέφανται.

Vide proverbium: *Suum cuique pulchrum*. & *Suam quisque sponsam*. ut vero nunc Cynthiæ formam, sic & doctrinæ laudem, quam suis ei versibus affinxerat, detraxit Eleg. 11. lib. 2. Pass. Ita & patres vitia filiorum extenuare consueverunt. Locus est Horatii elegans de hac re Sat. 3. lib. 2. Venusta etiam sunt quæ affert Lucretius de amantium indulgentia adversus amicas sub finem lib. 4. Vulp.

v. 7.

Et color eſt toties roſeo collatus Eoo;
  Quum tibi quæſitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
  Eluere aut vaſto Theſſala ſaga mari.

Hæc

v. 7. ET COLOR EST TOTIES ROSEO COLLATUS EOO] Comparatus Auroræ; quæ Græcis ἠώς. unde *Roſeus Eous*, quæ Homero ῥοδοδάκτυλος ἠώς. Nævio apud A. Gellium lib. 19. cap. 7. *Pudoricolor Aurora*. vel *Eous*, pro Lucifero. ut Ciuna apud Servium in 1. Georg.

Te matutinus flentem conſpexit Eous,
Et flentem paullo vidit poſt Heſperus idem.

Sic apud Virgilium 8. Æneid. Pallas Evandri filius cum Lucifero comparatur:

Qualis ubi Oceani perfuſus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,
Extulit os ſacrum cælo, tenebraſque reſolvit.

[Fortaſſe in colloquiis familiaribus ita blandiebatur Cynthiæ ſuæ Propertius;] nam ceteroqui in ſcriptis ſuis quæ exſtant, nuſquam, quod ſciam, eam cum Aurora, vel Lucifero contulit; niſi Eleg. 3. lib. 2.

Utque roſa pura lacte natant folia. PASS.

v. 8. QUUM TIBI QUÆSITUS CANDOR IN ORE FORET] *Falſus candor* dicitur Eleg. 2. lib. 1. *Quæſitus*; non nativus, ſed arceſſitus, & arte paratus. ut Eleg. 15. lib. 1. *Longa faciem quærere deſidia*. Ovidius 3. A. A.

Scitis & inducta candorem quærere cera.

Interpres Juvenalis ad Sat. 6. lacte aſinarum Poppeam Neronis corporis candorem ait ſibi provocare ſolitam. & ad Sat. 2. *Ut humecta pane faciem leniret* (Otho) *ad ſollicitandum candorem*. Ea in re uſui creta. Petronius: *Inter rugas malarum tantum erat creta, ut putares detectum parietem nimbo laborare*. vide Martialem Epigr. 33. lib. 8. Uſæ videntur & gypſo; unde Ennius apud Ciceronem: *Medea manibus gypſatiſſimis*. item ceruſſa. vide Plautum Moſtellaria Act. 1. Sc. 3. Adhibebant etiam ſtercus crocodili. Horatius Epodo 12. *Nec illi Jam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili*. PASS.

v. 9. QUOD MIHI NON PATRII POTERANT AVERTERE AMICI] Sic Virgilius 3. Georg. *Nec miſeri poſſunt revocare parentes*. Horatius Sat. 3. lib. 2. de ſtultis hominibus, qui revocari non poſſunt conſilio amicorum:

Clamet amica,
Mater, honeſta ſoror, cum cognatis pater, uxor,
Hic foſſa eſt ingens, hic rupes maxima, ſerva:
Non magis audierit, quam Fuſius ebrius olim, &c.

De hac re Eleg. 1. lib. 1. *Vos, qui ſero lapſum revocatis, amici*. *Amici patrii*, a patre relicti. nam amicitiæ & hoſpitia transeunt ad liberos. *Paterni neceſſarii*, Ciceroni pro Murena. & *Paterna neceſſitudo* ſæpe in Epiſtolis. PASS. *Patrios amicos* eſſe agnatos, ait Livinejus ad v. 25. Eleg. 1. lib. 1. noſtri Poetæ. *Avertere*, amovere, arcere. Virgilius 3. Æneid. v. 620. *Dii talem terris avertite peſtem*. Horatii ſententia ſimilis Epodo 11. *Ex qua* (amore) *expedire non amicorum queunt Libera conſilia*. VULP.

v. 10. ELUERE AUT VASTO THESSALA SAGA MARI] Expiare, me in mare vaſtum immergendo. Græcanica παροιμία apud Euſtathium in 1. Iliad. Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. exſtat apud Euripidem in Iphigenia Taurica. Laërtius vero, Euripidem Platoni comitem iviſſe in Ægyptum, & merſum in mare a ſacerdotibus Ægyptiis, ut morbo liberaretur, eum verſum fudiſſe tradit. Cicero pro Sex. Roſcio: *Ne quum delati eſſent in mare* (parricidæ) *ipſum pollueren*t, *quo cetera quæ violata ſunt, expiari putantur*. Lucretius lib. 6. de vi eluendi quam habet mare, ſed citra expiationem:

Non ſi Neptuni fluctu renovare operam des:
Non mare ſi totum velis eluere omnibus undis.

Vide Hadr. Junium Proverb. 58. Centur. 4. & Pauſaniam in Bœoticis de Tanagræorum matronis. Virgilius 6. Æneid. *Aliis ſub gurgite vaſto Infectum eluitur ſcelus*. *Theſſala ſaga*. nam Theſſalia veneficiis infamis; ut

dictum

Hæc ego non ferro, non igne coactus, & ipsa
Naufragus Ægæa vera fatebar aqua.
Correptus sævo Veneris torrebar aheno:
Vinctus eram versas in mea terga manus.

Ecce

dictum ad Eleg. 5. lib. 1. v. 6. *Sage*, mulier perita sacrorum: Festus in *Sagaces*. Nonius: *Saga ad libidinem virorum indagatrices*. Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

At tu quamprimum sagæ præcepta rapacis
Desere.

id est, lenæ. *Sagæ anus quæ multa scire volunt*. Cicero 1. de Divinat. Ovidius lib. 3. Amor. El. 6.

Sagave Phœniceâ defixit lumina cerâ.

nempe venefica. Pass. *Eluere vasto mari*. vide Catullum Carm. 86. in Gellium incestum. Vulp.

v. 11. Hæc ego non ferro, non igne coactus, et ipsa Naufragus Ægæa verba fatebar aqua] De hoc proverbio vide adnotata ad Eleg. 1. l. 1. v. 27. Quod autem addidit hîc mare, sic Horatius Sat. 1. lib. 2. *Nec hiems, ignis, mare, ferrum*. & Ode 6. lib. 1. *Tristes ut iræ, quas neque Noricus Deterret ensis, nec mare naufragum, Nec sævus ignis*. Mens poetæ est: Neque igni, neque ferro tortus, neque in naufragii periculo constitutus cogi ante poteram ad hæc eloquenda verba quæ nunc dixi, non esse formosam scilicet Cynthiam. Legendum tamen fortasse, *Vera*, pro, *verba*. nam fateri vera dicimus, non verba. Martialis Epigr. 5. lib. 10. *Et quum fateri Furia jusseris verum*. De naufragis sua scelera fatentibus Noster Eleg. 26. lib. 2. v. 1, 2, & 4. Pass.

v. 13. Correptus sævo Veneris torrebar aheno] Vide adnotata ad illud Eleg. 6. sup.

Me quoque consimili impositum torrerier igni.

alias, *torquerier*. *Ahenum*, vas aheneum coquendis vel carnibus, vel venenis; ut Eleg. 1. l. 2. v. 54. An hîc pro veru aheneo? nam torreri parum aptum vasi; quum tosta, assata potius, quam elixa intelligantur. Beroaldus de clavo Cupidinis intelligit. vel metaphorice, se ita uri, ut ea quæ in vasis aheneis coquuntur. Pass. *Veneris torrebar aheno*. aheneo Veneris jugo, de quo sic Horatius Ode 33. lib. 1. *Sic visum Veneri, cui placet impares Formas, atque animos sub juga ahenea Sævo mittere cum joco*. & rursus Ode 9. lib. 3. *Quid si prisca redit Venus, Diductosque jugo cogit aheneo?* Et hæc est verissima explicatio. sequitur enim, *Vinctus eram*. jugum & vincula cognationem habent inter se. Noster Elegia 11. lib. hujus:

Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo.

torrere autem hîc est urendo cruciare. Noster Eleg. 3. lib. 4.

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?

Horatius pariter Epist. 10. lib. 1. vocat *urentem calceum*, qui pede minor est, eumque nimis coarctat. Italice: *La scarpa troppo stretta pizzica il piede*. Cornelius Tacitus lib. 13. Annal. cap. 35. *Ambusti multorum artus vi frigoris*. Mirifice vero ad rem nostram Ovidius Epist. Phædræ: *Teneros urunt juga prima juvencos*. ut hîc *torrebar aheno* jugo. Lucretius ita locutus est lib. 3. v. 1032. *Adhibet stimulos, torretque flagellis*. Vulp.

v. 14. Vinctus eram versas in mea terga manus] Brachia mihi retorta, & adstricta erant post tergum Veneris nodo. ductum a captivis. Tibullus Elegia 8. lib. 1.

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit, multis non sine verberibus.

Virgilius 2. Æneid. *Manus juvenem post terga revinctum*. Horatius Ode 5. lib. 3. *Vidi ego civium Retorta tergo brachia libero*. [& Epist. 1. lib. 2.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.] Pass.

Pulchre Nemesius περὶ φύσεως ἀνθρώπου, cap. 3. Λέγομεν ὑπὸ τῆς ἐρωμένης δεδέσθαι τὸν ἐραστήν· οὐ σωματικῶς, οὐδὲ τοπικῶς, ἀλλὰ κατὰ σχέσιν. *Eum qui amat, ab amica vinctum dicimus non corpore, aut loco, sed animi inclinatione*. Vulp.

v. 15.

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Trajectæ Syrtes, anchora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulnera & ad sanum nunc coïere mea.

Meas

v. 15. ECCE CORONATÆ PORTUM TETIGERE CARINÆ] In vado res est mea. effugi omnes amoris procellas. *Coronatæ carinæ*. ut Eleg. 7. lib. 4.

Ecce coronato pars altera vecta phaselo.

Ovidius lib. 6. Fast.

Forte coronatæ juvenum convivio lintres.

& lib. 3. Amor. Eleg. 10.

Jam mea votivâ puppis redimita coronâ
Læta tumescentes æquoris audit aquas.

ἀλληγορικῶς, ut hic. Idem in calce Remed. Amor. *Fessæ date serta carinæ: Contigimus portum*. Ridicule Canterus de portu Athenarum exponit ex El. 21. sup. PASS. *Coronatæ carinæ*. hic erat mos nautarum decurso maritimo itinere. Virgilius 1. Georg. v. 304.

Puppibus & fessi nautæ imposuere coronas.

Sed & ipsi coronabantur. Suetonius Octavio cap. 98. *Forte Puteolanum sinum prætervehenti, vectores nautæque de navi Alexandrina, quæ tantum quod appulerat, candidati, coronatique, & tura libantes, fausta omina, & eximias laudes congesserant*. VULP.

v. 16. TRAJECTÆ SYRTES, ANCHORA JACTA MIHI EST] id est, præternavigatæ, transmissæ. de hoc verbo nautico dixi ad Eleg. 18. sup. v. 31. & *meretrix*, *mare* est Plauto in Asin. & Horatio Ode 5. lib. 1. *Charybdis* quoque Ode 27. Dura videtur translatio Ciceroni, *Syrtis patrimonii*, & *Charybdis bonorum*. *Anchora jacta*. Stat navis in portu firma. usus anchoræ, quamvis in medio etiam mari, tamen in portu est. Virgilius 3. Æneid.

Anchora de prora jacitur, stant litore puppes.

Ut autem *Anchoras jacere* de appulsu, sic *Anchoras tollere* de discessu dixit Varro l. 3. R. R. cap. ult. *Si vultis anchoras tollere, sortitio fit tribuum*. Apud Euripidem in Hecuba, per translationem, Polydorus vocatur οἴκων ἄγκυρα, domus anchora, & firmamentum familiæ. PASS.

v. 17. NUNC DEMUM VASTO FESSI RESIPISCIMUS ÆSTU] Et respiramus fracti tempestate, & mentem recipimus. *Nunc demum*: Donatus in Andriam exponit, Nunc denique. Idem ibid. *Demum*, signum est tarditatis. & in Adelph. & Hecyr. *Demum*, denique, postremo. Festus: *Demum, quod significat post* (lege, *postremo*) *apud Livium, demus legitur. alii demum pro dumtaxat posuerant*. Servius in 1. Georg. & 2. 6. & 12. Æneid. novissime, ad postremum exposuit. *Fessi æstu*; ut Virgilius Ecl. 2. *Fessis messoribus æstu*. & 1. Æneid. *Fessi rerum*. *Æstu*, vel agitatione maris, vel amoris ardore, [tamquam æstu quodam febrili, in quo ægroti delirant,] ut Eleg. 33. lib. 2.

Semper in absentes felicior æstus amantes.

ubi vide adnotata. *Vasto*, vel ingenti, vel vastante. ut *Vasta Charybdis* Eleg. 26. lib. 2. *Resipiscimus*, & respiramus fessi, & mentem recipimus. Terentius Andria 4, 2. *P. Hanc nisi mors mihi adimet nemo*. C. *Resipisco*. id est, Spiritum revocat sensus, inquit Donatus, quia timebat, & desiit timere iis auditis verbis. At Heaut. 4, 8. *Quum te intelligo resipisse*. id est, ad sanitatem rediisse. Cicero pro Sextio: *An quia quum esset ablatus, primumque resipuisset, non se referri jussit?* id est, ad se ex vulneribus rediisset. nam dixerat, *exanimatum*. & hic sequitur, *Vulnera*. quare male apud Ciceronem mutarunt in *Respirassent*. PASS. *Resipiscimus*. ἀναζήσαντες ἢ λαβόντες εἰσδηναι, ait Aristides ἐν πρὸς Πλάτωνα λόγῳ πρώτῳ περὶ Ῥητ. *Vasto æstu*. paullo ante dixit, *Vasto mari*: quæ repetitio minus concinna. *Æstu*. Ovidius interpres Eleg. 5. lib. 3. Amor.

Quem tu mobilibus foliis vitare volebas,
Sed male vitabas, æstus amoris erat. V.

v. 18. VULNERA ET AD SANUM NUNC COÏERE MEA] Sic Plautus Amphitr. act. 4. sc. ult. *Ut primum coivit cicatrix rufula, sublurida*. Corn. Celsus lib. 1. id vocat *Glutinare vulnus*. *Ad sanum*, ad sanitatem usque; ut Eleg. 13. lib. 2. *Ad verum*.

Livius

Mens Bona, ſi qua dea es, tua me in ſacraria condo.
Exciderint ſurdo tot mea vota Jovi.

ELE-

Livius lib. 35. *Ad liquidum veritas explorata*. Quod ait *ad ſomnum coiiſſe vulnere*, repugnat ei quod dixit Eleg. 12. lib. 2.

Nec quiſquam ex illo vulnere ſanus abit. PASS.

Vulnere & ad ſanum nunc coiere mea. Hoc eſt Corn. Celſo *ſaneſcere*. videſis illum lib. 7. cap. 28. Cicero Epiſt. 6. lib. 4. *Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa quæ conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt*. Seneca in Conſolat. ad Marciam cap. 1. *Vulnerum quoque ſanitas facilis eſt dum a ſanguine recentia ſunt*. Μεταφορικῶς Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 479. de rimis quas agunt naves:

Fiſſaque fluctu
Vel pice, vel molli conducere vulnera cera.

vide omnino quæ ad eum locum animadvertit doctiſſimus Burmannus. *Ad ſanum*. Sic Horatius Ode 17. lib. 1. *Hinc tibi Copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu*. & Noſter Eleg. 5. ſup. *Contractis Cornibus in plenum menſtrua Luna redit*. Cicero etiam ita locutus lib. 3. ad Q. Fratrem Epiſt. 3. *Expolitiones utriuſque noſtrûm ſunt in manibus: ſed tua ad perfectum jam res ruſtica Arcani & Laterii*. Ad quem locum recte Franciſcus Junius, *phraſin eſſe pectonicam*, ſcribit, *certo conſilio a Cicerone ſervatam, & illi medicorum perſimilem*, ad tertias, ad quartas, &c. Subjungit præterea, *in tanto manu ſcriptorum conſenſu, nihil ſe mutandum cenſere*. Denique Livius lib. 2. Hiſt. *Incenſus Tarquinius non dolore ſolum tantæ ad irritum cadentis ſpei, ſed etiam odio iraque*. VULP. Groninganus, *Vulneraque ad ſaniem*. monitum olim Palmerio, & probatum Grutero L. 1. Suſpic. C. 7. neque aliter membranas Palatinas habere teſtatur Gebhardus. certe medicorum filii tum bene ſperant de vulneribus, quum ad ſaniem maturuerunt, remittente acri illo dolore. pro lectione vulgata ſtare videri poteſt Phædrus L. 5. Fab. 8. *Aliquot menſes tranſeunt, Ad ſanitatem dum venit curatio*. ſermo eſt iſtic de tibia confracta. Verum noſter poeta hic demum incipiebat noſcere animi ſui ægritudinem, vulnere nondum ducente cicatricem. BROUKH.

v. 19. MENS BONA, SI QUA DEA ES, TUA ME IN SACRARIA DONO] De Mente dea D. Auguſtinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 21. Eique veteres ſupplicaſſe ait, ut bonam mentem haberent. Cicero 2. de Legib. *Menti, Virtuti, Pietati, Fidei dedicata publice templa*. & 2. de Nat. Deor. ait, a M. Æmilio Scauro Mentem dedicatam. Ejus verba citat hic Beroaldus. Lactantius cap. 20. de falſa religione: *Eadem vanitate Mentem inter deos collocavit Senatus, quam profecto ſi habuiſſet, ejuſmodi ſacra numquam ſuſcepiſſet*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Mens Bona ducetur manibus poſt terga retortis,
Et Pudor, & caſtris quidquid Amoris obeſt.

& 6. Faſt.

Spem metus abſtulerat, quum Menti vota Senatus
Suſcipit, & melior protinus ille venit.

Livius lib. 22. *Menti ædem Attilius prætor vovit*. Idem lib. 23. *T. Otacilius Craſſus ædem Mentis in Capitolio dedicavit. Ea erat canale uno diſcreta ædem Veneris Erycinæ, canali uno diſcreta*. Seneca Epiſt. 10. *Veterum tuorum, veterum licet, diis gratiam facias, alia de integro ſuſcipe. Roga Bonam Mentem*. *Si qua dea es*. ut Eleg. 15. ſup. v. 21. *Si deus es*; ubi vide adnotata. *Tua me in ſacraria dono*. ut Eleg. 11. ſup. *Addictos in ſua jura patres*. & tradere in tutelam, fidem, cuſtodiam. *Dono*. dedico, addico, & mancipo; unde dona & donaria. Quid *ſacrarium*, dictum ad Elegiam 13. ſup. v. 4. PASS. *Mens Bona, ſi qua dea es*. Gruterus Inſcr. XCIX. 7.

M. SEPTIMIVS. C. F.
MENTI. FIDEIQ. DEAE
PRAESENTIBVS
EX. VOTO. S. P.

iſtud *ſi* affirmantis eſt, & valet *quum dea ſis*. Virgilius L. 1. Æn.

Dii

Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant.

sic & alibi. *Tua me in sacraria dono*. admodum elegans est Nic. Heinsii emendatio, Not. in Epistolam Acontii v. 188. *tua me in sacraria conde*. neque dubito quin sit vera. Festus: *Condere proprie est in interiorem locum dare, ad custodiam faciliorem*. talia vero erant sacraria, ad quæ nullus profanis accessus. Valerius Maximus L. 6. C. 5. *Itaque Cottam in tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem, tribunicia inde justicia extraxit*. hinc *condi* factum est verbum sacrorum. Ovidius L. 2. Art. Amat.

Condita si non sunt Veneris mysteria cistis.

Suetonius Oth. C. 8. *Expeditionem impigre, atque etiam præpropere inchoavit, nulla ne religionum quidem cura, sed & motis, nec dum conditis ancilibus*. Sic *animam, umbras, manes sepulcro condere*. item *condere fulmina, fulgura*. Et Lipsius hic legit *conde* Comment. in Senecæ Epist. 10. an ex libris? non addit. *Sacraria*. Claudianus de IV. Conf. Honor. 256.

Hos igitur potuit si quis sedare tumultus,
Inconcussa dabit puræ sacraria Menti.
BROUKH.

Mens Bona, si qua dea es. Confer Ovidium 6. Fast. v. 241. *Mens quoque numen habet*, &c. Non cum vulgo facit M. Tullius lib. 3. de Nat. Deor. *Mentem, fidem*, ait, *spem, virtutem, honorem, victoriam, salutem, concordiam, ceteraque ejusmodi, rerum vim habere videmus, non deorum*. VULP.

v. 20. EXCIDERUNT SURDO TOT MEA VOTA JOVI] Vota, inquit, multa suscepi, sed Juppiter eorum oblitus est, vel audire noluit, aut non potuit. Sic Eleg. 7. lib. 4.

Jamne tibi exciderunt vigilantis furta Suburræ?

Eadem sententia Eleg. ult. lib. 4.

Te licet orantem fuscæ deus audiat aulæ,
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.

Surdi enim qui audire nolunt, & annuere, ut Eleg. 5. lib. 4. v. 48. Eleg. 16. lib. 2. v. 36. Ut Jovem suum parum religiose tractet Propertius, adnotavi ad Eleg. 15. sup. v. 26. PASS. *Exciderunt*. hæc est Passeratii lectio a Gebhardo probata. in libris fere est *Exciderant*. mihi omnium minime displicet *Exciderint*, quod post Livinejum etiam Nic. Heinsius malebat. BR. *Exciderunt vota Jovi*. oblitus est votorum meorum Juppiter. Livius ita locutus lib. 22. *Extemplo occupatus certamine est animus, excideruntque præcepta dictatoris*. Sperat Poeta se a Bona Mente impetraturum quæ a Jove impetrare non potuit; quasi cum Stoicis dicat: Juppiter

Det vitam, det opes: æquum mi animum ipse parabo.

Si legere malis *Exciderint*, optantis aut sentientis erit. Ovidius Epist. Acontii:

Exciderint animo fœdera lecta tuo.

Valerius Flaccus lib. 3. v. 461.

Exciderint quæ gesta manu, quæ debita fatis.

Contra Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 3.

Audierit nostras tot Cytherea preces. VULP.

ELEGIA XXV.

Risus eram positis inter convivia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:
Ungue meam morso sæpe querere fidem.

Nil

ARGUMENTUM ELEGIÆ XXV. LIBRI III.] Receptui canit, Cynthiæ vale dicit, eidemque malam senectutem imprecatur. VULP.

v. 1. RISUS ERAM POSITIS INTER CONVIVIA MENSIS] Sic Ovidius 1. Fast. de Priapo:

Omnibus ad Lunæ lumina risus erat.

id est fabula, ludus & jocus. vide alia ejus generis exempla ad Eleg. 21. lib. 2. v. 7. *Inter convivia positis mensis*, in vino & epulis; ut Eleg. 10. sup. *Nosque inter pocula curras.* εἰς τὸ αὐτὸ, *Inter convivia & positis mensis.* *Mensis*, vel τραπέζαις, vel epulis ipsis. Ovidius Epist. Paridis:

At mihi conspicerer posita tum denique mensa.

Martialis alicubi:

Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Horatius Sat. 3. lib. 2. *Mensam poni jubet, atque Effundi saccos nummorum*, Juvenalis Sat. 15.

Ne magna gaudia cœnæ
Sentirent, positis ad templa & compita mensis.

Plautus Asin. 5, 1. *Pueri, mensam apponite.* nam ut ponebatur, ita & auferebatur. Idem Amphitr. *Te dormitare ajebas, mensa ablata est.* Virgilius 1. Æneid.

Postquam exemta fames epulis, mensæque remotæ. PASS.

Risus eram. Horatius Sat. 5. lib. 2. *Nec sis jocus.* VULP.

v. 2. ET DE ME POTERAT QUILIBET ESSE LOQUAX] Argumentum satis magnum garriendi cuilibet præbebam. nam, ut ait Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 11.

In caussa facili cuivis licet esse diserto.

Sic Eleg. 20. sup.

Et caput argutæ præbeat historiæ.

& Eleg. 20. lib. 2.

Quum de me & de te compita nulla tacent.

Loquax. Varro 5. de L. L. *Is loquitur, qui suo loco quodque verbum sciens ponit.* Hinc dictus *loquax* qui nimium loquitur, & *eloquens* qui copiose loquitur. PASS. Eodem flexu Ovidius Epist. Deïaniræ v. 48.

Et mater de te qualibet esse potest. VULP.

v. 3. QUINQUE TIBI POTUI SERVIRE FIDELITER ANNOS] Perferentis est & obdurantis. ut Eleg. 1. lib. 1. *Pœnis domuisse puellam.* *Servire*, ut Eleg. 4. lib. 1.

Hoc magis assueto vivere servitio.

Contra Eleg. 26. lib. 2.

Nunc admirentur quod tam mihi pulchra puella
Serviat.

Quinque annos. Eleg. 8. sup.

Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuumque domum.

Fideliter. Horatius Epist. 18. lib. 1.

Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Cicero 1. Offic. *Fideliter vivere.* Idem Epist. 17. lib. 16. ad famil. reprehendit Tironem, qui scripsisset, Valetudini fideliter inserviendo. *Unde*, inquit, *in istum locum, Fideliter, venit? cui verbo domicilium est proprium in officio; migrationes in alienum multæ, nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici potest, ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda translatio.* Atqui Propertius fideliter servire ita dixit, ut *fidelis servus* dicitur, & inde transtulit Tiro. Sic dicitur dare operam valetudini. Plautus autem Captiv. 2, 2. *Volo te herus dare operam fideliter.* Quid quod A. Gellius lib. 17. cap. 13. *Fidelius*, inquit, *constan-*

tiusque

Nil moveor lacrimis: iſta ſum captus ab arte.
Semper ab inſidiis, Cynthia, flere ſoles.
Flebo ego diſcedens, ſed fletum injuria vincit.
Tu bene conveniens non ſinis eſſe jugum.

Limi-

tiuſque valent quartanam paſſi ? Si fideliter valere dicitur, cur nun & fideliter inſervire valetudini? Sic & Philipp. 13. bis peccavit Ciceru quum reprehendit *partes*, & *piiſſimus*. PASS.

v. 4. UNGUE MEAM MORSO SÆPE QUERERE FIDEM] Valde tibi dulebit, quod tam fidelem amiſeris tuâ culpâ. *Ungue morſa. dentibus corrupta*, Eleg. 4. lib. 2. v. 3. Sic *morſe colle* Eleg. 8. ſup. v. 21. Mordere ungues ac rodere geſtus iratorum eſt, & dolentium; ut adnotatum ad dictam Eleg. 4. lib. 2. v. 3. Lege & Veterem Interpretem Horatii ad illud Epod. 5. *Dente livide Canidia rodeus pollicem*. *Queri fidem*, hic nun eſt fidem accuſare; ſed querelis teſtari dolorem. Sic Eleg. 7. lib. 4.

Et quereret lecti frigida regna mei.

Plautus Caſina: *Nunc hinc meas fortunas eo queſtum ad vicinas*. Noſter Elegia 17. lib. 2.

Tum flebit quum mi ſenſerit eſſe fidem.

& Eleg. 24. ejuſd. lib.

Oſſa, Properti,
Hæc tua ſunt. eheu tu mihi certus eras.

PASS.

v. 5. NIL MOVEOR LACRIMIS: ISTA SUM CAPTUS AB ARTE] Tuæ me lacrimæ non flectunt. Sic Virgilius 4. Æneid. *Nullis ille movetur Fletibus*. *Captus*, deceptus & in fraudem inductus. Virgilius 2. Æneid. *Captique dolis, lacrimiſque coacti*. Ovidius Epiſt. Phyllidis:

Credidimus lacrimis. an & hæ ſimulare docentur?
Hæ quoque habent artes, quaque jubentur eunt.

Idem in Remed. Amor.

Neve puellarum lacrimis moveare caveto.
Ut flerent, oculos erudiere ſuos.

& alibi ſæpe. De lacrimis invitis vide adnotata ad Eleg. 15. lib. 2. v. 40. *Arte*, dolo. dixi ad Eleg. 30. ſup. v. 50. PASS.

v. 6. SEMPER AB INSIDIIS, CYNTHIA, FLERE SOLES] Sic Plautus Aſin. 5, 2. *Aucupemus ex inſidiis quam rem gerat*. & Aulul. 1, 1. *Metuo, ex inſidiis ne mihi verba imprudenti duit*. De inſidiis Cynthiæ, Eleg. 32. lib. 2.

Nil agis, inſidias in me componis inanes.

Tibullus de inſidiis Amoris Eleg. 6. lib. 1.

An gloria magna eſt
Inſidias homini compoſuiſſe deum? PASS.

Ab inſidiis flere ſoles. Quum inſidias in me compoſuiſti, tum vero ſoles dolorem ſimulare, tunc impotentem zelotypiam præ te ferre, ut ſcilicet ſuſpicionem criminis a te avertas, & in amantem ſabam cudas. Unicus Interpres muliebris hujus verſutiæ Juvenalis Sat. 6. v. 269.

Tunc gravis illa viro, tunc orbâ tigride pejor,
Quum ſimulat gemitus occulti conſcia facti:
Aut odit pueros, aut fictâ pellice plorat
Uberibus ſemper lacrimis, ſemperque paratis
In ſtatione ſua, atque exſpectantibus illam,
Quo jubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis
Exſorbes; quæ ſcripta, & quas lecture tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur ſcrinia mœchæ!

Vel, *ab inſidiis* eſt inſidioſe, doloſe. ut Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Et tenerum molli torquet ab arte latus.

τὸ ab περιττεύει. VULP.

v. 7. FLEBO EGO DISCEDENS, SED FLETUM INJURIA VINCIT] Sic Eleg. 16. lib. 2.

Nullane ſedabit noſtros injuria fletus?

ubi vide adnotata de injuria lacrimas ſupprimente, & amorem ſolvente. *Diſcedens flebo*. Virgilius 3. Æneid.

Hos

Limina jam nostris valeant lacrimantia verbis,
Nec tamen irata janua fracta manu.

At

Hoc ego discedens lacrimis ico faber obortis.

& Ecl. 3.

Phyllida amo ante alias, nam me discedere flevit.

Vide & Tibullum Eleg. 3. lib. 1. PASS.

v. 8. TU BENE CONVENIENS NON SINIS ESSE JUGUM] Legitur &, *Iro*. sic Eleg. 5. lib. 1.

Et sino noc cursu quo sumus ire pares.

ubi lege adnotata. An *Isss*; unde natum, *esse? Tu nou finie*, non pateris, per te stat. ut Eleg. 2. lib. 1.

Nec finere iu propriis membra nitere bonis.

Jugum non bene-conveniens; injustum. Eleg. 5. lib. 2. v. 14. nota translatio. unde *jugalia vincla*, & conjuges, & jugum, matrimonii symbolon. Horatius Ode 35. lib. 1. *Amici Ferro jugum pariter dolosi*. Virgilius 3. Æneid. *Colla jugo concordia ferre*. Plinius Cæcilius in Epistolis dixit: *Ex aquo jugum ducere*. Græcorum proverbium est: Ἐγώ τε, ἢ σὺ τὸν αὐτὸν ἕλκωμεν ζυγόν. Theocritus Idyll. 12. Ἀλλήλους δ' ἐφίλασαν ἴσῳ ζυγῷ. Locus est insignis Ausonii Epist. 24, ad Paulinum; qui ad illustrandum hunc Propertii facit mirum in modum:

Discutimur, Pauline, jugum, quod certa fovebat
Temperies: leve quod positu, & tolerabile junctis,
Tractabat paribus concordia mitis habenis;
Quod per tam longam seriem volventibus annis
Fabula non umquam, numquam querimonia movit,
Nulla querela loco pepulit, non ira, nec error,
Nec quæ compositis malesuada credula causis
Concinnat verisimilis suspicio culpas.

& infra v. 20.

Discutimur, Pauline, tamen: nec culpa duorum
Ista, sed unius tantum tua. namque ego semper
Contenta cervice feram. consorte laborum
Destituor. nec tam promtum gestare duobus.
Unum deficiente pari perferre sodalem.
Non animus, viresque labant: sed iniqua ferendo
Conditio est oneri, quum pondus utrumque relicta
Ingruit; accedunt que aliena pondera libræ.

Vide & Paulinum ipsum ad Ausonium Epist. 2. Vetus Gloss. *Disperile*, ἄνισον, ἄζυγον. *Bene-convenientes*: Afranius Divortio apud Nonium in *Spurcum*: *O dignum facinus adolescentia! optimas, bene-convenientes, & concordes cum viris Repente viduas faciat spurcitia patris*. Suetonius in Tiberio cap. 7. *Agrippinam* .... *uxorem* .... *quamquam bene-convenientem, rursumque gravidam dimittere* .... *coactus est*. Ovidius 2. Metam.

Non bene-conveniunt, nec in una sede morantur
Majestas & amor.

Catullus Carm. 57. *Pulchre convenit improbis cinædis*. A. Gellius lib. 12. cap. 5. *Me scis non bene-convenire cum Stoicis*. PASS. Epitheton *conveniens* valde bellum est in hoc negotio. Terentius Andr. Act. 4. Sc. 2. *Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant, Qui inter nos dissidium volunt*. Ovidius Remed. Amor.

Quid lacrimas, odiose senex? bene-convenit illis.
Officio natam lædis, inepte, tuo. BR.

Adde Martialem in conjuges dissidentes: *Miror non bene-convenire vobis*. VULP.

v. 9. LIMINA JAM NOSTRIS VALEANT LACRIMANTIA VERBIS] Theocritus in Eraste: Ἄρτι δὲ χαίρειν Τοῖσι τοῖς προθύροις ἐπιβαλλόμεναι. Plautus Mercat. 5, 1. *Limen superum inferumque salve: simul autem vale*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 6.

Vos quoque crudeles rigido cum limine postes,

Dura-

At te celatis ætas gravis urgeat annis,
Et veniat formæ ruga ſiniſtra tuæ.

Velle-

Duraque conſerva ligna valete foret.
Noſter Eleg. 21. ſup.
Romana turres, & vos valeatis amici.
Limina lacrimantia, inquit, quaſi ipſius querelis illacriment, fletuque amantis rigata, videantur & ipſa flere; ut ſaxea Niobe. Perſius Sat. 5.
Dum Chryſidis udas
Ebrius ante foret extincta cum face canto.
Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 6.
Aſpice, (& , ut videas, immitia clauſtra relaxa)
Uda ſit ut lacrimis janua facta meis.
Vide & Martialem Epigr. 13. lib. 10. Contra Eleg. 16. lib. 1. ad Januam:
Tu ſola humanos numquam miſerata labores.
Verbis. querelis. ut Eleg. 6. lib. 1.
Sed me complexæ remorantur verba puellæ. P. Verbis ſimplicibus tam crebro Aurelius noſter utitur pro compoſitis, ut illa tantum non adfectare videatur. ita hic *lacrimantia* poſuit pro illacrimantia, ſive collacrimantia: quaſi limina Cynthiæ, ipſius lacrimis rigata, non potuiſſent non collacrimari cum miſero & excluſo amatore. BROUKH.

v. 10. NEC TAMEN IRATA JANUA FRACTA MANU] τὸ *Nec* dividendum: & valeat janua non fracta tamen quamvis ab irato. ſubauditur enim *quamvis*, ut Eleg. ult. lib. 2. v. 50. De more amantium januam pulſantium, vel frangentium dictum eſt ad Eleg. 16. lib. 1. v. 6. & ad Eleg. 5. lib. 2. v. 22. *Irata manu*. ut Eleg. 6. lib. 1. *Inſanit ora notet manibus*. PASS.

v. 11. AT TE CELATIS ÆTAS GRAVIS URGEAT ANNIS] Formula imprecantis; ut Eleg. 8. ſup. v. 37. *Gravis ætas*. dixi ad Eleg. 5. ſup. v. 23. *Urgeat*, pondere ſuo premat, & curvam reddat. Virgilius 3. Æneid. *Urgeri mole hac*. & 2. Georg. *Ingentis pondere teſta Urgerent*. & Noſter Elegia ult. lib. 4.
Infelix humeros urgeat urna meos.
Annis celatis, occultis & tacitis, & tectis; ut *Celata virtus*, Horatio Ode 9. lib. 4. & in Catalectis:
Quis te celata cum face vidit, Amor?
De lapſu temporis Ovidius lib. 6. Faſt.
Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis.
Idem lib. 3. Triſt. Eleg. 7.
Injicietque manus formæ damnoſa ſenectus,
Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.
Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Jam ſubrepet iners ætas*. quod arripuit & explicavit Juvenalis Sat. 9. v. 129. *Obrepit non intellecta ſenectus*. quam ſcilicet venientem vix ſentimus. PASS. Confer Ovidium 3. A. A. a v. 69. VULP.

v. 12. ET VENIAT FORMÆ RUGA SINISTRA TUÆ] Dixerat contra Elegia 2. lib. 2.
Hanc utinam faciem nolit mutare ſenectus.
Veniat ruga, fiat & ſit facies tua rugoſa. ut Eleg. 4. ſup. *Veniet provincia*. Sic Ovidius lib. 2. A. A.
Et tibi jam venient cani, formoſe, capilli,
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Ruga, quæ arat ſenum faciem quum laxatur cutis. Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 7.
Iſta decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte ſenilis erit.
Tibullus Eleg. 2. lib. 2.
Vincula quæ maneant ſemper, dum tarda ſenectus,
Inducat rugas, inficiatque comas.
Ruga proprie in veſte πτὺξ, πτύγμα 1 *un pli*. Inde rugæ frontis; ἀμαρυγὰ, ῥυτίδες. & Gallis contracto vocabulo *Rides*. *Siniſtra formæ tuæ*; inimica, noxia, contraria. dictum a quibuſdam avibus quæ ſiniſtræ infauſtæ ſunt. Sic Virgilius 1. Georg.
Arboribuſque ſatiſque Notus, pecorique ſiniſter.
id eſt, noxius, inquit Servius. & 11. Æn.
Ob auſpicium infauſtum, moreſque ſiniſtros.
id eſt, contrarios, inquit idem Servius. Ovidius Epiſt. Cydippes:
Et fuit ad noſtras hora ſiniſtra vias.

Sue-

Vellere tum cupies albos a ftirpe capillos,
Et fpeculo rugas increpitante tibi.

Exclu-

Suetonius in Tiberio cap. 25. *Quands mibi finiftra fortuna filies eripuit*. Siniftrum a finendo: Servius in 2. Æneid. Feftus in *Siniftræ aves*. De aufpicio finiftro videndus Cicero lib. 2. de Divin. PASS.

v. 13. VELLERE TUM CUPIES ALBOS A STIRPE CAPILLOS] Volfellis ftirpitus extrahere. nam a vellendo volfellæ. fic *Vellere pilos*, Horatius Epift. 2. lib. 2. & *Vellere barbam*, Sat. 3. lib. 1. Prior Tibullus dixerat Eleg. 8. lib. 1.

Tellere tunc cura eft albos a ftirpe capillos,
Et faciem demta pelle referre novam.

Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 5. dixit, *legere canos*. agens de Julia, de qua refert hiftoriam Beroaldus ad hunc locum. Græce *τρίχας τίλλειν* eft depilare; quod fiebat cinædis. Plautus Trucul. 2, 2. *Jam ego iftos fictos, compofitos, crifpos, cincinnos tuos unguentatos ufque e cerebro evellam*. Et in luctu comam vellebant. Martialis lib. 2. *Et dextra pectus pulfat, & comam vellit*. Ductum a plantis & herbis, quæ radicibus hærent, & inde eruuntur. Virgilius 3. Æneid. *Solo ruptis radicibus arbos Vellitur*. Alludit ad fabellam Gabriæ in tetraftichis:

Ἐρωμένας δύ' εἶχεν ἀνὴρ μιξόπολιξ,
Χρέιω δ' ἐγγεγηρᾶναι πάντη κ τρόπῳ·
Ἡ μὲν μελαίνας, ἁ δὲ λευκὰς ἔκφερον:
Ἐξ ὧν φιλωθεὶς πᾶσι ὀραθη γέλως.

[Quam fabellam expreffit & Phædrus l. 2, 2.] *A ftirpe vellere*, ftirpitus extrahere Cicero 4. Tufc. quod uno verbo exftirpare. Servius in illud 1. Georg. *A ftirpe pedes temo protentus in octo*. a radice, inquit, vel ima fummitate. *Albos capillos*. Horatius *Capitis nives*, dixit. unde *Alba fenecta*, Eleg. 5. fup. v. 24. PASS. Vaticanus Livineji *cupias*: fed folus. rectum eft *cupies*. nam vaticinatur, & futura canit. unde apparet, in difticho fequente fcribendum effe *patiere*, & *quereris*: quæ jam non amplius pendent ab imprecatione, fed, ut dixi, a vaticinio. Horatius L. 1. Ode 25. *Invicem mœchos anus arrogantes Flebis in folo levis angiportu*. plura iftic funt, bene huc facientia. BROUKH. *Vellere capillos*. vide, fi tanti effe exiftimas, Epigramma noftrum πολυθρύλλητον de Helena fenefcente. Lege etiam Phædrum Fab. 2. lib. 2. de anu & puella rivalibus: item Gabriam in tetraftichis. Homerus Iliad. lib. κ. v. 15. de Agamemnone:

Πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας. VULP.

v. 14. A SPECULO RUGAS INCREPITANTE TIBI] Beroaldi liber habet, *Et*. quæ vera lectio, hac fententia: Tum cupias vellere albos capillos, etiam fpeculo (illos) increpitante, & increpitante rugas. nam *Et* geminandum. vel, *A fpeculo*, eft, poft fpeculum, quod rugas tibi increpitarit, vel poftquam fpeculum increpitarit rugas tibi. ut Eleg. 16. lib. 1. *A longis triftior excubiis*. vel vacat, ut Eleg. 27. lib. 2. v. 11. Alias legitur, *Ah*, quod eft miferantis. *Increpitante*, velut exprobrante. nam quafi conviciatur fpeculum deformi. Ovidius de Medicamine faciei:

Tempus erit, quo vos fpeculum vidiffe pigebit:
Et veniet rugis altera cauffa dolor.

Idem lib. 3. Trift. Eleg. 7.

Cumque aliquis dicet, Fuit hæc formofa, dolebis,
Et fpeculum mendax effe querere tuum.

PASS.

Beroaldi, ac Gebhardi libri, cum Borrichiano, habebant *Et fpeculo*. recte. ita etiam citavit hunc verfum Cyllenius ad Tibull. I, 9. *Tellere tunc cura eft albos a ftirpe capillos*. etiam ipfo fpeculo, nequicquam muto, exprobrante tibi frontis rugas, & formæ damna. --- pulcre Aufonius de Laïde fpeculum fuum Veneri ponente:

Laïs anus fpeculum Veneri dico: dignum habeat fe
Æterna æternum forma minifterium.
At mihi nullus in hoc ufus: quia cernere talem,
Qualis fum, nolo: qualis eram, nequeo.

BROUKH.

v. 15.

Exclusa inque vicem fastus patiere superbos,
Et quæ fecisti facta quereris anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
Eventum formæ disce timere tuæ.

v. 15. EXCLUSA INQUE VICEM FASTUS PATIARE SUPERBOS] Sic Ovidius 3. A. A. minatur suæ Nemesin:

Tempus erit quo tu, quæ nunc excludis amantes,
Frigida deserta nocte jacebis humo.

Tibullus pariter Eleg. 8. lib. 1.

At te pœna manet, nisi desinis esse superba.

vide & Catullum Carm. 50. *Inque vicem*. Horatius Sat. 3. lib. 1.

Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici:
Inque vicem illorum patiar delicta libenter.

ubi & *patiar delicta*, ut, *fastus patiare*. Idem Epodo 15.

Eheu translatos alio mærebis amores:
Ast ego vicissim risero. PASS.

Fastus p. s. Secundus noster L. 2. Eleg. 8.

Sera tibi veniet fastûs vindicta superbi:
Ætatis severa criminis flebis anus.

plura istic sunt, quæ videre volupe erit, magno artificio Umbri nostri lineas & colores referentis. BROUKH. *Inque vicem*. Similis imago apud Lucretium lib. 1. v. 79. *Relligio pedibus subjecta vicissim Obteritur*. nimirum, sicut superstitio homines philosophiæ rudes olim obtriverat, ante exortum Epicuri, sic ipsa demum a sapientibus invicem obteritur. *Fastus superbos*. *superba fastidia* dixit Virgilius Ecloga 2. *patiare*. Editio princeps omnium, *patiere*; & versu sequenti, *quereris*. VULP.

v. 16. ET QUÆ FECISTI, FACTA QUERARIS ANUS] Dilogia. & *facta anus*, & *facta quereris*. alterum feminino genere singulari numero, alterum numero plurali genere neutro. *facta anus*, ut Eleg. 9. lib. 2. v. 8. *facta quereris*, ut Eleg. 18. lib. 1. v. 26. PASS.

v. 17. HAS TIBI FATALES CECINIT MEA PAGINA DIRAS] Indixit, vel prædixit. aut quia certo carmine diræ concinebantur, sicut Plutarchus in Crasso, & Appianus in Bello Parthico docet. Tibullus Eleg. 7. lib. 2.

Tunc tibi, lena, precor diras. satis anxia vivas,
Moverit e votis pars quotacumque deos.

diras dixit, mox *vota*. Lucanus lib. 3.

Crassumque in bella secutæ
Sæva tribunitiæ voverunt prælia diræ.

Servius in 3. Æneid. Furiæ & canes apud inferos; apud superos Diræ & canes; in medio Harpyiæ. Idem in 4. Diræ in cælo; Furiæ in terris; Eumenides apud inferos. Idem in 8. Diræ, sunt ultrices deæ. *Fatales*. an immutabiles? an exitiales? Sic Virgilius 2. Æneid. *Scandit fatalis machina muros*. Cicero 2. Philipp. *Quoniam domi tuæ est quod fuit eorum utrique fatale*. PASS. De *diris* vide Ciceronem lib. 1. de Divinat. ab illis verbis: *M. Crasso quid acciderit videmus dirarum obnuntiatione neglecta*. *Cecinit diras*. vaticinata est. Corn. Nepos in Attici vita: *Non solum quæ vivo se acciderunt, futura prædixit* (Cicero), *sed etiam quæ nunc usu veniunt, cecinit, ut vates*. Servius ad 1. versum Æneid. *Cano, polysemus sermo est. tria enim significat. aliquando laudo; ut, Regemque canebant: aliquando divino; ut, Ipsa canas oro. aliquando canto; ut in hoc loco*. Ita locuti & Græci. Zenobius παροιμιογράφος Centur. 6. Proverb. 14. Τὸ κιϑαρίζειν, οἷον ἐμαντεύσατο. ὥς φησιν Αἰσχύλος ἐν Αἴαντι Λοκρῷ. *Verbum citharizavit, tamquam vaticinatus est: ut dicit Æschylus in Ajace Locrensi*. VULP.

v. 18. EVENTUM FORMÆ DISCE TIMERE TUÆ] Id quod formæ tuæ debet evenire, nempe, rugas, & canos. supra hac Elegia:

Et veniat formæ ruga sinistra tuæ.

Disce timere; fac timeas; & incipe id conari quod non consuevisti. Sic Eleg. 11. sup.

Tu nunc exemplo disce timere meo.

Disce timere, quia saltem malo imminenti admoneri debes, quum instet tibi deformis senectus. Ipse Eleg. ult. lib. 4.

Disci-

Discite venturam jam nunc sentire senectam.

Vaticinatus autem, hoc est, hallucinatus est Propertius. nam Cynthia non consenuit; sed mox interiit, ut intelligitur ex Eleg. 7. lib. 4. PASS. Eventus, exitus est. Hinc illud Ovidii Epist. Phyllidis, omnium ore pervulgatum:

Exitus acta probat. careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Quum autem superiore Propertii versu *canere* sit vaticinari, *eventui* hoc verbum optime convenit. Suavissimus Tibullus, oris verè Romani poeta, præivit Umbro nostro eadem loquendi proprietate, Eleg. 6. lib. 1. sic enim de fatidica Bellonæ sacerdote:

Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus quos dea magna monet.

Item Eleg. 7. ejusdem libri:

Hunc cecinere diem Parcæ, fatalia nentes
Stamina, non ulli dissolvenda deo.
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.

Evenere.

Disce timere. Timor nempe iste, quasi frenis injectis, e superba atque intolerabili facilem & mansuetam efficiet. Ovidius pariter lib. 3. A. A. v. 455.

Discite ab alterius vestris timuisse querelis:
Janua fallaci nec sit aperta viro.

Sic *discere amare*. Noster Eleg. 24. lib. 2.

Contendat mecum ingenio, contendat & arte;
In primis una discat amare domo.

Neque abit illud Maronis lib. 4. Æneid. v. 433.

Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere. V.

SEX.

SEX. AURELII
PROPERTII

Liber Quartus.

Separatur ab aliis hic liber; nam Eleg. 13. lib. 2. inquit: *Sat sit magna mei si tres sint pompa libelli*. Pass.

Elegia Prima.

HOc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.

Atque

Argumentum Elegiæ I. Libri IV.] Fingit, se, dum originem atque incrementa rerum Romanarum carmine persequi vellet, admonitum a quodam Babylonio astrorum perito, ut intra gyrum ingenii sui consistens, Elegos tantum luderet. Vulp.

v. 1. Hoc quodcumque vides, hospes, quam maxima Roma est] Blande hospitis nomine compellabant ignotos. Varro apud Nonium in *Miras*:

Hospes, quid miras animo oturare Serapiu?

aliàs, *Numo*. Cicero in Bruto, de Attica anu & Theophrasto: *Hospes, non pote minoris*. Peregrini nomen minus est, & nihil religionis habet: Advenæ nomen odiosius, quia sedes sibi capit; quum hospes ad tempus moretur. Iccirco Hospes ubique in monimentorum Inscriptionibus. Bene, *Hospes*; quia hospites & peregrini rerum nostrarum ignari sunt, ideoque monendi. unde Cicero pro Milone: *Hospitem esse, & aures peregrinari*. & Academ. poster. *Nos in nostra urbe peregrinantes, errantesque tamquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt; ut possemus aliquando, qui & ubi essemus, agnoscere*. Donatus in Phorm. 4, a. ad ea verba, *Dum hunc adorior hospitem*. Astute hospitem, inquit, de eo qui supervenit. nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum scientia. Sallustius: *Vitam sicut peregrinantes transigere*. Hæc Donatus. Hospes prænomen etiam fuit, in eo qui peregri apud hospitem natus erat. T. Probus. τὸ *Hoc* δεικτικῶς. Varro Ἡρακλέης *tuam fidem*, apud Nonium in *Tutanus*: *Tutatus hoc, Tutanus Romæ nuncupor*. *Hoc quodcumque vides*. ut Cicero 6. de Republ. *Cujus est templum hoc omne, quod conspicis*. Lucanus lib. 9.

Juppiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Lucretius lib. 2. *Hoc ævi quodcumque est*. Virgilius 1. Æneid. *Quodcumque hoc regni*. *Quam maxima Roma*. τὸ *Quam* etiam comparativo & superlativo jungitur. aliàs legitur, *quæ*. Roma autem quam maxima. sic Virgilius 2. Georg. *Rerum facta est pulcherrima Roma*. & 7. Æneid. *Nunc maxima rerum Roma colit*. Horatius Carm. sæc. *Possis nihil urbe Roma Visere majus*. Noster Eleg. 11. lib. 3.

Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi.

Roma Græcum nomen, Ῥώμη, Latinum *Valentia*. vide Festum in *Roma*, & Dionysium Halic. Dicta & *Cephalon*: Festus ibidem. Pass. *qua maxima Roma est* bene emendavit doctissimus Gronovius L. 3. Observ. C. 19.

Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phœbo,
Evandri profugæ concubuere boves.

Fisti-

qua valet, ea parte Latii ubi nunc est urbs æterna. Janus quoque Douza Pater correxerat *qua* in margine sui libri. etiam Ludovicus Carrio sic legebat L. 1. Ant. Lect. C. 5. BROUKH. *Hoc quodcumque vides.* Ita Seneca Epist. 95. *Omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est.* Claudianus quoque Gigantomachia v. 14.

O pubes domitura deos, quodcumque videtis,
Pugnando dabitur. præstat victoria mundum.

Qua maxima Roma est. Lucretius eodem modo lib. 1.

Nam quacumque vacat spatium, quod inane vocamus,
Corpus ea non est. VULP.

v. 2. ANTE PHRYGEM ÆNEAM COLLIS ET HERBA FUIT] Ante Æneæ Phrygis in Italiam adventum. nam inde repetit urbis incunabula, ut Virgilius 1. Æneid. & Livius lib. 1. Sic Ovidius lib. 3. A. A.

Et profugum Ænean altæ primordia Romæ.

Phrygem dixit in laudem, quum sæpius in vitium usurpetur. nam, ut ait Ausonius,

Barbarus est Lydus, fallax Geta, femineus Phryx,

dicitur a Virgilio Tros, Troïus, Dardanius, Laomedontiades. Noster Eleg. ult. lib. 2.

Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma.

Ab Æneæ quodam comite conditam urbem occupato monte Palatino, ait Festus in *Roma*. *Collis & herba fuit.* ἓν διὰ δυοῖν. pro, Collis herbosus. ut Eleg. 4. lib. 3. *Crassos cladesque piate.* & *collis fuit.* vel propter Palatium, ubi primum Evander habitavit, vel est enallage numerorum, pro, Colles. Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccæ.

& rursus:

Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnæ jam locus urbis erit.

Ovidius 1. Fast.

Hic, ubi nunc Roma est, tunc ardua silva virebat,
Tantaque res paucis pascua bubus erant.

& lib. 5.

Exsul ab Arcadia Latios Evander in agros
Venerat, impositos attuleratque deos.
Hic, ubi nunc Roma est orbis caput, arbor & herba,
Et paucæ pecudes, & casa rara fuit.

P. *Æneam.* *Ænean* est in Groning. recte. BR. Pulchre Silius Bassus Declamator apud M. Senecam Controv. 6. lib. 1. *Quemcumque volueris revolve nobilem; ad humilitatem pervenies. Quid recenseo singulos, quum hanc urbem possim tibi ostendere? nudi steterе colles. Inter hæc tam effusa mœnia nihil est humili casa nobilius. fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium. Potes objurgare Romanos, quod quum humilitatem suam obscurare possint, ostendant. Sed hæc non putant magna, nisi apparuerit, ex parvis surrexisse.* *Collis & herba fuit.* Collis herbosus. ita Virgilius 2. Georg. v. 92. *Pateris libamus & auro.* id est, pateris aureis. & 6. Æn. v. 255. *Primi sub lumina Solis & ortus.* nempe Solis orientis. & 9. Æneid. v. 604. *Sævoque gelu duramus & undis.* id est, undis gelidis. VULP.

v. 3. ATQUE UBI NAVALI STANT SACRA PALATIA PHŒBO, EVANDRI PROFUGÆ CONCUBUERE BOVES] Sic Ovidius 3. A. A.

Quæ nunc sub Phœbo, ducibusque Palatia fulgent,
Quid nisi aratuis pascua bubus erant?

Stant Palatia, ardua conspiciuntur. Virgilius 6. Æneid. *Stat ferrea turris ad auras.* & Horatius Ode 3. lib. 3. *Stet Capitolium fulgens.* *Palatia*, enallage numerorum, ut Eleg. 9. lib. 3.

Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris.

ubi adnoto, quid, & unde Palatium. *Sacra Phœbo*, Apollini dicata, cui templum illic constructum ob navalem ad Actium victoriam, cujus meminit Eleg. 11. lib. 3. v. 69. & Eleg. 6. infra v. 12. ubi vide adnotata. *Navali Phœbo* ita dicitur, ut *navales facii*, & *navales Essiæ* Varroni apud Nonium in *Autumnitas*. *Evandri*. de ejus in Italiam adventu Festus in *Romam*, Ovidius 1. 4. & 5. Fast. Livius lib. 1. Dionysius

Fictilibus crevere deis hæc aurea templa:
Nec fuit opprobrio facta fine arte cafa.

Tar-

nyfius lib. 5. Varro 4. de L. L. Ab eo etiam Romam conditam quidam putarunt. unde Virgilius 8. Æneid.

Tum pater Evandrus Romanæ conditor arcis.

Mercurii & Nymphæ Ladonis filium facit Paufanias in Arcadicis. & *Palatinus* dicitur a Virgilio 9. Æneid. quia in Palatio habitarit. *Profugæ boves*, quæ actæ a profugo domino, vel procul a patria fua errantes. Servius enim in illud 1. Æneid. *Italiam fato profugus*; Profugus eft, inquit, qui procul a fedibus fuis vagatur, quafi porro fugatus; quod & ipfe Virgilius 7. Æneid. indicat:

Quin etiam patria excuffos infefta per undas
Aufa fequi, & profugis tota me opponere ponto.

Sic infra hic *Profuges Penates* vocat, & Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Profugas rates*. & Horatius *Profugos Scythas*, fponte vagantes. De Evandri exfilio Ovidius 1. Faft. & Evander ipfe apud Virgilium 8. Æneid.

Me pulfum patria, pelagique extrema fecutum
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His pofuere locis.

Paufanias in Arcadicis, ab eo deductam tantum ab Arcadia in Italiam coloniam fcribit. *Concubuere*; fimul procubuere, ut feffæ de via. honeftum enim verbum ufus turpe fecit. Inde *Concubium* a concubitu dormiendi cauffâ, inquit Varro 6. de L. L. Sic Eleg. 9. infra, *Quæris concubitus*, pro difcubitus. PASS. quod cave de coitu interpreteris. defcribit enim ibi ordinem jacendi inter epulas & vina. Sic ferme Cicero L. 9. ad famil. Epift. 26. *Audi reliqua. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. In eo igitur, inquis, convivio Cicero ille.* &c. BROUKH. *Navali Phœbo.* Auguftus, toto pæne terrarum orbe pacato, animum ad religionem appulit, deorum templa vetuftate diruta inftaurans, novaque de manubiis hoftilibus ædificans. Videndi Suetonius in ejus vita cap. 30. Maro in calce 8. Æn. Apollinem vero præter ceteros coluit, cujus ope fe victoriam Actiacam confecutum exiftimabat, eique Palatinam ædem dedicavit. *Navalis* autem *Phœbus* appellatus, quod bellum adverfus Antonium, & Cleopatram navibus præcipue geftum effet. Nofter apertiffime Eleg. 6. infra:

Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit miffa fagitta rates.

Concubuere. ita codex Bononienfis optimæ notæ. fic etiam Aldina prior A. 1502. VULP.

v. 5. FICTILIBUS CREVERE DEIS HÆC AUREA TEMPLA] In hanc altitudinem & majeftatem venere ex illis ubi fictilia deorum erant fimulacra. quia una cum imperio aucta eft amplitudo templorum. nam τὸ ex fubauditur. ut Eleg. 31. lib. 2. v. 11. *Auro currus. Hæc aurea templa*; ubi cuncta auro illita, aurata lacunaria, & aurea fimulacra. ut Eleg. 31. lib. 2. v. 1. *Aurea porticus*. Ovidius 1. Faft.

Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea. majeftas convenit ipfa deo.

Idem ibid.

Flamma nitere fuo templorum verberat aurum.

Virgilius 8. Æneid.

Ad Capitolia ducit
Aurea nunc, olim filveftribus horrida dumis.

Deis, pro diis. Ovidius 1. Faft.

Hæc funt Ledæis templa dicata deis.

Deos autem pro fimulacris ipfis dici adnotavi ad illud Eleg. 6. lib. 2. *Defertos occupat herba deos. Fictilibus*; e luto figuli rotâ conformatis. ut Eleg. 3. lib. 3. *Sileni patris imago fictilis*. Plinius lib. 34. cap. 7. ante devictam Afiam Romæ fimulacra deorum, ait, fuiffe lignea, aut fictilia. De fictilibus vide eumdem lib. 35. cap. 12. Cato apud Livium lib. 34. pro lege Oppia: *Antefixa fictilia deorum Romanorum irridentes*. Varro lib. 11. de vita Pop. Rom. *Quid inter hos Joves interfit, & eos qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, poter animo advertere. & horum temporum divitias, & illorum paupertates*. Ovidius 1. Faft.

Juppiter angufta vix totus ftabat in æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Juvenalis Sat. 11.

Hanc rebus Latiis curam præftare folebat

 Ficti-

Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.

Quo

Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro. Erant & dii lignei veteribus, de quibus Tibullus Eleg. ult. lib. 1. Sed Plutarchus in Numa, templa & sacella Romanorum negat annis fere centum septuaginta ullam habuisse fictam, aut pictam deorum imaginem. PASS. Adjicere potes egregium Sapientis Romani locum -- extrema Epist. 31. *Subsilire in cœlum ex angulo licet: exsurge modo, & te quoque dignum finge deo. Finges autem non auro, non argento: non potest ex hac materia imago deo exprimi similis. cogita, illos, quum propitii essent, fictiles fuisse.* BROUKH.

v. 6. NON FUIT OPPROBRIO FACTA SINE ARTE CASA] Exstructa e rudibus lignis, nec expolitis ascia, nec pictis, & auratis. ἄνευ τέχνης, ἀτέχνως. Fabius lib. 2. cap. 18. *Nec fabrica sit ars. casas enim primi sine arte fecerunt.* Noster Eleg. 8. infra:

Et facilis spargi munda sine arte rosa.

Ovidius Epist. Phædræ: *Positique sine arte capilli.* Martialis Epigr. 47. lib. 10. *Convictus facilis, sine arte mensa.* Contra Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, & ex virgis exstruet arte casas.

[verum ibi exstruere casas, est ludi puerilis genus. Horatius Sat. 3. lib. 2.

Ædificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia vexet.]

Idem Tibullus Eleg. 5. lib. 2. de casa Romuli, quæ hìc significari videtur:

Et stabant humiles in Jovis arce casæ.

Noster Eleg. 16. lib. 2.

Et ipse
Straminea posset dux habitare casa.

Virgilius 8. Æneid.

Romuleoque recens horrebat regia culmo.

Petronius:

Vilis servus habet regni bona, celloque capta
Deridet Vestam Romuleamque casam.

vide Livium lib. 1. & præcipue Dionysium lib. 1. de ea casa, quæ ad ipsius stetit ætatem. *Non fuit opprobrio:* turpis habita non est, nec id probri objectum loco. quia nunc paupertas tamquam vitium exprobratur, qua olim gloriabantur. Horatius Ode 24. lib. 3. *Magnum pauperies opprobrium.* Sic Ovidius lib. 2. Trist.

Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo.

esse opprobrio, dedecori, infamiæ. Quid opprobrium, vide ad Eleg. 11. lib. 3. v. 29. PASS. *Non fuit opprobrio.* meliores libri, *Nec fuit opprobrio.* alii *Hec*, quod firmat τὸ *nec*. BROUKH. Seneca Rhetor Controversia 9. *Colit etiamnum in Capitolio casam victor omnium gentium populus.* Ovidius 1. Fast. v. 197.

Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit:
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum.

Adde insignem locum Silii Italici lib. 13. v. 811.

Vis & Martigenæ thalamos spectare Quirini?
Hersiliam cerno: hirsutos quum sperneret olim
Gens vicina procos, pastori rapta marito
Intravitque casa, culmique e stramine fultum
Pressit læta torum, & soceros revocavit ab armis. VULP.

v. 7. TARPEJUSQUE PATER NUDA DE RUPE TONABAT] Juppiter arcis Tarpejæ præses, qui postea dictus Juppiter Capitolinus. vide adnotata ad Eleg. 11. lib. 3. v. 45. *Pater*, & *Pater ipse*, de Jove. Horatius Ode 2. lib. 1. *Jam satis terris nivis atque diræ Grandinis misit pater.* Virgilius 1. Georg.

Ter pater exstructos disjecit fulmine montes.

Tonare dicitur Juppiter, ut apud Horatium Ode 5. lib. 3. *Cælo tonantem credidimus Jovem Regnare.* & Epodo 2. *Tonantis annus hibernus Jovis.* Cicero: *Jove tonante & fulgurante.* Jovi tonanti ædem in Capitolio dedicavit Augustus. Suetonius. Tonare etiam fulmina dicuntur Eleg. ult. lib. 2.

Nec si consulto fulmina missa tonent.

Nuda de rupe, inornata, intecta, sine ædificiis; vel frigida. ut Virgilius Ecl. 1. *Ab silice in nudo.* Suetonius in Tiberio cap.

Quo gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
Unus erat fratrum maxima regna focus.

Curia ,

cap. 17. *In nudo cæspite cibum capere* . Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Mollis & in nuda sit mihi somnus humo .

sic vet. lib. Virgilius 2. Æneid. *Nudaque sub ætheris axe* . id est , aperto . *De rupe* ; ex edito loco , & saxo Tarpejo . de quo ad Eleg. 11. lib. 3. v. 45. PASS.

v. 8. ET TIBERIS NOSTRIS ADVENA BOBUS ERAT] *Tiberis* , vel a Tiberino rege ; ut Ovidius 2. Fast. vel a rege Thybri ; ut Virgilius 8. Æneid. olim dictus *Albula* ; & *Rumon* , & *Serra* in sacris : Servius in 8. Æneid. *Erat advena* , quasi peregrinus ; quia *Necdum ultro Tiberim belli sonus* : ut ipse ait Eleg. 10. infra , v. 27. Juvenalis Sat. 8.

Et qua

Imperii fines Tiberinum virgo natavit .

vide adnotata ad Eleg. pænult. lib. 1. de Hetruriæ notatione ex Servio . Inde in XII. Tabb. *Trans Tiberim venumdari* . A. Gellius lib. 10. cap. 1. Ovidius 2. Fast.

Qui petit æquoreas advena Tibris aquas .

& 3. Fast.

Non procul a ripis , advena Tibri , tuis .

& 5. Fast.

Et perrant lentes , advena Nile , tuæ .

Pomponius L. *Pupillus* §. *Advena* , *de Verb. Signific.* Advena , quem Græci ἄποικον appellant . ἀποικίω , procul absum , peregri habito , mittor in coloniam . unde advena dicitur Æneas 12. Æneid. At Tiberis caput extra Latium , inquit Varro de L. L. vide Virgilium 8. Æneid. a versu 74. *Nostris bobus* . Romanis tauris Eleg. 9. lib. 3. v. 49. sic Eleg. 11. lib. 3. v. 41. *Jovi nostro* . & Eleg. 31. lib. 2. v. 51. *Nostra puella* , nempe Romanæ . Ad hunc sensum Ovidius 5. Fast. inducit Tiberim ita loquentem :

Hæc loca desertas vidi sine mœnibus herbas .
Pascebat paucos utraque ripa boves . P.

Tiberis , qui nunc est urbanus , ab initio extra territorium Romanum fluebat , eratque peregrinus nostris armentis , valde angustis tunc imperii limitibus . *bubus* est in Groningano : reliqui nihil mutant . ---- *Bubus* ex auctoritate optimorum codicum ubique scribendum esse contendit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Epist. Oenonæ , ad eum versiculum ,

Nil profecturis litora bubus aras .

Ausonius Epigr. 62. primam in *bubus* male corripuit . BROUKH. *Et Tiberis n. advena bubus e.* Licet proxime præterfluens : adeo exiguis finibus continebatur priscorum Quiritium ditio . Simile quid habet Claudianus de sene Veronensi , qui numquam ex agello suo egressus fuerat :

Proxima cui nigris Verona remotior Indis ,
Benacumque putat litora rubra lacum .

Advena . sic Valerius Flaccus I. Argonaut. v. 588. *Libyá quum rumperet advena Calpen Oceanus* . ad quem locum vide quæ ex aliis poetis congessit πολυμαθέστατος Burmannus . VULP.

v. 9. QUO GRADIBUS DOMUS ISTA REMI SE SUSTULIT OLIM] Quantam ad magnitudinem sensim , & veluti per gradus evecta est , & gradatim , ac paullatim ascendit ! *Domus Remi* , Roma , ubi Remo cum fratre Quirinus habitavit . Sic Virgilius 1. Æneid. *Domus Assaraci* . Horatio & Ennio *Domus Priami* , & *Domus Anci* . & in Lucani Genethliaco Statius : *Dices culminibus Remi vagantes Infandos domini nocentis ignes* . Remus sæpe pro Romulo . ut Catullus Carmine 58. *Remi nepotes* . & Juvenalis Sat. 10. ---- *Sed quid*

Turba Remi ? sequitur fortunam , ut semper , & odit
Damnatos .

vide Eleg. 1. lib. 2. v. 23. & Servium ad illud 1. Æneid. *Excipiet gentem* . quod confirmatur illo , *Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt* . An *domus Remi* , Palatina arx ? an Capitolium ? an casa Romuli ? *se sustulit* . Virgilius 9. Æneid.

Dixit , & in cælum paribus se sustulit alis .

Gradibus . Horatius Ode 35. lib. 1. *Potens vel imo tollere de gradu Mortale corpus* . Cicero 1. de Nat. Deor. *A beatis ad virtutem , a virtute ad rationem video te venisse gradibus* . & pro Domo sua : *Quibus gradibus ascendisset in cælum* . Virgilius 1. Æn. sine translatione : *Ærea cui gradibus surgebant limina* . P.

v. 10. UNUS ERAT FRATRUM MAXIMA REGNA

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Bucci-

REGNA FOCUS] Vel unica Faustuli educatorio casa, vel etiam ipsius Romuli, de qua dixi ad v. 6. hujus Elegiæ. *Focus*, pro Penatibus, quorum est sedes. & *Penates*, pro domo. Sic Eleg. 1. lib. 2.

Restituit patriis Androgeona focis.

An *unus focus*, quia plures foci esse possunt in eadem domo? *Maxima regna*, amplissima animo possidentium; ut adnotatum ad Eleg. 16. lib. 2. v. 28. & est enallage numerorum, ut supra, *Palatia*. & Eleg. 1. lib. 2. *Regnave prima Remi*. PASS. *Unus* s. f. m. r. *focus*. qui tamen ad suscitandam invidiam & discordiam idoneus foret. Optime Lucanus 1. Pharsaliæ:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri;
Nec pretium tanti tellus pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.

Regna, pro qualibet possessione dixerunt antiqui scriptores. Virgilius Ecl. 1.

En umquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis & tuguri congestum cæspite culmen,
Post aliquot mea regna videns mirabor aristas?

& Ausonius eleganter Idyllio 1.

Salve herediolum majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.

Concinit Martialis Epigr. 61. lib. 10.

Quisquis eris nostri post me regnator agelli.

Et veterum æmulator Jacobus Sannazarius Eleg. 2. lib. 2.

Et mihi Linternumque vetus, placidumque Petrinum,
Ostendatque atavi regna opulenta mei.

Neque soli poetæ usi: Cicero enim lib. 1. de Orat. *Id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem*. id est, in tua villa, in Tusculano. VULP.

v. 11. CURIA, PRÆTEXTO QUÆ NUNC NITET ALTA SENATU] *Curia*, & loci nomen, & ordinis. Varro 6. de L. L. *Curiæ duorum generum: ubi curarent res divinas (quæ Curia sacrorum dicitur) & humanas, (qui Senatus) ut Curia Hostilia*. de qua Livius lib. 1. Virgilius 7. Æneid. *Hoc illis Curia templum: Hæ sacris sedes epulis*. Servius ad illud 8. Æneid.

Romuleoque recens horrebat regia culmo.

Curiam calabram dicit quam Romulus texerat culmis; ad quam calabatur, id est vocabatur senatus, & populus a rege sacrificulo. vide & Festum. Varro lib. 2. de vita Pop. Rom. apud Nonium in *Curia*: *Itaque propter curam locus quoque quo suam quisque senator confert, Curia appellatur*. Idem 6. de L. L. *Curia ubi senatus rempubl. curat*. Græcis βουλὴ & βουλευτήριον. Ovidius 3. A. A.

Curia, concilio quæ nunc dignissima tanto est,
De stipula, Tatio regna tenente, fuit.

Noster Eleg. 4. infra:

Murus erant montes, ubi nunc est curia septa.

Aliæ erant curiæ in quas populus divisus. *Alta*, cælo minans, superba. nam in edito loco surgit. ut Eleg. 9. lib. 3. *Celsa Palatia*. Ovidius 2. Metam.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis.

Sic Virgilius 7. Æneid. de curia regis Pici:

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis.

Nitet; vel exculta est, vel ob splendorem purpuræ; vel quod inaurata. *Prætexto senatu*, ut apud Festum *Prætextus sermo*. Horatius pariter in Epist. ad Pisones:

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

[Prætextæ fabulæ, seu prætextatæ, erant Tragœdiæ argumenti ex Romana historia petiti; qualis Octavia Senecæ.] Prætexta, περιπόρφυρος; dicta quod ei latior purpura prætexeretur. Magistratus, & qui ludos faciebant, prætexta utebantur. Festus. Fabius autem Declam. 340. *Prætexta, non libertatis modo, sed & dignitatis insigne*. ubi sacra dicitur magistratibus, sacerdotibus, & pueris. Magistratibus autem, & qui eos gesserant, jus erat in senatum veniendi, etiamsi nondum senatores essent. Festus in *Qui patres*. & *Latus clavus*, insigne senatoriæ dignitatis, nihil aliud quam prætexta vesti latior purpura. Prætextæ periphrasis est apud Catullum Carm. 63.

Candida purpurea talos incinxerat ora.

Senatus & senatores a senectute; quod sit con-

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.
Centum illi in prato ſæpe ſenatus erant.

Nec

conſilium e ſenibus publicum. Cicero in Catone, Livius lib. 1. Plutarchus in Romulo, & Feſtus in *Senatores*. Ovidius 5. Faſt.

Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros.
Nomen & ætatis mite ſenatus habet.

At Iſidorus lib. 9. ex Servio in 5. Æneid. a ſinendo, quod agendi facultatem ſenatus dabat. PASS. Illuſtravit hunc verſum Jo. Sarius Zamuſcius L. 1. de Senatu Romano, & eumpſe cum tribus ſequentibus pro teſtimonio citavit ſcriptorum Chriſtianorum diſertiſſimus L. Cælius Lactantius Divin. Inſtit. L. 2. C. 6. *Romulus urbem conditurus, inter quos adoleverat, convocavit: cumque is numerus condendæ urbi parum idoneus videretur, conſtituit aſylum. Eò paſſim confugerunt ex finitimis locis peſſimi quique, ſine ullo conditionis diſcrimine. ita conflavit ex his omnibus populum; legitque in ſenatum eos qui ætate anteibant; & Patres appellavit. de quo ſenatu Propertius Elegiarum ſcriptor hæc loquitur* &c. ad laudem noſtri Poetæ pertinebat a tanto viro laudari. BROUKH. *Curia p. q. n. u. a. ſ.* Confer Ovidium lib. 3. A. A. a verſu 117. Alia erat puerilis, & puellaris prætexta, quam adoleſcentes, & nuptæ mulieres deponebant: alia Senatorum & Conſulum propria; ut puto, a lato clavo non diverſa. Cicero in Piſonem: *Tu in lictoribus, in toga, & prætexta eſſe conſulatum putas?* Seneca lib. 1. de Beneficiis: *Quid habet per ſe corona pretioſum? quid prætexta? quid faſces? quid tribunal, & currus? nihil horum honor eſt, ſed honoris inſigne.* Ceterum, quinam Romæ, & in coloniis ac municipiis toga prætexta uterentur, docet Livius lib. 34. in Oratione L. Valerii adverſus legem Oppiam. *Prætexto ſenatu*; prætextato. Auſonius in Profeſſoribus, Carm. 18. v. 7.

Mos ſchola, & auditor multus, prætextaque pubes,
Grammatici nomen, divitiaſque dedit.

Item Seneca lib. de Vita Beata cap. 2. *Non enim colorem veſtium, quibus prætexta corpora ſunt, aſpicio.* Paullo aliter Silius Italicus lib. 10. v. 647. *Primævo ſuorum Corpora prætexto ſpoliant velamine.* Sic Ennius apud Varronem lib. 6. de L. L. dixit *Paludo*, pro *paludata*:

Corpore Tartarino prognata paluda virago.

lege ibi reliqua. VULP.

V. 12. PELLITOS HABUIT RUSTICA CORDA PATRES] Appoſitio. *Patres, ruſtica corda.* id eſt, animos agreſtes. ut Virgilius 7. Æneid. *Animos accendit agreſtes.* *Ruſtica*, horrida, inculta. vide Eleg. 5. lib. 2.

Ruſticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat.

Sic Virgilius Ecl. 2. *Ruſticus es, Corydon.* *Patres*, ſenatores; ut Eleg. 11. lib. 3. *Addictos in ſua regna patres.* ab ætate ſcilicet, & cura tuendi cives teniores, quaſi filios. Ovidius 5. Faſt.

Romulus hoc vidit; ſelectaque corpora patres
Dixit. ad hos urbis ſumma relicta novæ.

Pellitos vocat, ut paſtores, & aratores. Ovidius 1. Faſt.

Paſcebatque ſuas ipſe ſenator oves.

Noſter Eleg. 13. lib. 3. de veſtibus priſcorum:

Hinnulei pellis totos operibat amantes.

Cicero apud Aſconium pro M. Scauro, *Pellitos teſtes* vocat Sardos, pro agreſtibus opinor & inhumanis. PASS. Lactantius Divin. Inſtit. L. 2. C. 6. *Hi ſunt Patres, quorum decretis eruditi ac prudentes viri devotiſſime ſerviunt, idque verum ac immutabile omnis poſteritas judicat, quod centum pelliti ſenes ſtatutum eſſe voluerunt.* BROUKH. A Propertio Claudianus de Bello Getico v. 481.

Crinigeri ſedere patres pellita Getarum
Curia.

Patres. De hoc nomine Salluſtius Catilin. cap. 6. *Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, patres appellabantur.* De illis vero qui patricii vocarentur, ita Livius lib. 10. *En umquam Romæ fando audiſtis, patricios primo eſſe factos, non de cælo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent: id eſt, nihil ultra, quam ingenuos? Conſulem jam patrem ciere poſſum, avumque jam poterit filius meus.* VULP.

V. 13. BUCCINA COGEBAT PRISCOS AD VERBA QUIRITES] Convocabat ad concionem. Nonius in *Cogere*, in unum colligere, inter alia exempla hoc ponit Lucilii:

Rom-

Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro:
Pulpita solennes non oluere crocos.

Nulli

Rauco concionem sonitu, & curvis cogunt cornibus. De advocanda autem concione & per accensum, & per cornicinem multa Varro 5. de L. L., ut de cogenda multitudine, & coactis omnibus. M. Tullius pro Cæcina, multis locis. Isidorus lib. 17. c. 4. *Bucina est quo signum datur in hostes, dicta a voce, quasi vocina. nam pagani, agrestesque ad omnem usum bucina ad compita vocabantur. proprie hoc agrestibus signum fuit. de quo Persius, Bucina jam priscos cogebat ad arma Quirites.* (hunc Propertii locum intelligit, unde corrigendus Isidorus in Persii nomine, & in hoc versu ab eo allato.) *hujus elongor bucinum dicitur.* Vegetius lib. 3. cap. 5. *Tuba quæ directa est, appellatur; Buccina quæ in semetipsa arcto circulo flectitur.* Virgilius 7. Æneid.

Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem. & mox:

Qua buccina signum Dira dedit. ubi buccinam & cornu confundit, quod Vegetius separat. Idem 11. Æneid. *Bello signum dat rauco cruentum Buccina.* ubi Servius: *Buccina insonans sollicitudinem ac bello denuntiat.* Appulejus 3. Florid. aperte a tuba distinguit. Festus: *Buccina, quam Græci bucanen, a vocis similitudine dicitur.* Idem in *Lituus*, Lituum ait esse buccinæ incurvæ genus. Ovidius 1. Metam. de ejus forma:

Cava buccina sumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo.

Cicero pro Murena: *Te gallorum, illum buccinorum cantus exsuscitat.* & alibi buccinatorem commemorat. Varro 5. de L. L. *Buccinator a vocis (bovis nempe) similitudine, & cantu dictus.* Pass. Interpretetur hunc locum Dionysius Halicarn. lib. 2. Antiqu. Rom. Τὰς μὲν, inquit, πατρικίας ὁπότε δόξειε τοῖς βασιλεῦσι συγκαλεῖν, οἱ κήρυκες ἐξ ὀνόματός τε καὶ πατρόθεν ἀνηγόρευον· τὰς δὲ δημοτικὰς ὑπηρέται τινὲς, καὶ ἀθρόοι κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες, ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. hoc est: *Quoties patricii convocarentur a regibus, præcones quemque suo ac paterno appellabant nomine: plebejos vero ministri quidam cornibus bubulis confertim buccinantes in concionem concitebant.* infra legitur ἡ τῆς βυκάνης φωνή. vidit Douza Pater. Neque omittendus Varro lib. 4. de L. L. *Cornua, quod ea quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu.* Etiam apud Homerum initio lib. 9. Iliad. præcones, jussu Agamemnonis, nominatim ad concionem vocant virum unumquemque, a confuso clamore abstinentes. Vulp.

v. 14. Centum illi in prato sæpe senatus erat] Ovidius 3. Fast.

Inde patres centum denos secrevit in orbes
Romulus.

Festus in *Senatores*: *Senatores a senectute dici constat, quos initio Romulus elegit centum, quorum consilio remp. administraret.* Isidorus lib. 9. *Patres conscripti, quia dum Romulus decem curias (lege* decurias*) senatorum elegisset, nomina eorum præsente populo in tabulas aureas (lege, æreas) contulit, atque inde patres conscripti vocati.* Idem lib. 19. cap. ult. In calceis patriciis, ait, Lunam, non sideris formam, sed notam centenarii numeri fuisse, quod initio centum patres fuerint. Additi & centum alii a Tarquinio Prisco rege. Livius lib. 1. *Centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati.* Deinde Brutus ad trecentorum numerum auxit. Idem Festus in *Qui patres*, ait, regibus expulsis P. Valerium trecentorum numerum explevisse. Livius initio lib. 2. Sed legendus Dionysius lib. 2. de iis centum, & quomodo lecti; qui & additos alios centum receptis in civitatem Sabinis tradit. Idem lib. 3. tertios centum ait additos a Tarquinio Prisco. *Illi*: an circumflexe, pro *illis* adverbium? ut sæpe notavit Donatus in Terentium, & Servius ad 11. Æneid. *Illic* autem, pro tunc accipitur. *In prato*, quia sub Jove durabant prisci illi, ut ait Ovidius 2. & 3. Fast. & quia plerique Senatores tum pastores erant. *Pratum*, quia sine opere paratum. Varro 4. de L. L. Pass. *Centum i. e. p. s. s. erat.* Latinitatis ratio poscit *erant*. tales centum in prato aliquo sæpe constituebant senatum. nimirum scriptum fuit primo *erat*, per abbreviaturam, ut vocant. Broukh.

v. 15. Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro] Demissa erant ita ut fluitarent.

Nulli cura fuit externos quærere divos,
Quum tremeret patrio pendula turba facro.

An-

tarent . ut Eleg. 6. lib. 3. *Vestem pendere lacertis*. Ovidius 1. A. A.

Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro.

Ita Virgilius 1. Georg.

Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.

Sinuosa velo, laxa. ut *sinuosa vestis* Ovidio lib. 5. Metam. De velis theatralibus vide adnotata ad Eleg. 18. lib. 3. v. 13. *Velaria* dicuntur Juvenali Sat. 4. *Oppansum velum*, in fcena, quod undique panditur : Vetus Lexicon. *Cavo theatro*, a forma fcilicet ; ac fimul alludit ad eum locum unde fpectabat populus, caveam fcilicet. nam a cavo, cavea, & cavædium. Varro 4. de L. L. *Theatrum a* θεᾶσθαι, fpectare. unde a Servio in 5. Æneid. *Spectaculum* exponitur, a Caffiodoro *Viforium* ; quia fceniei foli audiuntur ; gladiatores, venatores, circenfes fpectantur. vel quia aufcultare & fpectare idem. PASS.

v. 16. PULPITA SOLENNES NON OLUERE CROCOS] Odorato croco perfufa non fuere. Ovidius 1. A. A.

Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

& Martialis Epigr. 39. lib. 9.

Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo.

De fparfione croci legendus Lipfius lib. de Amphitheatro cap. 16. Martialis iterum Epigr. 3. de Spectaculis :

Et Cilices nimbis hic maduere suis.

Idem Epigr. 25. lib. 5.

Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpito nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?

Horatius Epift. 1. lib. 2.

Recte, necne crocum, floresque perambulet Atti
Fabula.

Meminit & Spartianus in Hadriano. Notat Scaliger ad hunc locum, fieri folitam fuiffe illam expreffionem croci per fiftulas latentes ; quem videfis. *Pulpitum*, inquit Ifidorus lib. 15. cap. 4. *quod in eo lector positus in publico conspici a populo possit, ut liberius audiatur*. nugæ. Vitruvius lib. 8. cap. 5. Pulpitum eft quod λογεῖον Græci appellant. legendus Pollux lib. 4. cap. 19. Vet. Gloff. *Pulpitum*, θυμέλη, σανίδωμα ἰκρίωδες. Horatius in Epift. ad Pifones : *Traxitque vagus per pulpita vestem*. & Epift. 1. lib. 2.

Quam non adstricto percurrat pulpita socco.

Illic recitaffe & Grammaticos fignificat Epift. 19. lib. 1.

Grammaticas ambire tribus, & pulpita dignor.

Oluere crocos ; ut Horatius Sat. 2. lib. 1. *Pastillos Rufillus olet*. Cum fexto cafu etiam jungitur, ut Eleg. 7. infra v. 32. *Nardo oluero*. unde Antonius Mufa apud Senecam patrem, fparfiones vocat, *Odoratos imbres*. *Crocos solennes*, qui fparguntur ludis folennibus, five anniverfariis, & qui ftatis fiunt diebus. Feftus in *Solenne*. Sic Virgilius 3. Æneid. *Solennes dapes*. & 8. Æneid. *Solennem honorem*. Vel Solennes, quod in omnibus fpectaculis id fieri confaeverat, ut inquit Lipfius lib. de Amphith. cap. 16. P. Omnes norunt hunc morem : fed tamen, ut quis, aut qualis fuerit, nefciant. Fiebat autem id per expreffiones machinarum, ut hodie in Italia exprimitur aqua epiftomiis verfis etiam in ariditfimis locis, quum aquam intus antea immiffam latentibus fiftulis alte exprimunt. Seneca Epift. 91. *Qui invenit quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat.* --- Gloffarium, *Sparsio* κροκόρραντις. item *Sparsio* κρόκος ὁ ῥαινόμενος. vide & Appulejum lib. 9. A. A. Exprimebatur & fparfio illa ex figillis quibufdam, quæ totis membris illam emittebant. Lucanus lib. 9.

Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci, sic omnia membra
Emisere simul rutilum pro sanguine virus.

Imbres & nimbos vocant Poetæ. *Josephus Scaliger*.

v. 17. NULLI CURA FUIT EXTERNOS QUÆRERE DIVOS] Nemo id curabat, & ejus rei curiofus erat. *Cura quærere*. ut Virgilius 1. Æneid. *Cura penum struere*. & Nofter Eleg. 2. lib. 1. *Studium conquirere*. *Quærere*, longe arceffere. ut Eleg. 17. lib. 1. *Optatos quærere Tyndaridas*. *Externos divos* : *Advenas deos* vocat Cicero 2. de Legibus, & *alienigenas*, quos coli prohibet. Livius lib. 39. loco plane infigni : *Quoties hoc*

hoc patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent! unde & Noster Eleg. 33. lib. 2. Isidi, ut externæ deæ, minatur fugam. Id crimen objectum Socrati: & superstitionis externæ rea acta est Pomponia Græcina, apud Tacitum 3. Annal. Livius tamen lib. 1. una tantum sacra peregrina suscepisse Romulum ait, Herculis scilicet ab Evandro. PASS. *Cura fuit quærere*. Sic Ovidius Epist. Helenæ v. 197.

Nec tamen ipse negas; & nobis omnia de te
Quærere, si nescis, maxima cura fuit.

Idem Epist. Laodamiæ v. 31.

Nec mihi pectendos cura est præbere capillos.

Externos divos. Cautum erat Lege XII. Tabb. *Separatim nemo habessit deos, neve novos: sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto*. Cicero caussam affert lib. 2. de Legib. *Deos*, inquit, *aut novos, aut alienigenas coli confusionem habet religionum, & ignotas cæremonias etiam sacerdotibus*. Concinit Livius lib. 1. ubi de Numa Pompilio: *Cetera quoque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subjecit; ut esset quo consultum plebs veniret: ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinosve asciscendo, turbaretur*, Vide & Dionysium Halic. lib. 2. Mæcenas apud Dionem Cassium lib. 52. monet Augustum, ut eos qui in divinis aliquid innovant, odio habeat & coërceat, non deorum solum caussà; sed quia nova quædam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Patriæ religionis amor, & odium peregrinarum ita insitum erat Cauconiis Cariæ populis, si Herodoto credimus lib. 1. ut sumtis armis omnes promiscue ad Calyndicos usque montes discurrerent, & hastis aërem cædentes, exclamarent externos se exigere deos. Memorabile etiam est quod scribit Cicero lib. 2. de Legib. *Novos vero deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes facetissimus poeta veteris Comœdiæ vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii dii, peregrini judicati, e civitate ejiciantur*. Epictetus vero Enchiridii cap. 28. monet unumquemque σπένδειν, καὶ θύειν, καὶ ἀπάρχεσθαι κατὰ τὰ πάτρια. *libare, & sacrificare, & primitias offerre, secundum ritus patrios*. Ut est autem inconstans, curiosum, & novarum rerum cupidum hominum ingenium, Romani mature admodum peregrinas religiones adsciverunt; quod Livius non semel queritur. vide illum lib. 4. de siccitate quæ accidit, A. Cornelio Cosso, T. Quintio Penno iterum Coss. & lib. 8. ubi de Decio qui se pro patriæ salute devovit. *Hæc*, inquit, *nisi omnis divini humanique moris memoria abolevit, nova peregrinaque omnia priscis ac patriis præferendo: haud ab re duxi verbis quoque ipsis, ut tradita nuncupataque sunt, referre*. item lib. 25. non procul ab initio; denique lib. 39. loco omnium maxime insigni. Hoc fieri cœptum invalescente imperio; & universa paullatim Græcorum superstitio Romam deducta est. Isidis quoque ac Serapidis sacra ex Ægypto advecta: nec defuere qui Sabbata Judæorum violare nefas ducerent. Vide Horatium Sat. 9. lib. 1. Persium Sat. 5. v. 154. Juvenalem Sat. 14. Hujusmodi plebecolam omnia temere credentem naso suspendit Plinius lib. 2. H. N. cap. 7. *Externis*, ait, *famulantur sacris, ac digitis deos gestant, & monstra quoque colunt*. Propterea Cæcilius ille falsæ religionis defensor apud Minucium Felicem in Octavio; *Sic Romanorum potestas & auctoritas totius orbis ambitus occupavit . . . . dum captis hostilibus mœnibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur: dum undique hospites deos quærunt, & suos faciunt: dum aras exstruunt etiam ignotis Numinibus, & Manibus. Sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt*. Arnobius quoque lib. 3. contra Gentes ex Historia L. Cincii Alimenti de Gorgia Leontino: *Numina peregrina, novitate ex ipsa appellata pronuntiat. nam solere Romanos, deos omnes urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare; ac ne aliquid deorum multitudine, aut ignorantia præteriretur, brevitatis & compendii caussâ uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari*. Nec legisse pœnitebit quæ affert Casaubonus ad eum versum Sat. 5. A. Persii: *At quum Herodis venere dies*. Generatim Cicero in Orat. ad Brutum cap. 7. *Esset egregium non quærere externa, domesticis esse contentos*. VULP.

v. 18. QUUM TREMERET PATRIO PENDULA TURBA SACRO] Suspensa esset deorum metu & religione. ut Horatius Epist. 18. lib. 1. *Aut fluitem dubiæ spe pendulus horæ*. Statius, & Petronius: *Primus in orbe deos fecit timor*. & Lucretius sæpe. Inde Religio

pro

Annuaque accenſo celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curto luſtra novantur equo.
Veſta coronatis pauper gaudebat aſellis:
Ducebant macræ vilia ſacra boves.

Par-

pro metu, & contra metus pro religione. Ovidius 5. Faſt.

Illa memor viſit veteris, timiduſque deorum
Surgit.

An *pendula*, attenta? quia Hoc Agere jubebatur, ut, *Pendetque viri narrantis ab ore.* Sed prior ſententia potior. *Sacro patrio*, re divina more rituque patriæ facta. Cicero pro Murena: *A patriis ſacris Junonis avocare.* PASS.

v. 19. ANNUAQUE ACCENSO CELEBRARE PALILIA FœNO] Et nulli tunc erat curæ tam magnifice celebrare Palilia, ſtructo igne ex fœno, per quem ſaliarent. *Annua Palilia*, ſolennia: ut Eleg. 4. infra: *Annua paſtorum convivia.* Victorinus Afer: *A pariendo, & partu pecorum Palilia.* & Dionyſius lib. 1. Alii a Pale, dea paſtorum. Feſtus in *Pales*, Varro 4. de L. L. Chariſius lib. 1. Servius autem in 1. verſ. 3. Georg. ſcribit, Palilia XI. Kal. Majas celebrari ſolita; qui dies Urbi natalis. Noſter infra Eleg. 4.

Urbi feſtus erat, dixere Palilia patres.
Is primus cœpit mœnibus eſſe dies.

Varro apud Interpretem Perſii in illud Sat. 1.

Et focus, & porci, & fumoſa Palilia fœno.

Palilia tam privata quam publica ſunt apud ruſticos, ut congeſtis cum fœno ſtipulis ignem magnum tranſiliant, his (*Palilibus*) ſe expiari credentes. Lege Ovidium 4. Faſt. Plutarchum in Romulo, Suetonium in Caligula cap. 16. *Fœno accenſo*; ut Elegia 4. infra: *Fœni flammantis acervos Trajicit.* PASS.

v. 20. QUALIA NUNC CURTO LUSTRA NOVANTUR EQUO] Quam magnifice noſtro ſæculo cenſio & luſtratio equitum quinquenniis fit. Urbs quinto quoque anno luſtrabatur. Iſidorus ex Servio in 1. Æneid. *Luſtrum* a luendo, ſeu ſolvendo, quia quinto quoque anno vectigalia, & tributa per cenſores ultro ſolvebantur. Luſtrum hic populi luſtrationem ſignificat, ut monet Beroaldus, & poſt eum Scaliger. Aliàs tempus quinquennale: Feſtus in *Luſtra*. *Novantur*, integrantur, inſtaurantur, recentantur. veteri enim luſtro condito, novum ſuccedit. ſic Eleg. 9. infra, *Furta novare.* *Curto equo*, aliqua ſui parte mutilo, ut hic caudâ, inquit Scaliger, & de Octobri equo intelligit. Sic Horatius Sat. 6. lib. 1. *Nunc mihi curto Ire licet mulo.* quia caudâ muli curtari ſoleant. *Curti Judæi*, περιτομὴν paſſi. Cornelius Celſus lib. 7. cap. 9. Curta vocat illa quibus aliqua pars deeſt. Commune hoc habebant Palilia, October equus, & Caviares hoſtiæ, quod ſanguine equinæ caudæ fieret in iis omnibus luſtratio: hoc differebant, quod Palilia, & October equus quotannis: Caviares hoſtiæ quinto quoque anno mactarentur. Ovidius 4. Faſt. de ſacri Palilis expiatione:

Sanguis equi ſuffimen erit, vitulique favilla,
Tertia res duræ culmen inane fabæ.

vide Feſtum in *October*, & in *Caviares hoſtiæ*, item Plinium lib. 28. cap. 9. Ego vero de cenſione equitum luſtrica, ſive quinquennali hic agi arbitror, de qua Plutarchus in Pompejo. & curtum equum dixiſſe, quia is fuerit olim in deliciis, ut & curti muli, & nunc equi auribus mutili. PASS.

v. 21. VESTA CORONATIS PAUPER GAUDEBAT ASELLIS] De Veſta dictum ad Elegiam 4. lib. 3. v. 11. *Pauper* feminino genere; ut Virgilius 6. Æneid. *Curibus parvis, & paupere terra.* & 12. Æneid. *Pauperque domus.* Ovidius Epiſt. Paridis:

O quoties dices, Quam pauper Achaïa noſtra eſt!

Varro 7. de L. L. docet, non dici pauper, paupera; ut candidus, candida. & lib. 4. *Pauper*, inquit, *a paulula re.* *Pauper Veſta*, ut Eleg. 10. lib. 2. *Pauperibus ſacris.* *Gaudebat*, valde læta, & contenta erat. Sic Eleg. 9. lib. 2.

Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis.

 & Ho-

Parva faginati lustrabant compita porci:
Pastor & ad calamos exta litabat ovis.

Ver-

& Horatius Ode 14. lib. 3. *Unico gaudens mulier marito*. An Vesta dorso asellorum gestari gaudebat, ut Isis, & Cybele? nam eadem terra est. An ei aselli ut invisi immolabantur? *Coronatis asellis*; ut Eleg. 1. lib. 3. v. 10. *Coronatis equis*. Plutarchus ἐν ῥωμ. Quæst. 48. Consualibus equos & asellos coronari solitos scribit. Ovidius 6. Fast. de Fornacalibus agens:

Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras sordida serta molas.

vide Festum in *Panibus coronabantur*. PASS. Hujus consuetudinis caussam luculente exponit Lactantius lib. 1. Div. Instit. c. 21. *Apud Lampsacum Priapo litabilis victima est asellus, cujus sacrificii ratio in Fastis hæc redditur: Quum dii omnes ad festum matris magnæ convenissent, epulisque satiati, noctem lusibus ducerent; quievisse humi Vestam, somnumque cepisse: ibi Priapum somno ejus ac pudicitiæ insidiatum: sed illam intempestivo clamore aselli, quo Silenus vehebatur, excitatam: libidinem vero insidiatoris esse deceptam. Hac de caussa Lampsacenos asellum Priapo, quasi in ultionem, mactare consuevisse: apud Romanos vero eumdem Vestalibus sacris, in honorem pudicitiæ conservatæ, panibus coronari. Quid turpius, quid flagitiosius, quam si Vesta beneficio aselli virgo est?* VULP.

v. 22. DUCEBANT MACRÆ VILIA SACRA BOVES] Et sacra ducebantur curru ad templa. Virgilius 8. Æneid. *Castæ ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus*. & apud Livium lib. 34. lege Oppia cautum, ne vehiculo per urbem nisi sacrorum publicorum caussâ matronæ veherentur. Ad eam rem bubus usi sunt, ut Cleobis & Bitonis docet historia 1. Tusc. apud Ciceronem. Virgilius 3. Georg.

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæsitas ad sacra boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Sententia Propertii hæc est; Tunc boves sacra ducebant in plaustris paupertinis; at hodie matres ducunt sacra in mollibus pilentis. & argumentum paupertatis est, quod boves macræ, attenuatæ scilicet opere, & aratro. Sic apud Horatium *Macros tauros*, & *Macra vulpecula*. *Vilia sacra*; non contemnenda quidem simulacra, sed e vili materia facta. *Fictiles deos* supra vocavit. PASS. *Ducebant macræ v. s. boves*. Duo Gebhardi, unusque noster, *Ducebant matres*. quam lectionem si admittis, Fordicidia intellige, quæ erant XVII. Calend. Maji: & Ovidium consule L. 4. Fastor. a v. 630. est enim locus paullo longior, quam ut hic adscribatur. nec tamen puto sollicitandam esse vulgatam, quum tantum de Romuli rebus agatur, deque tenuibus urbis novæ initiis. BROUKH.

v. 23. PARVA SAGINATI LUSTRABANT COMPITA PORCI] Sues altiles mactabantur lustrandis compitis, sine sumtu & magnificentia. *Sagina* cibus quo opima redduntur animalia: unde *saginarium* Varroni lib. 3. R. R. cap. 10. ubi saginantur pecudes, vel aves. vulgo, *uno unë*. Plautus initio Mostell. *Este, offercite vos, saginam cædite*. Plinius lib. 8. H. N. cap. 51. *Pinguescunt sues sexaginta diebus, sed magis tridui media ante saginationem orsa*. Varro lib. 2. R. R. cap. 4. scribit, a partu decimo die haberi porcos puros, quos vocant sacros, id est, aptos ad sacrificium. & *porcum* ait vetus nomen Græcum esse. vide & Columellam lib. 7. cap. 9. *Lustrabant*, expiabant, purgabant: Festus in *Lues*. A luendo, lustratio, qua quid luitur, solvitur ac liberatur (piaculo.) Nonius: lustrare, expiare. vide adnotata ad illud Eleg. 10. l. 2.

Jam tempus lustrare aliis Helicona choreis.

Compita, quod viæ multæ in unam competant & conveniant. Varro 5. de L. L. trivia & quadrivia. Servius. vide notata ad Eleg. 20. lib. 2. v. 22. In compitis sacra & festa Compitalia, Laribus ac Maniæ eorum matri celebrari solita: Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 4. & 7. Servius Tullius instituit Laribus Compita: Plinius lib. 37. cap. ult. Inde Lares Compitales Suetonio in Augusto cap. 31. vide A. Gellium lib. 10. cap. 24. & Festum in *Penem* ex Nævio. Porcus autem ut Telluri & Cereri, sic Laribus immolabatur. Horatius Sat. 3. lib. 2. *Immolet æquis Hic porcum Laribus*. Tibullus Eleg. ult. lib. 1. Lares allocutus:

Hostia

Verbera pellitus setosa movebat arator,
Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.

Nec

Hostia erit planè mystica porcus bard.
& in Menæchmis Plauti, porci sacres piare dicuntur insanos. PASS.

v. 24. PASTOR ET AD CALAMOS EXTA LITABAT OVIS] Sacrificabat ovem, ejusque extis cæsis & porrectis deos placabat, non, ut temporibus Propertii, ad tibiam, sed ad fistulam e calamis. tamen fistula etiam sacris adhibebatur. Horatius Ode 1. lib. 4. & Tibullus Eleg. 5. lib. 2. *Litare* proprie est sacrificio facto placare numen, inquit Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 5. Festus: Litatum vel solutum quod debitum deo (a luendo & lustrando) vel a precibus, quas Græci λιτὰς dicunt. Nonius: Sacrificare est veniam petere; Litare, propitiare & veniam impetrare. *Litare exta*; ut Suetonius in Othone cap. 8. *Litare victimas cæsas Diti*. & Virgilius 4. Æneid. *Sacrisque litatis*. Exta, inquit Festus, dicuntur quod ea diis secentur quæ maxime exstant eminentque. ea Græcis σπλάγχνα, ἢ ἐγκοίλια. cædebantur autem, & porriciebantur: unde apud Varronem 5. de L. L. *Inter cæsa & porrecta*. De extis, & eorum ostentis Plinius lib. 11. H. N. cap. 37. *Per exta inventa præsensio*: Cicero in Topicis. inde extispicia, opus haruspicum: Idem 2. de Nat. Deor. Virgilius 4. Æneid.

. Pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Galeottus Martius Narniensis, ut ajunt, in libro de Doctrina Promiscua monstrum verbi hic confinxit, legitque, *excalitabat oves*. deferendum hoc ad haruspices. *Ovis* dixit poeta, ut hostiæ maximæ. Festus: *Maxima hostia ovilli pecoris appellabatur, non ab magnitudine corporis, sed ab animo placidiore*. Plinius lib. 8. cap. 47. *Magna & pecori gratia*, (id est, ovibus) *vel in placamentis deorum, vel in usu vellerum*. Robigalibus autem exta ovis & canis cremabantur. vide Ovidium 4. Fast. PASS. Servius ad illa Æn. L. 4.

Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, & caussas innecte morandi;

non credit, *litare sacra*, adeoque nec *litare sata*, Latine dici. *Diis*, inquit, *litatis debuit dicere. Non enim sacra, sed deos sacris litamus, id est, placamus. Ergo nove dixit.* atqui Servius, si quidem hæc certo sunt Servii, quomodo potuit ignorare hunc ipsum Nostri locum, tam clarum, tam apertum? quomodo item alterum Nasonis? L. 4. Fastor.

Tertia post Veneris quum lux surrexerit Idus;
Pontifices, fordâ sacra litate bove.

Papinius quoque L. 10. Theb. *Tibi enim hæc ego sacra litavi*. BROUKH. *excalitabat oves*, Editio princeps A. 1472. VULP.

v. 25. VERBERA PELLITUS SETOSA MOVEBAT ARATOR] Agricola pelle vestitus obviis infligebat flagella ex pelle caprina. *Arator*, quia *fera sodalitas pastoritia, & agrestis germanorum Lupercorum*, inquit Cicero pro M. Cœlio. *Pellitus*, ut sup. hac Elegia v. 12. *Pellitos patres*. An quia Sacerdotes Herculis pellibus in morem cincti? Virgilius 8. Æneid. *Movebat verbera*; quatiebat lora, quod faciunt percussuri. ita dictum, ut movere arma, & bella, & *Mars sua tela quatit*. *Verbera*, scuticas & lora, quibus ferire obvios solebant Luperci. ut Virgilius 7. Æneid. *Torto volitans sub verbere turbo*. Aliàs, *vellera*. illud malo. A flagrorum crepitu *Crepi* dicti Luperci, ut puto. vide Festum in *Crepos*. *Setosa*, ex pellibus hispidis, caprinis scilicet Junonis februatæ. lege Festum in *Februarius*. *Seta*, lana caprina. Virgilius 3. Georg.

Incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes
Usum in castrorum. PASS.

Nihil hic sollicito: nec tamen volo dissimulare, in nostro primo perspicuis literis legi *Verbera p. fœtosa m. a.* Vox ea, fateor, nusquam mihi penes ullum scriptorem est lecta: (quamquam *fœtuosus* reperitur apud Hieronymum contra Jovinianum.) sed potest fuisse glossa marginalis τοῦ *fœcunda*. certe non abludit Ovidius L. 2. Fastor.

Nupta, quid exspectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ:
Jam socer optatum nomen habebit avi.

nam

Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
Miscebant usta prœlia nuda sude.

Pri-

nam in eum finem præcipue instituta Lupercalia. Juvenalis Sat. 2.

Steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.

Sint tamen hæc æstimatio potius, quam judicium. nam τὸ *fetasa* multis modis præplacere debet. vide Servium in L. 8. Æn. v. 343. & Festum in *Februarius*. BROUKH.

v. 26. UNDE LICENS FABIUS SACRA LUPERCUS HABET] Cujus aratoris exemplo & hodie Luperci Fabii & Quintilii Panis sacerdotes sunt. *Licens*, protervus. discurrere enim per licentiam quamdam & lasciviam solebant Luperci, ut Livius scribit lib. 1. Sic Seneca Hippolyto: *Cinget* (te) *turba licens Najades improbæ*. Sic *violens* Horatio, & *opulens* Ausonio Epicedio in patrem, & in Claris Urbibus: item *mensinens* in Parentalibus. a *Licens* Ciceroni etiam *Licentior*, & *Licentius* dicitur. De Fabiis & Quintiliis Lupercis, qui Fabiani & Quintiliani dicuntur Festo in *Fabiani*, a præpositis suis Fabio, & Quintilio, quorum hic Romuli, ille Remi partium erat: Ovidius 2. Fast. Festus, Varro 4. & 5. de L. L. Servius in 8. Æneid. Livius & Dionysius lib. 1. Plutarchus in Romulo & Cæsare, & in Rom. Quæst. 68. *Lupercalia*, quod de capro luebatur. id est, sacrificabatur: Servius loco antedicto. Ovidius autem a Fauno Lycæo; puto, Luperco, quod lupos arceat. hic vocabatur etiam Silvanus, & Mars Silvanus, & Pan confusis nominibus. *Luporum exactorem Silvanum*, dixit Lucilius, apud Nonium in *Fulgurivis*. Sacra autem illa Evander ex Arcadia in Italiam advexit. Ovidius 2. Fast. Fuere postea & *Luperci Juliani*, in Julii Cæsaris honorem dicti. Dio lib. 44. & Antonius apud Ciceronem Philipp. 13. PASS.

v. 27. NEC RUDIS INFESTIS MILES RADIABAT IN ARMIS] τὸ *Nec* dividendum: *Et miles*, (tum) *rudis non radiabat*, &c. ut Eleg. ult. lib. 3. v. 10. *Rudis miles*, sine usu & peritia armorum, & disciplinæ militaris, ut Horatius Ode 2. lib. 3. *Rudis agminum sponsus*. An asper, incultus, ut *Horridus miles* Ennio? *Radiabat*, splendorem emittebat parem Solis radiis, ut in Milite Plauti initio. Elegia 6. infra:

Armorum & radiis picta tremebat aqua.

Virgilius 8. Æneid.

Arma sub adversa posuit radiantia quercu.

Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 4.

Scuta sed & galeæ gemmis radientur & auro.

Armis infestis, infensis, minacibus, intentatis. nam *infestus* est qui in aliquem infertur cum studio nocendi, ut dixi ad El. 8. l. 1. v. 16. sic dicitur *Infestis signis* Livio, Lucano, Ciceroni. & *Infestis digitis ora incessere*, Suetonio in Calig. cap. 25. Virgilius 10. Æneid. *Infesta subit obvius hasta*. id est in vulnus parata & protenta, inquit Servius. Nigidius apud Nonium: Infestus, qui nimium festinat ad scelus, vel ad fraudem. PASS.

v. 28. MISCEBANT USTA PRŒLIA NUDA SUDE] Pugnas vecte conferebant, sine armis militaribus. *Miscebant prælia*, dictum ad Eleg. 27. lib. 2.

Quum Mavors dubias miscet utrimque manus.

ubi vide adnotata. Virgilius 12. Æneid.

Ingruit Æneas Italis, & prælia miscet.

Prælia nuda. sine ferro & justis armis. Statius 1. Theb.

Exsertare humeros, nudamque lacessere pugnam.

Idem 6. Theb. de ludicro certamine: *Nudasque movent in prælia vires*. Alibi vocat *pugnas inermes*. Gratius initio Cyneget. *Nuda silvas virente movebant Inconsulti homines*. *Usta sude*. Virgilius 7. Æneid.

Non jam certamine agresti
Stipitibus duris agitur sudibusve præustis.

Servius in 2. Æneid. *Sudes*, inquit, *& valli idem*. Vide Homerum in Odyss. de sude ambusta, sive vecte, unde terebratus oculus Polyphemi. Sallustius in Catilina: *Alii sparos, aut lanceas, aut præacutas sudes portabant*. Festus: *Sub vineam jacere dicuntur milites, quum adstantibus centurionibus jacere dicuntur sudes*. Vide adnotata ad illud Tibulli Carm. 1. lib. 4.

Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Jecerit? PASS.

De

Prima galeritus posuit prætoria Lucmo:
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.

Hinc

De *sudibus* videndus Lipsius L. 4. Poliorcet. cap. 4. BROUKH. *Miscebant prælia.* Tibullus Eleg. 3. lib. 1. *Assidue prælia miscet Amor.* Hinc Itali dicimus *mischia*, pro rixa & certamine. Editio princeps, ut & libri Broukhusii, *Prælia facta*, VULP.

v. 29. PRIMA GALERITUS POSUIT PRÆTORIA LUCMO] Statuit, sive fixit tabernacula, in quibus imperator esset in castris. Consulum, qui bella administrabant, tabernaculum dicebatur prætorium: Festus in *Prætoria porta*. Omnem magistratum cui pareret exercitus, prætorem appellarunt, unde & prætorium tabernaculum ejus dixerunt. Asconius in 3. Verrin. quo sensu legitur apud Livium lib. 8. & alibi sæpe. *Galeritus Lucmo*, galero lupino rustice tectus. nam galero multi usi antiqui. Varro 4. de L. L. & Servius in illud 7. Æn. *Fulvosque lupi de pelle galeros*. genus est pilei, inquit. quod Fronto neutro genere dicit. A. Gellius lib. 2. cap. 15. *Galero albo velatur flamen*. unde *albogalerus* dicitur Festo. Appulejus Apolog. 1. *Pontificum galerus: lituus augurum*. Inde *galericulus* Suetonio & Martiali. & *galerita* avis Plinio, quam Varro 4. de L. L. vocat galeritum, quod in capite plumam habeat elatam. Dicitur & *galera* feminino genere: Gracchus apud Charisium lib. 1. D. Hieronymus ab Fabiolam, galerum ait pileum esse rotundum, quasi mediam sphæram, & idem cum tiara. *Lucmo*, detrita litera a Lucumo, qui dicitur *Lucomedius* Eleg. prox. sequ. *Lucumon* a Dionysio vocatur lib. 2. qui eum laudat, ejusque in pugna fortiter dimicantis mortem describit. Varro 4. de L. L. A Lucumone Luceres. Festus: *Lucomedi a duce suo Lucumo dicti*. emendant, *Lucumone*: ego, *Lucomedio*. is in auxilium Romuli venit adversus Tatium. Festus: *Lucumones, quidam homines ob insaniam dicti; quia loca ad quæ venissent infesta facerent*. Ergo voce hybrida, *Lycibomones*: λυκάνθρωποι. Servius in 2. Æneid. Populos Tusciæ ait XII. Lucumones habuisse. id est, reges, sua lingua. sed in 5. Æneid. Romulum ait adversus Tatium a Lucumonibus, id est, Tuscis auxilia postulasse. Alius est Lucumo is qui regnante Anco Marcio Romam commigravit. PASS. Animum inducere non possum ut existimem ejusdem hominis hic fieri mentionem cujus Elegia sequenti:

Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.

nimis enim distant *Lucmo*, & *Lucomedius*; quod animadvertit etiam Turnebus. Hoc igitur accipiendum censeo de Tarquinio Prisco, quinto Romanorum rege, qui, antequam e Tarquiniis oppido Etruriæ Romam cum uxore migrasset, Lucumo vocabatur. Testis Livius lib. 1. Juvat opinionem meam, quod Propertio dicitur *galeritus*; & fortasse poeta respexit ad id quod viro illi accidit, & narratur a Livio eodem libro. *Ad Janiculum*, inquit, *forte ventum erat. Ibi ei carpento sedenti cum uxore, aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert: superque carpentum cum magno clangore volitans, rursus velut ministerio divinitus missa, capiti apte reponit. inde sublimis abiit. Accepisse id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, ut vulgo Hetrusci, cælestium prodigiorum mulier. Excelsa & alta sperare complexa virum jubet: eam alitem ea regione cæli & ejus dei nunciam venisse: circa summum culmen hominis auspicium fecisse: levasse humano superpositum capiti decus, ut divinitus eidem redderet*. Huic adde L. Florum lib. 1. cap. 5. *Neque pace*, ait, *Tarquinius, quam bello promtior: XII. namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta: inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & insignia quibus imperii dignitas eminet*. Sallustius id videtur confirmare in Catilin. cap. 52. *Majores nostri*, ait, *insignia magistratuum ab Tuscis plerasque sumserunt*. Vetus etiam Epigramma apud Cuspinianum in Fastos Capitolinos:

Prisce, triumphali primus honore tumes.

Vetuloniæ, oppido antiquæ Hetruriæ, hæc insignia tribuit Silius Italicus lib. 8. Punic. v. 485. & seqq. Verisimile igitur, est, *prætoria* quoque primum ab ipso posita.

Nec

Hinc Tities Ramnesque viri Luceresque coloni:
Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Quip-

Nec obstat, Propertium infra Eleg. 4. Tatio Sabinorum regi, qui Tarquinii tempora longe antecessit, prætorium tribuere, illo versu:

Igues castrorum, & Tatiæ prætoria turmæ;

poetis etenim licet ἀναχρονισμῷ nonnumquam uti, & inventa posteriorum ætatum ad priores revocare. Sic Virgilius lib. 6. Æneid. ex ore Palinuri Æneæ supplicantis dixit, *portusque require Velines*, quum tamen Velia oppidum Lucaniæ tempore demum Servii Tullii, sexcentis fere annis post Æneæ in Italiam adventum, conditum fuerit. Quid? nonne Propertius ipse hac eadem Elegia sic ait:

Quatuor hinc albos Romulus egit equos?

nempe adversus Flori testimonium, qui triumphandi morem curru quadrijugo ad Tarquinium Priscum auctorem refert. Idem citata Eleg. 4. Tarpejam virginem ita loquentem inducit:

Te toga picta decet, non quem, sine matris honore,
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

quum tamen Florus togæ pictæ inventorem Tarquinium faciat. Verum de hac re tota me doctioribus judicium relinquo. Lucumones memorat etiam Censorinus de Die Natali: *Nec non in agro Tarquiniensi puer dicitur divinitus exaratus nomine Tages, qui disciplinam cecinerit extispicii, quam Lucumones tum Etruriæ potentes exscripserunt.* Codex Bononiensis, pro *Lucmo*, habet *lygmon*, Editio princeps *ligmon*. VULP.

v. 30. MAGNAQUE PARS TATIO RERUM ERAT INTER OVES] Id est, in ovium numero. hæ enim veterum divitiæ: & pecunia inde dicta. *Inter oves*, ut *inter vias* Terentius Eun. 4, 2. pro, in via. Livius lib. 2. *Inter patres lectus Appius*. pro, in patrum numerum. τὸ, *Inter*, & copiam, & locum notat. De Tatio Sabinorum rege dicetur ad Eleg. 2. & 4. infra. PASS.

v. 31. HINC TATIES, RHAMNESQUE VIRI, LUCERESQUE COLONI] Taties pro Tatienses, & Rhamnes pro Rhamnenses, ut Turnebus legit lib. 21. Adv. cap. 1. e vet. cod. Apud Varronem 4. de L. L. ager Romanus primum divisus in partes tres, a quo tribus appellatæ Tatium, Rhamnium, Lucerum. nominatæ, ut ait Ennius, Taties a Tatio; Rhamnes a Romulo; Luceres a Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tusca sunt. Ovidius 3. Fast.

Quin etiam partes totidem Tatiensibus ille,
Quosque vocant Rhamnes, Luceribusque dedit.

Festus in *Sex Vestæ*: Civitas Romana in sex est distributa partes. in primos, secundosque Titienses, Rhamnenses, Luceres. Idem in *Lucerenses*: Lucerenses & Luceres, quæ pars tertia Pop. Rom. est distributa a Tatio, & Romulo; appellati sunt a Lucero Ardeæ rege, qui auxilio fuit Romulo adversus Tatium bellanti. Idem in *Lucomedi*: A Lucumone Lucerenses. Livius lib. 1. *Eodem tempore & tres equitum centuriæ conscriptæ sunt; Rhamnenses a Romulo; ab Tito Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis, & originis caussa incerta est.* Vide & Servium in illud 5. Æneid. *Tres equitum numero turmæ*. Sed quod scribunt de Rhamnetibus a Romulo, meræ sunt nugæ. nam & Varro fatetur 4. de L. L. vocabulum esse Tuscum. & id Virgilius docet 9. Æneid. *Simul ense superbum Rhamnetem aggreditur*. Ex iis autem quæ ex Festo & Livio protuli, notum est cur *Celsi Rhamnes* ab Horatio, pro equitibus dicantur. *Viri*, fortes. ut Eleg. 4. lib. 3. *Magna viri merces*. Virgilius 2. Æneid. *Arma, viri, ferte arma*. & sæpius alibi. *Coloni*, sunt cultores advenæ, ut Servius scribit ad illud 1. Æneid. *Tyrii tenuere coloni*. Isidorus lib. 4. Coloni quatuor modis dicuntur: Romani, Latini, auxiliares, & juris privati. aliàs coloni sunt conductores prædiorum, ut dictum ad Eleg. 33. lib. 2. v. 29. PASS. Videndus Columna ad Ennium p. 32. 6. BROUKH. Tres antiquæ tribus, Rhamnenses, Titienses, Luceres, suum quæque augurem habebant: aut si pluribus fuisset opus, pari inter se numero sacerdotes multiplicabant. Livius lib. 10. VULP.

v. 32. QUATUOR HINC ALBOS ROMULUS EGIT EQUOS] A tam parvis principiis profectus Romulus triumphavit de Caeninensibus

bus

Quippe suburbanæ parva minus urbe Bovillæ,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii;

bus τεθρίππῳ παρεμβεβηκὼς, id est, quadrigis invectus, ut ait Dionysius lib. 2. cui convenit cum Propertio. triumphavit de Fidenatibus & Camerinis iterum; ac tertium de Vejentibus. Dionysius ibidem. Plutarchus autem in Romulo pedibus ait urbem ingressum. Livius lib. 1. gerentem in ferculo Acronis spolia Capitolium ascendisse scribit. De equis triumphantium Elegia 1. lib. 3.

A me
Nata coronatis Musa triumphat equis.

& Eleg. 4. libri ejusdem:

Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.

& Eleg. 3. infra:

Pura triumphantes hasta sequatur equos.

In republ. & vetere, & nova omnes pæne triumphantes in quadrigis albis. Ovidius 1. A. A.

Ergo erit illa dies qua tu, pulcherrime rerum,
Quatuor in niveis aureus ibis equis.

& 6. Fast.

Unde suburbano clarus Tiburte triumpho
Vectus es in niveis, Postume, victor equis.

Livius lib. 10. triumphantes ait Jovis ornari ornatu. at Jovi albæ quadrigæ. Idem lib. 24. Hieronymum Syracusarum regem quadrigis alborum equorum e regia procedentem notat. Idem lib. 5. de Camillo: *Maxime conspectus ipse est curru equis albis juncto urbem invectus: parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum. Jovis Solisque equis æquiparari dictatorem, in religionem etiam trahebant: triumphusque ob eam unam maxime rem clarior, quam gratior fuit.* Huc facit illud Tertulliani de Spectaculis: *Quadrigam Romæ primus ostendit Romulus.* PASS. *Quatuor albos equos.* Lactantius Firmianus lib. de Mortibus Persecutorum cap. 16. *Quam jucundum*, ait, *illud spectaculum Deo fuit, quum victorem te cerneret, non candidos equos, aut immanes elephantos, sed ipsos potissimum triumphatores curru tuo subjungentem!* Vide quæ affert elegantissimus Broukhusius ad v. 8. Elegiæ 8. (ut ipse numerat) libri 1. Tibulli. Plutarchus in Vita Camilli tradit, id singulare fuisse: Οὐδενὸς τοῦτο ποιήσαντος ἡγεμόνος πρότερον, οὐδὲ ὕστερον. *nullo exemplo vel priorum, vel insequentium Imperatorum.* Enimvero hic necesse est aut Propertium, aut Plutarchum mendacii postulare. nisi dicamus, a Propertio Romulum pro quovis Romano Imperatore triumphante usurpari. ut Romulus sint Romani duces. Eoque magis hæc explicatio probari potest, quod Camillus Romulus appellatus, & alter patriæ parens. Vide Livium lib. 5. VULP.

V. 33. QUIPPE SUBURBANÆ PARVA MINUS URBE BOVILLÆ] An id ait: Roma tum oppidulum minus erat parva urbe Bovillæ suburbanæ; ut dicitur, *Urbs Patavi*, ut Bovilla sit numeri singularis? An legendum, *Parvæ? minus parva*, majores. Bovillæ steterunt majores urbe. id est, Romā. de Bovillis Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. Dionysius lib. 8. a Coriolano captas Bovillas ait oppidum Latii e principibus. Nonius in *Hillas:* Hillas, intestina veteres dixerunt, unde Bohilla oppidum in Italia, quia eo bos intestina vulnere trahens advenerit. Interpres Persii ad Sat. 6. Bovillæ sunt vicus ad undecimum lapidem Appiæ viæ: quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus jam consecratus ibi comprehensus est. inde Bovillæ dictæ. Vet. Gloss. *Bovilla*, Βοϛάσιν. Livius lib. 10. in fine, a Martis ad Bovillas viam silice stratam ait. *Suburbanæ Bovillæ*, urbi proximæ; ut *Suburbanus ager*, *Suburbanum rus.* Ovidius 3. Fast.

Orta suburbanis quædam fuit Anna Bovillis.

PASS.

Dicit, Bovillas tunc temporis majores fuisse ac spatiosiores, quam esset recens Roma. quod firmat Dionysius Halic. Antiq. Rom. L. 8. Aurelii nostri tempore viculus erat desertus, tantum sacello Bonæ Deæ conspicuus. --- libri tantum non omnes *Vidæ* habent, errore prorsus ridiculo. BR. Passeratius & Broukhusius, viri docti, & de poeta Umbro optime meriti, multa moliti sunt ad hunc versum; cujusmodi oppidum essent Bovillæ, dixerunt; nominis originem aperuerunt: sententiam vero & syntaxin (sit suus honor veritati) minus

Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata,
Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.

Nil

perceperunt. Sic enim explicandus Propertius: Quippe antiquissima illa ætate, quum Roma recens condita parva admodum esset, angustumque pomœrium haberet, Bovillæ magis ab ea distabant, adeoque minus erant suburbanæ: postea vero, aucta urbis magnitudine, Bovillæ mœnibus Romanis propiores esse cœperunt, & suburbanæ magis. Animadvertite, amabo vos, candidi & acuti lectores, &

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Duo afferam Ovidii loca, quæ hanc interpretationem illustrent mirifice atque confirment. Lib. 2. Metam. v. 290. in fabula Phaëthontis, Terra ita loquens inducitur:

Quid undæ,
Quid meruit frater? cur illi tradita sorte
Æquora decrescunt, & ab æthere longius absunt?

nam imminuto mari ob incendium, æther, ut ita dixerim, ipsi mari minus suburbanus futurus erat. Idem Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 6.

Quæ si non rata sunt, alium, quo longius absim
Quære (suburbana hæc sit mihi terra) locum.

Scriptoribus quos Passeratius attulit adde Martialem Epigr. 6, lib. 2. *Lassus tam cito deficis, viator, Et quum currere debeas Bovillas, Interjungere quæris ad Camœnas.* V.

v. 34. Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii] Id est: Quorum vix exstat vestigium. vide adnotata ad Eleg. 5. l. 1. v. 22. *Gabii* oppidum, unde *Gabinus ager*, Varroni 5. de L. L. Appianus lib. 1. inter Romam & Præneste locat. Strabo l. 5. ex æquo ab urbe Præneste, & Roma distare ait stadia centum. De iis Plinius lib. 3. cap. 5. Tradit Solinus, a Galacto & Bio fratribus dictos Gabios. Livius lib. 1. & Ovidius 2. Fast. fraude Sex. Tarquinii captos Gabios scribunt. Postea sunt deserti, unde Horatius Epist. 11. lib. 1.

Scis, Lebedus quam sit Gabiis desertior, atque
Fidenis vicus.

Gabî, crasis; ut infra: *Tunc animi venere Deci. Maxima turba*, populus frequens: Virgilius 6. Æneid.

Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est. Pass.

Qui nunc nulli. sane vix erant ulli ea tempestate. Cicero pro Plancio C. 9. *Nisi forte te Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat. quibus e municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur.* Broukh.

v. 35. Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata] Plus est *stetit*, quam fuit. Sic Eleg. 22. lib. 3.

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes Stamus.

simulque significat eversam; ut Eleg. 8. lib. 2. *Et Thebæ steterunt*. De Albæ eversione Livius lib. 1. & Dionysius lib. 3. *Potens*; ut Virgilius 7. Æneid. *Atina potens*. *Potens*, sed olim. *Nata*, orta, condita. nam & urbium natales dicuntur, ut notabimus ad Eleg. 4. infra. Sic Virgilius 10. Æneid. *Nascentis Trojæ*. *Nata albæ suis omine*; quæ nomen proprium habuit ab albæ suis inventæ ostento. De quo legendus Virgilius 3. Æneid. a versu 389. Ut augurio vulturis Roma, bovis Thebæ; sic ostento suis Alba condita. vide Livium lib. 1. & Dionysium. Juvenalis Sat. 2.

Conspicitur sublimis apro cui candida nomen Scrofa dedit.

Idem Sat. 6.

Atque eadem scrophâ Niobe fœcundior albâ. Pass.

v. 36. Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via] Si *Vias* legimus, *Ire vias Fidenas*, pro Fidenates dictum. ut Eleg. 11. lib. 1. *Aqua Baja*. Eleg. 31. lib. 2. *Femina turba*. Sed alii libri, *Via*; & *Longe via*, pro longa via, inquit Scaliger. ut El. 20. lib. 1. *Longe Phasidos isse viam*, pro longinquam. Jo. Auratus e conjectura, *Longa erat ire via*; ut Virgilius 3. Æneid.

Longa procul longis via dividit invia terris.

Straboni lib. 5. Fidenæ oppidum distans ab Urbe xxx. stadia; Dionysio lib. 2. xl. stadia. De iis triumphavit Romulus: Livius lib. 1. & Dionysius lib. 2. Earum meminit

Pli-

Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus:
Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troja, Penates.
O quali ducta est Dardana puppis ave!

Jam

Plinius lib. 3. cap. 5. & 12. Primam syllabam corripit Virgilius 6. Æneid. *Gabios, urbemque Fidenam*. Ceteri producunt. Horatius Epist. 11. lib. 1. *Gabiis desertior, atque Fidenis Vicus*. & Juvenalis Sat. 6.

Vivat Fidenis, & agello cedo paterno. P.

Syntaxis hæc est: *Hac via, qua ire Fidenas, erat longe ire*. ut sit διλογία. quum enim angusti essent Romanorum fines, etiam qui breve iter suscipiebant, peregrinari videbantur. VULP.

v. 37. NIL PATRIUM, NISI NOMEN, HABET ROMANUS ALUMNUS] Nam Romani a Romulo nominati. Virgilius 1. Æneid.

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.

Habet ergo nomen conditoris sui populus quem alit Roma, sive *Romæ soboles*, ut loquitur Horatius Ode 3. lib. 1. virtutem autem ejus, & paupertatem non habet. Auctor Romanorum, Pater dicitur; unde *patrium nomen*. Ennius apud Lactantium lib. 1. & Priscianum in *Sanguen*:

O Romule, Romule, die, o,
Qualem te patriæ custodem dii genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras,
O pater, o genitor, o sanguen diis oriundum.

Sapit autem proverbium: *Nil, nisi nomen*. Laberius apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 7. *Sepulcris similis nil, nisi nomen, retineo*. Ovidius in Epicedio Tibulli:

Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen, & umbra
Restat. PASS.

v. 38. SANGUINIS ALTRICEM NUNC PUDET ESSE LUPAM] Fateri non vult tanta Imperii magnitudine Faustuli pastoris conjugem [mulierem meretricem, seu lupam] nutricem fuisse gentis nostræ. & quia lupa dicitur aluisse Romulum, & simul Romanos videtur educasse. vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 2. v. 20. *Altricem*. Virgilius 3. Æneid.

Et terram altricem sævi execramur Ulixis.

Horatius Ode 4. lib. 3. *Altricis extra limen Apuliæ*. Seneca de morte Claudii: *Estne illa tellus spiritûs altrix tui? Sanguinis*, generis. vide adnotata ad v. 14. Eleg. 7. lib. 2. PASS. Cicero lib. 1. de Divinat.

Hic silvestris erat, Romani nominis altrix,
Martia, quæ parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis, vitali rore rigabat. V.

v. 39. HUC MELIUS PROFUGOS MISISTI, TROJA, PENATES] Ergo in Italiam, & Romam felicius, Troja, misisti deos patrios exsules, quam si retinuisses. Ita fere Horatius Ode 6. lib. 4. *Rebus Æneæ meliore ductos Alite muros*. *Misisti*, ut Eleg. 5. infra:

Vel quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ.

Penates profugos. Virgilius 6. Æneid.

Latio considere Teucros,
Errantesque deos, agitataque numina Trojæ.

PASS.

Pallas apud Silium Italicum lib. 13. Punic. v. 60. Diomedem sic alloquitur:

Quare in Laurentibus arvis,
Qui nunc prima locant melioris mœnia Trojæ.
Huc vittas castumque refer penetrale parentum.

VULP.

v. 40. O QUALI VECTA EST DARDANA PUPPIS AVE!] Admirantis. ut Eleg. 10. lib. 1. *O jucunda quies!* O quam dextro auspicio Trojana puppis, id est vehens Æneam, & Æneïos, delata est in Italiam! nam & ipsæ naves vehi dicuntur. [a flumine scilicet, vel mari.] *Dardana puppis*. Virgilius 4. Æneid. *Dardaniæ carinæ*, & *Iliacas carinas*. *Ave*. Contra Horatius Epodo 10. *Malâ soluta navis exit alite*. & Ode 3. lib. 3. *Trojæ renascens alite lugubri Fortuna*. vide infra vers. 68. hujus Elegiæ. PASS. Melior lectio est unius codicis Regii, ac primarum editionum, *quali ducta est*. aves enim talium fere itinerum duces fabulata est antiquitas. Vellejus Paterculus L. 1. C. 4. *Nec multo post Chalcidenses, Hippocle & Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt;*

Jam bene ſpondebant tunc omina, quod nihil illam
  Læſerat abiegni venter apertus equi;
Quum pater in gnati tremulus cervice pependit,
  Et verita eſt humeros urere flamma pios.

Tunc

runt ; &c. Similia occurrunt apud Papinium L. 4. Silv. 8. Curtium L. 4. C. 7. Philoſtratum L. 2. Imag. in Melete, Nic. Leonicum Thomæum L. 2. Var. Hiſt. C. 85. e Græcorum commentariis, Suetonium Vitell. C. 9. Tacitum L. 1. Hiſt. C. 62. ------ talem hic utique ducem intellexit noſter poeta : qualem & ſupra tetigerat L. 2. Eleg. 20.

Quum rudis Argûs
Dux erat ignoto miſſa columba mari.

& L. 3. Eleg. 21. v. 13. In Beroaldi editiona primulum viſum eſt iſtud *vecta* : ipſe tamen, quare priorem ſcripturam deſeruerit, rationem reddit nullam. BROUKH. Editio tamen omnium princeps, ignota Broukhuſio, præfert *vecta*. Tibullus Eleg. 4. lib. 1. dicere non dubitavit : *Dum vehet amnis aquas. Avi.* Ennius :

Et ſimul ex alto longe pulcherrima præpes
Læta volavit avis. ----- vide ibi Columnam pag. 23. VULP.

v. 41. JAM BENE SPONDEBANT TUNC OMINA, QUOD NIHIL ILLAM LÆSERAT ABIEGNI VENTER APERTUS EQUI] Fauſtum erat, felixque illud ſignum : & augurium, id pollicebatur eventurum, quod puppi Æneæ, & Æneæ ipſi antequam Troja excederet, & mare conſcenderet, nihil nocuerit equus durateus, ex quo Græci effuſi in urbem. *Spondebant.* dicebant, canebant, ita ut eventurum in ſe reciperent. nam ſpondere eſt ſponte, & voluntate ſua promittere, & olim dicere ; ut adnotavi ad Eleg. 29. lib. 2. v. 19. *Omina*, oracula, vel auguria. Omen ab ore, inquit Varro 4. de L. L. Sed poetis eſt quodcumque auſpicium. ut adnot. ad Eleg. 3. lib. 2. v. 24. *Venter equi.* Sic Virgilius 2. Æneid. ventrem, uterum, & alvum dixit. Agrœtius : *Alvus viri : uterus mulieris : venter utriuſque.* Venter Juriſconſultis de fœtu in utero dicitur ; unde *Ventrem in poſſeſſionem mittere. Ventrem facere* dicitur quoque paries : & Ventres, gumiæ. *Venter apertus.* nam, ut ait Virgilius 2. Æneid. *Pinea furtim Laxat clauſtra Sinon. Equi abiegni*, quia ſecta abiete coſtæ ejus textæ. vide adnotata de hac re ad Eleg. 1. lib. 3. v. 25. PASS.

v. 43. QUUM PATER IN GNATI TREMULUS CERVICE PEPENDIT, ET VERITA EST HUMEROS URERE FLAMMA PIOS] Ovidius lib. 1. Pontic. Eleg. 1.

Quum foret Æneæ cervix ſubjecta parenti,
  Dicitur ipſa viro flamma dediſſe viam.

& 4. Faſt.

An magis hunc morem pietas Ænēa fecit,
  Innocuum victa quum dedit ignis iter?

Statius 2. Silv. in Lacrimis Etruſci :

Felix cui magna patrem cervice vehenti
Sacra Mycenææ patuit reverentia flammæ.

Virgilius 2. Æneid.

Ergo age, care pater, cervici imponere noſtræ.
Ipſe ſubibo humeris.

vide & Horatium in Carm. ſæcul. *Pater tremulus*, ætate confectus, & tremulus ob ſenectutem : *nam tarda trementi Genua labant.* Catullus Carm. 60. *Te ſuis tremulus parens Invocat.* [& Carm. 67.

Ingratum tremuli tolle parentis onus.]

Plautus Menæchm. *Titanum tremulum Cygno prognatum patre.* Noſter Eleg. 7. infra :

Nutrix in tremulis ne quid deſideret annis.

Tremo a τρομέω, utrumque a ſimilitudine vocis formidantium. Varro 5. de L. L. *Pependit cervice.* qui geſtantur humeris, collum geſtantium amplecti ſolent. τὸ in, pro, e. ſic Virgilius Ecl. 1.

Cui pendere tua patereris in arbore poma.

Martialis quoque lib. de Spectaculis :

Non falſa pendens in cruce Laureolus.

Flamma verita eſt urere. non auſa eſt, diis vetantibus. Ovidius in Epicedio Tibulli :

Te ne, ſacer vates, flammæ rapuere rogales?
  Pectoribus paſci nec timuere tuis?

& Albinovanus ad Liviam :

Flamma diu cunctata caput contingere ſanctum.

Pius

Tunc animi venere Decii, Brutique secures,
Vexit & ipsa sui Cæsaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojæ,
Felix terra tuos cepit, Iule, deos.

Si

Pios humeros ; pii hominis. ut *ebria vestigia* Eleg. 3. lib. 1. v. 9. PASS. *Q. p. in nati s. e. p. gnati* habet noster secundus, proba & poetica scriptura ; ac deinde *tremidus* pro *tremulus* ; ceteri fere *trepidus*. Verum an vox sit bene Latina *τὸ tremidus*, non habeo dijudicare. BROUKH. *trepidus*, Editio princeps. *Verisa est b. v. f. p.* Non dubito quin hæc sumserit a Virgilio suo. is enim 2. Æneid.

Descendo, ac ducente deo flammam inter & hostes
Expedior : dant tela locum, flammæque recedunt. VULP.

v. 45. TUNC ANIMI VENERA DECII, BRUTIQUA SECURES] Illo ipso tempore venit in Italiam animosus Decius, de quo dictum ad Eleg. 11. lib. 3. v. 62. Juvenalis Sat. 8.

Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Funera.

& alibi : *Quantus amor patriæ Deciorum in pectore.* Animos Decii, ut Eleg. 1. lib. 2. *Animos Carthaginis altæ.* Sic Horatius, *Virtus Scipiadæ*. Periphrasis est, ut Eleg. 16. lib. 3. *Rabies canum*, pro rabiosi canes. Decium porro nominat, quia is ex Æneidarum gente. Attius tragœdiam scripserat Æneida, sive Decium. Nonius in *Sanguen, Sonit, Sequitur* : & alibi. Scripserat idem Attius & Brutum : Varro 4. & 5. de L. L. & Cicero 1. de Divinat. *Venere* igitur quodammodo *Decius* & *Brutus* cum Ænea, qui fuit Romanæ stirpis origo : & videtur ipse illos attulisse antequam nascerentur. *Bruti secures*, quibus filio cervices amputari jussit, ut tyrannidem Româ arceret. historia est apud Livium lib. 2. & Florum lib. 1. cap. 9. Deinde quia Brutus Tarquinii secures fregit, id est, Reges ejecit. unde Eleg. 11. lib. 3.

Quid nunc Tarquinii fractæ juvat esse secures?

De securibus Plutarchus Rom. Quæst. 82. Servius ad illud 1. Æneid. *Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.* Curis hasta, telum longum est ; unde securis, quasi semicuris. vide & Isidorum lib. 18. cap. 6. & lib. 19. cap. 19. Securis ex utraque parte caput habet : Festus in *Anceps*. PASS.

v. 46. VEXIT AT IPSA SUI CÆSARIS ARMA VENUS] Quia duce Venere Æneas, & Iulus in Italiam venere, unde Julia gens. nisi Venus tutela ejus navis fuerit, qua Æneas in Italiam advectus fuit. *Arma Cæsaris*, pro Cæsare forti & bellatore ; ut *Animi Decii*. Sic Eleg. ult. lib. 2.

Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma.

Aliter Albinovanus in Obitum Mæcenatis :

Carus eras nobis non propter Cæsaris arma.

nam ibi partes significat. Petronius Arbiter hinc corrigendus : *Primumque Dionæ Cæsaris arma sui ducis.* vulgo legitur, *Acta sui Cæsaris*. Noster Eleg. 4. lib. 3.

Ipsa tuam prolem serva Venus : hoc sit in ævum,
Cernis ab Ænea quod superesse, caput.

Ovidius ult. Metam.

Media quum sede senatûs
Constitit alma Venus, nulli cernenda, suique
Cæsaris eripuit membris, nec in aëra solvi
Passa recentem animam.

unde *Venere prognatus* dicitur a M. Cœlio apud Ciceronem lib. 8. ad famil. vide Suetonium in Julio cap. 6. PASS.

v. 47. ARMA RESURGENTIS PORTANS VICTRICIA TROJÆ] Sic Virgilius 1. Æneid. *Ilium in Italiam portans*. & Ovidius 4. Fast.

Quum Trojam Æneas Italos portaret in agros.

Trojæ resurgentis. ut infra hac Elegia :

Dicam, Troja cades, & Troïca Roma resurges.

Virgilius 1. Æneid. *Illic fas regna resurgere Trojæ*. Ovidius 1. Fast.

Victa tamen vinces, eversaque Troja resurges.
Obruet hostiles ista ruina domos.

Hæc est Τροίας παλιγγενεσία. de qua vide

& Ho-

Si modo Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
Dixit Aventino rura pianda Remo:

Aut

& Horatium Ode 3. lib. 3. Sic Vellejus dixit, *Stetisse Capuam, concidisse, resurrexisse*. Pass.

v. 48. Felix terra tuos cepit, Iule, deos] Diia cara Italia, potens armis, atque ubere glebæ excepit hospitio Penates Iulæos. de Iulo Æneæ filio Virgilius identidem. Dionysius lib. 1. Iulo Ascanii filio majori natu curam sacrorum commissam ait quom regno fratri Silvio cedere jussus est. De iis Penatibus dictum supra ad versum 39. Pass.

v. 49. Si modo Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ dixit Aventino rura pianda Remo] Id est, Felix terra, si modo Deiphobe vere prædixit fore ut ob Remum cæsum expiarentur rura. *Cortina dixit*; ut Attius: *Aperte fatur dictio*. *Cortina*, τρίπους. Varro 6. de L. L. ad illud Ennii: *Quæque freto cava cæruleo cortina receptat: Cava cortina dicta, quod est inter terram & cælum, ad similitudinem cortinæ Apollinis: ea a corde, quod inde sortes primum æstimatæ*. ad quem locum vide Conjectanea Scaligeri. Festus: *Aperta Apollo vocabatur, quia patente cortina ab ea responsa dabantur*. Servius in illud 3. Æneid. *Et mugire adytis cortina reclusis*: Dicitur, inquit, Cortina, vel quia Apollinis tripus corio Pythonis tectus est; vel quia certa illinc responsa funduntur, quasi certina; vel, quod est verius, quia cor illic vatis tenetur: nam caverna quædam in templo Apollinis fuit, ad quam Phœbas rapta vaticinabatur, ut Lucanus ostendit lib. 5. aut quia virgines instinctæ Apollinis spiritu intendebantur ad danda responsa, id est, ἀπὸ τοῦ τὴν κόρην τείνειν. Eadem ferme repetit ad illud 6. Æneid. *Neque te Phœbi cortina fefellit*. Suetonius in Augusto cap. 52. *Cortinas aureas Apollini dicare*. Inde *Cortinipotens Apollo* Lucillio apud Nonium in *Contendere*. *Sibyllæ*, Deïphobes Glauci, de qua Virgilius 6. Æneid. Noster Eleg. 24. lib. 2.

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ:

vide Lactantium lib. 1. cap. 6. *Avernalis* hîc dicitur, ut *Cumæa vates* Eleg. 2. lib. 2. nam Avernus lacus Cumis vicinus est, ut noto ad illud Eleg. 18. lib. 3.

Clausus ab umbroso qua alludit Pontus Averno.

& *tremulæ*, quia *longæva sacerdos*. Virgilio 6. Æneid. sic *tremulus pater* sup. paullo ante. *Pianda*, expianda, lustranda. ut Eleg. 4. lib. 3. *Crassos, cladesque piate*. *Rura*. Remurinum agrum, vel eum locum ubi cæsus est. Festus: *Remurinus ager dictus, quia possessus est a Remo: & habitatio Remi Remona. sed & locus in summo Aventino Remoria dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus*. *Aventino Remo*, quod is in Aventino monte auguria captaverit. Dionysius lib. 1. & Ovidius lib. 5. Fast. in *Remuriis*. vide adnotata ad Eleg. 6. infra v. 43. & 44. *Aventinus mons* unde dictus, tradit Festus in *Aventinus*, & Varro 4. de L. L. *Remo*, vel tertio casu, pro Romulo, ut adnotat. sup. hac Eleg. v. 9. vel rectius septimo casu. pro, ob Remum Aventinum cæsum. Sic Eleg. 9. lib. 3. *Cæso mœnia firma Remo*. Negat tamen Horatius expiatam illam rite. cædem fuisse, Epodo 7. loco plane illustri: *Sic est. acerba fata Romanos agunt, Scelusque fraternæ necis, Ut immerentis fluxit in terram Remi Sacer nepotibus cruor*. Pass. *Avernalis*. epitheto habitationem Sibyllæ designat. v. Virgilius lib. 3. Æneid. a versu 441. erat autem hæc Sibylla Phemonoë, tradente hîc Servio. *Cortina Sibyllæ*. videndus Gifanius Indice Lucretiano in *Præstringere*. novam de cortina opinionem fovebat illustris Peireskius, quam exponit in ejus Vita summus vir Petrus Gassendus L. 4. *Aventino Remo*. Dissentit pater Ennius apud Ciceronem L. 1. de Divinat. C. 48.

At Romulus' pulcher in alto
Quærit Aventino, servans genus altivolantum.

certior puto est auctoritas Messalæ auguris, Aventinum montem extra pomœrium exclusum fuisse tradentis, quod in eo monte Remus urbis condendæ gratia auspicaverit; avesque irritas habuerit, superatusque a Romulo sit, referente doctissimo morum veterum scriptore A. Gellio L. 13. C. 14. Broukh. *Cortina Sibyllæ*. Operculum & integumentum aneum tripodis erat cortina.

tripus

Aut si Pergameæ sero rata carmina vatis
Longævum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum, Danai: male vincitis. Ilia tellus
Vivet; & huic cineri Juppiter arma dabit.

Opti-

tripus autem Delphis erat ingens vas aureum; quod insternebant lamina quadam aurea, seu mensa, in qua sedebat Pythia, ut vaticinaretur. Ibi vero spiritum e specu, sive adytis, erumpentem, corpore hauriebat. Multa de tripode & cortina Cœlius Rhodiginus lib. 8. Antiq. Lect. cap. 15. VULP.

v. 51. AUT SI PERGAMEÆ SERO RATA CARMINA VATIS LONGÆVUM AD PRIAMI VERA FUERE CAPUT] Ea quæ cecinit & dixit Cassandra ad Priamum senem, sero rata fuere, Trojanorum scilicet exitio comprobata. & alludit ad proverbium: *Sero sapiunt Phryges; qui non nisi male suo crediderunt*. qua de re Eleg. 13. lib. 3.

Experta est veros irrita lingua deos.

Carmina, vaticinia. nam canere sæpe vaticinari. &, ut ait Horatius Epist. ad Pisou. *Dicta per carmina sortes*. Eleg. 7. infra:

Jure ego fatorum nulli revocabile carmen.

Virgilius Ecl. 4.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Rata carmina, ut *Rata vota* Eleg. 10. infra. *Ratus*, firmus: Festus, & Isidorus lib. 5. *Vatis Pergameæ*, Cassandræ, de qua diximus quæ ad hunc locum pertinent, Eleg. 13. lib. 3.

Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.

τὸ *Sero* autem conjunctum cum malo immedicabili; ut Eleg. 1. lib. 1. *Sera lapsum revocatis*. *Carmina ad caput Priami*, ut Elegia 31. lib. 2. v. 23. *Rumor ad aures*. vel *ad*, erga, apud. ad parentem autem verba fecit Cassandra, ut notatum ad illud Eleg. 13. lib. 3.

Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti.

Caput Priami, pro ipso Priamo, ut μιαρὰ κεφαλή. Demosthenes περὶ στεφάνου. & Eleg. 1. lib. 2.

Et sumta, & posita pace fidele caput.

ut supra hic, *Animi Decii*. *Longævum*, quia senior Priamus. Virgilius 2. Æneid.

Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris.

Ibid. *Sacra longævum in sede locavit*. De Priami vita nimium longa Cicero 1. Tusc. [& Juvenalis Sat. 10.] PASS.

v. 53. VERTITE EQUUM, DANAI: MALE VINCITIS. ILIA TELLUS VIVET, ET HUIC CINERI JUPPITER ARMA DABIT] Verba Cassandræ ad Græcos. *Vertite equum*, retro abducite ligneum equum in castra vestra. alio modo infra Eleg. 3.

Subdolus & versis increpat arcus equis.

Male vincitis, perniciosa vobis hæc futura victoria. sic *Cadmea victoria* proverbio fertur. *Male vincitis*. Ovidius pariter 5. Fast.

Et male veloci justa soluta Remo.

Ilia tellus. Ilion ipsum & urbs Troja. sic Eleg. 11. lib. 3.

Noxia Alexandria dolis aptissima tellus.

& Eleg. 22.

Omnia Romanæ cedent miracula terræ.

Virgilius Æneid. 11.

Contigimusque manum qua concidit Ilia tellus.

Vivet, vigebit & florebit viris. Plautus Persa: *Pater, hominum immortalis est infamia: etiam tum vivit quum esse credas mortuam*. Contra dicuntur & mori urbes, ut dictum ad Eleg. 21. lib. 1. v. 3. *Huic cineri*. his reliquiis incensæ Trojæ. Virgilius Æneid. 5.

Relliquias Trojæ, cineres, atque ossa peremtæ.

& 2. Æneid. *Iliaci cineres*. Ovidius 1. Fast.

Urite victrices Neptunia Pergama flammæ:
Num minus hic toto est altior orbe cinis?

Sic Seneca in Consolat. ad Polybium cap. 1. *Carthaginis, Numantiæ, Corinthique cinerem lamentetur*. PASS. *Ilia tellus Vincet*. omnes libri qua scripti, qua cusi, *Ilia tellus Vivet*. quod rectum est, nec debebat mutari. & evincebat aperte illud cineris emblema. Ovidius Remed. Amor.

Ut pæne exstinctum cinerem si sulfure tangas;
Vivet, & e minimo maximus ignis erit.

Pari

Optima nutricum nostris Lupa Martia rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!

Mœ-

Pari Florus imagine utitur L. 4. C. 2. *Quis non peractum esse cum Pompejo crederet bellum? atqui acrius multo atque vehementius Thessalici incendii cineres recaluere.* Cicero Orat. pro Sextio C. 31. *Res erat & caussa nostra eo jam loci, ut erigere oculos & vivere videretur.* Interrogat. in Vatin. C. 9. *Quæ* (leges) *in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in cruore Cinnano, etiam inter Sullana arma vixerunt.* BROUKH. Animadvertite, adolescentes. non temere invenietis aliud distichon quod huic Propertiano, elegantia, rotunditate, vi, pondere conferri possit. ei certe qui fatuo palato non sit, & auriculas Midæ non habeat, sordebunt præ hoc Martialis acumina: aliter enim catuli olent, aliter sues. *Male vincitis:* Interpres fuerit P. Syrus: *Male vincit is quem pœnitet victoriæ.* Ovidius 8. Metam. v. 509. in fabula Meleagri:

Me miseram: male vincetis; sed vincite, fratres.

Idem lib. 15. v. 451. verbis Pythagoræ:

Cognataque mœnia lætor
Crescere, & utiliter Phrygibus vicisse Pelasgos.

Vide eumdem 1. Fast. a versu 523. *Male victor* legitur apud Trebellium Pollionem in Claudio cap. 9. *Huic ciueri Juppiter arma dabit.* Apud Maronem lib. 4. Æneid. v. 622. Dido indignabunda sic vovet:

Tum vos, o Tyrii, stirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis: cinerique hæc mittite nostro
Munera. nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque sequare colonos. VULP.

v. 55. OPTIMA NUTRICUM NOSTRIS LUPA MARTIA REBUS] Servius in illud 9. Æneid.

Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus.

Aut cruentus, inquit, aut Marti dicatus. & 8. Æneid.

Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam.

Plautus Trucul. *Fuit edepol Mars meo periratus patri. Nam oves illius haud longe absunt a lupis.* Livius lib. 10. *Hinc victor Martius lupus integer & intactus nos gentis Martiæ & conditoris nostri admonet.* quia scilicet rapto lupi vivunt, & prædari eos Juppiter jussit. Virgilius 1. Georg. *Optima nutricum*, o præstantissima educatrix. *Altricem sanguinis* vocavit supra v. 38. PASS. Ea deinde pro numine habita, in gratiam populi late tyranni. lapis Eporitanus apud Gruter. CV. II.

LVPAE. ROMANAE
M. VALERIVS. PHOEBVS
VI. VIR. AVG.

v. Columna ad Ennium p. 14. 6. sq. BR. *Nostris rebus.* Rei, sive reipublicæ Romanæ. Virgilius 6. Æneid.

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques.

Dixerat prior Enniua:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.
Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Res hominum, dixerunt Albinovanus ad Liviam, & Claudianus lib. 1. in Rufinum. *Lupa Martia.* Silius Italicus lib. 7. v. 717.

Ceu, stimulante fame, rapuit quum Martius agnum
Aversa pastore lupus.

Justinus lib. 43. cap. 2. de Romulo & Remo agens: *Martis pueros fuisse, sive quod in luco Martis enixi sunt, sive quod a lupa, quæ in tutela Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis, creditum.* Vide & Lactantium Div. Inst. lib. 1. VULP.

v. 56. QUALIA CREVERUNT MŒNIA LACTE TUO!] Quali amplitudine & splendore creverunt mœnia urbis Romæ lacte tuo, quo aluisti conditorem urbis Romulum, cujus posteri Romani. Virgilius pariter 2. Georg.

Sic fortis Etruria crevit
Scilicet, & rerum facta est pulcherrima Roma.

Horatius Ode 4. lib. 4. *Secundis usque laboribus Romana pubes crevit.* *Lacte tuo;* quia

Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.

Eleg. 6. lib. 2. PASS.

v. 57.

Mœnia namque pio conor deſcribere verſu.
Hei mihi, quod noſtro parvus in ore ſonus.
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriæ ſerviat omne meæ.

Enn ius

v. 57. MŒNIA NAMQUE PIO CONOR DISPONERE VERSU] *rò Namque*, pro autem. ut infra hac Elegia v. 109. *Diſponere*, pro componere; ut Eleg. 5. lib. 3. *Corpore diſponens*. vel compoſitum pro ſimplici, ut Eleg. 16. lib. 3. *Percutit ſacer*, pro quatit. *Pio verſu*, poemate quod meam erga patriam pietatem teſtatur. Sic Ovidius lib. 2. Triſt. Eleg. unica:

Non mihi materiam bellatrix Roma negabat.
Et pius eſt patriæ facta referre labor.

Idem in Epicedio Tibulli:

Hauſiſti numeros, culte Tibulle, pios.

[legendum *Auxiſti*.] PASS. *Mœnia diſponere*. Ita eſt in Groningano, Regiis, & Colbertinis. noſtri autem libri, & Comelinianus Gebhardi, *deſcribere* habent: quod magis placet. *Deſcribere* eſt partiri, in limites & certum in ordinem digerere, poſitis terminis dividere, rectis ac certis finibus quid conſtituere. Virgilius Eclog. 3.

Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

& L. 6. Æneid.

Cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.

Horatius Epiſt. ad Piſones:

Deſcriptas ſervare vices, operumque colores,
Cur ego, ſi nequeo, ignoroque, poeta ſalutor?

Cicero 1. Catilin. C. 4. *Deſcripſiſti urbis partes ad incendia*. & L. 2. de Oratore C. 15. *Ipſa autem exædificatio poſita eſt in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem*. BROUKH.

v. 58. HEI MIHI, QUOD NOSTRO PARVUS IN ORE SONUS] Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 3.

Hei mihi, quod dominam nec vir, nec femina ſervat.

& lib. 1. Triſt. Eleg. 5.

Hei mihi, non magnas quod habent mea carmina vires,
Noſtraque ſunt meritis ora minora tuis.

Parvus ſonus exiguum ingenium ſignat, Muſam exilem. ut adnotatum ad Eleg. 3. lib. 3. v. 5. PASS.

v. 59. SED TAMEN EXIGUO QUODCUMQUE E PECTORE RIVI FLUXERIT, HOC PATRIÆ SERVIAT OMNE MEÆ] *rò tamen* pervicacis propoſiti eſt. ut Eleg. 8. lib. 2. *Tu moriere tamen*. *Quodcumque*, quantulumcumque. ſic Eleg. 4. lib. 1. *Vitæ quod cumque ſequetur*. *Rivi*, venæ, tenuis ingenii. Juvenalis Sat. 10.

Utrumque
Largus & exundans leto dedit ingenii fons.

quod Horatius Ode 18. lib. 2. *Ingenii benigna vena*. Cicero pro Murena: *Quum tui fontes inimicis tuis pateant, amicis rivulos noſtros putas clauſos eſſe oportere?* Quid Rivus, tradit Feſtus in *Rivus*, & Ulpianus L. 1. *De Rivis*. *Fluxerit*; alludit ad etymon rivi, ut & Q. Cicero de Petitione Conſulatus: *Quum inter digitos ejus rivi ſanguinis fluerent*. nam Rivus ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, fluere, manare. *Exiguo pectore*, quia exiguum ingenium; ut Eleg. 1. lib. 2. dicitur *Anguſto pectore Callimachus*. *Hoc ſerviat patriæ*, hoc totum patriæ laudibus & ornamento addictum ſit, & mancipatum. ita Cicero pro Plancio: *Reip. ſervivi ſemper, non mihi*. & pro Roſcio Comœdo: *Populo Romano ſervire nondum deſiitis, ſibi jampridem*. & alibi ſæpe. Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 8.

Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, noſtra
Reſtat in ingenio, ſerviet omne tibi.

Patriam autem non Umbriam ſignificat, ſed Romam. nam multis duæ patriæ, ut Cicero docet 2. de Leg. PASS. *Serviat*. quidam libri *ſerviet*, non male. Ita Ovidius L. 4. Pontic. Epiſt. 8. vulgatam juvat Cicero Orat. pro Sextio C. 1. *Iis potiſſimum vox hæc ſerviat, quorum operâ & mihi, & rebus, & populo Romano reſtituta eſt*. BROUKH. *Exiguo pectore*. Elegorum ſcriptores parvum ſonum, tenuem vocem, anguſtum pectus ſibi tribuere ſolent. Contra Heroici poetæ os di-

os di-

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Scan-

os diducunt, magna sonant, lato & valido sunt pectore, ut Mars ipse, cujus facinora celebrant.

Nemo est feroci pectorosior Marte,

legitur in Lusibus Priapejis Epigr. 36. eumque Homerus inducit immanes clamores & horrendos tollentem. *Quodcumque*, *hoc*. Initio hujus Elegiæ: *Hoc*, *quodcumque vides*, *hospes*. at hic est ὕστερον πρότερον. *Quodcumque rivi fluxerit*. Eadem allegoria Lactantius in calce libri de Opificio Dei ad Demetrianum: *Tenuis in nobis facundiæ rivus est*. & lib. 3. Div. Inst. cap. 1. *Non ille*, *si minus oratione nostra*, *quæ de tenui fonte admodum exilis emanat*; *lumine tamen suo clara & illustris appareat?* Eunapius Sardianus ῥανίδα Κασταλίας appellat oppidò tenuem dicendi facultatem. VULP.

v. 61. ENNIUS HIRSUTA CINGAT SUA DICTA CORONA] Similis locus Eleg. 1. lib. 3.

Mollia, *Pegasides*, *vestro date serta poetæ*:
Non faciet capiti dura corona meo.

Cingat sua dicta, libros & scripta sua redimiat lauro. ut infra: *Libris est data palma meis*. *Dicta*, pro scriptis. ut Eleg. 2. lib. 3.

Turba puellarum si mea verba colit.

& Eleg. 23. *Aut dixit*, *Venias hodie*. Id est, scripsit. Ennius ipse apud Ciceronem in Bruto:

Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat.

Dicta vocavit idem Ennius acute dicta, apud Ciceronem 2. de Orat. *Hirsutâ coronâ*, ex frondibus hirsutis & asperis, quales sunt myrti, & lauri. Virgilius 3. Georg.

Frondibus hirsutis, *& carice pastus acuta*. PASS.

Redimiat Ennius & libros & crines suos corona rudi, incomta, & plexa sine arte, hispida, ac dura. Plinius L. 24. C. 19. *Philanthropon herbam Græce appellant hirsutam*, *quoniam vestibus adhærescat*. *ex hac coronâ impositâ capitis dolores sedantur*. qui primus usus coronarum apud mensas. hinc translate *hirsutum* vocabant quod esset rigidum, tetricum, ac severum. Martialis L. 9. Epigr. 48.

Democritos, *Zenonas*, *inexplicitosque Platonas*,
Quidquid & hirsutis squalet imaginibus.

Ovidius L. 2. Trist.

Sumseris Annales: *nihil est hirsutius illis*.

id est, nihil est illis gravius, & magis compositum ad morem severioris disciplinæ. — Citharœdi quoque chelyn, seu citharam suam corona cingebant. vide Papinium L. 6. Theb. v. 365. & ibi Lutatium. Petronius: *Damnabat Apollo noxias manus*, *lyramque resolutam modo nato flore honorabat*. Angelus Politianus, vir suo ævo major, in Elegia de violis:

His ego crediderim citharas ornare corollis
Permessi in roseo margine Pieridas. BR.

v. 62. MI FOLIA EX HEDERA PORRIGE, BACCHE, TUA] At mihi, Bacche, cedo coronam ex hedera, qui Poetarum Lyricorum, & Elegiacorum pater es. Hedera sacra Baccho. lege adnotata ad El. 5. l. 2. v. 26. & Plutarchum 3. Sympos. quæst. 5. *Porrige*, da, præbe, cedo. a porro & agendo, porrigo. Festus in *Exporgere*. unde *Porrecta exta*. Virgilius 8. Æneid.

Cingite fronde comas, *& pocula porgite dextris*.

id est, præbete invicem, inquit Servius. PASS. Coronam hederaceam Tibullus Baccho tribuit Eleg. 6. lib. 3.

Candide Liber ades. *sic sit tibi mystica vitis*
Semper; *sic hedera tempora vincta geras*. VULP.

v. 63. UT NOSTRIS TUMEFACTA SUPERBIAT UMBRIA LIBRIS] Ut Umbria patria mea antiqua infletur, & superba sit meis Elegiarum libris, sumatque superbiam quæsitam meritis meis. Umbria Propertii patria, ut infra hac Elegia:

Umbria te notis antiqua Penatibus edit.

Hodie *Spoleto* ajunt vocari. vide adnotata

ad

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus: date candida cives
Omina, & inceptis dextera cantet avis.

Sacra,

ad Eleg. ult. lib. 1. v. pænult. *Tumefacta superbiat*; superborum enim est tumor; ut Eleg. 24. lib. 2.

Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem.

ubi vide adnotata. PASS. Superbos ac tumidos Itali urbane dicimus, *palloni*. VULP.

v. *64*. UMBRIA ROMANI PATRIA CALLIMACHI] Callimachi nomen ambiebat Propertius; ut notavi ex Horatio ad illud El. 1. l. 3. *Callimachi manes*. *Romanus Callimachus*, quomodo *Xerxes togatus*, dictus Lucullus apud Plutarchum; & Marcellus, *Romanus Hannibal*; & Sicinius Dentatus, *Achilles Romanus*: Festus in *Obsidionalis*. Attius apud Charisium: *Martes duas armis congressas crederes*. Sic ab inimicis Cicero dictus, *Romulus Arpinas*. PASS. Blondus Flavius, Romanarum Antiquitatum fere primus vindex, novum hinc poetam nobis concinnavit, *Romanum Callimachum* nomine; errore prorsus joculari. audi ipsummet Italiæ illustratæ Reg. 4. p. 329. edit. Froben. *Postquam vero Propertii testimonium de se ipso attulimus, alium Umbriæ poetam dare volumus, ignotæ nobis, sicut & ipsi Propertio fuit, patriæ. Nam in eodem Elegiarum IV. sic dicit:*

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

tetigit, ante me, Blondi lapsum Jos. Castalio Dec. 8. Observ. C. 8. ----- Porro Umbriæ non exigua laus est, protulisse duo ab omni memoriâ longe jucundissima atque amœnissima ingenia, M. Accium Plautum dico, & Sex. Aur. Propertium nostrum. quibus si tertium adjunxero, non suæ tantum patriæ, verum totius Italiæ lumen splendidissimum, haud quaquam peccavero. is est Joannes Jovianus Pontanus, Cereti in Umbria natus, *quo illo tempore*, (arbitrum do virum excellentem Augustum Buchnerum) *nec doctiorem, nec sapientiorem, nec omnibus studiis liberalibus instructiorem alium tota propemodum habuit Europa*. Patriam ipse suam Pontanus celebrat L. 1. Amorum. BROUKHUSIUS. *U. Romani p. Callimachi*. Probabile admodum est, Propertium ab Horatio significatum Epist. 2. lib. 2. v. *99*. ubi scribit:

Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus, & optivo cognomine crescit.

Lege sis nostram διατριβὴν de Vita Propertii. VULP.

v. *65*. SCANDENTES SI QUIS CERNET DE VALLIBUS ARCES] Si quis spectabit de plano & humili & cavo campo arces sese attollentes; ut Virgilius 3. Æneid. *Attollit se diva Lacinia contra*. Motum autem locis attribuit opinione hominum, & oculorum. ut infra:

Scandentisque arcis consurgit vertice murus.

ubi Ameriam Propertii patriam significari vult Scaliger. Sic Eleg. 10. lib. 2. *Si qua extremis tellus se subtrahit oris*. ubi vide adnotata. *De vallibus*; Festus in *Convallis*: Vallis est duobus lateribus inclusa planities (a vallando & includendo scilicet) & Isidorus lib. 14. PASS.

v. *66*. INGENIO MUROS ÆSTIMET ILLE MEO] Ipse infra hac Elegia:

Murus ab ingenio notior ille meo.

Sic Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. ult.

Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Mœnia, quæ campi jugera pauca tenent;
Quæ tantum, dicet, potuistis ferre poetam,
Quantulacumque estis, vos ego magna voco.

& l. 2. Tristium: de domo in qua natus:

Ingenio certe non latet illa meo.

Vox hybrida *æstimare*, ab *æs*, & *τιμή*. Festus in *Æstimata pœna*: Æstimare, ab ære. Asconius in 3. Verrin. Pretium pro frumento, æstimatio dicitur, & æstimatum frumentum. Æstimare Terentius dixit, pretium statuere. PASS.

v. *67*. ROMA FAVE, TIBI SURGIT OPUS: DATE CANDIDA CIVES OMINA, ET INCEPTIS DEXTERA CANTET AVIS] Cœpta mea

Xx 2 secun-

Sacra, dieſque canam, & cognomina priſca locorum:
Has meus ad metas ſudet oportet equus.
Quo ruis imprudens vaga dicere facta Properti?
Non ſunt ah dextra condita fila colo.

Aver-

ſecundes, Roma: in tuam gratiam oritur novum carmen. plaudite & acclamate Feliciter, Quirites: & felix avis cantu det auſpicium. *Roma fave*, nam & Roma dea habita, eique dicata templa: Tacitus, & nummi veteres. vel *fave*, ut Eleg. 6. infra: *Sint ore faventia ſacris*. *Opus tibi ſurgit*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 1.

Sex mihi ſurgat opus numeris, in quinque reſidat.

& 4. Faſt.

Auſpicibus vobis hoc mihi ſurgat opus.

Sic Noſter Eleg. ult. lib. 2.

Qui nunc Æneæ Trojani ſuſcitat arma.

Date candida omina. ut Eleg. 9. lib. 3.

Dexteraque immiſſis da mihi ſigna rotis.

Candida, felicia. ut Eleg. 15. lib. 2. *Nox o mihi candida*. Color albus decorus, & Deo gratus. hinc ſupra hac Elegia: *Alba fuit omine dicta*. *Dextera avis*, ut *Apolline dextero* Eleg. 2. lib. 3. ubi vide adnotata. Feſtus: Dextra auſpicia, proſpera. Quæ autem in cælo dextra, vide eumdem in *Poſticum*, & in *Siniſtra aves*. *Cantet*; aves enim quædam oſcines a dextra ratum faciunt, ut corvus. Horatius Ode 27. l. 3. *Oſcinem corvum prece ſuſcitabo Solis ab ortu*. Cicero 1. de Divinat. Plautus Aulul. & Aſin. *Inceptis*, exorſis. Virgilius 7. Æn. *Dis noſtra incepta ſecundent*. & incœpta rerum magnarum ſunt: Donatus. PASS.

v. 69. SACRA, DIESQUE CANAM, ET COGNOMINA PRISCA LOCORUM] Sic Ovidius initio Faſtorum:

Sacra recognoſces annalibus eruta priſcis,
Et quo ſit merito quæque notata dies.

Poeta noſter hoc libro canit Vertumnum, Aram Maximam, Feretrium Jovem, dierumque rationem immiſcet, ut de Palilibus, & natali Urbis Eleg. 4. infra: & cognomina locorum, ut ibidem de Tarpejo monte, & Velabro. Sacra item facit Elegia 6. *Cognomen* eſt quod prænomini & nomini ſubjungitur. nota res ac trita. Hic ſumitur loco nominis, ut apud Virgilium 6. Æneid. *Gaudet cognomine terra*. nam ſupra dixerat: *Palinuri nomen habebit*. PASS.

v. 70. HAS MEUS AD METAS SUDET OPORTET EQUUS] In hoc ego curriculo exercebor. hoc erit mihi ſpatium per quod decurram. Allegoria, ut Eleg. prox. *Hæc ſpatiis ultima meta meis*. Ovidius 2. Faſt.

Inque ſuo noſter pulvere currat equus.

& 4. Faſt.

Nunc teritur noſtris area major equis.

vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 3. v. 18. *Sudet ad metas*. Virgilius 3. Georg.

Hic & ad Elei metas, atque ultima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas.

Romæ fuit *Meta ſudans* in 4. Regione urbis. P. Victor. De metis Circi vide adnotata ad Eleg. 25. lib. 2. v. 26. PASS.

v. 71. QUO RUIS IMPRUDENS VAGA DICERE FACTA PROPERTI?] Inducitur hic Mathematicus, ſive aſtrorum peritus neſcio quis objurgans Propertium; ut El. 3. lib. 3. eumdem ſic Apollo increpat: *Quid tibi cum tali, demens, eſt flumine?* ubi *demens*, ut hic *imprudens*. *Quo ruis?* quo raperis temere? ruere enim temeritatis eſt, & inconſultæ præcipitiſque animi. Ovidius 2. Faſt. ad Fabios:

Quo ruitis, generoſa domus? male creditis hoſti.

Ruis dicere, pro, ad dicendum & canendum; ut Eleg. 2. lib. 1. *Ibat videre*. *Facta*; ut Eleg. 3. lib. 3.

Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum.

Accipitur & pro malefactis Eleg. 18. l. 1. *Arguta facta dolore queri*. Sic facinus & bonum, & malum. *Vage imprudens Properti*. duo epitheta; ut Eleg. 20. lib. 2. *Volucris funeſta Attica*. Ovidius 4. Faſt.

Illa ſoporiferum parvos initura penates
Colligit agreſti lene papaver humo.

[Catullus initio Carminum: *Quoi dono lepidum novum libellum?*] vel eſt ἀσυνδετον. vel legendum *Vaga facta*, id eſt, diſperſa. *Imprudens*, minus quam ſtultus. & impru-

dens

Averſis Chariſin cantas: averſus Apollo
Poſcitur invita verba pigenda lyra.

Certa

dens per ſe, ignarus per alios, inquit Donatus. Imprudentia Rhetoribus eſt quum ſciſſe aliquid ſe is qui arguitur, negat. *Vage*, levis, inconſtans. vel qoi ſemper vagaris in amore vulgari. nt Eleg. 5. l. 1. *Vagis puellis*. vel *vage*, quia inquit El. 29. lib. 2. *Quum potus nocte vagarer*. PASS. *Vaga* legitur in uno Regio, itemqoe in noſtro ſecundo. BROUKH. Hactenus Propertius ex perſona ſua locutus eſt: nunc inducit Genethliacum, qui auſum majora viribus increpet, ac reprehendat. Optime autem ſervator ἠθοποιΐα hominis divinatoris, qui ut artem ſuam & ſe ipſe commendet, primum celebres Mathematicos inter majores enumerat: deinde recenſet duplicem prædictionum ſuarum eventum: poſtremo ſcientiam oraculorum, extiſpicium, auguria, necyomantiam contemnit: unam ſiderum rationem reliquis vaticiniis anteſerens. Et ſimol ac ad Propertium venit, hiſtoriam vitæ ejus præteritæ attingit, antequam de futuris aliquid loquatur. VULP.

v. 72. NON SUNT A DEXTRA CONDITA FILA COLO] Beroaldus ad Parcarum ſtamina putat alluſum quæ non dedere ingenium Propertio ad grave carmen. Parcæ, inquit, non nevere tibi fila & ſtamina apta rebus, & verſibus grandibus. Mirus autem ſermo *Condere filum*; nt Eleg. 28. lib. 2. *Condidit omen avis*. Feſtus: Condere, in unum & interiorem locum dare; & modo conſcribere; modo facere; modo componere & inſtroere. Ergo *Condita fila*, confecta, compoſita, contexta. *Fila* autem fata tua. Virgilius 10. Æneid. *Extremaque Lauſo Parcæ fila legunt*. Verum de Parcis nentibns omnia vulgata. Poetas fato fieri dixit Noſter Eleg. 1. lib. 2.

Quod mihi ſi tantum, Mæcenas, fata dediſſent,
Ut poſſem heroas ducere in arma manus.

An *fila*, ſtamina, & opus ipſom quod a Poeta texitur? nt *velatus filo* apud Tibullum Eleg. 5. lib. 1. pro veſte linea. Horatius Epiſt. 1. lib. 2. *Tenui deducta poemata filo*. Columella lib. 10.

Et ſecum tenui connectere carmina filo.

Sane Poetæ & ordiri, & texere dicuntur. ut Eleg. 9. lib. 3.

Celſaque Romanis decerpta Palatia tauris
Ordior.

Dextra colo. Vett. codd. habent, *Dextro colo*. Chariſius l. 1. *Colus*, inquit, *hujus colûs*, ἠλακάτη. Nonius citat Colos feminino genere ex Cicerone 2. de Orat. At Iſidorus l. 19. c. 29. *Colum* (neutro genere) *quod ſit in longitudine & rotunditate ut columne*. quare hlo fortaſſe, *dextro*, retineri poſſit, ut El. 9. infra: *Lyde penſa diurna colo*. Sed & illic alii libri *Lyda*. Catullus Carm. 63.

Læva colum molli lana retinebat amictam.

vet. lib. *amictum*. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Deducat pleno ſtamina longa colo.

ita vett. libri. *Dextra*, felici; ut ſop. *Dextera avis*. PASS.

v. 73. ACCERSIS LACRIMIS CANTUS: ADVERSUS APOLLO] Sententia videtur eſſe: Tu qui fles amores toos, ad eas lacrimas advocas cantus; & res lætas, ſacra ſcilicet, & dies feſtos; quia dixit, *Sacra, dieſque canam*. An eſt hypallage, pro, Accerſis lacrimas cantibus? *Lacrimas*, res flebiles & epos lacrimoſum. ſic infra:

Incipe tu lacrimis æquus adeſſe novis.

id eſt, flebili narrationi; nt Eleg. 9. lib. 1. *Flere mœnia*. *Accerſis cantus*, ut *Accerſitus ſomnus* Eleg. 17. lib. 3. ubi vide adnotata. Beroaldus e conjectura legit, *Adverſis Muſis cantas*. Scaligeri vetus liber habet, *Accerſis lacrimis Charites*. qoem videſis. Porro ſive *adverſus*, ſive *averſus Apollo* legas, eadem efficitur ſententia. Nam adverſi dii, ut venti, ſunt infeſti, quaſi contra ſtent in acie: averſi autem ſe iniquos iis oſtendunt qoos nolunt intoeri. *Adverſo amore* dixit Noſter Eleg. 14. lib. 1. Horatius autem *Averſos Penates* Ode 23. lib. 3. Martialis quoque Epigr. 61. lib. 8.

Scribit in averſa Picens epigrammata charta,
Et dolet averſo quod facit illa deo. P.

Nic. Heinſius Not. in Ovid. L. 3. Amat. Art. v. 672. reſtituit:

Averſis Chariſin cantas: averſus Apollo
Poſcitur invitâ verba pigenda lyrâ.

.... *Accerſis* (ſic fere membranæ, non *Arceſſis*)

Certa feram certis auctoribus; aut ego vates
Nescius ærata signa movere pila.

Me

Artessis) manifesta præfert vestigia τῦ *Aversis*. *cantas* habent tres libri. *Charites*, quod e suo Scaliger produxit, firmat Commelinianus Gebhardi. *aversus* exstat in Colbertinis & in nostro utroque. BROUKH. Locus, ut videtur, corruptus: atque utinam certa sit Heinsii medicina. VULP.

v. 74. POSCIS AB INVITA VERBA PIGENDA LYRA] Lyram, veluti Musam, oras, ut tibi carmina adnuat, quæ non alia futura sunt, quam quorum te, & alios pigeat. id est, versus male-nati. Sic Horatius Ode 32. lib. 1. ad Lyram: *Poscimus, si quid vacui sub umbra Lusimus tecum, quod & hunc in annum Vivat, & plures: age dic Latinum, Barbite, carmen.* & Ode 11. l. 3. *Tuque testudo Dit modos*. *Verba*, pro versibus & carminibus. ut dictum ad Eleg. ult. lib. 2. v. 41. *Pigenda*; quorum te pigebit, quæ displicebunt. Ovidius Epist. Didûs:

Si fuit errandum, caussas habet error honestas.
Adde fidem, nulla parte pigendus erit.

Pigere pœnitentiæ est: Nonius, & Festus. Servius: Piget ad futurum, Pudet ad præteritum spectat. sed errat. *Invitâ lyrâ*, renuente; ut invitâ Minervâ. PASS. *Poscit ab i. v. p. l.* *Poscitur* quoque, ut restituit Heinsius, elegantius est altero isto pervulgato. sic Ovidius L. 4. Fastor.

Expedit errantem nemori gratissima conjux;
Et dixit, Gravidæ posceris exta bovis.

Horatius L. 1. Od. 32. *Poscimur: si quid vacui sub umbra Lusimus tecum*, &c. ita recte ibi scriptum est in membranis Clarissimi Grævii, quod firmant scholia antiqua. Hisce singulis bene examinatis, non poteris quin gratias agas divino summi Viri ingenio, locum depositum tam feliciter persanantis. BROUKH. *Ab invita lyra*. Barbitos enim heroici carminis pondus ferre non potest. Pariter festivissimus Anacreon Ode 1. Θέλω λέγειν Ἀτρείδας, Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν Ἁ βάρβιτος δὲ χορδαῖς Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ. *Cantem libens Atridas, Cantem libensque Cadmum. Sed barbiti mihi unum Nervi sonant Amorem*. VULP.

v. 75. CERTA FERAM CERTIS AUCTORIBUS. HAUD EGO VATES NESCIUS ÆRATA SIGNA MOVERE PILA] Prædicam certo eventura tibi. neutiquam sum planetarius qui nesciam versare & torquere signa in sphæra, ut volvantur ad exemplum signorum & siderum cælestium. *Certa feram*, vera adferam, proferam, dicam, proloquar. ut Elegia 11. lib. 3. *Vera loquor*. *Certa, certis*. commutatio. *Auctores certi*; qui rem præstare possunt; & a quibus ad alios est profecta, & ad quos natâ controversiâ recurritur. Ductum a jure civili. Auctores, hic majores ipsi; vel magistri a quibus accepit artem, & scientiam divinationis. Cicero Epistola 14. lib. 8. ad Attic. *Sibi insidias fieri se certis auctoribus comperisse*. Sic apud eumdem Tullium, boni, idonei, locupletes auctores dicuntur. *Haud ego vates*. legitur etiam, *Aut ego vates*. Aut certa dicam, aut ego non sum certus, ut puto. Sic Virgilius 10. Æneid.

Nunc manet insontem gravis exitus; aut ego veri
Vana feror.

Vates, astrologus, μάντις. a versibus vagiendis: Varro 6. de L. L. vulgo viendis. Scaliger φάτης, vates; unde fatuus. *Nescius movere*. ut Eleg. 16. lib. 1.

Nescia furtivos reddere mota preces.

Signa, inquit Varro 6. de L. L. in cælo dicta quod aliquid significent, ut Libra æquinoctium. sed & signa effigies & simulacra quædam animalium in cælo; de quibus Varro Marcipore apud Nonium: *Astrologi non sunt qui conscribillarunt pingentes cælum*. *Pilâ æratâ*. Sphærâ ex ære, quia rotunda pilæ instar. dicitur *æs cavum* Varroni in Sesquiulixe apud Nonium in *Explicare*, pro extendere. *Vias stelligeras ætheris explicans ære cavo*. vide Claudianum de Sphæra Archimedis; [quæ tamen vitrea.] Vet. Gloss. *Pela* (id est, pila) σφαῖρα. Atlas Sphæræ inventor: Plinius. *Æratâ*, pro æreâ. ut Eleg. 20. lib. 2. *Æratos catenas*. PASS. *Haud ego vates*. in sex scriptis, inque editione Veneta, legitur *aut ego vates*, sensu arguto; Certa tibi canam auctoribus

certis,

Me creat Archytæ ſoboles Babylonius Horos,
Horos, & a proavo ducta Conone domus.

Dii

certis , aut ego artem , quam profiteor , non intelligo : - - - - - - - - Ovidius Epiſt. Leandri :

Aut ego non novi , quam ſit temerocius ; aut me
In freta non cautus tum quoque mittet Amor .

BROUAH. Suffragatur huic lectioni princepa omnium Editio. Ut vero Propertius ſphæram Aſtrologorum pilæ nomine donavit , ſic pilam Græci ſcriptores appellant σφαῖραι . Æſopus Fab. 2. Ο' κάνθαρος δὲ κόπρυ σφαῖραν ποιήσας . *Scarabæus autem e ſtercore pilâ factâ* . S. Auguſtinus diſerte lib. 1. Soliloqu. cap. 4. *Ito ut lineam noſti , noſti etiam pilam quam ſphæram nominant?* VULP.

v. 77. ME CREAT ARCHYTÆ SOBOLES BABYLONIUS HOROS HORON , ET A PROAVO DUCTA CONONE DOMUS] Per manus ſe doctrinam illam accepiſſe ait a majoribus , & tamquam hereditariam tenere . *Horos* ſive Horua inſignis Aſtrologi nomen. & hodie circumfertur liber Hori Apollinis nomine , quem Philippus neſcio quis Græce reddidit , mancus & mutilus, de Hieroglyphicia . Meminit Plinius lib. 30. cap. pænult. Hori Aſſyriorum regis : & eo nomine dictos Aſſyriorum reges ait Lucianus . *Babylonius* , non a patria , ſed a profeſſione ; ut Chaldæus de Genethliaco . unde *Babylonii numeri* Horatio Ode 11. lib. 1. vide illic Porphyrionem . Lucretius lib. 5.

Nec Babylonica Chaldæum doctrina refutans .

Legendi Strabo lib. 16. & Cicero lib. 1. & 2. de Divinat. *Archytæ ſoboles* , vel filius , vel nepos , vel pronepos Archytæ Tarentini . De illo Diogenes Laërtius in ejus Vita , Horatius Ode 28. lib. 1. De ejus columba lignea A. Gellius lib. 10. cap. 12. Ejuſdem Archytæ inſtrumentum muſicum commemorat Ariſtoteles lib. 8. Politic. c. 6. *Suboles* , ſive ſoboles , a ſuboleſcendo & ſucceſcendo : Feſtus . *Me creat Horon* , enallage temporis, pro , me ſibi cognominem filium procreavit . Sic Virgilius 1. Georg. *Tum partu terra nefanda Cœumque Iapetumque creat* . Ipſe hac Elegia infra :

Umbria te notis antiqua penatibus edit .

pro edidit . *A proavo ducta Conone domus* . Ego , inquit , Cononis ſum pronepos ; de quo Virgilius Ecl. 3.

In medio duo ſigna , Conon , & quis fuit alter
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem ?

ubi valde errat Servius , qui de duce Athenienſium intelligit . Probus ibidem Cononem Samium Mathematicum ait de Aſtrologia ſcripſiſſe . Vet. Gloſſ. *Conon* , Σάμιος μαθηματικός . *Conon* . Male *Conon* . *Domus* , gens , familia . ut Eleg. ult. infra :

Et domus eſt titulis utraque fulta ſuis .

Ducta , deducta , orta , ut a capite profecta . Virgilius 5. Æneid. *Unde genus ducis* . Horatius Ode 17. lib. 3. *Auctore ab illo ducis originem* . PASS. *Archytæ ſoboles B. Horos* . Non filius reapſe , ut ſuſpicor , at ſectator in aſtrologicis . Eodem pacto Muſæus , antiquiſſimus ille ἐποποιός , appellatur a Platone , Diodoro Siculo , & aliis ſcriptoribus , filius Orphei , qui ejus tantum diſcipulus fuerit ; quod recte colligit Jo. Albertus Fabricius Biblioth. Græcæ l. 1. c. 16. ex Juſtino Martyre . Hic enim Orpheum ſcripſiſſe tradit , πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Μουσαῖον , ἢ τοὺς λοιποὺς γνησίους ἀκροατάς . *Sic pater Muſarum* dicitur Juppiter (ut animadvertit Joannes Clericua ad Heſiodi Theogoniam v. 52.) quod primus puellarum concentum inſtituerit ; quæ locutio etiam Phœnicia eſt , nam Geneſ. IV. 20. 21. Jabal dicitur *pater Scenitorum & Nomadum* , Jubal vero *citharæ & organa canentium* ; hoc eſt , eorum vivendi generum , earumque artium inſtitutores . Μνημοσύνη vero , ſeu *Memoria* , κατὰ προσωποποιίαν , dicitur earum *mater* , quod Memoria ſuppeditet memoriam poëmatum & orationum . Hoc ſatis oſtendit , Jovem non habitum eſſe patrem proprie dictum Muſarum , quum *Memoria* ſit dumtaxat perſona poetica , quæ numquam in rerum natura fuiſſe credita eſt . Sic *pater Stoicorum* vocatur Zeno a Cotta apud Ciceronem lib. 3. de Nat. Deor. unde Petrarcha in Triumpho Famæ cap. 3.

Degli Stoici il padre alzato in ſuſo .

& *Ennium patrem* appellavit Noſter El. 3. lib. 3.

Unde

Dii mihi sunt testes, non degenerasse propinquos;
Inque meis libris nil prius esse fide.

Nunc

Unde pater sitiens Ennius ante bibit. antesignanus videlicet poetarum Romanorum. Phrasis est Græcis valde usitata, ἰατρῶν, γραφέων, γραμματικῶν παῖδες. pro, medici, pictores, grammatici. *Babylonius.* Cicero lib. 1. de Divinat. *Contemnamus etiam Babylonios, & eos qui ex Caucaso cœli signa servantes, numeris & motibus stellarum cursum persequuntur.* *Horon.* Editio princeps, & codd. mss. repetunt *Horos*; cujusmodi repetitiones amant poetæ. *A proavo ducta Conone domus.* nempe schola, secta, & quasi successio disciplinæ. Nihil temere dicimus. Audi Senecam Epist. 29. *Sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici.* Idem lib. 7. Nat. Quæst. cap. 32. *Stat per successores, Pyladis, & Bathylli domus. Harum artium multi discipuli sunt, multique doctores.* Et rursus in libro de Brevitate Vitæ c. 15. *Solemus dicere, non fuisse in nostra potestate quos sortiremur parentes: sorte nobis datos. Nobis vero ad nostrum arbitrium nasci licet. Nobilissimorum ingeniorum familiæ sunt. elige in quam adscisci velis: non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona.* Hinc illud Juvenalis Sat. 8. v. 134.

De quocumque voles proavum tibi sumito libro.

Legitur apud Æneam Gazæum in Dialogo de Resurrect. mortuorum verbis Theophrasti cujusdam: Ο᾽ δὴ δὲ Πλάτων, ὁ ἡμέτερος πρόγονος. Dantes Aligherius Inferni Cantu 4. veteres imitatus:

Vidi il maestro di color che sanno,
Seder tra filosofica famiglia.

Huc pertinet quodammodo etiam illud Tibulli Eleg. ult. lib. 2. *Nostrâ sint sua castra domo.* id est, scholâ nostrâ, ubi profitemur amatoriam artem. Dixerat enim El. 4. l. 1.

Me qui spernentur amantes
Consultent: cunctis janua nostra patet.

Sed magis illa Horatii Epist. 1. lib. 1.

Ac ne forte roges, quo me duce, quo Lare tuter,
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes. VULP.

v. 79. DII MIHI SUNT TESTES, NON DEGENERASSE PROPINQUIS] Testor deos, me non descivisse ab eorum qui sanguine me propius contingunt, institutis. *Degenerare*, ἐκπίπτειν, genere se indignum præbere, quod Galli eleganter, *Forligner*, [Itali vero, *Traligare*.] & cum tertio casu jungitur (nisi subaudiatur, a.) ut apud Statium 1. Theb. *Marti non degenerare paterno Accipiet.* Virgilius 2. Georg.

Pomaque degenerant succos oblita priores.

Servius exponit, mala effici ex bonis, & in pejus verti. Apud Ciceronem Philipp. 13. etiam in vitio: *Frater tuus, qui a vobis nihil degenerat. Propinquis.* nam dixit: *Me creat Archytæ soboles.* Ergo propinqui, parentes. PASS. *propinquos*, nostri libri, & Groninganus, cum altero Regio: ita etiam correxerat Nic. Heinsius Not. in Ovid. L. 3. Pont. Epist. 1. & compluribus optimorum auctorum firmaverat exemplia. τὸ *degenerare* cum tertio casu fere junxerunt posteriores. Manilius L. 4. *Degenerant nati patribus.* Claudianus de IV. Cons. Honorii:

Æqualis mihi Pyrrhus erat, quum Pergama solus
Verteret, & patri non degeneraret Achilli.

Apud Papinium L. 9. Theb. *degener* legitur cum casu secundo, elegantia Græcanica: *Nec degener ille sanguinis.* Idem quoque *turpare* dixit, pro degenerare, L. 7.

Hic & mente Lacon, crudi torrentis alumnus,
Nec turpavit avos. BROUKH. *propinquos*, etiam in Editione principe. subaudi, me ab iis progenitum. VULP.

v. 80. INQUE MEIS LIBRIS NIL PRIUS ESSE FIDE] In meis scriptis, & vaticiniis nihil potius, nihil antiquius veritate esse. Livius lib. 36. *Quanto prius, potiusque est Philippum conjungere, quam hos!* Donatus in illud Eunuchi 1, 1. *Nihil prius, neque fortius:* Prius, inquit, non ad laudem, sed ad ordinem pertinet. ut Sallustius: *Quæ primo mortales putant.* Idem in Orat. Lepidi: *Queis prius injuria, quam vita.* A. Gellius lib. 20. cap. 1. *Prius facinus*, pro atrocius

Nunc pretium fecere deos, & fallitur auro
Juppiter: obliquæ signa iterata rotæ;

Feli-

atrocius dixit. *Fide*, veritate. nam fides dictorum & factorum constantia est, & veritas: Cicero 1. Offic. Sic infra:

Namque meam firmant nunc duo busta fidem.

Item:

Vera, sed invito, contigit ista fides.

Ovidius 8. Metam. *Vota fides sequitur*. Idem 6. Fast. *Dicta fides sequitur*. id est, eventus. PASS. *Nil prius*. vide quæ attulerim ego ad illud Eleg. 4. lib. 1. Tibulli:

Qui prior Eleo est carcere missus equus.

VULP.

v. 81. NUNC PRETIUM FECERE DEOS, ET FALLITUR AURO JUPPITER: OBLIQUÆ SIGNA ITERATA ROTÆ] Dicitur hoc in Mathematicus, quibus aurum, & pecunia deorum loco est, dum ementiuntur fata pecuniâ corrupti. Religionem & fidem in pecuniam verterunt. τὸ *Nunc* dissimilitudinem morum & fortunæ notat; ut El. 16. lib. 1. v. 5.

Aurum omnes victa jam pietate colunt.

Fallitur auro Juppiter: an latet in auro? ut Eleg. 5. infra:

Et sua nocturna fallere terga lupo.

De quo Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 7.

Juppiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corrupta pretium virginis ipse fuit.

Beroaldus etiam putat sic exponi posse; Genethliacos pecuniâ corruptus mentiri, & genesin Jovialem ei polliceri cujus Saturnia sit. neutrum placet. ait enim poeta, Per Juvem concipitur jusjurandum, & auri pecuniæque interventu pejeratur. Sic Elegia 4. infra:

Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas.

Horatius Ode 8. lib. 2. *Expedit matris cineres opertos Fallere*. Plinius H. N. lib. 2. cap. 7. *Fallunt, & pejerant Jovem*. Hinc formula jurisjurandi, *Si fallo*. *Signa*: Dicam scilicet & *signa*, vestigia rotæ Solis per obliquum tramitem decurrentis, ut orbita Solis significetur; quomodo dictum Eleg. 20. lib. 2. *Orbita Lunæ*. vel *Rota* tertio casu, & *signa* Zodiaci, quæ sæpius currus Solis percurrit obliquo tramite. Seneca:

Obliquo flexam deducens tramite lucem.

an rota, pro cursu & curriculo? ut Elegia 25. lib. 2.

Septima quam metam triverit ante rota.

Iterata, iterum, vel sæpius decursa; ut Eleg. 20. lib. 1. *Iterata responsa*. an iterata, pro, iteranda, ut Eleg. 14. lib. 3. *Trochi versi*, pro vertentis? *Obliquæ rotæ*, quia inflectitur per obliquum Zodiacum, de quo infra *Versusque per astra Tramet*. λοξὸς κύκλος, Aristoteli. Virgilius 1. Georg.

Obliquus quo se signorum verteret ordo.

Ovidius quoque 2. Metam.

Sectus in obliquum est lato curvamine limes.

Obliquitatem Zodiaci dicitur invenisse Anaximander Milesius, id est, rerum fores aperuisse, inquit Plinius lib. 2. cap. 8. PASS. *Nunc*. Ita Ovidius in Nuce v. 23.

Nunc uterum vitiat quæ vult formosa videri,
Raraque in hoc ævo est quæ velit esse parens.

Pretium fecere deos. id est, siderum aspectus. Lucanus lib. 1. v. 639.

At Figulus, cui cura deos, secretaque cæli
Nosse fuit, quem non stellarum, Ægyptia Memphis,
Æquaret visu, numerisque moventibus astra.

Fallitur auro Juppiter. Astrologi simulant, Juvem, felicissimum planetarum, dominum esse genituræ: horoscopum pro arbitrio mutant, & ita consulunt rationibus suis. Easdem augurum technas fuisse, docemur ab Accio, quem citat A. Gellius lib. 14. cap. 1. *Nihil*; inquit, *credo auguribus, qui aures verbis divitant Alienas, suas ut auro locupletent domos*. T. Livius id ipsum testatur lib. 10. evenisse non ob avaritiam, sed ob pugnandi cupiditatem. Ejus verba sunt: *Is ardor omnium etiam ad eos qui auspicio intererant, pervenit. nam quum pulli non pascerentur, pullarius auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nuntiavit. Consul lætus, auspicium egregium esse, & deis auctoribus rem gesturos pronuntiat; signumque pugnæ proponit*. *Fallere*, pro simulare dixit Virgilius 1. Æneid. v. 687.

Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo.

Obliquæ signa iterata rotæ. Subaudi, *falluntur*.

Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis,
Et grave Saturni sidus in omne caput.
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lotus & Hesperia quid Capricornus aqua.

Dicam,

tur. vel, & illa Astrologi *pretium fecere*. Zodiaci autem signa fortasse vocat *iterata*, quod sex ad Boream, sex ad Austrum vergant. *Iterare*, duplicare, repetere. Accius lib. 1. Annalium, apud Priscianum lib. 5.

Maxima pars Grajum Saturno, & maxima Athena
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis. VULP.

v. 83. FELICESQUE JOVIS STELLAS, MARTISQUE RAPACIS, ET GRAVE SATURNI SIDUS IN OMNE CAPUT] Enallage numerorum, pro Stellam felicem Jovis, & rapacem Martis, scilicet dicam. *Felix*, vi agendi; ut Virgilius 1. Æneid. *Sis felix*, nempe fausta. & Noster Eleg. 10. lib. 3. *Felicibus edita pennis*. *Commoda stella* eo sensu dixit Eleg. 27. lib. 2. Prosper autem erat & salutaris ille fulgor qui dicitur Jovis, inquit Cicero 6. de Republ. & *Jovis stella benefica* Appulejo lib. 2. Florid. Horatius Ode 17. lib. 1. *Jovis tutela refulgens Saturno*. Stella, quasi luminis stilla; quod ridet Fabius lib. 1. cap. 10. Stella in auguriis lætum significat; Festus in *Stella*, *Martisque rapacis*, vel avidi prædæ, ut ad belli naturam & militum alludat. sic *rapaces lupi* Horatio; quod animal Marti sacrum: vel rapacis quarto casu, pro rapaces stellas Martis, nempe rapidas, sævas, violentas, Cicero 6. de Republ. *Tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicimus*. Appulejus Florid. 2. *Martis ignita* (Stella.) Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Stella tibi oppositi nocuit contraria Martis,
Et grave Saturni sidus in omne caput. Ita *sidus durum* dixit Eleg. 6. lib. 1. v. 36. & Virgilius 1. Georg.

Frigida Saturni se se quo stella receptet,

id est; noxia, ut *Frigidus anguis*. *Stella perniciosa Saturni*, Appulejus 2. Florid. Persius Sat. 5.

Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.

Juvenalis Sat. 6. *Ignorat quid sidus triste minetur Saturni*. vide Lucanum lib. 1. a v. 651. Servium in 1. Georgic. Ovidium in Ibin a v. 211. denique Macrobiom lib. 1. in Somn. Scipionis cap. 19. *Grave*. vide Junium Proverb. 70. cent. 5. *Grave in omne caput*, in omnes mortales. Sic Horatius Epist. ult. lib. 2.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in unumquodque caput, vultu mutabilis, albus & ater. PASS.

v. 85. QUID MOVEANT PISCES, ANIMOSAQUE SIGNA LEONIS] Quid moliantur & parent. ut Eleg. 22. lib. 3.

Exitium nata matre movente sua.

Sic dixit Ovidius 4. Fast.

Pendula cælestes Libra movebat aquas.

& Noster Eleg. 5. lib. 3. *Quid flamina captet Eurus*. alii libri *Moneant*, id est, prædicant. Tibullus Eleg. 4. lib. 3. *Divi vera monent*. Inde monstra dicta quasi monestra. Festus. De Piscibus duobus, quorum alter νότιος, australis: alter βόρειος, septentrionalis, a positura loci, Ovidius 3. Fast. Manilius lib. 1. & in eom Scaliger, Macrobins lib. 1. in Somn. Scip. c. 21. & lib. 1. Saturn. cap. 21. Virgilius 4. Georg. & Servius ibid. Hyginus Fab. 197. & in Poet. Astron. in *Pisce*, Turnebus autem lib. 21. Adv. cap. 18. ex Olympiodoro, ait, futuram magnam hiemem, seu eluvionem terrarum, quum omnes planetæ in hiberno & frigido signo erunt, ut io Piscibus, & Aquario. *Signa*, pro, Signum, ut supra: *Stellas Jovis*, *Animosa*, violenta, rapida, vim igneam spirantia: & alludit ad leonum naturam iracundam. Vet. Gloss. *Animosus*, *furibundus*, θυμικός. Horatius Ode 29. lib. 3. *Jam Procyon furit, Et stella vesani Leonis Sole dies referente siccos*, & Epist. 10. lib. 1.

Leniat aut rabiem Canis, & momenta Leonis,
Quum semel accepit Solem furibundus acutum,

Plinius

Dicam, Troja cades, &, Troïa Roma refurges.
Et maris, & terræ longa fepulcra canam.

Dixi

Plinius lib. 11. cap. pænult. *Anima Leonis virus grave* ait effe, *ut urfi peftilens*. De figno Leonis vide Hyginum lib. 2. & in Poet. Aftron. in *Leo*. Is Leo Cleonæus fuit, primus Herculis labor. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 21. Leonem Solis domicilium effe fcribit. Turnebus loco prænotato ait, magnam æftatem, five exuftionem terrarum futuram, quum omnes planetæ in figno æftivo erunt, ut Leone, aut Cancro. *Signa animofa*; ita Virgilius 2. Georg.

Quas animofi Euri affidue franguntque, feruntque.

Ovidius 5. Faft.

Martis opus juvenes, animofaque bella gerebant. PASS.

Adde Ovidium 2. Metam. v. 84.

Nec tibi quadrupedes animofos ignibus illis
Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant,
In promtu regere eft. VULP.

v. 86. LOTUS ET HESPERIA QUID CAPRICORNUS AQUA] De Capricorno Hyginus Fab. 196. & Poet. Aftron. in *Capricornus*; Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. cap. 12. Manilius lib. 4. & Scaliger in eumdem. *Lotus aqua Hefpreia*, qui mergitur in Hefperio mari, vel qui aqua ipfe perfunditur quum pluviam citat. *Lotus aqua*. fic Virgilius 8. Æneid. *Oceani perfufus Lucifer unda*. Servius in verfum 336. 1. Georg. *Saturnus*, inquit, *deus pluviarum eft: nam fenex gelidi. Hic autem in Capricorno facit graviffimas pluvias, & præcipue in Italia*. unde Horatius Ode 17. lib. 2. *Tyrannus Hefperiæ Capricornus undæ*. Manilius quoque lib. 4.

Tu Capricorne regis quidquid fub Sole cadente
Expofitum.

Ergo *aqua Hefperia*, non Itala tantum, fed occiduum omne mare. Suetonius in Aug. cap. 94. fub eo fidere natum fcribit Auguftum, & ejus forma nummum percuffiffe. Beroaldus putat, per lotum Hefperia aqua Capricornum, ejus occafum fignificari, quia occidens magis fævit. PASS.

Nofter fecundus, *Lotus & Hefperia*. quod non poffum non amplecti. Virgilius L. 2. Æneid.

Adverfi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, & lætus Eois
Eurus equis.

ita hic Capricornus lætus occiduo mari, cujus ei regnum dederunt poetæ. ------ neque mirum fi exfultet, & fefe efferat in fuo ipfius regno. pari ratione Horatio L. 1. Ode 3. Notus dicitur *arbiter Hadriæ* ditione minus lata. BROUKH. *Lotus & H. q. C. a.* Nihil mutare aufim ftudiofus novitatis; locutio enim Homerica eft. Parens ille poetarum Iliad. 5. v. 5.

Ἀστέρ᾽ ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο.

& Hymno in Lunam v. 7.

Εὖτ᾽ ἂν ἀπ᾽ Ὠκεανοῖο λοεσσαμένη χρόα καλόν, &c.

Idem lib. 18. Iliad. v. 487. & feqq. dicit Ἄρκτον ἄμμορον λοετρῶν Ὠκεανοῖο, *Urfam expertem lavacrorum Oceani*. quod id aftrum proximum cardini feptemtrionali, vertatur quidem, fed nobis numquam occidat. Seneca ita locutus in Hippolyto v. 746. *Qualis eft primas referens tenebras Nuntius noctis, moda lotus undis Hefperus, pulfis iterum tenebris Lucifer idem*. VULP.

v. 87. DICAM, TROJA CADES, ET, TROÏCA ROMA RESURGES] Infignis perturbatio temporum. quomodo enim pronepos Cononis, & Trojæ excidium prædixit, & Arriæ filiorum, ac Propertii fata? Scaliger hos verfus locat poft verfum 70. *Dicam*, prædicam; unde *dictio*. *Troja cades*, evertêris. vide adnotata ad illud Eleg. 1. lib. 3. *Tui cafus memoratoe Homerus*. *Troïca Roma*. fic Cicero in Bruto, *Troicis temporibus*. & lib. 5. ad famil. *Troïcum bellum*. Troïca Neronis fæpe citat Servius. *Refurges*, renafcêris. vide adnotata ad verfum 47. fup. PASS. *Troïca Roma*. Gebhardi libri habebant *Troia*. quæ vera eft fcriptura, operofe & docte adferta NIC. Heinfio Not. in Ovid. Ep. Penelopes v. 28. *Refurges*. Seneca Agamemn. v. 870. *Vicimus victi Phryges*.

Dixi ego quum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante Deo)

Non

Bene est . resurgit Troja . traxisti jacens Pares Mycenas . BROUKH. *Dicam* , T. e. e. T. R. r. Parem se Calchanti, Heleno, Cassandræ, vatibus celeberrimis, jactat, qui excidium Trojæ ac παλιγγενεσίαν cecinerunt non irritis vaticiniis. *Dicam* . Sic Tibullus Eleg. 6. lib. 1. de sacerdote Bellonæ:

Et tibi nescio quas dixit , mea Delia , pœnas . VULP.

v. 88. ET MARIS, ET TERRÆ LONGA SEPULCRA CANAM] Et prædicam longas clades, diuturnaque & molta funera, quum propter decennalem obsidionem Trojæ, tum ob longos errores Æneæ. *Sepulcra*, pro funeribus. id quod sequitur, pro eo quod præcedit. ut Eleg. ult. lib. 1.

Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra.

Maris sepulcra, an ut Eleg. 7. lib. 3. v. 12. *Pro tumulo mare ?* an *longa sepulcra*, longe a patria ? ut *longinquis piscibus* Eleg. 7. lib. 3. an *longa* pro multa? ut contra Virgilius 1. Georg. *Nox plurima*, pro longissima. An significat, terram & mare, mundumque interiturum? qua de re dictum ad Eleg. 5. lib. 3. v. 31. PASS. Diuturnam Æneæ navigationem, & odiis Junonis exercitam innui suspicor a Propertio: tamdiu enim Troja conclamata videri potuit, quamdiu ille salo jactatus Italiæ finibos arcebatur: quum vero pedem in litore posuit, copiasque Etruscorum fudit, tum demum Iliacæ reliquiæ in novam spem e sepulcro prodierunt. Sepulcri & funeris vocabulis uti solent ad res desperatas significandas. Cicero Pisonem vocat *bustum reipublicæ*, Oratione in eum scripta. Silius Italicus lib. 1. v. 50. appellat *Cannas tumulum Hesperiæ*. Ita locutus & Lucretius lib. 2.

Nec superare queunt motus utique exitiales
Perpetuo , neque in æternum sepelire salutem .

Contra, *resurgere* pertinet ad spem. Livius lib. 24. Hist. *Postquam res Romana contra spem votaque eius velut resurgeret* . VULP.

v. 89. DIXI EGO QUUM GEMINOS PRODUCERET ARRIA NATOS] Equidem prædixi, inquit, quum Arria liberos duos ad bellum mitteret & prosequeretur, non fore ut salvi domum redirent. Arria, Romanum nomen, ut Arrius apud Catullum. *Produceret*, prosequeretur; & bene funesto verbo usus est. Donatus in Adelphos 4, 2. ad illud: *Paullatim hunc producam diem* : Bono, inquit, verbo usus est ad metaphoram tamquam vel morientis diei; ut est, *Nec te tua funera mater Produxi* . Statius 1. Silv. Epicedio in Glauciam:

Spectatumque urbi scelus , & puerile pheretrum Produxi .

Idem 2. Thebaid. *Namque una soror producere tristes Exsulis ausa vias*, prosequi. Varro Ο῎νος λύρας apud Nonium in *Producere* : *Valete , & me palmulis producite* . id est, prosequimini plausu. quod Nonius non vidit. *Geminos natos* , vel duos, vel pares, vel gemellos. Eleg. 9. lib. 2.

Tutius & geminos anxia mater alit . PASS. *Dixi ego* . Ex eventu illorum quæ olim prædixerat, conciliare sibi studet fidem & auctoritatem de futuris. Cicero Epist. 6. lib. 6. ad famil. *Quare , quum , ut augures & astrologi solent , ego quoque augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te auctoritatem augurii & divinationis meæ , debebis habere fidem nostræ prædictio* . Huc pertinent verba Livii lib. 25. de vaticiniis Marcii cujusdam: *Ex hujus Marcii duobus carminibus , alterius postea aucta declarato auctoritas eventu , alteri quoque cujus nondum tempus venerat , afferebat fidem . Quum g. produceret Arria natos* . Ita locutus Plautus Amphitr. 1, 1, 61. *Castris illico Producit omnem exercitum* . Terentius quoque Adelph. 3, 4, 38. D. *Satin' scis ibi esse ?* SY. *Oh , quem egomet produxi* . & 4, 2, 21. *Non tu eum rus hinc modo Produxe aiebas ?* Adde Livium lib. 5. Hist. *Is* (magister) *quum in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique caussa producere* . & Ovidium Epist. Laodamiæ:

Producetque virum , dabit & mandata reverti . VULP.

v. 90. (ILLA DABAT NATIS ARMA VETANTE DEO)] Ad bellum mittebat, vel re vera armis eos instruebat. *Vetante deo* . Sic Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Fin-

Non poſſe ad patrios ſua pila referre Penates.
  Nempe meam firmant nunc duo buſta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum ſaucia protegit ora,
  Heu ſibi prolapſo non bene cavit equo.

Gallus

Fingebam demens, ſed renuente deo.
Catullus Carm. 67. *Invicis herit*. Ovidius Epiſt. Didûs: *Adverſo movimus iſta deo*. Horatius Epodo 14. *Deus Deus nam me vetat*. Noſter ſupra hac Elegia: *Averſus Apollo*. Hic verſus includendus parentheſi. P. *Vetante Deo*. Sic Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Audeat invita ne quis diſcedere Amore,
Aut ſciat egreſſum ſe prohibente deo.

Quem nos ita ſecuti ſumus in Elegia quadam:

O miſer, invito quiſquis diſcedit Amore,
Nec patitur blandas pondus habere preces!
Illum perſequitur pœnis Rhamnuſia virgo,
Admonitus magnos ut ſciat eſſe deos.

Præiverat etiam Catullus Carm. 67.

Nil mihi tam valde placeat, Rhamnuſia virgo,
Quod temere invitis ſuſcipiatur heris.

lege reliqua, ſi libet. VULP.

v. 91. NON POSSE AD PATRIOS SUA PILA REFERRE PENATES] Ita Ovidius Epiſt. Laodamiæ:

Et ſua det Reduci vir meus arma Jovi.

Idem 2. Faſt.

Nec finis ad patrios arma referre deos.

& lib. 4. Pontic. Eleg. 7.

Miles, ut emeritis non eſt ſatis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit, arma Lares.

Reduces arma ſua figebant ad deorum poſtes. *Pila referre*. vide adnotata ad illud Tibulli ex Carm. 1. lib. 4. *Lento perfregerit obvia pilo*. [Pilum gravis haſta, propria militum Romanorum. res nota.] *Ad patrios Penates*, parentum ſcilicet. vide Plautum Mercat. Tibullus Eleg. ult. lib. 1. *Sed patrii ſervate Lares*. & mox:

At nobis ærata, Lares, depellite tela.

Lege Feſtum in *Hoſtiliis Laribus*. PASS.

v. 92. NEMPE MEAM FIRMANT NUNC DUO BUSTA FIDEM] Nam nunc, ſed ſero, duo buſta, ſeu duo funera, confirmant dictorum meorum veritatem. *Nempe*, pro nam, & enim. ſed efficacius. ut Eleg. 5. infra: *Nempe tulit faſtus*. Virgilius 3. Georg.

Quid juvenis magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Cæca nocte natat ſerus freta.

Nempe, *quippe* hic conjunxit Noſter, ut Terentius Andria 5, 4. *Nempe*, *ſcilicet*. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 1.

Nempe favore ſuæ vicit tamen ille puellæ.

Duo buſta, plus eſt quam duo funera. nam iis ſignificantur liberi mortui, cremati, & conditi. ut Eleg. 10. lib. 2. *Niobe bis ſex ad buſta ſuperba*. *Firmant fidem*; ſic Plautus Milite 5, 1. *Niſi das firmatam fidem te intro iturum*. Sed *fides* hic, pro veritate, ut adnotatum ſup. ad verſum 80. PASS.

v. 93. QUIPPE LUPERCUS, EQUI DUM SAUCIA PROTEGIT ORA] Id eſt, protegere conatur; non enim protexit, quum *ſaucia* dicat poeta. ut infra:

Et bene quum fixum mento diſcuſſeris uncum,
Nil erit.

id eſt, diſcutere tentaveris. & Eleg. 3. lib. 2.

Cognitus Iphicli ſurripuiſſe boves.

id eſt, ſurripere tentaſſe. *Lupercus*, hic cognomen eſt Romanæ familiæ; ut & apud Martialem Epigr. 108. lib. 1. *Nudam te ſtatuet cum Lupercus*. & Epigr. 46. *Vendunt carmina Gallus & Lupercus*. Sic apud Tacitum: *Mummius Lupercus legatus in Germania*. Alii ſunt Luperci ſacerdotes, de quibus dictum ſup. ad verſ. 26. *Protegit*, porro tegit vim repellendo. ut Eleg. 14. lib. 3. *Protegit ære caput*. ſine vi. Virgilius 2. Georg. *Ingenti ramorum protegat umbra*. & apud Ciceronem Topicis: *Protegere ædes*; & apud Juriſconſultos: *Protegendi ſervitus*. *Ora equi*. ut Virgilius 12. Æneid.

Ora citatorum dextrâ contorſit equorum.

Inde *Orea*, ſive *Oria*, ſive *Aurea*, quod ori equorum inſerantur. *Saucia*, graviter vulnerata. ut Eleg. 3. lib. 3.

Saucia mœrenti corpora veſtet aquâ. PASS.

v. 94. HEU SIBI PROLAPSO NON BENE CAVIT

Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.

Fata-

CAVIT EQUO] Est miserantis & ingemiscentis alieno malo, ut Eleg. 1. lib. 1.

Heu referet quanta verba dolore mea!

Sibi non bene cavit, sibi parum consuluit. se non protexit, dum equum tegere vult. Sic Ovidius 1. A. A.

Illo sæpe loco capitur consultus Amori;
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.

& Cicero Trebatio lib. 7. ad famil. *Tu qui ceteris cavere didicisti, ne ab essedariis capiaris caveto. Prolapso equo.* Insignis dilogia, vel septimo casu; quum equus prolapsus esset, & e vulnere corruisset. vel, *Non bene cavit sibi prolapso*, (& tamen) *cavit equo*. id est, equum protexit, se vero minime, quia dum in armos equi penderet, prolapsus ipse est, & effusus humi, & ita interfectus. vel *Prolapso equo;* supple, ab; ut Horatius Sat. 1. lib. 2.

Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

Livius lib. 27. *Marcellum etiam transfixum lancea, prolabentem ex equo moribundum videre.* An utrumque prolapsum significat? Sic Virgilius 10. Æneid.

Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat: effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.

Prolabi, est porro & longius labi. ut Elegia 20. lib. 1.

Prolapsum leviter facili traxere liquore.

Livius lib. 5. *Convertentem se, inter hanc venerationem prolapsum cecidisse.* Varro 5. de L. L. *Lubrica mens prolabitur, ut dicebant olim.* PASS. Nimius est Passeratius, & anxiæ nimium diligentiæ in observandis dilogiis. Hoc quid aliud est, quam scriptori quem interpreteris, vitium affingere obscuritatis & ἀμφιβολίας? Quatuor explicationum quas vir doctus attulit primam veram judico. reliquæ fidiculis extortæ. secunda vero pessima; quis enim credat, Propertium tanto nitore poetam, sic interpungi voluisse:

Heu sibi prolapso non bene, cavit equo?
VULP.

v. 95. GALLUS AT IN CASTRIS DUM CREDITA SIGNA TUETUR; CONCIDIT ANTE AQUILÆ ROSTRA CRUENTA SUÆ] Tres Galli commemorantur eodem tempore, ut notavi ad Eleg. pænult. lib. 1. v. 7. Hic Luperci frater, qui dum sibi commissam aquilam defendit, corruit. erat enim aquilifer Gallus, ut hoc versu liquet. *Credita*, tradita ab imperatore ejus fidei. Ovidius in Remed. Amor.

Tradita qui toties te duce signa tuli.

Magnum flagitium fuit amittere signum. id expiabant fuste, vel securi, vel fustuario. Livius & Dionysius. Ovidius 3. Fast.

Non illi cælo labentia signa movebant,
Sed sua, quæ magnum perdere crimen erat.

& 5. Fast.

Signa decus belli Parthus Romana tenebat.

In signis militaribus erat & Minotauri effigies, & porci, & equi, & apri, & lupi. vide Vegetium lib. 3. cap. 5. & Festum in *Minotauri*, & in *Porci*. *Concidit*. nam cadere, concidere, & ruere, de sauciis letali vulnere dicitur. Ante aquilæ rostra concidit, quia tuebatur signa, & propugnator erat aquilæ, cujus rostrum in hostem versum. *Rostra* proprie sunt avium, unde & ad homines, & pecudes, & naves transferuntur. dicta sunt a rodendo; ut plaustrum a plaudendo; claustrum a claudendo; rastrum a radendo. Isidorus lib. 18. cap. 3. *Aquila legioni signum datum, quod id felix Jovi auspicium fuit adversus Titanas.* Totius legionis signum fuit; unde quum quidam Ciceroni dixisset: *Bono animo simus, septem adhuc nobis supersunt aquilæ.* Recte, inquit Cicero, *si nobis cum graculis bellum esset.* Aquilas legionibus dicavit Marius: Plutarchus. Eæ primum argenteæ, deinde aureæ, alis expansis fulmen pedibus tenentes. Dio lib. 40. & 43. hastæ longæ imponi solitas docet, cujus ima pars acuta, ut humi defigi posset. Initium & origo ejus rei a Persis. Effigiem aquilæ vide in nummis vett. apud Torrentium in Suetonium. Olim aquilæ signa non fuerant, sed e fœno manipuli. Ovidius 2. Fast.

Illaque

Fatales pueri, duo funera matris avaræ,
Vera, sed invito, contigit ista fides.
Idem ego, quum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,

Juno-

Illaque (signa) *de fano , sed erat reverentia fano ,*
Quontam nunc aquilas cernis habere tuas .

Aquila , vel a colore aqoilo , fusco & subnigro ; ut Virgilio *Fulvus Jovis ales* . Ovidius 5. Fast.

Grata Jovi fulvæ rostra videbis avis .

vel ab acute volando . PASS. A voce *aquilifer* derivatam censeo vocem Italicam , qua hodie utimur ; *alfiere* . sic autem appellamus signiferum , seu vexilliferum . Quæ fuerit forma Romanæ aquilæ , disputat Lipsius Dialogo 6. lib. 4. de Militia Romana . VULP.

v. 97. FATALES PUERI , DUO FUNERA MATRIS AVARÆ] παθητικῶς , *Fatales* , quibus iojecere manum Parcæ , telisque hostium sacrarunt . qoos ei morti fata addixerant . Sic Virgilius 11. Æneid.

Fatalem Æneam manifesto numine ferri .

Aliter *Fatale monstrum* Horatio , & *Fatalis judex* . Virgilio autem *Fatalis equus* . *Duo funera* . olim pueri , nunc funera ; ut sup. *Duo busta* . Catullus Carm. 63.

Quam talia Cretam
Funera Cecropiæ ne-funera portarentur .

Funera matris . ut Eleg. 3. lib. 1. *Funera Tantalidos* . *Avaræ* , quæ eos ad bellum miserat spe prædæ . nude Eleg. 12. lib. 3.

Si fas est , omnes pariter pereatis avari .

Nam duplex belli caussa , pecuniæ sitis , & imperii profunda cupido . ambitio nimirum & avaritia . PASS. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Vos signa , tubæque
Ite procul ; cupidis vulnera ferte viris .
Ferte & opes . VULP.

v. 98. VERA , SED INVITO , CONTIGIT ISTA FIDES] Certa fides venit meis dictis ; sed tamen maluissem non contigisse . Sic Eleg. 13. lib. 3.

Proloquar , atque utinam patriæ sim vanus haruspex .

τὸ *Sed* , subaudiri postulat , quidem . ut Eleg. 6. lib. 3.

Pœna erit ante meos sera , sed ampla pedes .

Vera fides , ut Eleg. 6. lib. 3.

Non est certa fides , quam non injuria versat .

& Eleg. 9. lib. 3. ambigue :

Mæcenatis erunt vera tropæa fides . PASS.

Lucanus pariter lib. 7.

Nunc tibi vera fides quæsiti , Magne , favoris
Contigit .

& lib. 9.

Olim vera fides Sylla Marioque receptis
Libertatis obit .

Plura dabit Nic. Heinsius ad Ovidium Epist. Paridis v. 60. VULP.

v. 99. IDEM EGO , QUUM CINARÆ TRAHERET LUCINA DOLORES , ET FACERENT UTERI PONDERA LENTA MORAM] Diana quum adest parturientibus dicitur *Juno Lucina* . Ovidius 2. Fast.

Gratia Lucinæ , dedit hæc tibi nomina lucus ,
Seu quia principium tu , dea , lucis habes .

Idem 6. Fast.

An faciant mensem luces , Lucinaque ab illis
Dicar , & a nullo nomina mense traham .

vide eumdem lib. 9. Metam. & Horatium in Carm. sæculari . Donatus in Andriam 3 , 1. *Juno Lucina* , Junonis filia , Græce Εἰλείθυια dicitur , Latine Juno a juvando dicta , Lucina ab eo quod in lucem producat . Idem scribit Varro 4. de L. L. & Festus in *Supercilia* . Dicta & *Opigena Juno* , quia in partu ferat opem : Festus . In vetere numo Faustinæ Aug. Ant. Pii filiæ , altera ex parte stat imago stolatæ matronæ , quæ dextrâ pateram , sinistrâ hastam tenet , cum inscriptione , *Junoni Lucinæ* , Dionysius Halic. lib. 4. Εἰλειθυίαν οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον . *Quum ergo Lucina traheret dolores Cinaræ* , id est , longos faceret , sive protraheret dolores puerperii Cinaræ parientis , ut apud Ovidium Alcmenæ 9. Metam. Sic Virgilius 1. Æneid. *Noctem trahebat* . & 6. Æneid. *Traherent tempus* .

Junoni votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit. libris est data palma meis.

Hoc

pus. *Dolores parturientium* dicuntur, & *dolere*. Catullus Carm. 34. *Tu Lucina dolentibus Juno dicta puerperis*. Plautus Amphitr. 5, 1. *Ubi utero exorti dolores, ut solent puerperæ*. *Cinara*. nomen puellæ est apud Horatium Ode 1. & 13. lib. 4. & Epist. 14. lib. 1. quam hic significari putat Scaliger: & *Pondera uteri*, fœtus ipse nondum editus. Ovidius 2. Fast.

Exuerat tunicas: utero manifesta tumore,
Proditur indicio ponderis ipsa sui.

& 3. Fast.

Cælesti tumidus pondere venter erat.

Idem alibi vocat *sarcinam*, & *onus uteri*. *Pondera lenta*, tarda; ideoque cum mora conjunxit. ut Eleg. 23. lib. 3.

Irascor, quoniam es lenta moratus heri.

Facerent moram, morarentur, nempe infans, qui in utero, non prodiret. Sic facere votum, vovere. Plautus *Creare moram* dixit, pro morari. PASS. Ita locutus & Maro Ecl. 10. v. 11.

Nam neque Parnasi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere. VULP.

V. 101. JUNONI VOTUM FACITE IMPETRABILE, DIXI] Vota Junoni Lucinæ suscipite, & nuncupate. ess facilis dea annuet, ut ego præsentio & prædico. & suspensa voce pronuntiandum. *Patrare*, facere; *impetrare*, perficere: Donatus in Hecyram. quia *in* auget sæpe, ut inclamare. Sic Propetrare, mandare quod perficiatur. Dicebatur olim & impetrire. unde *Impetritum*, verbum Augurum in Asin. Plauti. Servius in 6. Æneid. Auguria aut oblativa sunt, quæ non poscuntur: aut impetrativa, quæ optata eveniunt. Plautus Pœn. 5, 2. *Incipere multo est, quam impetrare facilius*. id est, perficere. *Impetrabilis venia*, dixit Livius l. 26. παθητικῶς. Ibid. *Omnia impetrabilia*. Apud Plautum Mostel. sc. ult. ἐνεργητικῶς. *Non potuit venire ad me orator magis impetrabilis*. Idem Mercat. 3, 4, 20. *Impetrabilior qui vivat nullus est*. & Epidico 3, 2, 5. *Proh dii immortales, mihi hunc diem dedistis luculentum! Ut facilem, atque impetrabilem!* An *impetrabitis*, pro impetrabitis? ut facite, impetrabite dixerit. PASS. *Votum impetrabile*, quod impetrare possit. Valerius Flaccus pariter 1. Argon. v. 782. *Jam jam exorabile vestro Carmen agens*. id est, quod exorare possit. VULP.

V. 102. ILLA PARIT. LIBRIS EST DATA PALMA MEIS] Cinara statim & pondere, & doloribus uteri liberatur. *Parit*, non, peperit. ut Eleg. 7. lib. 3.

Qua natat Argynni pœna minantis aquæ.

Data palma libris. ut sup.

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona.

Non tantum cursoribus, aut aurigis, & quinquertionibus dabatur palma; sed etiam scriptoribus ipsis. Terentius in Prol. Phormionis: *In medio omnibus Palmam esse positam, qui artem tractant musicam*. Virgilius 3. Georg.

Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas.

Horatius Epist. 1. lib. 2.

Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.

Juvenalis Sat. 11. *Dubiam facientia carmina palmam*. Ausonius Paulino Epist. 20.

Et quæ jamdudum tibi palma poetica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Ergo ait se veluti omnibus Mathematicis antepositum, & quasi victorem declaratum: nam palma victoriæ signum. A. Gellius l. 3. c. 6. Plutarchus lib. 8. Sympos. quæst. 4. An ita palmati libri, ut laureatæ litteræ? an meis libris, mihi scriptori, ut sup. Elegia 1. lib. 3. *Pagina nostra?* PASS. Victoribus ludorum dabantur palmæ. Livius extremo libro 10. *Eodem anno, coronati primum ob res bello gestas, ludos Romanos spectaverunt: palmæque, tum primum translato e Græcis more, victoribus datæ*. Urbane Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 11.

Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde moror.

tabellas nempe scriptas ad amicam, quæ impetrabiles fuerant. Sed & Oratorum præmium fuere. Juvenalis Sat. 7. v. 117.

Rumpe, miser, tensum jecur, ut tibi lassæ
Figantur virides scalarum gloria palmæ.

Mar-

Hoc neque arenosum Libyæ Jovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos.

Aut

Martialis Epigr. 28. lib. 7.

Sic fora mirentur, sic te Palatia laudent,
Excolat & geminet plurima palma fores.

Vide Lucianum ἐν Ῥητόρων διδασκάλῳ. Item Poetarum. Ovidius lib. 2. A. A. v. 3.

Lætus amans donet viridi mea carmina palma.

Volcatius Sedigitus in judicio de Poetis Comicis apud A. Gellium l. 15. N. A. c. 24. *Cæcilio palmam Statio do Comico.* Cicero Philipp. 7. cap. 15. *Nisi forte Accis tum plaudi, & sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto.* Huc pertinet illud Horatii Epist. ad Pison. v. 249.

Nec si quid fricti ciceris probat, & nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.

Terentius hoc transtulit ad servum πανοῦργον Heautont. 4, 3, 31. *Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effers.* VULP.

v. 103. HOC NEQUE ARENOSUM LIBYCI JOVIS EXPLICAT ANTRUM.] Ad Ammonis Jovis oraculum, & nomen alludit: nam ἄμμος, arena, unde *Ammon Juppiter*, quasi arenarius. licet a pastore quodam ita dictum alii putent. Pausanias Messenicis. De fano & oraculo Jovis Ammonis Plutarchus in Alexandro, Curtius lib. 4. Lucanus lib. 9. Servius ad illud 4. Æneid. *Hic Ammone satus.* & *antrum*, quia in antris oracula. Virgilius 6. Æneid. *Explicat*, aperit; quia operta & implicata oracula. Paullo post dicit, *Prodit*. PASS. V. Tibullus 1, 9, 3. -- 2, 5, 11. Seneca Oedip. v. 390. inibi Delrius Com. p. 104. Statius IV. Theb. 409. Heinsius ad Silium p. 331. Cicero L. 6. ad famil. Epist. 6. *Non igitur ex alitis involatu, nec e cantu sinistro oscinis, nec ex tripudiis solistimis, aut soniviis tibi auguror: sed habeo alia signa, quæ observem, quæ etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis vel erroris.* BROUKH. *Libyci Jovis*. Editio princeps, *Libyæ*. VULP.

v. 104. AUT SIBI COMMISSOS FIBRA LOCUTA DEOS] Haruspicibus hic demit fidem, ut superiore versu vatibus. Haruspices enim, ut ait Ovidius lib. 15. Metam.

Protinus ereptas viventi corpore fibras
Inspiciunt, mentemque deûm scrutantur in illis.

Aut fibra. subaudi, explicat. Fibræ sunt extremæ oræ jecinorum: Festus in *Fiber*. Varro 4. de L. L. In jecinore extremum. nam extremum antiqui dicebant fibrum. Sic etiam Servius non semel, & Isidorus lib. 11. Dictæ fibræ, inquit, quod apud gentiles in sacris ad Phœbi aras ferebantur ab hariolis; quibus oblatis atque succensis responsa acciperent. unde Cicero 1. de Divinat. *In extis fibra quid valeat.* Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum.

& Eleg. 1. lib. 2.

Eventura precor. viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?

Ovidius 7. Metam. in descriptione pestilentiæ:

Fibra quoque ægra notas veri, monitusque deorum
Perdiderat.

Locuta deos, quæ deorum voluntatem enuntiavit. nam loqui dicuntur & muta. ut Eleg. 13. lib. 3. tabellæ dicuntur *Verba diserta loqui*. Sic *Ida dicit* & *Ascanius*, & *cubile clamat*. Contra *Muta exta*, quæ nihil portendunt: Festus. *Deos*, deorum numen & voluntatem. ut Virgilius 12. Æneid. *Accipio, agnoscoque deos.* *Commissos sibi*, sibi quasi traditos & concreditos; & inclusos in se habens. unde *Conscium deorum* vocat Tibullus. Deinde committimus quæ arcana sunt; cujusmodi putabantur fata. PASS. Id extulit Statius, *verum spirantibus extis*, L. 4. Thebaidos; & deinde L. 5.

Niger omnibus aris
Ignis, & in nullis spirat deus integer extis.

---- Nostrum ante oculos habuit Martianus Capella, L. 1. de nupt. Philolog. p. 5. *In fanis, quibus ----- denuntiata pecudum cæde physiculatis extorum proficiis viscera loquebantur.* leve mendum est in voce *physicula-*

Aut si quis motas cornicis senserit alas:
Umbra neque hæc magicis mortua prodit aquis.
Adspicienda via est cæli, versusque per astra
Trames, & ab zonis quinque petenda fides.

Exem-

culatis, pro qua jam olim viri docti *fficu-latis* restituerunt. BROUKH.

v. 105. AUT SI QUIS MOTAS CORNICIS SENSERIT ALAS] Aut quicumque intellexerit sive agnoverit volatus cornicis. Sentire verbum est augurum, ac vatum. Virgilius 3. Æneid.

Qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ:
Fare, age, &c.

Cato apud Festum in *Prohibere: Domi quum auspicamus, honorem me deum velim habuisse, servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit*. Noster Eleg. 6. lib. 3.

Dic mihi de nostra quæ sentis vera puella.

[alloquitur enim ibi servum Lygdamum tamquam vatem & conjectorem.] *Motas alas cornicis*; volatum, quia fit motis alis. Horatius Ode 29. lib. 3. *Si celeres quatit pennas*. id est, avolat. Significat autem Propertius, cornicem non tantum oscinem, sed & alitem esse, id est, alis, non solum cantu facere auspicium. Horatius Ode 27. lib. 3. *Antequam stantes repetat paludes Imbrium divina avis imminentum*. id est, cornix revolet. Cicero tamen 1. & 2. de Divinat. & 3. de Nat. Deor. item Virgilius Ecl. 1. & 9. & Festus in *Oscines*, cantûs solum cornicis, meminere, non volatûs. PASS.

v. 106. UMBRAQUE NEC MAGICIS MORTUA PRODIT AQUIS] Turnebus lib. 23. Adv. cap. 6. e conjectura:

Umbrave quæ magicis mortua prodit aquis.

Nec explicat. Si retinemus hanc lectionem, *Nec*, erit, non tantum, ut sæpe. *Umbra mortua*, hominis mortui; quia est & umbra vivi hominis. ut Eleg. 12. lib. 2. *Vapulat umbra mea*. Apud Appulejum lib. 2. A. A. excitatur mortuus, & apud Lucanum lib. 6. τὸ *Prodit*, si est a prodo, non a prodeo, recta hæc locutio, id est, tradit & memorat. paullo ante dixit, *Explicat*. *Aquis magicis*, quas venefici spargunt in illis nefariis sacris. ut apud Horatium Epodo 5. qui *Avernales aquas* vocat. & Virgilius in Pharmaceutria: *Effer aquam*. & 4. Æneid.

Sparserat & latices simulatos fontis Averni.
PASS.

v. Barthius ad Statium Tom. 2. pag. 827. BROUKH.

v. 107. ASPICIENDA VIA EST CÆLI, VERSUSQUE PER ASTRA TRAMES, ET A ZONIS QUINQUE PETENDA FIDES] *Via cæli*, ut Euripides initio Phœniss. Ω τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν Ἥλιε. Virgilius 2. Georg. *Cœlique vias & sidera monstrent*. ubi Servius circulos exponit, quibus sidera continentur. *Aspicienda est*, contemplanda. Vetus Poeta: *Aspice hoc sublime candens*. *Versusque per astra Trames*, Ovidius 2. Metam.

Sectus in obliquum lato curvamine limes.

Virgilius 1. Georg.

Obliquus qua se signorum verteret ordo.

Balteus & *fascia* vocatur Manilio lib. 1. Supra, *Via cæli*; Zodiacus enim Solis via Macrobio lib. 2. in Somn. Scipionis cap. 10. unde Virgilius 1. Georg.

Per duodena regit mundi Sol aureus astra.

& supra hac Elegia v. 84. *Obliquæ signo iterata rota*. *Petenda fides ab zonis quinque*, arcessenda veritas prædictionum a quinque cingulis de quibus Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 5. vide Macrobium lib. 2. in Somn. Scipionis. Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Et quinque in partes totus disponitur orbis.

ubi vide adnotata. PASS. *Via cæli*. Quid si galaxiam, seu lacteam viam significet, quæ ex minutissimis constat stellulis, ut Democrito videtur, & qui hodie florent philosophis? De illa diximus ad Elegiam 18. lib. 3. in calce. *A zonis*. Editio princeps, & codd. mss. *Ab zonis*. VULP.

v. 109.

Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene hærentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.

Nec

v. 109. EXEMPLUM GRAVE ERIT CALCHAS: NAMQUE AULIDE SOLVIT ILLE BENE HÆRENTES AD PIA SAXA RATES] Testis, inquit, locupletissimus Calchas haruspicinam esse mendacem. *Grave exemplum*, in quo pondus magnum & auctoritas. Horatius Ode 11. lib. 4. *Exemplum grave præbet ales Pegasus, terrenum equitem gravatus Bellerophontem*. Exempla testimoniorum sunt similia, inquit Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 4. ubi docet quid differant. Exempla morum: testimonia sunt probationum. & exemplum ab ex, & emendo, id est, sumendo: Festus. Exemplum est quod sequamur, aut vitemus: Exemplar, ex quo simile faciamus: hoc oculis, illud animo æstimatur. Fuit igitur Calchas falsus augur: nec enim Græci rediere. De illo Virgilius 2. Æneid. Homerus 1. Iliad.

Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος.

De hac autem fabula vide Ovidium 12. Metam. v. 6. & seqq. Hyginum Fab. 98. Euripidem Iphig. in Aulide, Ciceronem 1. & 2. de Divinat. & 2. de Nat. Deor. & 2. de Leg. [attingit etiam Lucretius lib. 1. non procul ab initio.] *Solvit*, pro solvi fecit. ut Virgilius apud Macrobium lib. 6. Saturn. cap. 6.

Supposito de matre nothos furata creavit.

pro, creari fecit. *Aulide*, Euboico portu. Virgilius 4. Æneid.

Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
Aulide juravi.

Statius 1. Achilleid.

Prima rates Danaas Hecateïo congregat Aulis,
Rupibus expositis, longique crepidine dorsi
Euboicum scandens Aulis mare: litore multum
Montivagæ dilecta deæ.

Ad quæ explicanda faciunt Euripidis verba in Iphigenia in Aulide: Ἄρτεμις Αὐλίδος ἄνασσα. Vide tamen Strabonem lib. 8. *Rates*, mille naves. ut Eleg. 26. lib. 2.

Et Danaûm Euboico litore mille rates.

Bene hærentes. aut valde & multum; ut infra, *Bene fixum uncum:* vel quia ea mora proderat Trojanis, & ipsis etiam Græcis, magnam partem ad Trojam perituris. *Hærentes*, quia inde moveri non poterant adversis ventis, & irâ Dianæ. Horatius de hac re Sat. 3. lib. 2. [Agamemnonem loquentem inducens:]

Nempe ego, ut hærentes adverso litore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine divos.

Hærere ad saxa. ut Cicero 5. de Finib. *Adhærescere ad saxa* (Sirenum.) & 4. Academic. *Adhærescere ad saxum.* Aliud est Eleg. 7. lib. 3. *Nocturnis ad saxa ligato procellis.* Et *saxa*, quia lapidosa & petrosa regio illa, ut scribit Strabo lib. 9. & Statius 1. Achill. *Pia saxa*, quia bella & cædes vetabant. Sic Eleg. 17. lib. 1.

Mansuetis socio parcite litoribus.

Horatius Ode 21. lib. 3. *Pia testa.* Contra Ode 3. lib. 1. *Impiæ rates.* & Virgilius in Culice: *Impia lotus.* PASS. *Exemplum grave.* Paullulum variavit Ovidius lib. 3. A. A. v. 686.

Exemplum vobis non leve Procris erit.

Calchas. ab eo tamen culpam in Agamemnonem & reliquos duces transfert Cicero lib. 1. de Divinat. *Quod eodem modo*, inquit, *evenit Agamemnoni: qui quum Achivi cœpissent*

Inter se strepere, aperteque artem obterere extispicum,
Solvere imperat secundo rumore, adversaque avi.

nisi hæc explicanda sint de reditu potius, quam de expeditione Græcorum. Viri strenui & bellatores auguria, & alias hujusmodi nugas contemnere solebant. lege quæ dicit Hector Polydamanti lib. 12. Iliad. a v. 237. VULP.

v. 111. IDEM AGAMEMNONIÆ FERRUM CERVICE PUELLÆ TINXIT, ET ATRIDES VELA CRUENTA DEDIT] Vide adnotata ad illud Eleg. 7. lib. 3.

Pro qua mactata est Iphigenia mora.

Zz 2 Tin-

Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
Supprime, & Euboicos respice, Troja, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia pressa tuis.

Victor

Tinxit ferrum. imbuit secures, & cultros victimariorum cruore Iphigeniæ, quia mactari jussit. Horatius Ode 23. lib. 3. *Victima Pontificum securee Cervice tinget*. Virgilius 3. Georg.

Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri.
Atrides, major scilicet, ut Eleg. 7. lib. 3. *Classem non solvit Atridre*. [Menelaus enim, Agamemnonis frater, Atrides minor. ambo Atrei filii, seu potius nepotes ex Plisthene.] *Dedit vela*. ventis commisit. Virgilius 1. Æneid. *Vela dabant læti*. *Dedit vela cruenta*. navigavit ipse cruentus. aut vela funesta, ut Eleg. 27. lib. 2. *Infernæ tristia vela ratis*. Contra Eleg. 21. lib. 3. *Felicia lintea*. PASS.

v. 113. NEC REDIERE TAMEN DANAI. TU DIRUTA FLETUM SUPPRIME, ET EUBOICOS RESPICE, TROJA, SINUS] Contra Eleg. 9. lib. 3.

Et Danaum decimo vere redisse rates.
Non rediere Danai, quia *plera pars pessumdata est*. Ergo mendax Calchas; inquit Cononis pronepos. *Troja diruta*. eversa; ut ad Elegiam 28. l. 2. v. 54. adnotatum. *Supprime fletum*, cohibe lacrimas. vide adnotata ad Eleg. 10. lib. 3. v. 8. Cicero dixit: *Represso fletu*. *Flet Troja*, ut *Machæra lamentatur* apud Plautum. & Eleg. 12. lib. 3. *Lævatur cæde sagitta*. *Respice sinus Euboicos*. reflecte oculos ad futuram ultionem apud promontorium Eubœæ Caphareum. Respicimus a tergo, ut sequentia. Donatus in Andriam: Respicere proprie retro aspicere. *Sinus* in mari. κολπος. *Golfo* Italis. Isidorus lib. 16. cap. 17. Sinus dicuntur majores recessus maris, ut in mari magno Ionius; in Oceano Caspius. Servius in 11. Æneid. *Extremamque sinu perfundit arenam*. id est, curvatione & flexu undarum. Sinum quoque Euboicum vocat Ovidius in Ibin. PASS. *Euboicos sinus* ab Eubœa magna insula, de qua vide Indicem nostrum Propertianum. VULP.

v. 115. NAUPLIUS ULTORES SUB NOCTEM PORRIGIT IGNES] Vide adnotata ad Eleg. 7. lib. 3. v. 39. & seq. de hac fabula. Nauplius Palamedis pater, unde hic ab Ovidio 13. Metam. dicitur *Naupliades*. *Porrigit ignes ultores*, protendit, procul ostendit, profert. Πυρσεύειν Græci dicunt, ut Euripides in Helena, igne sublato dare signum e specula. Hyginus Fab. 116. *Facem ardentem extulit*. Servius in 11. Æneid. *Elatâ faculâ signum dedit vicini portûs*. *Ultores ignes*, quibus ultus est Nauplius luctum & dolorem suum. Ausonius in Monosyllabis:

Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.
Virgilius 2. Æneid. *Animumque explesse juvabit Ultricis flammæ*. Hyginus Fab. 249. Facem sceleratam vocat. Huic Nauplii fabulæ consentaneum est quod scribit Ulpianus in L. *Ne piscatores*. D. de *Incend. ruin. & naufr.* ubi prohibetur ne piscatores nocturno lumine ostenso fallant navigantes, ut inde prædam nefariam parent. *Sub noctem*, quia noctu id accidit. Hyginus Fab. 116. Nec interdiu conspici facula potuisset, & patuissent insidiæ claro luci. Horatius Ode 9. lib. 1. *Lenesque sub noctem susurri*. Sic dicitur Virgilio *Sub lucem*. PASS. Historiam eleganter, suo more, exponit L. Septimius L. 6. C. 1. & Seneca multa cum pompa Agamemn. Act. 3. ante utrumque fecerat Pacuvius Duloreste, unde hæc producit Priscianus, L. 5. *Pater Achæos in Caphareis saxis pleros perdidit*. plura Cicero nobis servavit L. 1. de Divinat. C. 14. & L. 3. de Orat. C. 39. *Quid? gubernatores nonne falluntur? an Achivorum exercitus, & tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio,*

Ut profectione læti piscium lasciviam
Intuerentur, nec tuendi satias capere posset?
Interea prope jam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisque & nimbûm occæcat nigror:
Flamma inter nubeis coruscat, cælum tonitru contremit.

Gran-

Victor Oilide, rape nunc, & dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.

Haste-

Grande mixta imbri largifluo subita præcipitans cadit :
Undique omnes venti erumpunt, sævi exsistunt turbines :
Fervit æstu pelagus.

nam & hæc eodem pertinebant. Utinam integrum exstaret grande illud Pacuvii drama, & intercidissent potius languentes aliquot atque elumbes recentiorum fœtus. BROUKH.

v. 116. ET NATAT EXUVIIS GRÆCIA PRESSA TUIS] Græcia, pro Græcis fere omnibus. ut Eleg. 7. lib. 3.

Naufraga quum vasto Græcia tracta salo.

& Horatius Epist. 2. lib. 1.

Græcia Barbariæ lento collisa duello.

Pressa, depressa, demersa, onere nimio spoliorum. ut Eleg. 18. lib. 3.

His pressus Stygias vultum demisit in undas.

Tuis exuviis, tuis spoliis, o Troja. Aliàs legitur *suis*, ut referatur ad exuvias Græcorum. *Natat*, fluitat, ut naufragi solent. ut Eleg. 25. lib. 2.

Quum sæpe in portu fracta carina natet. P. *suis*, Editio princeps. VULP.

v. 117. VICTOR OILIDE, RAPE NUNC, ET DILIGE VATEM, QUAM VETAT AVELLI VESTE MINERVA SUA] Veteres libri, *e Iliade*. forte *Oiliade*. sic enim dicitur Homero Odyss. 4. & Iliad. μ. & ν. Sabinus etiam Epist. Ulixis :

Quidquid Oilides commiserat, omnibus unus
Peccavit ; Danais omnibus ira nocens.

id est, Ajax Locrensis, Oilei filius. Homerus Iliad. β. Οἰλῆος ταχὺς Αἴας μείων. Ovidius in fine lib. 12. Metam.

Non ea Tydides, non audet Oileus Ajax
Poscere.

Virgilius 1. Æneid.

Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei.

Ut percussus a Minerva fulmine, & saxo obrutus a Neptuno, est apud Homerum Odyss. δ. Ovidius in Ibin :

Utque ferox periit & fulmine, & æquore raptor,
Sic te mersuras adjuvet ignis aquas.

Vide Horatium Epodo 10. Hyginum Fab. 116. & Homerum Iliad. β. & ν. *Victor* ; & superior, & voti compos. *Rape nunc.* est insultantis. ut Eleg. 29. lib. 2.

I nunc, & noctes disce manere domi.

Rape ; nam vi abripuit vatem Cassandram a signo Minervæ, & traxit etiam per vias. & est ὕστερον πρότερον in sententia, *Rape & dilige*. Ovidius 4. Fast.

Pæne simul visa est, dilectaque, raptaque Diti.

Et est μείωσις in *dilige*. nam impotentissime eam arsit. unde Virgilius 1. Æneid. *Furias Ajacis Oilei* vocat. ubi vide Servium. *Vatem*. *Raptam* vet. lib. ut monet Beroaldus. *Pergamea vates* vocatur sup. hac Eleg. v. 51. *Quam vetat avelli*, prohibet abripi e templo signoque suo, cujus amiculo [seu peplo] tegebatur, quum simulacrum amplexa esset. Ovidius in Ibin :

Illius exemplo violes simulacra Minervæ,
Aulidis a portu qui leve vertit iter.

Virgilius 2. Æneid.

Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus a templo Cassandra, adytisque Minervæ.

Vide Euripidem in Trojadibus. *Veste*, inquit, respiciens ad vestes & amicula simulacrorum. de quibus Cicero 3. de Nat. Deor. Alii libri, *Ex æde*. quod planum est. ναὸς. dixit Euripides ; Virgilius *a templo, adytisque*. Alii, *Sede*. ut Virgilius 5. Æneid. *Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Idaliæ*. PASS. Nobilis artifex Polygnotus, cujus tabulam enarrat Pausanias in Phocicis, Cassandræ raptum ita finxerat : *Sedet*, inquit, *ipsa Cassandra humi, Palladium complexa ; quod ipsum e suis sedibus virgo avellit, quum supplicem ab ara Ajax abstraxit*. Lucillius lib. 26. *Nec mihi Oilei præferatur Ajax, quod Cassandram signo deripuit*. puto istic legendum, *cum signo deripuit*, subintellecto *ex adytis*. Eodem ferme modo Hypsipyle patrem Thoanta contra furentes Lemniades defendit sub ipso Liberi patris signo, apud Valerium Flaccum lib. 2. Argonaut.

Tacita pavidum tunc sede locavit
Sub pedibus dextraque dei : latet ille receptus
Veste sacra.

& Cas-

Hactenus historiæ. nunc ad tua devehor astra:
  Incipe tu lacrimis æquus adesse novis.
Umbria te notis antiqua penatibus edit.
  Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
  Et lacus æstivis intepet Umber aquis,

Scan-

& Cassandram quidem inimici regis filiam mitius habuit furiosus ille Ajax, quam suam germanam Tryphæna ista Grypi; *quæ vocatis ipsa militibus*, (ita Justinus L. 39. C. 3.) *misit qui sororem confoderent. Qui ut in templum intraverunt, quum evellere eam non possent, manus amplexantis deæ simulacrum præciderunt*. BROUKH.

v. 119. HACTENUS HISTORIÆ. NUNC AD TUA DEVEHOR ASTRA] Ἐλλειπτικῶς, pro, huc usque narratæ sunt fabulæ. Sic Virgilius 2. Georg. *Hactenus arvorum cultus*. Horatius Sat. 4. lib. 1. *Hactenus hæc*. & Ovidius 3. Amor. Eleg. 6. postquam multa locutum Tiberim finxit, subjicit, *Hactenus*. quæ particula significat, hac fine, tenus hac: Festus, Nonius, Servius in 2. Georg. & alibi. Virgilius 5. Æneid. eam divisit κατὰ τμῆσιν:

Hac celebrata tenus sancto certamina patri. & 6. Æneid.

Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta. ubi scribit Servius: *Tenus* proprie esse extremam arcûs partem. *Historiæ* nominandi casu plurali numero. Historia quævis narratio etiam fabulosa. ut adnotatum ad Elegiam 15. lib. 1. *Devehor ad astra tua*. Oratione & sermone delabor ad tuam genesin, cum quodam impetu furoris, ut vates. nam qui vehitur impotens est sui: & velut in rate vehitur oratio. Cicero 1. Tuscul. Virgilius 3. Æneid.

Quid ultra
Provehor, & fando surgentes demorer austros?

Sic *invehi in aliquem*. *Astra tua*, enallage, pro astrum natale, Horatio. *horoscopon*. vel *astra* pro fatis; ut Eleg. 6. lib. 1.

Vivere me duro sidere certus erit. PASS.

v. 120. INCIPE TU LACRIMIS ÆQUUS ADESSE NOVIS] Pro adesto. ut Eleg. 15. lib. 2.

Fluminaque ad caput incipient revocare liquores.

Æquus adesse. favere. ut Eleg. 14. lib. 1. *Quæ mihi dum placata aderit*. & præsentes, faventes. *Lacrimis novis*, vel quas nunc primum refero, vel carmini novo, & indicto, [quod tristia & lugubria contineat.] vide sup. hac Elegia v. 73. PASS.

v. 121 UMBRIA TE NOTIS ANTIQUA PENATIBUS EDIT] Vide sup. v. 63. & 64. *Umbria antiqua*. ut Eleg. 1. lib. 2.

Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ.

De Umbrorum antiquitate vide adnotata ad Eleg. ult. lib. 1. v. pænult. *Edit*; ut supra: *Me creat Archytæ soboles*. Seneca in Consol. ad Polybium cap. 4. *Hoc principio edimur*. (in lucem.) PASS.

v. 122. MENTIOR? AN PATRIÆ TANGITUR ORA TUÆ?] Sic Ovidius 1. Fast.

Fallor? an hi fient ingentia mœnia montes?

Mentior? an vera non dico? *Tangitur ora patriæ tuæ*. Regio & situs patriæ demonstratur quasi tactu. ut, *Rem acu tangere*, in Rudente Plauti. Est & tangere Ciceroni, & Varroni de L. L. breviter, & leviter verbis complecti, quod attingere sæpius dicitur. *Ora*, quasi tantum in finibus Umbriæ esset, inquit Scaliger. Sic Horatius Sat. 1. lib. 2.

Lucanus, an Appulus, anceps;
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

& Catullus Carm. 44. *O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs*. *Ora patriæ*, ut *Ora Caystri* Eleg. 22. lib. 3. PASS. *Mentior?* Italice diceres., *Eh non m' apposi?* VULP.

v. 123. QUA NEBULOSA CAVO RORAT MEVANIA CAMPO] Situm loci notat, ut Eleg. 11. lib. 1. v. 2. *Mevania*, urbs Umbriæ, sita ad Viam Flaminiam; de qua Lucanus lib. 1. *Tauriferis ubi se Mevania campis Explicat*. Plinius lib. 35. H. N. cap. 14. ait,

Meva-

Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Ossa-

Mevaniæ murum lateritium fuisse. Silius lib. 6.

Atque ubi latie
Porrecta in campis nebulas exhalat inertes,
Et sedes ingenti pascens Mevania campo
Doua Jovi.

Sed Scaliger docet, hic Mevaniam pro regione, & planitie accipi, non pro urbe: & Ameriam ei vicinam, in colle sitam, esse patriam Propertii. Sic Troja, & regio ipsa, & urbs. Servius in illud 2. Georg. *Hinc albi, Clitumne, greges:* Clitumnus fluvius est in Mevania, quæ pars est Umbriæ partis Tusciæ. Columella lib. 3. cap. 8. *Armentis sublimibus insignis Mevania est.* *Mevania nebulosa*, quia valles exhalant nebulas; quæ sereno cælo ima petunt; nubilo, summa. Sic *Nebulosus ager* Catoni cap. 6. de R. R. *Nebuloso nomine*, id est, obscuro: A. Gellius lib. 20. cap. 2. Nebulæ, inquit Isidorus lib. 3. cap. 10. a nubendo. Immo a νεφέλη. *Nebula*, ὀμίχλη. *Brouillas, broule.* Inde *Nebulones* homines dicti, tenebriones. *Rorat*, manat rore & humore multo. Virgilius 8. Æneid. *Sparsi rorabant sanguine vepres.* Inde *Rosea* in agro Reatino campus dicitur, quia in eo arva rore humida semper feruntur. & *Rorarii* velites; quia, ut ante imbrem rorare solet, sic illi ante gravem armaturam tela spargere. *Rorat*, ut pluit, grandinat, ningit. Suetonius in Augusto cap. 91. *Si rorasset, lætum auspicium.* Ovidius 3. Metam. *Multaque aspergine rorant.* *Cavo campo*, humili, depresso, quasi subsidente. Sic Furius apud A. Gellium lib. 18. cap. 11.

Sanguine diluitur tellus, cava terra lutescit. *Cavam vallem* dixit Ovidius 6. Fast. *Cavam convallem* Seneca in Oedipo. PASS. *Quam*, noster primus, & unus Regius. BROUKH. Editio quoque princeps. De patria Propertii dictum in Prolegomenis. *Nebuloso c.* Sunt etiam stellæ nebulosæ, de quibus ἀστρολόγων παῖδες. VULP.

v. 124. ET LACUS ÆSTIVIS INTEPET UMBRA AQUIS] Assentior Scaligero, qui lacum Vadimonis hic significari censet, ex Epist. 20. lib. 8. Plinii minoris. Meminit & Plinius major lib. 2. cap. 95. qui, ut & alter Plinius, innatare silvam in eo lacu narrat. *Intepet æstivis aquis.* tepidior redditur æstatis tempore. Persius Sat. 6. *Mihi nunc Ligus ora Intepet.* *Æstivis aquis.* ut Virgilius 4. Georg. *Æstivis effusus nubibus imber.* *Æstiva aqua*, Jurisconsultis dicitur, quæ æstivo tempore ducitur, licet etiam hieme duci possit: qua de re Neratius L. *De interdictis* D. *De Aqua cott. & æst.* PASS. Idem ille liber noster, *Ut lacus æstivis.* *Ut*, adverbium temporis, significat quam primum, simul ac &c. vide Virgilium initio 8. Æneid. hac ratione sensus esset, Mevaniam tum maxime nebulas exhalare, quum lacus Umber cœpit æstivis aquis intepescere. sed quis est ille *Umber lacus*, & quidem *tepens?* nescio. Schoppius in Paradoxis Literariis dicit Johannem Metellum Sequanum in melioris notæ codicibus perscriptum invenisse,

Et sacer æstivis intepet Imber aquis.

addirque, *Imbrem sacrum* fuisse fontem aquæ calidæ, muro inclusum, cujus etiam tunc præclaræ viserentur reliquiæ; *Inversato* hodie dici, vel *Imbersato*. ------ sed quidquid hoc est rei de *Imbro sacro* jam olim, ante Schoppium natum, prodiderat summus vir Lilius Gregorius Gyraldus, Dial. 4. de Histor. Poetar. p. 163. BROUKH. *Lacus Umber*, etiam Editio princeps, consentiens mss. codd. *Æstivis aquis.* Contra Ovidius lib. 2. Fast. v. 205.

Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem,
(Turgidus hibernis ille fluebat aquis) &c.

M. Varro lib. 4. de L. L. *Germalum a germanis Romulo & Remo, quod ad ficum ruminalem & hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expositos.* Tibullus Eleg. 7. lib. 1. *Nili æstivam aquam* commemorat. VULP.

v. 125. SCANDENTISQUE ARCIS CONSURGIT VERTICE MURUS] Attollitur, & editus conspicitur. sic Elegia 32. lib. 2. *Surgebat marmore templum.* aliter Virgilius 1. Æn.

O fortunati quorum jam mœnia surgunt.

Scaliger muros Ameriæ, quæ hodie *Amelia* dicitur, ait structos fuisse immanibus saxis

qua-

Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.

Nam

quadratis, ut ex eorum reliquiis apparet. *Vertice axis scandentis*. id est, jugo collis. Clivum assurgentem, vocat axem ab altitudine: vel Axis nomen est ipsius clivi. Hæc Beroaldus. at Scaliger Axem usurpari potat vel pro edito colle, & profert illud Juvenalis Sat. 4.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes;

ubi axes sumi ait pro collibus, & clivis editis. quod non probo (sumendum enim pro curribus, & vectoribus, qui frequentes ibant Aricinam) vel pro tractu & climate, & profert illud Statii: *Ire polo, nitidosque errare per axes*. & Silii:

Aut axe relicto
Hesperio, patrias exsul lustraret arenas.

& hic fallitur Scaliger: nam exemplis quæ adfert non probat quod sentit. Ego antiquum illud meum obtineo, scribendum *Arcis*, pro *axis*, ut est in vet. lib. Nam est enallage numerorum, & plane hic versus respondet illi superiori:

Scandentes si quis servet de vallibus arces.

& utrobique eadem pæne verba, etiam in versu sequenti. Quod autem Lipsius lib. 5. Antiq. Lect. C. 10. *Asis* legit pro nomine montis, bene refellitur a Scaligero. PASS. Facile adsentior Passeratio. monuerat etiam Canterus noster, & doctissimus Livinejus. BROUKH. Hic murus videtur fuisse ille de quo Plinius lib. 35. H. N. cap. 14. ubi laudat opera lateritia: *In Italia quoque latericius murus Arretii & MEVANIÆ est*. VULP.

V. 126. MURUS AB INGENIO NOTIOR ILLE TUO] Anadiplosis. ut Eleg. 14. lib. 2. *Tu mihi certus eras. Certus eras eheu*. *Murus notior*. celebrior, nobilior, licet per se notus. *Notus*, pro nobili; & contra ignotus, pro ignobili. *Ab ingenio tuo*. τὸ *ab* vacat. Sic Ausonius in Parentalibus:

Facundo cunctis major ab ingenio.

Petronius: *Numquam ab aliqua naturali vitii formam meam excæco*. Noster Eleg. 11. lib. 3.

Ne possent tecti stringere ab axe latus. P.

V. 127. OSSAQUE LEGISTI NON ILLA ÆTATE LEGENDA PATRIS, ET IN TENUES COGERIS IPSE LARES] Officium erat parentum, & necessariorum, cremato cadavere, & exstincto rogo ossa legere. ut adnotatum ad Eleg. 24. lib. 2. v. 50. vide Tibullum Eleg. 2. lib. 3. Appulejus lib. 3. Florid. de Philemone: *Ejus legenda ossa, mox carmina*. Vet. Gloss. *Ossilegium*. ὀστολόγιον. Inde jocus Senecæ Consolat. ad Marciam cap. 22. *Laceratione medicorum ossa vivis legentium*. *Non illa ætate legenda*. vel quia ipse adhuc puer, vel quod pater nondum senex. Idem queritur Sappho apud Ovidium Epistola 15.

Sex mihi natales ierant, cum lecta parentis
Ante diem lacrimas ossa bibere meas.

Pater Propertii fortasse fuit Sex. Aurelius Propertius, de quo Cicero pro Domo sua: *Nomen Sex. Propertii detulit: accusare alienæ damnationis socius propter metum calumniæ non est ausus*. *Cogeris ipse in tenues Lares*. τὸ *ipse* vacat. Eleg. 14. lib. 3. *De rebus cunctis loqueris Ipse tuis*. Legitur & in Vaticano *isse*, per enallagen, pro *ire*. Compelleris ire in angustam domum matris. videtur Propertius sub matris custodia fuisse, & arcte habitus; ut apud Horatium Epist. 1.

Ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum.

& Senecam Consolat. ad Marciam cap. 24. *Pupillus relictus sub tutorum cura; usque ad decimumquartum annum fuit sub matris custodia semper. Quum haberet suos Penates, relinquere tuos noluit*. Suetonius in Caligula cap. 10. *Primum in matris, deinde ea relegata in Liviæ proaviæ contubernio mansit*. *Cogi in Lares*, ut Varroni 4. de L. L. *Coactum id in publicum*. Plautus Milite 2, 2. *Coge in obsidium perduelles*, id est, include in angustum locum. Livius lib. 36. *Cogi in jus, deditionemque*. & coguntur pecudes, quum dispersæ in unum locum compelluntur. *Lares tenues*. *Domus exilis* Horatio Epist. 6. lib. 1. Noster Eleg. 21. lib. 2.

Exceptus est tenui namque Creusa domo.

& Horatius Ode 29. lib. 3. *Parvo sub Lare*. Sic *Angustum lectum* vocat Eleg. 8. lib. 1. v. 33. *Lares*, pro domo. ut Eleg. 3. infra:

Vix operit clausos una puella Lares.

[qui

Nam tua quum multi verſarent rura juvenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opes.
Mox ubi bulla rudi dimiſſa eſt aurea collo,
Matris & ante deos libera ſumta toga:

[qui locus tamen alio pertinet .] Lares , *κατοικιδίοις θεοῖς* exponit Priſcianus . PASS. *Oſſaque* . v. Douza Schediaſm. ſuccidan. p. 18. ſqq. *Cogeris ipſe* . ita in libris melioribus . valde abutuntor bono otio , qui multa hic argutantur pro ſuo *iſſe* , *viſſe* , *ire* , *eſſe* . non erant tanti . BROUKH.

v. 129. NAM TUA QUUM MULTI VERSARENT RURA JUVENCI , ABSTULIT EXCULTAS PERTICA TRISTIS OPES] Idem queritur in Panegyrico ad Meſſalam Tibullus a verſu 183. *Juvenci verſarent rura* . Sic Eleg. 7. lib. 3. *Contentus patria bove verteret agros* . & ipſe de ſe Eleg. 5. lib. 3.

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur .

Pertica triſtis . Turnebus lib. 26. Adv. cap. 35. Significat , inquit , adſignatos agros ſuos fuiſſe , & ſe pulſum poſſeſſionibus paternis ad paopertatem redactum . Menſum enim perticis , vel decempedis agrum ſolebant veteranis attribuere . Auctor Dirarum in Battarum :

Pertica quæ noſtros metata eſt impia agellus .

Hæc Turnebus . Quod autem Lipſius lib. 3. Var. Lect. ſomniat , damnatum Sex. Propertium patrem , & ejus bona vendita ſub haſta , fallitur . nam delatum tantum nomen Cicero pro Domo ſoa ſignificat , ut ante dixi . Veri ſimilius eſt , ademtos illi agros Syllana proſcriptione , ut Volaterranis omnibus , & majori parti Etruriæ ; qua de re Cicero pro Cæcina . *Pertica triſtis* , decempeda infelix & funeſta . Iſidorus lib. 15. cap. 15. *Pertica* quaſi portica a portendo , menſura decem pedum . *Triſtis* ab effectu , ut Triſtis hiems , triſtis morbus , triſtis ſenectus . *Abſtulit* , ademit , eripuit . *Opes* . hoe opes , quas Ops & ager fundit . ut Eleg. 13. lib. 3.

Divitiæ quorum meſſis & arbor erant .

unde *Inops & inhonorata turba* , Virgilio 6. Æneid. Ovidius 4. Faſt.

Largaque provenit ceſſatis meſſis in arvis ,
Et vix congeſtas area cepit opes .

Ibidem :

Ruris opes niteant , inquinet arma ſitus .

Excultas opes , agros nitidos , & expolitos . vide Nonium in *Politiores* . Inde frequens translatio Ciceroni colere , & excolere animum , & ingenium doctrina . PASS.

v. 131. MOX UBI BULLA RUDI DEMISSA EST AUREA COLLO] Sic Eleg. ult. infra :

Mox ubi jam facibus ceſſit prætexta maritis .

id eſt , deinde . *Bulla aurea* . de ejus origine conceſſæ ingenuis pueris , & lori tributi libertinorum filiis multa Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 6. ubi ait cordis figuram in bolla aote pectus annexam , quam inſpicientes ita demom ſe homines cogitarent , ſi corde præſtarent . Aſconius in 3. Verrin. *Simul cum prætexta etiam bulla ſuſpendi in collo infantibus ingenuis ſolet aurea ; libertinis ſcortea , quaſi bullientis aquæ , ſinus communiens pectuſque puerile* . Juvenalis Sat. 5.

Etruſcum puero ſi contigit aurum ,
Aut nodus tantum , & ſignum de paupere loro .

ubi Interpres : *Antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant : pauperum , de loris ; ſignum libertatis* . unde *bullatus heres* Perſio Sat. 5.

Quum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit ,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit ,

Statius lib. 5. Silv. Epiced. in patrem :

Etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos , & nobile pectoris aurum .

Bulla puerorum unde dicta , vide Plutarchum in Romulo . *Demiſſa collo* . ut Virgilius 7. Æneid.

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent .

E collo in pectus pependiſſe bullam , eſt apud Plutarchum in Sertorio , & Romaicis quæſt. 101. item apud Plinium lib. 33. cap. 1. & Aſconium loco citato . An *demiſſa* , miſſa de collo , & erepta ? *Rude collum* , adoleſcentis rudis & imperiti rerum . ut *Rudis puer* Horatio . unde *tirones* tunc dicebantur , & *tirocinium ponere* . PASS. No-

Tum tibi pauca ſuo de carmine dictat Apollo,
Et vetat inſano verba tonare foro.

At

ſter primus, cum duobus Gebhardi, *dimiſſa*, i.e. collo demta, & Laribus donata. aliud ſane eſt *demiſſa* apud Virgil. L. 7. Per *bullam auream* exprimit ſui ordinis conditionem. ea enim fuit puerorum ingenuorum, quorum patres equo ſtipendia juſta meruiſſent. vide Macrobium L. 1. Sat. C. 6. & Scholiaſtem Juv. in Sat. 5. v. 164. Vide & Ciceronem Accuſ. 1. in Verr. C. 58. ab illis verbis: *Itaque tibi, Hortenſi, non illius ætas, ſed cauſſa*. &c. Broukh. *Bulla aurea*. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 6. *Alii putant, eumdem Priſcum .... cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxiſſe; inſtituiſſeque ut patricii bullâ aureâ cum togâ cui purpura prætexitur uterentur, dumtaxat illi quorum patres curulem geſſerant magiſtratum: ceteris autem ut prætextâ tantum uterentur indultum; ſed uſque ad eos quorum parentes equo ſtipendia juſta meruiſſent*. Propertius noſter videtur fuiſſe equeſtris ordinis. quamobrem uſus bullæ aureæ, poſt Tarquinii Priſci ætatem conceſſus fuit etiam equitum filiis. Ceterum tanta erat in his bullis religio, ut etiam quum reipublicæ calamitates cogebant Romanos ut omne argentum, aurum, æs conferrent in publicum, hæ tamen pueris ingenuis relinquerentur. Livius lib. 26. Hiſt. in oratione Lævini conſulis: *Aurum, argentum, æs ſignatum omnes ſenatores craſtina die in publicum conferamus: ita ut annulos ſibi quiſque, & conjugi, & liberis, & filio bullam, & quibus uxor filiæve ſunt, ſingulas uncias auri, pondo relinquant argenti*. *Demiſſa*. legendum omnino, *Dimiſſa*. quum enim prætextam puerilem exuebant, & liberam ſeu puram togam ſumebant, bullam dimittere ſoliti erant. Eam vero pueri & puellæ accipiebant a parentibus natali die. Plautus Rudente 4, 4, 127. *Et bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi natali die*. Earum igitur uſus etiam apud Græcos. Plauti enim, ut & Terentii, Comœdiæ palliatæ ſunt, & mores Græcorum imitantur. Vulp.

v. 132. Matris et ante deos libera sumta toga] Quia ſub matris cuſtodia, & in ejus exili domo videtur educatus, poſt mortem patris, & amiſſis bonis. qua de re dictum verſibus quatuor ſuperioribus, ubi & adnotatum ex Seneca. Ingenui ephebi auream bullam ſuſpendebant Laribus: Porphyrion, & Perſius Sat. 5. idcirco probabile, coram iiſdem conſuetos togam virilem ſumere. *Ante deos*. ut Eleg. 7. lib. 3.

Viveret ante ſuos dulcis conviva Penates.

& *deos matris*. Plautus Mercat. *Dii Penates meum parentum*. *Libera ſumta toga*. Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. ult.

Liberior fratri ſumta, mihique toga.

& lib. 3. Faſtor. ad Bacchum:

Sive quod es Liber, veſtis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.

Accipiebant enim illam in Bacchanalibus. Ovidius 3. Faſt. Deinde addit de ludorum frequentia:

Ergo ut tironum celebrare frequentia poſſet,
Viſa dies dandæ non aliena togæ.

Perſius Sat. 5. --- *Totaque impune Suburra*
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

Catullo in Carmine ad Manlium dicitur *Veſtis pura*. id eſt, ſine purpura. Cicero ad Attic. Epiſt. 8. *Pompeji accuſatio uſque a toga pura*. *Virilis toga* dicitur in Lælio. Meminit Suetonius in Calig. cap. 10. & in Claudio cap. 2. Feſtus quoque in *Recta*, & *Regillis*, ubi ait, ejuſmodi veſtes a ſtantibus texi ſolitas ominis cauſſâ. Statius 5. Silv. in Protreptico ad Criſpinum:

Nec ſaltem teneris oſtrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.

duo autem conjungit tempora, pueritiæ per bullam, & adoleſcentiæ per togam liberam. Pass. *Ante deos*. Magiſtratus quoque ante Penates deos togam prætextam videntur ſumſiſſe. Livius lib. 21. extremo, εἰρωνικῶς, *Magis pro majeſtate videlicet imperii Arimini, quam Romæ magiſtratum initurum, & in diverſorio hoſpitali, quam apud Penates ſuos prætextam ſumturum*. *Libera toga*. Hanc Romanorum togam Græci ſcriptores vocant ἀνδρεῖον ἱμάτιον, ἐσθῆτα ἀνδρικὴν καὶ ἀπόρφυρον: quod limbo purpureo inſignis non eſſet, quemadmodum prætexta puerorum & puellarum. Vulp.

v. 133. Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo] Verecunde; ut Horatius Ode 16. lib. 2. *Mihi parva rura, & Spi-*

At tu finge elegos fallax opus: hæc tua castra:
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.

Nam

& Spiritum Grajæ tenuem Camœnæ Parca non mendax dedit. *Apollo dictat*, præcipit, docet. ut Eleg. 7. lib. 1. *Amor subjicit carmina.* Dictare magistrorum est & præceptorum. unde jocus Cæsaris in dictaturam Syllæ. Horatius Epist. 1. lib. 1. *Hæc recinunt juvenes dictata, senesque.* Idem Epist. 18.

Ut puerum credas sævo dictata magistro
Reddere.

& alibi. unde *Dictata in ludo*, Varroni 5. de L. L. Sunt & dictata gladiatorum apud Suetonium in Cæsare. Ut hic Propertio Apollo; sic Lesbia dictat Catullo apud Martialem Epigr. 72. lib. 8.

Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.

id est, te vatem fecit. Seneca Epist. 40. de lenta pronuntiatione dixit: *Tamquam dictaret, non diceret.* *De sua carmina*, vi pangendi carminis. PASS.

v. 134. ET VETAT INSANO VERBA TONARE FORO] Prohibet, non sinit, quia omen sinistrum & lævum. & est auctoritas quasi voci illi tribunitiæ, *Veto.* *Tonare verba.* forti voce, & magno verborum sonitu perorare: ut adnotavi ad Eleg. 1. lib. 2. v. 40. hinc *verborum fulmina* apud Ciceronem Epist. 21. lib. 9. & Epist. 1. lib. 15. ad Attic. *Si recordabere Δημοσθένους fulmina.* *Insano foro*; clamoso: quia insaniæ est clamor. Virgilius 2. Georg.

Nec ferrea jura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

id est, litigiosum, inquit Servius. Terentius Andria 4, 5. *Dii vostram fidem! quid turbæ est apud forum? quid illic hominum litigant?* In Catalectis: *Est & non:*

Hinc fora dissultant clamoribus: hinc furiosi
Jurgia sunt circi.

PASS. Etiam Ovidius ab Apolline & Musis prohibitus, ne rabula & caussidicus fieret. Vide ejus Elegiam ultimam lib. 4. Tristium. VULP.

v. 135. ET TU FINGE ELEGOS FALLAX OPUS: HÆC TUA CASTRA] Tu quoque scribe elegos. quia alii etiam scripsere, ut Philetas & Callimachus. Sic Virgilius 2. Æneid. *Et nos aliquod nomenque decusque Gessimus.* Aliàs *At*, pro autem, ut sæpe. *finge elegos*; nam fingere poetarum est, & figmenta. Plautus Pseud. 1, 4. *Poeta tabulas quum cepit sibi, Quærit quod nusquam est gentium, reperit tamen.* Sic Horatius Ode 2. lib. 4. *Operosa parvus Carmina fingo.* & in Epist. ad Pisones: *Qui nescit, versus tamen audet Fingere.* An quia poetæ, ut narratur de Virgilio, versus suos ursarum exemplo informes partus lambentium, fingunt; & expoliunt rudes, & informes editos? Elegi primum ad fletum, & querelas reperti, παρὰ τὸ ἐλεεῖν. unde Horatius Ode 33. lib. 1. *Neu miserabiles Decantes elegos.* Idem in Arte:

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Ovidius in Epicedio Tibulli:

Flebilis indignos Elegeïa solve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Fallax opus, aptum fallendis & excantandis puellis. Fallacia est veneficarum & magorum ob præstigias; ut Eleg. 1. lib. 1. *Deductæ fallacia Lunæ*. eadem vis elegorum est, ut Eleg. 3. lib. 3.

Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeras arte ferire viros.

Hæc tua castra. hic te merere oportet, & stipendia facere. Ovidius lib. 2. A. A.

Militiæ species amor est; discedite, segnes.

vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 1. v. 30. PASS. Sic Tibullus Eleg. 6. lib. 2. *Nostrâ sint sua castra domo.* VULP.

v. 136. SCRIBAT UT EXEMPLO CETERA TURBA TUO] Ut multitudo aliorum poetarum te imitetur. sic Eleg. 1. lib. 3.

Scriptorumque meas turba secuta rotas.

ubi secuta, nec imitata. & ibidem gloriatur se equis albis præcurrere ceteros. P.

v. 137. MILITIAM VENERIS BLANDIS PATIERE SUB ARMIS] Feres, tolerabis. Vir-

Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.

Et

gilius 8. Æneid. *Sub te tolerare magistro Militiam , & grave Martis opus .* τὸ *Sub* , pro In . ut Eleg. 8. lib. a. *Duris cecidere sub armis . Blandis annis* , teneris , juvenilibus , aptis blanditiis , & amori . ut El. 8. lib. 1. *Blandi carminis* . Ovidius lib. 2. Trist.

Invenies eadem blandi præcepta Properti .

Martialis Epigr. 22. lib. 3. *Blandasque mortes , gaudiumque crudele* . Si *Armis* legis , *Blandis* addit , quia sæva sunt Martis arma , blanda & dulcia Veneris . ut Elegia 20. lib. 3.

Dulcia quam nobis concitet arma Venus .

A. Sabinus tamen Epist. Ulixis dixit :

Defectis Hecubam potui legisse sub annis .

id est , in ea ætate . & Statius 3. Silv. in Arbore Atedii : *Ingenti forsan victura sub ævo* . PASS. Male hic *annis* substituunt . est enim perpetua translatio a re militari . confer Nasonem L. 1. Amor. Eleg. 9. quamquam & istinc *annis* adstruat aliquis argutator . hic sane *armis* habent veteres membranæ . BROUKH.

v. 138. ET VENERIS PUERIS UTILIS HOSTIS ERIS] Tecum bellum gerent Cupidines . nam hostem Jurisconsulti vocant , quicum nobis bellum est. Noster Eleg. 12. lib. a.

Ante feris quoniam , tuti quam cernimus hostem .

Ibidem :

Assiduusque meo sanguine bella gerit .

Utilis hostis , qui alterius rem juvat & gloriam . Sic Eleg. 12. lib. a. Amorem allocutus , dixit :

Quam (umbram meam) si perdideris , quis erit qui talia cantet ?

Hæc mea Musa levis gloria magna tua est .

Beroaldus emendat , *hospes :* & exponit , amicus . non probo . vel si *hospes* legatur , vide adnotata ad Eleg. 23. lib. 3.

Hospitium tota nocte paravit Amor .

Sed retineo τὸ *hostis* . PASS. Demosthenes alicubi : Φίλος μὲν ἀλυσιτελὴς , συμφέρων δ' ἐχθρός . *Amicus quidem inutilis , utilis verò hostis* . VULP.

v. 139. NAM TIBI VICTRICES , QUASCUMQUE LABORE PARASTI , ELUDET PALMAS UNA PUELLA TUAS] Quotquot autem industria quæsivisti laudes & glorias , una ob eximiam formam & gratiam puella ludendo tibi extorquebit , & eripiet . *Labore parasti palmas ;* ut Eleg. 8. lib. 2.

Et quas Elis opes ante pararat equis .

& Martialis Epigr. 47. lib. 10. *Res non parta labore* . *Palmas* , laudes & glorias . dictum sup. ad vers. 102. *Libris est data palma meis* . Alludit ad palmas gladiatorum , quas omnes amittebant semel victi . De ejusmodi palmis Eleg. 13. lib. 2.

Dum tibi deceptis augetur fama puellis .

Victrices , indices victoriæ . Virgilius Ecl. 8.

Inter victrices hederam tibi serpere laurus .

Una puella . ut Eleg. 5. lib. 2.

Illa feros animis alligat una viros .

Eludet . Gladiatorum est quum vicerint & ludo finem imposuerint ; ut notat Donatus ad illud Eunuchi 2 , 1. *Eludet , ubi victum senserit* . *Eludet palmas* ; ut Livius lib. 28. *Eludere gloriam alicujus* . Tibullus Eleg. 2. lib. a.

Neu seges eludat messem fallacibus herbis .

id est , evanescere faciat . Virgil. 1. Georg.

Sed illos
Exspectata seges vanis elusit avenis .

Horatius Sat. ult. lib. 1. *Davoque Chremeta Eludente senem* . Adde quod *ludere* verbum sit ad res Veneris pertinens , quo non semel Noster utitur . PASS. In eamdem sententiam Eleg. 13. lib. 1.

Hæc erit illarum contempti pœna doloris .
Multarum miseras exiget una vices .

Par omnino huic loco est ille Ovidianus Epist. Deïaniræ ad Herculem v. 105.

I nunc , tolle animos , & fortia facta recense :
Quod tu non esses jure , vir illa fuit .
Qua tanto minor es , quanto te , maxime rerum ,
Quam quos vicisti , vincere majus erat .
Illa procedit rerum mensura tuarum .
Cede bonis : heres laudis amica tuæ .

Falso igitur Hercules moriturus gloriatur apud Ciceronem 2. Tusc. *Multa alia victrix nostra lustravit manus , Nec quisquam e nostris*

Et bene quum fixum mento decufferis uncum,
Nil erit hoc. roftro te premet anfa fuo.
Illius arbitrio noctem, lucemque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nifi juffa cadet.

Nec

ftris fpolia cepit laudibus . Oblitus videlicet fuerat Omphales , & Ioles . Quiotilianus lib. 8. Inft. Orat. cap. 4. *Sic quoque folet ex alio aliud augeri* . Huc pertinent illa Ludovici Areofti Canto 1. Rol. Fur.

Fu Bradamente quella che t' ha tolta
Quant' onor mai tu guadagnafti al mondo .

Facit etiam Francifcus Petrarcha (*nella Canzone* 4.)

Che vedendo il crudel di ch' io ragiono ,
Iufino allor percoffa di fuo ftrale
Non effermi paffata oltre la gonna ;
Prefe in fua fcorta una poffente donna . &c.
VULP.

V. 141. ET BENE QUUM FIXUM MENTO DISCUSSERIS UNCUM , NIL ERIT HOC . ROSTRO TE PREMET ANSA SUO] ἀλληγορικῶς ait , Quo magis te Amoris vinculis expedire conaberis , eo arctius implicaberis . *Quum difcufferis* , pro difcutere conatus fueris . ut fup. v. 93. *Protegit ara* . ufurpavit cum effectu Eleg. 26. lib. 2.

Quum mihi difcuffit talia vifa metus .

Uncum , Cupidinis fcilicet , ut Plautus Afin. dixit : *Fixum animum clavo Cupidinis* . Sontium autem gulæ , gutturi , mento impingebantur unci a carnifice , ut traherentur in carcerem , vel in Gemonias fcalas . Juvenalis Sat. 10. *Sejanus ducitur unco Spectandus* . Ovidius in Ibin :

Carnificifque manu populo plaudente traheris ,
Infixufque tuis offibus uncus erit .

Cicero Philipp. 1. *Uncus impactus eft fugitivo illi qui in C. Marii nomen invaferat* . Feftus : *Hamotrahones* , *alii pifcatores* , *alii qui unco cadavera trahunt* . *Bene fixum mento* . id eft , valde . ut fup. v. 110. *Bene haerentes* . Terentius Andria , *Bene diffimulatum amorem* . id eft , multum , inquit Donatus . Cicero , *Bene potus* . Vel *bene* jungitur cum *difcufferis* : *Nil erit hoc* ; nihil egeris , ludes operam . Aliàs legitur *Nil erit* , *hac roftra* &c. Sic Eleg. 3. lib. 3.

Nil tibi fit rauco prætoria claffica cornu
Flere .

Anfa ; Anfæ vaforum funt , quibus tenentur , & telorum ; unde Ennius apud Nonium : *Anfatas mittunt e turribus* . *ita hic anfam a figura vocat unci partem* , *qua cadavera tenentur* . Sunt & anfæ *calceorum* Plinio [ac Tibullo] & caligarum , quæ vulgo ligulæ : Interpres Juvenalis . *Premet te* , adftringet , urgebit , nec a fe dimittet . *Roftro fuo* , ferro adunco & recurvo , cujufmodi funt avium roftra . PASS. *Difcufferis uncum* . legendum , *decufferis* . præeunt duo Regii , & nofter fecundus , in quibus *decuffferis* . BROUKH. *Bene quum* . ὕστερον πρότερον , pro , *Quum bene* . Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

Juravi quoties rediturum ad limina numquam !
Quum bene juravi , pes tamen ipfe redit .

Ovidius quoque lib. 1. Amor. Eleg. 1.

Quum bene furrexit verfu nova pagina primo ;
Attenuat nervos proximus ille meos .

Difcufferis ; non , ut vult Pafferatius , difcutere conatus fueris : fed reapfe id feceris . Anceps malum fignificat poeta : Uncum difcufferis , anfa te premet . ut illud Horatii : *Hac urget lupus* , *hac canis angit* . vel

Incidit in Scyllam , *qui vult vitare Charybdin* .

Anfa , λαβὴ . Attigit proverbium Ariftides Rhetor ἐν λόγῳ πρώτῳ πρὸς Πλάτωνα fub finem : Εἰς τὰς ἴσας λαβὰς ἥκομεν . *In æquales anfas recidimus* . VULP.

V. 143. ILLIUS ARBITRIO NOCTEM , LUCEMQUE VIDEBIS] Hæc tibi nox , & dies erit . nox , abfens , vel irata : dies , præfens , & facilis . vel hæc tibi mors & vita . vel illius arbitrio vigilabis , & dormies . Videre noctem , ut *Videre oculis fomnum* . Terentius Heautont . *Arbitrium* , hic pro totius rei poteftate . aliàs fententia , quæ ab arbitro ftatuitur : Feftus . Ovidius 3. Faft. *Arbitrium eft in fua tecta Jovi* . Horatius in Epift. ad Pifones :

Quem penes arbitrium eft , & *jus* , & *norma loquendi* .

Huc facit illud Eleg. 11. lib. 3.

Quid

Nec mille excubiæ, nec te ſignata juvabunt
Limina: perſuaſæ fallere rima ſat eſt.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hoſtis inermis eas,

Vel

Quid mirare, meam ſi verſat femina vitam,
Et trabit addictum ſub ſua jura virum? P.

v. 144. GUTTA QUOQUE EX OCULIS NON NISI JUSSA CADET] Ne minimum quidem flebis ſine ejus juſſu. ut Eleg. 11. lib. 1.

Seu triſtis veniam, ſeu contra lætus amicis;
Quidquid ero, dicam, Cynthia cauſſa fuit.

Gutta juſſa, coacta & expreſſa. ut Juvenalis Sat. 6.

Aut ficta pellice plorat
Uberibus ſemper lacrimis, ſemperque paratis
In ſtatione ſua, atque exſpectantibus illam
Quo jubeat manare modo.

vide adnotata ad illud Eleg. 6. infra:

Hoc unum juſſa non moritura die.

Sic Eleg. 16. lib. 1. dixit, *Invitis lacrimis*. *Gutta cadet ex oculis*. Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 3.

Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.

Noſter Eleg. 6. lib. 3.

Illius ex oculis multa cadebat aqua.

Ennius Hecuba: *Vide, hinc meæ, inquam, lacrimæ guttatim cadunt*. Cornelius Fronto: *Gutta manat: ſtilla cadit*. [unde ſtillicidium.] hic contra. Iſidorus l. 14. c. 20. Gutta quæ ſtat, ſtilla quæ cadit. Falſum eſt. Gutta eſt etiam nomen Romanum. unde jocus Ciceroni pro Cluentio: *Aſpergit guttam huic bulbo*. & apud Varronem 4. de L. L. Guttum vas quod minutatim fundebat. PASS.

v. 145. NEC MILLE EXCUBIÆ, NEC TE SIGNATA JUVABUNT LIMINA: PERSUASÆ FALLERE RIMA SAT EST] Id eſt, Pervigiles cuſtodes appoſiti amicæ, qui eam ſervent tibi, non proderunt. Ei quæ in animum induxit dare verba cuſtodibus, & effugere, vel minima occaſio ad peccandum abunde eſt. *Mille*, pro plurimæ. ut Eleg. 1. lib. 2.

Invenio cauſſas mille poeta novas.

Excubiæ, pro excubitoribus, ut cuſtodiæ, & vigiliæ, *Excubiæ*, & *limina*. ut Eleg. 6. lib. 2.

Quot igitur tibi cuſtodes, quæ limina ponam?

quia ad limina erant cuſtodes; ut ibi adnotatum. An excubiæ ipſius Propertii in limine, ut excubiæ ſit pervigilium ante fores: nam excubat, qui extra cubat; ut adnotatum ad illud Eleg. 16. lib. 1.

Supplicis a longis triſtior excubiis.

Signata limina, obſignata, obſerata, diligentiſſime clauſa, ut ea quibus ſignum anulo imprimitur. Varro Lege Mevia apud Nonium in *Sacrum*: *Signata ſacra eſſe deſierunt poſteaquam homines ſunt ſacri*. vide adnotata ad illud Eleg. 20. lib. 3. *Signandaque jura*. & Eleg. 23. lib. 3. *Signatas tabellas*. *Clauſa limina* dixit Eleg. 7. lib. 2. v. 9. *Rima*, pro minima occaſione: & alludit ad proverbium *Reperire rimam*. Plautus Curcul. 4, 2. *Rogitationes plurimas propter vos populus ſcivit, Quas vos rogatas rumpitis, aliquam reperitis rimam*. & in Caſina 5, 4. *Iis præſtigiis dux fuit, ea hanc invenit rimam*. Sic rima conciliavit amores Pyrami & Thisbes apud Ovidium 4. Metam. *Sat eſt*. ut Eleg. 8. lib. 2.

Quam peccare pudet, Cynthia, tuta ſat eſt.

Perſuaſæ. ut Cæcina Ciceroni 6. ad famil. *Si ſcis & perſuaſum eſt*. Suademus facilia: perſuademus difficilia; & ſuadere facientis: perſuadere perficientis, inquit Donatus. Perſuademus etiam nobis ipſis; ut Cicero pro Sex. Roſcio, & alibi: *Mihi perſuadeo*. *Perſuaſum habere* dixit Plinius; & Columella, *Habere perſuaſiſſimum*. *Fallere*, latere & effugere, ut notatum ad Eleg. 14. lib. 3. v. 5. vel fallere fidem. PASS. *Signata limina*. v. Salmaſius de Modo Uſurar. p. 451. BROUKH. *Sat eſt*. Ovidius lib. 5. Triſt. Eleg. 7.

Præmia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt.
VULP.

v. 147. NUNC TUA VEL MEDIIS PUPPIS LUCTETUR IN UNDIS, VEL LICET ARMATIS HOSTIS INERMIS EAS] Nec tibi maris, nec belli pericula metuenda, nec terræ-motus & hiatus, ſed Cancri ſidus, & avaritia puellæ. Sic Eleg. 17. lib. 2. *Neque hic*

(amans)

Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu:
Octipedis Cancri terga sinistra time.

(amana) *Borea flebra, neque arma timet. Puppis luctetur*, vim maris & ventorum evincere conetur; in eoque elaboret. Horatius Ode 1. lib. 1. *Luctantem Icariis fluctibus Africum*. Virgilius 6. Æneid.

Sterneret æquor aquis, remo & luctamen abesset.

& 7. *In lento luctantur marmore tonsæ. In mediis undis*, etiam medio mari, ubi maxima turba, & periculum, ut inquit Elegia 3. lib. 3. *Licet eat*, dimittentis, & copiam facientis agendi aliquid impune; ut Eleg. 16. lib. 3.

Scironis media sic licet ire via.

& Eleg. 6. infra:

Ire per Euphraten ad tua busta licet.

Eadem formula 2. de Orat. *Nihil adde, duces licet. Eat ermatis*, pro in armatos. ut Virgilius: *It clamor cœlo*. Noster Eleg. 15. lib. 3.

Eurus in adversos desinit ire Notos.

quod Eleg. 1. lib. 3.

Fluminaque Hæmonio comminus isse viro.

Inermis, quia *nemo est tam sacrer qui lædat amantes*, ut ait Eleg. 16. lib. 3. Sic Cicero 3. Verrina: *Legati nomen impune etiam inter hostium tela versari debet*. PASS.

v. 149. VEL TREMEFACTA CAVO TELLUS DEDUCAT HIATU: OCTIPEDIS CANCRI TERGA SINISTRA TIME] Virgilius 10. Æneid. *Et tremefacta solo tellus*. & alibi sæpe. Amphiarai fata significat; de quo Eleg. ult. lib. 2. v. 37. & Eleg. 13. lib. 3. v. 59. & 60. *Tremefacta tellus*, ut *Mone concussus* Eleg. 13. lib. 3. v. 55. *Deducat hiatu* (te) ducat deorsum, & absorbeat, ut deducitur Luna. vel, ut alii libri, *Cavum deducet hiatum*. id est, quum diducetur & aperietur, hiatum profundum efficiat. quas *lacunas* vocavit Eleg. 11. lib. 3. v. 61. χάσμα autem significat a χαίνω, id est, hio. unde Aristoteli de Mundo: χασματίαι σεισμοί. id est, terræ-motus qui voragines aperiunt. Virgilius 4. & 12. Æneid. *Ima tellus dehiscat*. Cavum hiatum, labem vocant Jurisconsulti L. 15. & ult. D. *Locati*. dicitur & discessus. *Cavus hiatus*, ut *Cava rima* Eleg. 16. lib. 1. *Time*, cave, fuge. id quod præcedit, pro eo quod sequitur. Virgilius 1. Georg.

Arctos, Oceani metuentes æquore tingi.

πεφυλαγμέναι Ὠκεανοῖο. Aratus. [Ita Horatius non semel.] *Terga Cancri*. e situ signi quum Sol Cancrum conscendit. Ovidius 1. A. A.

Quum Sol Herculei terga Leonis adit.

De cancris & eorum natura Aristoteles 4. de Nat. Animal. De Cancro cœlesti, uno e XII. signis Zodiaci, Hyginus in Poet. Astron. Interpres Germanici, & Servius ad illud 1. Georg.

Qua locus Erigonen inter, chelasque sequentes.

Octipedis. Plinius lib. 9. cap. 31. *Cancris omnibus octoni pedes: omnes in obliquum flexi*. Octipes ut bipes, tripes, quadrupes. Vet. Gloss. Ὀκτάπους, *multipes*. Ovidius 1. Fast.

Octipedis frustra quærentur brachia Cancri.

Ausonius:

Octipedem in Cancrum Phryxæo ab Ariete pergens.

vide proverbium: *Octipedem excitas*. *Sinistra terga*, an e situ signi? Sic Eleg. 8. infra v. 40. *Fulcra sinistra*. An potius infesta, & inimica? Eleg. ult. lib. 3.

Et veniat formæ ruga sinistra tuæ.

Sed cur timendus Cancer Propertio? an quia ejus horoscopus est, ut putat Beroaldus? Immo quod Cynthiæ avaræ natale astrum. Manilius lib. 4. ab eo versu:

Ille tenax animi, nullosque effusus in usus
Attribuit varios quæstus, artemque lucrorum.

PASS.

Tellus diducet hiatum. bene noster primus, cum Groningano, *diducat hiatu*. τὸ *diducat* agendi figura positum, patiendi tamen intellectu capiendum est. quod ego nunc ope veterum membranarum, id olim solo ingenii acumine præstitit, & exemplis idoneis adstruxit, capitalis ille Valens Acidalius Vellejan. Lection. L. 1. C. 8. atque ita ferme Cicero III. de Offic. 9. *Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui, quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit*. *Octipedis Cancri*. Politianus Rustic. v. 50.

Quip-

Quippe hiemem excipere, & ventis, cælique ruinam
Suetum, atque obstipedem nec opaca vertice Cancrum.

v. ibi Nic. Beraldus p. 18. BROUKH. *Cavo;* a *cavus*, vel *cavum*, nempe κοίλωμα. Horatius Sat. 6. lib. 2.

Me silva, cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

Phædrus Fab. 17. lib. 3. *Noctua egressa cavo.* & Virgilius lib. 1. Georg. v. 184. *Inventusque cavis bufo. Tellus diducat.* Seneca lib. 6. Nat. Quæst. cap. 2. *Diducitur* (humus) *ingenti potentia nescis cujus mali, rumpitur, & me in immensam altitudinem abducit.* Auctor Octaviæ Tragœdiæ v. 724. Propertium exprimit: *Diducta subito potuit ingenti mihi Tellus hiatu. Diducat*, pro diducatur. Ita Catullus Carm. 20. *Tantum abhorret, ac mutat.* id est, mutatur. *Hiatu.* Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Repentinis terrarum hiatibus.* Trebellius Pollio in Gallienis cap. 5. *Quum hinc terræ-motus, inde hiatus soli orbem Romanum vastaret. Obstipedis Cancri.* Hoc graphice describit Homerus Batrachomyomach. a versu 285. vocat autem & ipse Ὀκτάπεδας. Cancrum avaritiæ præsidem putaverunt astrologi, quod id animal chelas contrahat, ut manus volam solent avari, pecuniæ videlicet retinentissimi. Hinc Italorum locutiones παροιμιακὰ ad avaritiam significandam: *Esser morso dal granchio*, & *avere il granchio nella*, vel *alla scarsella*. Huc pertinent illa Claudiani de Rufini, avarissimi hominis, cadavere a plebe in frusta discerpto, lib. in eum 2. v. 436.

Dextera quinetiam ludo concessa vagatur
Æra petens, fraudesque animi persolvit avari
Terribili lucro, vivosque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

Editio princeps, *Obstipedis contra.* VULP.

ELEGIA II.

QUid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.

Tuscus

ARGUMENTUM ELEGIÆ II. LIBRI IV.] Vertumnus, antiquissimus Tuscorum deus, falsis aliorum opinionibus refutatis, veram sui nominis originem ipse prodit.

Extat in hanc Elegiam Commentarius Joannis Annii Viterbiensis, hominis fanatica eruditione, strigosa Latinitate. VULP.

v. 1. QUID MIRARE MEAS TOT IN UNO CORPORE FORMAS?] Altera lectio:

Qui mirare meas tot in uno corpore formas,
Accipe &c.

Quid mirare. ut Eleg. 11. lib. 3.

Quid mirare, meam si versat femina vitam?

& Varro: *Hospes, quid miras?* apud N. Marcell. in *Miras*, pro miraris. *Tot in uno corpore formas.* tam varias & multiplices figuras. Aliud est Euripidi: πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων. PASS. Hujus Elegiæ epigraphe est fere in libris priscis, *Fabula Vertumnus:* in nostro primo, *de Deo Vertumno.* Joannes Goropius mallet *Signum Vertumni*, quia ipsum Vertumni signum loqui fecerit Propertius. posses & *Vertumnus* simpliciter scribere; quo modo infra *Hercules* dicitur in membranis Eleg. 9. verum omnes isti tituli parentes librarios habuerunt, auctoribus suis merito redonandi. BROUKH. Editio princeps, *Fabula Vertumni.* VULP.

v. 2. ACCIPE VERTUMNI SIGNA PATERNA DEI] Notas, quibus possis eum agnoscere, audi & intellige. alludit enim ad γνωρίσματα Comicorum. & *Patrius*, pro patriis videtur dixisse: sequitur enim: *Tuscus ego.* sic Eleg. 9. lib. 3.

Non flebo in cineres arcem sedisse paternos Cadmi.

Dei Vertumni. legitur & *Vertumni.* utrumque probum. De eo Ovidius 14. Metam. in fabula Vertumni, & Pomonæ. Asconius in 3. Verr. ad ea Ciceronis verba: *A signo Vertumni in circum maximum. Signum Vertumni*, inquit, *in ultimo vico thurario est, sub Basilicæ angulo, flectentibus se ad postremam dexteram partem. Vertumnus autem Deus invertendarum rerum est; id est, mercaturæ.* Festus in *Picta toga* ædem Vertumni commemorat, ubi triumphans pictus M. Fulvius Flaccus. Varro 4. de L. L. Tatii

Regis

Tuſcus ego, Tuſcis orior: nec pœnitet inter
Prœlia Volſanos deſeruiſſe focos.

Regia voto dedieatam ſcribit ædem Vortumni. PASS. Victor in 8. Regione Signum Vortumni locat in Vico Jugario. Idem in Regione 13. Vieus Loreti majoris, ubi erat Vortumnus. Horatius Sat. 7. lib. 2. *Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis.* ubi Acro Vertumnum deum ait eſſe humanarum cogitationum præſidem; ideoque multiformem fiogi & inconſtantem; quemadmodum & illæ variæ ſunt & mutabiles. & iniquo Vertumno diei natos qui ſuas cogitationes regere non poſſunt. Porphyrio Sacellum Vertumni in Vico Thurario fuiſſe ait. Donatus in illud Adelph. 2, 1. *Quæ res tibi vertat male:* Vertumnus deus dicitur qui rebus ad opinata revertentibus præeſt. Idem ibid. ad ſc. ult. act. 4. In iis omnibus quæ cupiunt evenire, *Dii bene vertant* dici ſolet, quia ſæpe homines ea optaverunt quæ aliis aliter atque exſpectaverunt, contigiſſent. quam poteſtatem rerum vertentium ſemet in utramque partem Vortumno deo ſupereſſe veteres exiſtimarunt. & in Hecyram act. 5. ſc. ult. Sæpe res eveniunt aliter quam volumus, & ideo Vertumnus colitor qui præeſt rebus vertentibus. Aliis placet ita dictum quod lacum Curtium in Tiberim averterit, quam opinionem tangit Ovidius 6. Faſt. Inter Semones deos Vertumnum numerat Fulgentius de Priſco Sermone, in *Semones*. Tibullus lib. 4. Carm. 2.

Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Horatius Epiſt. ult. lib. 1.

Vertumnum, Janumque, liber, ſpectare videris. PASS.

Libri omnes *Vertumni*. ſcriptura antiqua. cui favet, & freqoentem in nominibus deorum docet, inſignis Lipſius L. 1. Saturn. C. 2. In Junii Columellæ exemplaribus priſcis legitur *Vortumnus*, hoc verſu,

Mercibus ut vernis dives Vortumnus abundes.

ita eerte iſtic inveniſſe ſe dicit Jo. Baptiſta Pius Annot. poſter. C. 33. quamquam neque id infrequens eſt in aliorum voluminibus vetuſtis, atque etiam in lapidibus literatis. ſic VORTUMNUS legitur apud Gruterum XCVI. 3. poteſt autem varie ſcribi hoc nomen, cujus varias cauſſas jam reddet Noſter. vide Dauſquii Ortographica. volumine ſecundo. BROUKH.

v. 3. TUSCUS EGO, ET TUSCIS ORIOR: NEC PŒNITET INTER PRŒLIA VOLSINIOS DESERUISSE FOCOS] Varro 4. de L. L. in Vico Tuſco Vortumnum ſtare ait, quia is deus Etruriæ. & P. Victor in 8. Regione Ædem Vortumni ponit in Tuſco Vico. Feſtus in *Tuſci*: *Tuſci a Tuſco Rege, filio Herculis, dicti, vel a ſacrificando ſtudioſe, ex Græco θυσκόοι. vel ut Tuſculum, quod aditum difficilem habet, id eſt δύσκολον.* Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. *Thuſci a ſacrifico ritu lingua Græcorum ſunt appellati.* & Iſidorus lib. 14. cap. 4. ἀπὸ τῦ θύειν. De iis Strabo lib. 15. Et *Tuſcis orior*. alii libri, *e Tuſcis*, melius. An *ex Tuſcis orior*, id eſt, inde mihi origo, ut ſignificet ſe oriundum ex Etruria? *orior*. enallage, pro, ortus ſum. ut Eleg. ſuper. *Me creat Archytæ ſoboles. Nec pœnitet*, non male actum meeum puto, quod deſeruerim, &c. Donatus: Non pœnitet, parum non puto. *Inter prœlia*, ut Eleg. 9. lib. 2.

Tunc etiam felix inter & arma pudor.

Volſinios deſeruiſſe focos; relictis Volſiniis Romam migraſſe. De Volſinienſi bello cum Romanis Livius lib. 5. & 9. apud quem Volſinienſes & pacem petunt, & inducias in annos quadraginta impetrant. Floro *Vulſinii & Vulſinienſe bellum* dicitur lib. 1. cap. 21. Plinius lib. 3. cap. 5. Volſinienſes numerat in populis Etruriæ. Idem lib. 2. cap. 52. Volſinios oppidum opulentiſſimum appellat. Juvenalis Sat. 3.

Aut poſitis nemoroſa inter juga Volſiniis, aut
Simplicibus Gabiis.

Volſinios autem legiſſe Beroaldum conſtat, non *Volſinos*, aut *Volſanos*; nam ait ſignificari, deum Vulſinienſem fuiſſe Vertumnum. Tertullianus in Apologetico, *Nortiam* coli a Vulſinienſibus ait, quæ ſit eadem cum Fortuna. De oppido Volſiniis Strabo lib. 5. *Focos*, ſedes & penates meos; etiam de urbe. ut Eleg. 1. lib. 2.

Everſoſque focos antiquæ gentis Etruſcæ.

Hæc me turba juvat: nec templo lætor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.

Hac

Plinius lib. 3. cap. 7. Propter duo millia statuarum Volsinios a Romanis expugnatos ex Metrodoro scribit. ubi de simulacris deorum Tuscanicis agit, ligneis aut fictilibus, in quibus fuisse puto Vertumnum. PASS. *Tuscus ego, & Tuscis orior.* τὸ & abest a plerisque libris: nec multum juvat, etiamsi adsit. alii legunt *e Thuscis*. mihi neutrum probatur. Livius L. 26. C. 6. *Medixtuticus, qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat; loco obscuro tenuique fortuna ortus*. Horatius L. 4. Od. 6. *Virginum primæ, puerique claris Patribus orti*. *Volsciuos deservisse focos*. ita vulgatæ; Borrichianus *Volsinos*; quum melius legeretur *Volsinios*, præeunte in commentariis Beroaldo. sed nostri libri, ac Groninganus, & Commelinianus Gebhardi, habent *Volsanos*. quod placuisse video magno Lipsio ad Tacit. L. 4. Annal. C. 65. alii *Volscanos* agnoscunt, alii *Volscanios*, haud multum a vera lectione abludentes. in primis editionibus est *Volsanios*, leviter itidem deflexum. Antonius Volscus legebat *Clusinos*, nescio quo auctore. *Vulsinii* & *Vulsinienses* sæpe leguntur in monumentis antiquis. nos & libros meliores & ducem Lipsium sequemur. BROUKH. Admonet Passeratius, Volsiniensium belli cum Romanis a Livio mentionem fieri lib. 5. & 9. sed historiæ illæ minime ad rem pertinent. legitur enim prope finem hujus Elegiæ:

Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.

Bella vero a Livio memorata in posteriora longe tempora inciderunt. Quid igitur? Apparet, Vertumnum a Tuscis ad Latinos migrasse ante conditam Urbem. Suffragatur Ovidius 14. Metam. ubi refert, Pomonam Latii Nympham forma præstantem amatam a Vertumno, regnante Proca Romuli & Remi proavo. Latini autem cum Etruscis conflixere jam inde ab adventu Æneæ, ut discimus ex Livii lib. 1. nec semel Etrusci succubuere. Sed fortasse non Vertumni cultum, verum statuam Vertumni aënam, a Mamurio ductam, Romani Tuscis debuere: quum antea e viliore materia deum illum fingerent. *Volscanos*, habet codex Bononiensis: *Volscinos*, Editio princeps. V.

v. 5. NEC ME TURBA JUVAT, NEC TEMPLO LATOR EBURNO] Recte Lipsius lib. 5. Antiq. Lect. cap. 10. ex codice Vaticano: *Hæc me*. ut & alii vett. libri. Aut legendum, *Nec me tura juvant*; quamvis illud alterum verius. Nam τὸ *Nec* ferri non potest; dicturus enim est:

Sed facias, divûm pater, ut Romana per ævum
Transeat ante meos turba togata pedes.

Nec templo lætor eburno. Non placet ædes ebore, & auro exculta. De æde Vertumni Festus in *Picta*. Eburnum dixit pro eborato, ut Eleg. 2. lib. 3. *Eburna camera*. contra *æratas coronas* dixit, & *ferratam domum*, pro æreis, & ferrea, Eleg. 30. lib. 2. P. *Nec me turba juvat*. ita libri; in quibus fere confundi solent N & H initiales. bene autem e codice Vaticano emendavit præclarissimus Lipsius *Hæc me turba juvat*, L. 5. Ant. Lect. C. 10. quod sanis rationibus in Vertumno suo firmavit Joannes Goropius. BROUKH. Editio omnium prima, *Hæc me templa juvant*, partim recte, partim male. VULP.

v. 6. ROMANUM SATIS EST POSSE VIDERE FORUM] Ut Eleg. 4. lib. 3.

Mi sat erit media plaudere posse via.

& Ovidius 5. Fast.

Mansit odor, posses scire fuisse deam.

Romanum forum, ad discrimen fori olitorii, boarii, cupedinis, piscarii. Fora XVII. commemorat P. Victor, quorum primum forum Romanum, quod & magnum dicebatur. Idem lemmate, *Regio* VIII. *Forum Romanum*. Ovidius 6. Fast.

Forte revectabar festis Vestalibus illac,
Qua via Romano nunc nova juncta foro.

Albinovanus ad Liviam:

Adjice Ledæos concordia sidera fratres,
Templaque Romano conspicienda foro.

Romanum forum, ubi jus dicebatur. Elegia 4. infra:

Atque, ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.

Servius ad illud 8. Æneid.

Passim-

Hac quondam Tiberinus iter faciebat: & ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.

Seu

Passimque armenta videbant
Romanoque foro, ac lautis mugire Carinis:

Romanum, inquit, forum est ubi nunc rostra sunt. PASS.

v. 7. HAC QUONDAM TIBERINUS ITER FACIEBAT: ET AJUNT REMORUM AUDITOS PER VADA PULSA SONOS] Δεικτικῶς. ostendit enim Velabrum. Tibullus Eleg. 5. libri 2.

At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsâ per vada linter aquâ.

Ovidius 2. Fast.

Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis
Reddidit, hibernis forte tumebat aquis.
Hic ubi nunc fora sunt, lintres errare videres,
Quaque jacent valles, maxime Circe, tuæ.

Sed locus insignis est lib. 6. Fast. a versu 401. quem vide. Concludit autem Ovidius, de Vertumno:

Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne deus.

& Varro 4. de L. L. Aventinum montem ab advectu dictum putat, quod eo ex Urbe ratibus adveherentur, & quadrantem solverent: unde *Velabrum*, & *Velaturam facere*. Porphyrio Tiberis alveum aversum a Velabro ab Agrippa scribit. *Tiberinus*, & *Anienus*, dii ipsi: Tiberis, & Anio, fluvii. sed poetæ confundunt. Tiberis fluvius dictus a Tiberino rege Albanorum, quod, ut inquit Festus, in eo cecidisset. vel a Tiberi rege Thuscorum. vide Virgilium 8. Æneid. *Iter faciebat*, fluebat, ibat. ut Eleg. 17. lib. 1. v. 14. & Tibullus Eleg. 9. lib. 1. *Puras fluminis esse vias*. *Et ajunt*, fama est, & pro teste est vetustas. *Remorum sonos auditos*. nam sonus excitatur ex aqua remis percussa. Petronius Arbiter: *Qualis silenti nocte remorum sonus Longe refertur, quum premunt classes mare*. *Vada*, fluctus, etiam de amnibus. ut Eleg. 9. lib. 2.

Appositum fluviis in Simoëntis vadis.

nam de mari sæpius. Eleg. 1. lib. 2. *Bina coisse vada*. Aliter Eleg. 7. lib. 3. *Nox & iniqua vada*. *Pulsa*, percussa. sic Tibullus Eleg. 5. lib. 2. *Pulsâ per vada linter aquâ*. Catullus quoque Carm. 63. *Juvenis fugiens pellit vada remis*. Ennius apud A. Gellium lib. 2. cap. 26. *Mare conserta rate pulsum*. Laberius Cithera apud Nonium in *Portisculus*. *Nec palmularum pulsus, nec portisculi*. ita lego ex versiculi modo, non, *palmarum*. Virgilius 1. Georgicon dixit, *Infidum remis impellere marmor*. Noster vero Elegia 22. lib. 3.

Tuque tuo Colchum propellas remige Phasin.

PASS.

v. 9. AT POSTQUAM ILLE SUIS TANTUM CONCESSIT ALUMNIS] Tantum tribuit, ut eorum caussâ verteret iter, & quasi honoris caussâ de via decederet. nam *Concessit*, ambigue, & beneficii & honoris. In Amphitruone & Captivis Plauti Concedere, & Decedere de via idem est. *Alumnis*, populo, cui alimenta subvehit ex Ostia. ut *Romanus alumnus* Elegia superiore v. 37. PASS.

v. 10. VERTUMNUS VERSO DICOR AB AMNE DEUS] Ab amnis cursu mutato. ut Horatius in Epist. ad Pisones:

Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius.

Aliter Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.

& Virgilius Ecl. 8.

Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Sunt qui ita dictum putent Vertumnum, quod lacum Curtium in Tiberim averterit, ut jam ante notavi. *Amnis*, inquit Varro 4. de L. L. *id flumen est quod circuit aliquid. nam ab ambitu amnis. Itaque Tiberis amnis, qui ambit campum Martium, & Urbem*. Festus: *Amnis* proprie dicitur a circumnando, quoniam *am* ex Græca præpositione sumtum, quæ est ἀμφὶ, significat circum: & nare, fluere. Isidorus l. 14. c. 21. Amnis fluvius est nemore ac frondibus re-

Seu quia vertentis fructum præcepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.

Pri-

dimitus. & ex ipsa amœnitate amnis vocatur. *ἀμιτιὸς* apud Suidam fluvius explicatur. PASS.

v. 11. SEU QUIA VERTENTIS FRUCTUM PERCEPIMUS ANNI] Collegimus fruges, uvas, poma. Nam Vertumnalia mense Octobri, inquit Varro 5. de L. L. quo tempore fructus anni perceptus est. *Capere fructum*, sæpe Cicero: at *percipere* plenius est. Idem Cicero 2. Offic. *Vicinum juvare in percipiendis fructibus*. & in Catone: *Serere, percipere, & condere fructus*. Labeo Jurisconsultus L. *Si ejus fundi* 78. D. *de Rei Vindicat*. *Perceptionem fructuum accipere debemus non tantum si perfecte sint collecti (id est proprie percepti) sed etiam capti ita percipi, ut terrâ se continere desierint: veluti si olivæ, vel uvæ collectæ sint; nondum autem vinum, vel oleum factum*. *Anni vertentis*, *περιπλομένε ἐνιαυτῦ*: Homerus. *Vertens*, quod vertitur, & in cursu est. Cicero in Arateis:

Annua conficient vertentia tempora cursu.

ut Virgilius 2. Æneid. *Volventibus annis*. Plautus Amphitr. *Vertentibus Telebois, telis complebantur corpora*. Sed in anno vertente ratio habetur anni jam conversi, & exacti; ut in Plauti Persa: *Credo hercle, hoc mensem vertentem non servibis tibi*. Antonius Hircio & Cæsari: *Apparuisse numen deorum infra finem anni vertentis*. Cicero 2. de Nat. Deor. *Mercurii stella anno fere vertente signiferum lustrat orbem*. Vitruvius l. 9. Architect. cap. 4. *Sol signi spatium, quod est duodecima pars mundi, mense vertente vadens transit: ita duodecim mensibus, duodecim signorum intervalla pervagando, quum redierit ad id signum unde cœperit, perficit spatium vertentis anni*. Vertens autem mensis ibidem differt a lunari; quia lunaris minor est, ex XXVIII. diebus, & hora circiter: vertens, ex permensione unius signi. Censorinus c. 29. de Die Natali: *Annus vertens est naturâ, dum Sol percurrens duodecim signa, eodem unde profectus est redit*. Vide Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 14. Alius est *Vertens annus* Ciceroni lib. 6. de Rep. & Macrobio, qui & *mundanus* dicitur, quum omnia sidera eodem redierint unde initio profecta. PASS. Noster secundus claris literis *præcepimus* habet, i. e. primi cepimus. elegans est notio τῦ *præcipere*. Virgilius L. 6. Æn.

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

Albinovanus Eleg. ad Liviam Aug.

Fingebas reducem, præceptaque mente fovebas
Gaudia, & ante oculos jam tibi victor erat.

Ovidius Epist. Helenæ:

Ad possessa venis præceptaque gaudia serus.

Cæsar L. 3. Bel. Civ. C. 87. *Animo victoriam præcipiebant*. & sic adhibuit Cicero 13. Philipp. C. 20. item Florus L. 3. C. 9. & L. 4. C. 12. Festus: *Præcipuum, quod ante capitur*. Solebant autem fructuum primitias Vertumno dari, quod hic videmus, & apud Nasonem L. 14. Metam.

Quid, quod amatis idem? quod, quæ tibi poma coluntur,
Primus habet; lætaque tenet tua munera dextra? BROUKH.

Etiam Editio princeps A. 1472. *precepimus*. Codex autem Bononiensis, *fructus percepimus*. VULP.

v. 12. VERTUMNI RURSUS CREDIDIT ESSE SACRUM] Quis credidit? An annus ipse credidit fructum perceptum sacrum esse (Vertumno?) sed quo referetur τὸ *Vertumni*? nisi dicamus sacer illius est, pro illi. An Vertumnus credidit? at τὸ *Vertumni* quo pertinebit? An sacrum ipsum? nugæ. An populus credidit? Quid autem sacrum? fructum? sacrificium? diem festum? sic est. vulgus tum credidit esse sacrum Vertumni, id est Vertumnalia, quæ mense Octobri; ut adnotatum est. *Rursus*, pro item, etiam, quoque. Eleg. 27. lib. 2.

Rursus & objectum fletis capiti esse tumultum.

Alii libri: *Vertumni vulgus credidit esse sacrum*. Alii, *Creditur*. An *παθητικῶς*? ut Eleg. 1. lib. 1. *Sidera & amnes posse ducere carminibus*, pro, duci. & Eleg. superiore: *Cavo tellus diducat hiatu*. PASS. Adsentior Goropio, *creditur* legenti: quod & Passeratius e libris monuerat. Creditur Vertumni rursus sacrum adesse, quia vertentis anni fru-

Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.

Hic

fructus præcepimus. ſic paullo ante *ajunt*, *dicer*; paullo poſt *fama*. quæ non ad certam aliquam perſonam referuntur, ſed ad vulgi perſuaſionem communem. BROUKH.

v. 13. PRIMA MIHI VARIAT LIVENTIBUS UVA RACEMIS] Primitias ſibi voveri, ſolvique ſignificat. ſimile eſt illud quod ait Priapus in Catalectis: *Mihi corolla picta vere ponitur, Mihi rubens ariſta ſole fervido, Mihi virente dulcis uva pampino, Mihique glauca duro oliva frigore*. Ibid.

Vere roſâ, autumno pomis, æſtate frequentor Spicis.

Hic autem locus aperte docet, racemos eſſe partes uvæ. Item Ovidius 3. Metam.

Ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis.

Virgilius quoque 2. Georg.

Et turpes, avibus prædam, fert uva racemos.

ubi Servius fallitur, qui uvam, vitem exponit. *Uva variat*. abſolute; ut Elegia 5. lib. 2.

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ.

Columella lib. 4. cap. 10. *Variantes adhuc & acerbæ uvæ*. Plinius dixit lib. 17. c. 22. *Variante ſe uva*. ſic noſtris, *Tourner*. Apud Juvenalis Interpretem Sat. 2. proverbium eſt: *Uva uvam videndo varia fit*. Eſt & genus uvæ *Variola*: Macrobius in fine lib. 3. Saturn. Vet. Gloſſ. *Variat*, περκάζει. *Vario*, περκάζω. de uva. *Variat liventibus racemis*. Ita & *Variare pectora*, pro livida facere, dixit Catullus de Nuptiis P. ac Th. & *Variare virgis*, Plautus. *Liventibus*, nigreſcentibus. *Colorem ducentibus*, dixit Virgilius Ecl. 9. Livere vuas etiam nunc dicunt ruſtici, *Se meurtrir*; quia imitantur colorem eorum qui plagam acceperunt ſine acie ferri. Horatius Ode 5. lib. 2. *Jam tibi lividos Diſtinguet autumnus racemos Purpureo varius colore*. Juvenalis Sat. 2.

Uvaque conſpectâ livorem ducit ab uvâ. P. *Variat uva*, pro variatur. Ovidius 15. Metam. v. 254.

Nec perit in tanto quidquam, mihi credite, mundo;
Sed variat; faciemque novat.

niſi interpretemur, *variat faciem & novat*. Cato de R. R. cap. 73. *Ubi uva varia cœperit fieri*. *Liventibus racemis*; matureſcentibus, & plumbi quodammodo colorem paullatim contrahentibus. Juvenalis Sat. 2. v. 81.

Uvaque conſpectâ livorem ducit ab uvâ.

quod proverbium Suidas ita exprimit: βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται. *racemus contra racemum matureſcit*. Heſiodus in Scuto Herculis v. 399. Ὄτ' ὄμφακες αἰόλλονται. *quum uvæ acerbæ variant*. nimirum πεπάνσεως ἀρχόμενοι. *matureſcere incipientes*. VULP.

v. 14. ET COMA LACTENTI SPICEA FRUGE TUMET] Spicum ipſum comatum, vel ſpicæ cacumen. nam & florum, & herbarum, & arborum quoque comæ dicuntur. ut Eleg. 16. lib. 3. *Arborea coma*. *Coma ſpicea*. ut Horatius Carm. Sæcul *Spiceâ donet Cererem coronâ*. De ſpica, ſive ſpico, & ejus partibus, vagina, grano, gluma, ariſta, Varro lib. 1. R. R. cap. 48. Et 4. de L. L. Spica ruſticis ſpeca, a ſpe, quod eam ſerentes ſperant fore. Servius, a ſpiculi forma. *Tumet*, fit gravida, impletur. ſic Ovidius 1. Faſt.

Et nova de gravido palmite gemma tumet.

Virgilius quoque 1. Georg. *Gravidis procumbat culmus ariſtis*. *Fruge*, grano futuro. Fruges, quod his fruimur, & frui a frumine, gulæ parte. Donatus in Eunuchum, Varro 4. de L. L. Servius in 1. Æneid. Frugis, & frugum nomine quid contineatur, docet Paulus I. C. L. *Frugem* 77. D. *de Verb. Sign.* *Lactenti*. Lactentia frumenta adhuc tenera, & lactis plena, inquit Servius ad illud 1. Georg.

Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent.

Inde *Lactans* deus, qui ſe infundit ſegetibus, & eas facit lacteſcere. Lactans, qui lac præbet; lactens, cui præbetur. hæc Servius. Ovidius 1. Faſt.

Nam ſata vere nova teneris lactentia ſuccis
Eruta ſetigeræ comperit ara ſuis.

& 6. Faſt.

Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris.

Lactuciam deam apud D. Auguſtinum legimus, quæ lacteſcentibus frumentis præſit. ſunt qui *Lacturnam* illic legant. *Lacturciam* Beroaldus. PASS.

v. 15.

Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æstivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Quum pirus invito stipite mala tulit.

Men-

v. 15. Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna Ceanis, et æstivo mora rubere die] Apud me, inquit Vertumnus, cernis dulces cerasos. quarum scilicet froctus dulcis; vel mites, & maturas. arborem autem pro fructu posuit, ut rubos, pro moris Eleg. 13. lib. 3. *Plena canistra rubis*. Sic ἄπιοι Græcis, pro ἄπια. Vet. Gloss. in *Volemi*. Contra Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Ipse seram teneras matura tempore vites
Rusticus, & facili grandia poma manu.

ubi fructus, pro arbore. Tertullianus in Apologet. cerasa ex Ponto allata a Lucullo scribit; & Hieronymus in Epist. ad Marcellam, dicta a patria Cerasunte. nam Cerasus Ponti oppidum Ptolemæo. De Cerasis Plinius lib. 15. c. 25. capite vero 28. *Carne*, inquit, *& succo mora constant*; *cute*, *& succo cerasa*. *Autumnalia pruna*, sub autumnom maturescentia, licet sint & æstiva. sed quædam sunt seriora, ut quæ *Asinina* vocantur. vide Plinium lib. 15. cap. 13. *Æstivo die*; calidissimo. sic Elegia superiore v. 94. *Æstivis aquis*. *Mora rubere*. nam mora, antequam matura sint, rubent. Plinius lib. 15. cap. 24. *Moris colores trini: candidus primo, mox rubens, maturis niger*.

Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater,

inquit Ovidius 4. Metam. Rubere vero etiam dicuntur, quæ nigrescunt; unde sanguis & ruber, & ater dicitur. Pass. *Dulces cerasos*. recte: neque enim semper in Italia fuere fructu dulci. Servius ad L. 2. Georg. v. 18. *Cerasus civitas est Ponti, quam quum delesset Lucullus, genus hoc pomi inde avexit, & a civitate cerasum appellavit. nam arbor cerasus, pomum cerasum dicitur. Hoc autem etiam ante Lucullum erat in Italia, sed durum; & cornum appellabatur: quod postea mixto nomine cornocerasum dictum est*. aliter Plinius L. 15. C. 25. *Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. Ad Urbis annum DCLXXX. is primum vexit e Ponto: annisque CXX. trans Oceanum in Britanniam usque pervenere*. de nomine idem, quod Servius; de advectione in Italiam idem, quod Plinius, tradit Laurentius apud Athenæum L. 2. C. 11. quem vide. item Animadversiones Isaaci Casauboni ad eum locum. Renatum etiam Rapinum L. 4. Hortoram. *Autumnalia pruna*, ejectis prunis hic *poma* substituit Borrichianus, & noster primus. male. Plinius L. 15. C. 13. quod agit de prunis: *Et hæc autem, & persica, & cerina, ac silvestria, ut uvæ, autumno cadis condita, usque ad alia nascentia ætatem sibi prorogant: reliquorum velocitas cito mitescentium transvolat*. Broukh. *Æstivo die*. Quum æstas fervet maxime. Cicero 1. de Legib. *Ut ille Cretæ cum Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æstivo, quemadmodum describit, die, in cupressetis Gnosiorum, & spatiis silvestribus, de institutis rerum publicarum disputat*. Sic & Minucius Felix in Octavio: *Nam id temporis post æstivam diem in temperiem semet autumnitas dirigebat*. *Autumnali die* dixit Auctor Copæ:

Sunt autumnali cerea pruna die.

Theocritus vero Idyll. 25. v. 86. Δείελον ἦμαρ ἄγων. *vespertinum diem adducens*. Neque illud Horatii dissimile Epodo 2. *Tonantis annus hibernus Jovis*. Vulp.

v. 17. Insitor hic solvit pomosa vota corona] Ut spicea dabatur Cereri corona, sic pomosa Vertumno Pomonæ marito, e ramis implexis cum suis pomis, quibus ei caput cingebat insitor, qui arborum ramos aliis inserit. Ovid. Rem. Amor.

Venerit insitio, fac ramum ramus adoptet,
Stetque peregrinis arbor operta comis.

& 4. Metam.

Fissa modo cortice lignum
Inserit, & succos aliena præstat alumno.

Horatius Epodo 2. *Inutilesque falce ramos amputans, Feliciores inserit*. De insitione & inoculatione vide Virgilium 2. Georg. Plinium lib. 17. H. N. cap. 14. Columellam lib. 6. cap. 9. Palladium lib. 3. cap. 9.

Fata

Mendax fama noces. alius mihi nominis index,
De ſe narranti tu modo crede deo.

Oppor-

Vota ſolvit, debita vota reddidit, & tulit manibos Eleg. 16. lib. 1. *Pomoſa corona*, ut infra *Plumoſe aucupio*. Pomoſum, quod pomis abundat. Tibullos Eleg. 1. lib. 1.

Pomoſiſque ruber cuſtos ponatur in hortis.

Ovidius 14. Metam.

Quæ tibi poma coluntur
Primus habes (Vertumnus) *lætâque tenet tua munera dextrâ.*

Poma autem ſunt omnia quæ vel foris duro teguntur operimento, ut nuces, vel intus durum habent, ot ceraſa & prona: & quibos nihil duri admodom, ut mala, pyra, mora. dicta poma, quod potu, id eſt, aquatione indigeat pomi inſitio. Varro libro 1. R. R. cap. 31. & Macrobius libro 3. Saturn. cap. 19. PASS. Alii inſitionem & pomorum educationem referebant ad Saturnum. v. Macrobius I. Sat. 7. p. 181. BROUAH. *Inſitor*. Italice, *l' innestatore*. VULP

v. 18. QUUM PYRUS INVITO STIPITE MALA TULIT] Contra Virgilios 2. Georg.

Et ſæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius: mutatamque inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.

Invito ſtipite, tronco coacto, nec libenter alienos fœtus ſuſtinente, & alente. Sic Virgilios 2. Georg. de arbore inſita:

Miraturque novas frondes, & non ſua poma.

Stipites, a ſtipo, denſo & firmo. Feſtus in *Stipatores*: Stipites dicuntur qui deſtituuntur, ut aliquid firment. Idem in *Stipes*, fuſtem terræ defixum exponit. PASS.

v. 19. MENDAX FAMA NOCES. ALIUS MIHI NOMINIS INDEX] Id eſt, mihi infeſta, odioſa, & moleſta es, quia numen meum imminuis falſa verbi origine diſſeminata. *Mendax fama*; ut Virgilius 4. Æneid.

Tam ficti, pravique tenax, quam nuntia veri.

Ovidios 9. Metam.

Quum fama loquax pervenit ad aures,
Deianira, tuas, quæ veris addere falſa
Gaudet, & e minimo ſua per mendacia creſcit.

Idem lib. 12. Metam.

Menſuraque ficti
Creſcit, & auditis aliquid novus adjicit auctor.

Noces, lædis me, mihi moleſta es. ut Elegia 32. lib. 2. *Lædit rumor*. *Alius mihi nominis index*. Notatio verbi M. Tullio in Topicis, ἔτυμος ἢ ἐτυμολογια. *Index* qui aliquid indicat & ſignificat. unde indicia pro verbis, quæ ſunt rerum notæ. Horatius in A. P.

Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum.

Index meminit, ut *Index vox ſtultitiæ*, Cicero pro C. Rabirio. Noſter infra v. 44. ſic dixit: *Me notat*. PASS.

v. 20. DE SE NARRANTI TU MODO CREDE DEO] τὸ *Modo*, vel nunc, vel tantum. Mihi ſolum crede, qui recte ſcio. Aliter Eleg. 15. lib. 2.

Tu modo dum licet hunc fructum ne deſere vita. PASS.

Nihil hic eſt quod quemquam morari poſſit, niſi intercederet Gebhardus, e codice Palatino (uti ait) reſtituens

De ſe veranti tu modo crede deo.

quum *verare* ſit vera profari apud Ennium; & *veratrix* Appulejo dicatur mulier ſaga, quæ conſolentibos vera reſpondere putator. o abyſſom lectionis antiquæ! Sane ſi ita ſcripſit poeta noſter, qoos non putas ludos dediſſe Auguſto? Qui, Suetonio tradente C. 86. *genus eloquendi ſecutus eſt elegans, & temperatum vitatis ſententiarum ineptiis atque inconcinnitate, & reconditorum verborum* (ut ipſe dicit) *fœtoribus, præcipuamque curam duxit ſenſum animi quam apertiſſime exprimere*. nimirum, QUALEM quiſque veterum ſortitus eſt interpretem, talia fere procuduntur hujus ipſius ſcripta. quod vel maxime obtinoit ſæculo ſuperiore, quum eſſet in pretio quæſitus ille horror dictionis antiquæ. numquam iis feliciter procedit, qui ſive in recenſione auctorum veterum, ſive in monumentis proprii ingenii, varias variarum ætatum loquendi formas confundere

ſolent,

Opportuna mea eſt cunctis natura figuris:
  In quamcumque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella:
  Atque virum ſumta quis neget eſſe toga?

Da

ſolent, ut olim multa jura coquus, nullo habito dilectu. *Quid oleas, neſcias, niſi ut malo olere intelligas*. Brouкн. ſapienter. *De ſe narranti*. Apud Noſtrum Cornelia matrona infra Eleg. ult. *Ipſa loquor pro me*. Narrare de aliquo, pro verba facere. Sic Elegia 1. lib. 2.

Navita de ventis, de tauris narrat arator. Vulp.

v. 21. OPPORTUNA MEA EST CUNCTIS NATURA FIGURIS] Apta & idonea & facilis omnibus formis. Ovidius 14. Metam. de Vertumno: *Formas apte fingetur in omnes*. Ibidem: *Formas deus aptus in omnes*. Feſtus: *Opportuno, quia navigantibus utiles, maximeque optati ſunt portus*. Virgilius 4. Georg.

Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho.

& 8. Æneid.

Dicarum nidis domus opportuna volucrum.

Sæpe uſurpatur in deteriorem partem: Opportunus morbo, invidiæ, crimini. Livius, Cicero, Plinius. Opportunitas & hominis, & loci, & temporis. *Mea natura*. ego ipſe, vis ingenii & corporis mei. ut Eleg. 20. lib. 2.

Poſſum ego naturæ non meminiſſe tuæ?

Donatus in Andriam: *Ut fert natura*; naturalis & ingenita actio. Pass. *Opportunus*, pro obnoxius a Corn. Celſo uſurpatur lib. 1. cap. 5. Vulp.

v. 22. IN QUAMCUMQUE VOLES VERTE, DECORUS ERO] Sic Eleg. 13. lib. 1.

Et quotcumque voles una ſit iſta tibi.

Verte in quamcumque, ſcilicet figuram. ut Virgilius 12. Æneid. *Verte omnes tete in facies*. & 7. Æneid. *Quæ nomen in omnia verti*. *Decorus ero*; ea me figura decebit, mihique optime conveniet. ut Tibullus Carm. 2. lib. 4.

Talis in æthereo felix Vertumnus Olympo
  Mille habet ornatus, mille decenter habet.

& Cicero 2. de Legib. *Color albus decorus deo*. Pass. Confer Ovidium lib. 14. Metam. in fabula Vertumni, & Pomonæ, qui pleraque ſumſit ex hac Elegia. Vulp.

v. 23. INDUE ME COIS; FIAM NON DURA PUELLA] *Coa* genere neutro, ut *Tyria*, Coæ veſtes & togæ Coæ. Horatius Sat. 2. lib. 1.

Altera nil obſtat, Cois tibi pæne videre eſt
  Ut nudam.

Ovidius lib. 2. A. A.

Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus,
  Sive erit in Cois, Coa decere puta.

Eodem pacto Bombycina Martialis dixit Epigr. 68. lib. 8.

Femineum lucet ſic per bombycina corpus,

de meretrice. vide adnotata ad Eleg. 1. l. 2. v. 5. *Puella non dura*, non difficilis, ſed ſemper parata, ut meretriculæ ſolent, quæ Cois olim uſæ. *Non dura*; ut Eleg. 22. lib. 2.

Aut ſi es dura, nego: ſin es non dura, venito.

Contra Eleg. 20. lib. 2. *Nobis nonnumquam janua mollis*. Pass. *Indue me Cois*. editiones primæ *Coio* habent. de qua ſcriptura dictum alibi quod ſatis ſit. *Non dura puella*. ad inceſſum refert Douza Schediaſm. ſuccid. pag. 69. ſq. ubi & alia huc facientia. Brouкн.

v. 24. MEQUE VIRUM SUMTA QUIS NEGAT ESSE TOGA?] Id eſt, omnes fatebuntur. Apud Suetonium in Nerone cap. 39.

Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?

Horatius Ode 29. lib. 1. *Quis neget arduis Pronos relabi poſſe rivos Montibus?* *Sumtâ togâ*, ſcilicet virili. nam eſt & muliebris. ut Eleg. 1. lib. 2. v. 5. Aſconius in 3. Verrin. *Toga communis habitus fuit & marium & feminarum*. leg. Nonius in *Toga*. Pass. *Atque virum*. *Meque virum* eſt in quinque libris. ſed illud alterum habent & priſcæ editiones. utrum malis, parum referre puto. Brouкн.

v. 25.

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno,
Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, &, memini, laudabar in illis:
Corbis in imposito pondere messor eram.

v. 25. DA FALCEM, ET TORTO FRONTEM MIHI COMPRIME FŒNO] Intelligit falcem quam vocant fœnariam. Cato cap. 10. de R. R. & Varro 4. de L. L. Vet. Gloss. Δρέπανον χορτοκοπικόν, *Falx pratensis*. Ovidius 14. Metam. de Vertumno:

Falce data frondator erat, vitisque putator.

[At Catullus Carm. 63.

Nec falx attenuat frondatorum arboris umbram.]

Comprime frontem, revinci, redimi. Virgilius 4. Æneid. *Mollique fluentem Fronde premit crinem fingens*. & 5. Æneid.

Omnibus in morem tonsâ coma pressa coronâ.

ubi hallucinatur Servius, qui exponit *Tonsâ comâ*, compositâ. At tonsa corona, ut versus indicat. & eodem libro:

Ipse caput tonsæ foliis evinctus olivæ.

Fœno torto, implexo. Turnebus lib. 23. Adv. cap. 6. fœno revinctam frontem, ait, ad Solis ardorem arcendum. Ovidius 14. Metam.

Tempora sæpe gerens fœno religata recenti,
Desectum poterat gramen versare videri.

Torto fœno. ut Virgilius 1. Georg. *Tortâ redimitus tempora quercu*. & Noster El. 10. lib. 3. *Torta corona*. Fœnum, ut fœnus, a fœtu, quia in pratis quotannis terra novum parit. Festus in *Fœnus*. Isidorus lib. 17. cap. 9. ridicule: Fœnum dictum, quod eo φῶς, id est, flamma nutriatur. PASS. *Frontem mihi comprime fœno*. Alligabant fœnum & bubus cornupetis, ut dignosci & vitari possent. unde proverbium ab Horatio allatum Sat. 4. lib. 1. *Fœnum habet in cornu, longe fuge*. VULP.

v. 26. JURABIS NOSTRA GRAMINA SECTA MANU] Religiose affirmabis. Ovidius 14. Metam.

Sæpe manu stimulos rigida portabat, ut illum
Jurasses fessos modo disjunxisse juvencos.

Horatius Epist. 1. lib. 2.

Bœotûm in crasso jurares aëre natum.

& Sat. 1. lib. 1. *Jurat bene solis esse maritis*. *Gramina secta*, periphrasis fœnisecæ, ut vocatur a Varrone & Columella. *Fœnisex* dicitur Plinio. unde & *fœnisicia* vocat Varro 4. & 6. de L. L. tempora secandis fœnis. *Nostrâ manu*. a nobis; ut Eleg. 4. lib. 2.

Non Perimedeâ gramina cocta manu.

Gramen, herbæ species, pro genere. & tamen omnis herba gramen vocatur, inquit Isidorus lib. 17. cap. 9. & Servius ad illud 12. Æneid. *Aras gramineas*. De Gramine vide Plinium lib. 24. cap. 19. PASS.

v. 27. ARMA TULI QUONDAM, ET, MEMINI, LAUDABAR IN ILLIS] Miles fui; nam fert vallum, & arma miles; ut ait Horatius. Eleg. 3. infra:

Felix Hippolyte nudâ tulit arma papillâ.

unde *Armifera Minerva*, bellicosa. Ovidius 14. Metam. de Vertumno:

Miles erat gladio; piscator arundine sumta.

Et, memini. Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 1.

Ausus eram, memini, cælestia dicere bella.

Laudabar in illis: me decere dicebantur. *Laudare in armis*, est laudare armatum. ut Eleg. superiore:

Nec rudis infestis miles radiabat in armis.

quod etiam *Sub armis* dicere solet, ut in fine Elegiæ superioris v. 137. PASS. *Laudaber in illis*. Contra Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 310.

Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum & incessum. VULP.

v. 28. CORBIS ET IMPOSITO PONDERE MESSOR ERAM] Ovidius 14. Metam.

O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit, verique fuit messoris imago!

Pondus corbis, pro gravi corbe. ut El. 1. l. 1. *Pondere rami*. Corbis messorum est. unde Cicero pro Sextio: *Messoria se corbe contexit*. Varro 4. de L. L. *Corbes*, ab eo quod spicas, aliudve quid (in eas) corruebant. hinc minores corbulæ dictæ. Legendus idem Varro lib. 1. R. R. cap. 50. de tribus generibus messionis, & usu in iis corbium. Erant & mensuræ vinariæ corbes; de qui-

Sobrius ad lites: at quum eſt impoſta corona,
  Clamabis capiti vina ſubiſſe meo.
Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Iacchi:
  Furabor Phœbi, ſi modo plectra dabis.

Caſſi-

bus Ulpianus L. 1. D. *de Per. & com. rei venditæ*. PASS. Sagaciter conjiciebat Petrus Francius, vir præclarus, *Corbis in impoſito pondere m. e.* nam ita poſtea exaratum offendimus in noſtris libris, & in Groningano: quibus deinde acceſſit unius Regii, uniuſque Colbertini auctoritas. neque aliter editiones primæ. iſtud & video ab Aldina primulum profluxiſſe. elegans hic eſt uſus voculæ *in*. Virgilius L. 5. Æn.

Occurrit Aceſtes
Horridus in jaculis, & pelle Libyſtidos urſæ.

Phædrus L. 5. Fab. 10.

Curſu volucri, pendens, in novacula,
Calvus, comoſa fronte, nudo corpore.

Sic Statius *in haſta*, dixit non ſemel; & Apulejus L. 3. Metam. *in ferro*. BROUKH. Codex Bononienſis a me diligenter evolutus, *Corbis in impoſito*. Editio omnium princeps, *Corbis ab impoſito*; quod probari poſſit. VULP.

v. 29. SOBRIUS AD LITES: AT QUUM EST IMPOSTA CORONA, CLAMABIS CAPITI VINA SUBISSE MEO] An ſignificat, ſe ſobrium ad cauſas, & forum accedere? Turnebus certe lib. 3. Adv. cap. 23. exponit, ad cauſas aptus, & advocationes. & ita dici ait *Sobrius ad lites*, ut *ſervi ad manum, ad cyathum, ad pedes, ad limina cuſtos*. Idem lib. 23. c. 6. ſic explicat: Sobrius ſi ſim, ad cauſas agendas me accommodatum, & quemdam cauſidicum putabis. Hanc interpretationem adjuvat Horatius Epiſt. 19. l. 1. *Forum, putealque Libonis Mandabo ſiccis*. An id ait, quum ſobrius ſum, abſtineo litibus, & rixis, quæ ſunt ebriorum? *Sobrius ad rem aliquam*; ut El. 22. lib. 2. *Ad formoſas cæcus*. Non abhorret ab hoc loco vox Catonis apud Suetonium in Cæſare cap. 5. *Unum ex omnibus Cæſarem ſobrium ad evertendam remp. acceſſiſſe*. *Lites* ambigue pro cauſis, & pro turbis ac rixis ubique apud Plautum, Terentium, Horatium, & Virgilium. Varro 6. de L. L. Quis res erat in controverſia, ea vocabatur lis. ideo in actionibus, Quam rem ſive litem. Lis eſt res in judicium deducta. Cornelius Fronto: Lis naſcitur: pertinacia efficit controverſiam. & litigant homines: res in controverſiam deducitur. Ita controverſia partis eſt: lis ſummæ. Iſidorus lib. 18. cap. 15. Lis a contentione limitis prius nomen ſumſit. unde Virgilius 12. Æneid.

Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

Lis quid a jurgio differat, docet Cicero apud Nonium. *At quum eſt impoſta corona*. ubi autem addita capiti eſt corona; ut infra: *Impoſitus fronti ſtat*. De coronis ebriorum ſat dictum ad Eleg. 3. lib. 3. v. 21. Coronabatur fortaſſe per laſciviam Vertumnus, ut in eo foro Marſyas coronatus ab Auguſti Julia: Plinius lib. 21. cap. 3. ubi etiam dicitur Munatius conjectus a Triumviris in carcerem, quod demtam Marſyæ coronam capiti ſuo impoſuiſſet. *Clamabis*. plus eſt, quam Dices. Sic Horatius Sat. 3. lib. 2.

Inſanum te omnes pueri, clamentque puellæ.

Vina ſubiſſe capiti; furtim irrepſiſſe. nam vinum inſidiatur bibenti. *Subire* eſt clanculum ingredientis & inſinuantis. ut Eleg. 9. lib. 1.

Acrius illa ſubit, Pontice, ſi qua tua eſt.

& Eleg. 27. lib. 1.

Neu ſubeant labris pocula nigra tuis.

Capiti, quia arcem tandem Bacchus occupat. Ovidius lib. 1. A. A.

Nyctelinmque patrem, nocturnaque ſacra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.

id eſt, ne velint, ne ſinant. nec quidquam mutandum, ut Scaliger conatur. PASS.

v. 31. CINGE CAPUT MITRA, SPECIEM FURABOR IACCHI] Redimito eo genere pilei. nam erant ligamina mitræ: Eleg. 29. lib. 2.

Cassibus impositis venor: sed arundine sumta
Faunus plumoso sum deus aucupio.

Est

lib. 2. ubi vide adnotata. & ad Eleg. 17. lib. 3. v. 30. *Speciem furabor*, formam latenter assumam Bacchi. ut Eleg. 8. lib. 3. *Furanda copia noctis*. & *Furari otium* lib. 10. N. A. A. Gellii cap. ult. Furtiva erit ergo illa species, ut precaria forma dicitur Ovidio 9. Metam. *Quem forma precaria celat*. *Furabor*, quia invito domino tractabo. PASS. Nihilo dissimiles blanditiæ Sapphûs ad Phaonem, Ovidii stylo expressæ:

Sume fidem & pharetram, fies manifestus Apollo:
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.
VULP.

v. 32. FURABOR PHŒBI, SI MODO PLECTRA DABIS] Anadiplosis. *Plectra*, pectinem eburnum, de quo Eleg. 3. lib. 3. *Plectro sedem mihi monstrat eburno*. Donatus in Phormionem: Plectar, feriar; unde plectrum. Gallice *Archet*. PASS.

v. 33. CASSIBUS IMPOSITIS VENOR: SED ARUNDINE SUMTA FAUNUS PLUMOSO SUM DEUS AUCUPIO] Capto feras cassibus, inquit; nam qui venatum eunt, ferunt casses, id est retia; unde dicitur incassum, quia sine retibus cassa, & vana est venatio, inquit Servius ad illud 3. Georg. *Non immissis canibus, non cassibus ullis*. Idem in illud. 11. Æneid. *Æthere cassis*. vacuis, ait, unde & retia casses dicimus. Festus: *Cassiculum*, reticulum, a cassibus, per deminutionem. Ovidius initio lib. 2. A. A.

Decidit in casses præda petita meos.

[Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Jam mihi tenduntur casses*.] Virgilius etiam de telis aranearum 4. Georg.

In foribus laxos suspendit aranea casses.

An casses, quod cassi & inanes? an quod casso metu pennarum terreant feras? *Impositis*, capiti scilicet, vel humeris; ut sup. v. 28. *Imposito pondere*. *Sed*, pro autem. ut Eleg. 20. lib. 1.

Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.

Arundine sumta Faunus. Ovid. 14. Metam.

Miles eram gladio, piscator arundine sumta.

sed tamen aliter. nam hic arundinem, pro calamis aucupatoriis posuit; ut & Statius lib. 5. Thebaid.

Lucosque per omnes
Silvicolæ fracta gemuistis arundine Fauni.

Appulejus lib. 11. *Qui diversis arundinibus, alter aucupem cum visco; alter piscatorem cum hamo inducerent*. vide adnotata ad El. 19. lib. 2. v. 24. & El. 13. lib. 3. v. 46. Hinc illud Plauti Bacchid. 1, 2. *Perii, arundo alas verberat*. nam ita visco alæ adhærescunt. *Deus aucupio*: id est, aucupio præsideo, ubi aves plurimæ capiuntur plumis vestitæ: *Deus* cum tertio casu. ut Virgilius Ecl. 1. *Erit ille mihi semper deus*. dativus pro genitivo, ut Eleg. 23. lib. 3.

Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes.

Auceps & *Aucupium* ab avibus capiendis, inquit Varro 7. de L. L. Terentius Eun. 2, 2. Aucupium pro quæstu posuit. *Hoc novum est aucupium (parasitorum.)* Cicero in Oratore, *Aucupium delectationis*. & pro Cæcina, *Aucupia verborum*. sic aucupari sæpe μεταφορικῶς. *Plumoso*, quia ex avibus captis volitant plumæ. Petronius Arbiter: *Ecce etiam per antennam pelagiæ consederant volucres, quas textis arundinibus peritus artifex tetigit. illæ viscatis illigatæ viminibus deferebantur ad manus. tollebat plumas aura volitantes, pinnasque per maria inanis spuma torquebat*. *Plumosus* dicitur, ut *Pomosus*. PASS. Fortasse non solum feræ bestiæ, sed etiam aviculæ versicoloris plumæ formidine adigebantur in retia. Vel, simpliciùs, *plumosum aucupium*, ab ipsis captarum volucrum plumis appellare potuit Propertius. *Cassibus impositis*. hoc erat servorum officium, qui cum ingenuis adolescentibus venatum ibant. Tibullus diserte Elegia 4. lib. 1.

Neu, velis (adolescens) insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.
VULP.

Est etiam aurigæ species Vertumnus, & ejus
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

Sup-

v. 35. EST ETIAM AURIGÆ SPECIES VERTUMNUS, ET EJUS TRAJICIT ALTERNO QUI LEVE PONDUS EQUO] Duos videtur duobus his versibus significare, Aurigæ speciem, & speciem Desoltoris esse Vertumnum; quorum neutrum de Vertumno alibi legi. *Auriga*, *aureax* etiam dicitur Festo. Isidorus lib. 18. cap. 30. ubi agis de aurigis Circi, ridicule ait, dictos ab hauriendis equis; id est, feriendis. ut, *Latus haurit apertum*. Aurigam etiam pro gobernatora navis dixit Vetus Poeta apud Charisium lib. 4. [item Ovidius lib. 1. Trist. El. 4. v. 16.] An Vertomnus ille auriga dictus, qood sæpius flecteret & verteret currom, præsertim ad metam? *Et ejus Trajicit a. q. l. p. e.* Aliàs legitur *& olus Trajicit*, &c. an *Ollus* pro ille? *Trajicit leve pondus equo alterno;* Qui velox corpus transfert, & transilit ex uno equo in alterum, modo in honc, modo in illum. *Trajicit*, & ita vertit, id est, mutas eqoum, unde Vertumnus ea specie. Trajicere, alio transferre, ut Eleg. 12. lib. 2.

Si pudor est, alio trajice tela tuo.

& Eleg. 4. infra:

Trajicit immundos ebria turba pedes.

Est & verbum nauticum, ut dicetur ad Eleg. 10. iofra v. 41. *Leve pondus*, corpus velox. ut Eleg. ult. infra:

En sum quod digitis quinque levatur onus.

Sic supra Eleg. 1. *Uteri pondera;* & hac Elegia, *Corbis pondere*. vide illic adnotata. *Equo alterno*, in equum alternum, tertius casus pro quarto cum præpositione. ut El. 7. lib. 3. *Italiæ regionibus evehat æstus*. & Eleg. 1. sup. *Armatis hostis inermis eat*. Alternus eqous, qui subiode mutatur. ut Eleg. 9. lib. 1. *Alterna presserit ille manu*. Desulsor autem significatur qoi de equo in eqoum transiliebat. Livius lib. 23. *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum, binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transsultare mos erat; tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est*. Festus: *Paribus equis, id est, duobus Romani utebantur in prœlis, ut sudante altero transferent in siccum*. Vide Varronem lib. 2. R. R. c. 7. Ejus eras Menippea titulo, *Desultorius*. testis Nonius in *Phaselus*. Vetos Lexicon, & Glossar. *Desultor*, ζευξιππος, μεταβάτης. Manilius in Astronomicis:

Nec non alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum, & stabiles poteris defigere plantas,
Per quot vadit equos, ludet per terga volantum.

Desultorios equos memorant Suetonius in Cæsare, Cassiodorus, & Cicero pro Murena. PASS. Claudius Salmasius ad verba Fl. Vopisci in Carino: *Exhibuit & ludum Sarmaticum quo dulcius nihil est*, ita commentatur: *Ludus Sarmaticus quis aut qualis fuerit, juxta scio cum illis qui omnino nesciunt, nisi desultorium ludum ita esse dictum mihi quis concedat, a Sarmatis, qui optimi ac præstantissimi equorum desultores*. ------- Vertumnum *etiam Latini dixere desultorem, a vertendis, & mutandis, vel alternandis equis. Propertius: Est etiam aurigæ species Vertumnus, &c. Per* Vertumnum *simplicem equorum desultorem intelligit Propertius, &* aurigam *appellat equorum desultoriorum agitatorem, hoc est Vertumnum. desultorium ergo illum equestrem ludum, Sarmaticum videntur illis temporibus appellasse Romani, quod vulgo tunc Sarmatis in Circo uterentur ad equos desultorios agitandos, quia Sarmatæ optimi equorum desultores*. Locum indicavit Janus Broukhusius; qui tamen cur dixerit, non bene hæc interpretatom essa Passeratium, equidem ignoro. Idem jubet nos legere Panvinium L. 1. de Ludis Circens. C. 9. Ceterum Salmasius in Libro de Re Militari Romanorum cap. 19. ita scribit: *Ad hoc sane instituti primùm* velites *feruntur, & in legionis numerum censumque recepti, ut essent qui inter equites prœliari possent, pernicitate corporum spectati juvenes, quos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt desilire velociter, ubi signum datum esset*. *Leve* igitur *pondus* Propertio fuerit corpus

veli-

Suppetat hoc, pisces calamo prædabor; & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.

Pasto-

velitis, non solum velocis & exercitati, sed etiam levi armatura instructi. Desultores hujusmodi commemorat Ælianus in Tacticis c. 38. Τάρτεται δέ, inquit, τὸ τοιῦτον χᾶμα μάλιςα πρὸς τὰς περὶ τὸν Ἴςρον βαρβάρους, ὥς ἂν ἀμφίππους ἔλεγον, ὡς εἰθισμένους μεταβαίνειν ἀπὸ ἄλλου ἵππου εἰς ἄλλους. Hesychius & Pollux vocant ἀμίππους. Homero autem Iliad. 15. v. 679. desultor est ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν εὖ εἰδώς. *Pondus*, pro equite. Statius lib. 1. Silvar.

Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere. VULP.

v. 37. SUPPETAT HOC, PISCES CALAMO PRÆDABOR; ET IBO MUNDUS DEMISSIS INSTITOR IN TUNICIS] τὸ *Si* subauditur. Cicero Philipp. 13. *Recesseris, te omnes insequentur; manseris, hærebit.* Plautus Pseud. 2, 2. *Magis erit solutum, quam ipsi dederis.* Idem ibid. 2, 3. *Stabis, stato simul.* [Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Attigeris, labentur opes.*] Vide Eleg. 25. lib. 2. v. 41, 42, 43. *Si suppetat*, si adsit, & quasi petenti suggeratur. unde soppetiæ dictæ; & quia quasi subest quod petimus. Horatius Epist. 12. lib. 1.

Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.

Plautus ubique. *Prædabor*, plus quam capiam. Virgilius 1. Georg. *Prædarique lupos jussit.* Horatius Epist. 2. lib. 2.

Singula de nobis anni prædantur euntes.

Noster Eleg. 1. lib. 2.

Una meos quoniam prædata est femina sensus.

Præda venatorum; & venatûs nomine piscationem vocat Plautus Rud. 4, 3. *Pisces*, proprie qui squamis teguntur. *Pisces* dicti a pascendo: Isidorus lib. 12. cap. 6. Virgilius 10. Æneid. *Piscesque impasti vulnera lambent.* *Hoc calamo*, arundine cum hamo. Ovidius in fragmento Halieutici, de polypo:

Atque ubi prædam
Pendentem setis avidus rapit, hic quoque fallit
Elato calamo. quum demum eversus in auras
Brachia dissolvit, populatumque exspuit hamum.

Calamus, arundo piscatorum, de qua Plautus Rud. 2, 1. Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Quum semper hamos abdidit ante cibus.

Ovidius 3. Metam.

Linoque solebat & hamis
Decipere, & calamo salientes ducere pisces.

Et ibo, id est, Incedam, prodibo, conspiciar. ut Eleg. 25. lib. 2. *Argivâ prodire figurâ.* *Institor*, qui tabernæ, vel alii cuilibet negotiationi præponitur; ex eo dictus quod negotio quærendo instet. L. 3. 5. & 13. *de Institor. Act.* Dicitur & institor mercis, & cauponæ, & tegetis Jurisconsultis; ac Juvenali. *Mundus*, cultus, elegans, sine ullis sordibus. proprie. ut Eleg. 5. infra: *Mundus Menander.* Horatius Epist. 4. lib. 1. *Mundus victus*, & alibi *Munda supellex.* hinc *Mundus muliebris*, & hic ornatus rerum naturæ. *Institor in tunicis*, pro tunicatus. Sic El. 29. lib. 2. *Ostrina quum fuit in tunica.* Ovidius lib. 5. Fast. *Huc venit incinctus tunica mercator.* *Tunica*, inquit Nonius, proprie vestimentum sine manicis, cui superinduebatur toga. unde Varro ibidem: *Quarum vitreæ togæ ostendunt tunicæ clavos.* Idem 4. de L. L. *Tunica ab tuendo corpore: tunica, ut induca.* Idem 7. & 9. de L. L. tunicam aliam virilem, aliam muliebrem facit. *Demissæ tunicæ*, Albinovano sunt *fluentes*. Noster ipse El. 17. lib. 3. v. 32. *Veste fluente feriet pedes.* Isidorus lib. 19. cap. 22. *Talaris tunica*, quæ ad talos defluat; ut pectoralis, quæ apud antiquos brevior erat. Turnebus lib. 11. Adv. cap. 23. putat, tunicas talares & demissas parum viriles haberi: hoc tamen loco esse elegantioris hominis. Horatius Sat. 2. lib. 1. *Maltbinus tunicis demissis ambulat.* Plautus Pœnul. 5, 5. *Quis hic homo est cum tunicis longis, quasi puer cauponius?* Idem ibid. *Sane genus hoc est mulierosum tunicis demissitiis.* Varro Meleagris apud Nonium in *Demissum*: *Quum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos.* PASS.

Demissæ

Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.

Nam

Demissa tunicæ sunt longiores, & ad feminarum tunicas propius accedentes, ut bene exposuit eruditissimus Ferrarius L. 3. de Re Vest. C. 6. iis utebantur homines molliores, & quibus cura erat ut mulieribus placerent. ideo recte *mundus* hic institor dicitur, h. e. elegans, comtulus, formosulus, & quasi de capsula totus. *Institores* autem sunt, quos Plautus *nugivendos* vocat, & quorum catalogum bene longum contexit Aulul. 3, 5. Nonius: NUGIVENDOS *Plautus dici voluit omnes eos, qui aliquid mulieribus vendunt*. Nam omnia, quibus matronæ utuntur, NUGAS *voluit appellari*. Hi nugivendi, æquum erat, ut ad mulierum ingenium sese componerent, neque nimis viriliter vestirent. ideo *discinctos* Ovidius vocavit L. 1. Art. Amat.

Institor ad dominam veniet discinctus emendam;
Expediet merces teque sedente suas.

At si lucrosæ institoribus puellæ, non minus quoque puellis lucrosi institores. erant enim mulierum magni amatores. Naso Remed. Amor.

Diligit ipsa alios: a me fastidit amari.
Institor heu noctes, quas mihi non dat, habet.

Vide Horatium L. 3. Ode 6. & Epod. 17. ad Canidiam. scio *institoris* vocem latius extendi apud Jurisconsultos: sed eo, quem dixi, significatu fere ponunt poetæ. Ba. *Suppetat hoc*. id est, dummodo copia sit. *Ibo institor*. quod identidem hic genus tabernam linqueret, & ad puellam cum mercibus veniret; ut ait Ovidius allatus a Broukhusio. *Demissis in tunicis*. quod institorum opera stataria, & sedentaria esset; ut arbitratur Laurentius Pignorius de Servis: & propterea succinctis tunicis opus non haberent. M. Seneca Controversia 14. *Omnia a te vitia. quod angusta coma madet, tuum est: quod laxior usque in pedes tunica demittitur, suum est*. Severiores igitur cingebant tunicam, non togam. VULP.

v. 39. PASTOREM AD BACULUM POSSUM CURARE, VEL IDEM SIRPICULIS MEDIO PULVERE FERRE ROSAM] Turnebus lib. 3. Adv. cap. 23. exponit: Si mihi pedum detur, pastor videri possim. Pastor ad baculum, inquit, ut supra *Sobrius ad lites*; & *Salii ad cantus* Virgilio 8. Æneid. ὑψώσθαι. Eadem repetit cap. 6. lib. 23. nec mutat de verbo *curare*. An *pastorem curare*, est pastorem gerere, & curam gregis sustinere? Palmerius, pastorem curare, pro pastorem esse, exponit. Sed vet. lib. *Curvare*, ut, *Curvare pastorem possum*, sit, me ipsum pastoris modo incurvare, & incumbere baculo pastoritio, ut Virgilianus Damon Ecl. 8.

Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.

Ovidius lib. 4. Trist. Eleg. 1.

Fessus ut incubuit baculo, saxoque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oves.

Baculum intellige pedum. Festus: *Agolum, pastorale baculum, quo pecudes aguntur*. Idem: *Pedum baculi genus incurvum. eo pastores utuntur ad comprehendendas oves, vel capras a pedibus*. Ovidius 2. Metam.

Illud erat tempus quo te pastoria pellis
Texit, onusque fuit baculus silvestris olivæ.

Oleaginum pedum intelligit, ut & Virgilius loco citato. Sic 7. Æneid. v. ult.

Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

pro pastorali baculo. *Vel*, pro, &; solutum pro conjuncto. ut Eleg. 8. lib. 2. v. penultimo & v. 11. Paulus J. C. L. *Sæpe* 53. *de Verb. sign. Quod dedi aut donavi*. Idem: *Super pecunia, tutelave rei suæ*. Plautus Amphitr. *Pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra*. *Idem*, sed habitu mutato: *Ferre rosam*, ut Eleg. 13. lib. 3.

Mixta referre
Lilia virgineos lucida per calathos.

ubi lilia calathis feruntur, ut hic rosa sirpiculis. *Rosam*, numero singulari, eleganter. ut Eleg. 17. lib. 1. *Poneret ossa rosa*. & Eleg. 5. lib. 3.

Et caput in verna semper habere rosa.

Ferre rosam. ad corollas opinor. *Sirpiculis*. scirpicula, ut nonnulli scribunt, vasa e scirpis, & juncis texta. Sed & *Sirpea*, & *sirpiculæ falces* Varroni 4. de L. L. a sirpando & ligando, ut inde *sirpiculum*, vas vimineum. *Sirpiculi olerorum*, dixit Lucilius lib. 15. Sat. apud Nonium in *Holerorum*.

Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est,
Hortorum in manibus dona probata meis?

Cæru-

rum. Plautus Captiv. 4, 1. *Eis ora verberabo scirpiculis piscariis*. id est, nassulis e scirpis, inquit Camerarios, ut apud Propertium, sportulis scirpeis. Ea πειεφράζει Virgilius Ecl. 2.

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco?

Medio pulvere. media æstate, mense Junio, quia *Pulverulenta æstas* Virgilio; licet & hieme siccâ pulvis. unde idem Virgilius 1. Georg. *Hiberno lætissima pulvere farra*. An *medio pulvere*, media via pulverulenta? PASS. *Pastorem a. b. possum curare*. exponunt, pastorem esse, vel pastoris munus gerere. sic Vellejus *censorem implere* dixit, pro *censuram*, L. 2. C. 95. ubi sagacissimus Acidalius hunc Nostri locum ad eam mentem interpretatur, addocto Apuleji altero L. 1. Metam. *annonam curamus, ait, & ædilem gerimus*. cujus & hoc est L. 9. *Hic incinctus balteo militem gerebat*. Si cum vetere libro Passeratii legere malis, *Pastorem ad baculum possum curvare*, favebunt duæ gemmæ apud Gorlæum, altera n. 49. altera n. 53. quæ pastorem eo statu exhibent. *Sirpiculis m. p. f. r.* Junius Columella L. 10.

Et vos agrestes, duro qui pollice molles
Demetitis flores, cano jam vimine textum
Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis:
Jam rosa distendat contorti stamina junci,
Pressaque flammeolâ rumpatur fiscina calthâ.

videndus super *sirpiculis* Jos. Scaliger in Varron. L. 4. de L. L. quem sequitur Passeratius. BROUKH. *Pastorem ad baculum p. c.* Ita *Lygdamus ad cyathos; fortes ad prælia turmæ; bijugi ad frena leones*. Vel Propertius *ad baculum* dixit, ut Plautus Captiv. 1, 11, 22. *Ire extra portam trigeminam ad saccum licet*, id est, cum sacco, ut mendicia mos erat, qui stipem collectam in saccum mittebant. *Medio pulvere*. Juvenalis Sat. 10. v. 36.

Quid si vidisset Prætorem curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi?

Propertium pariter de Circo locutum existimaverim; quum enim puellæ formosæ ac juvenes amatores in Circo quadrigarum cursum spectarent; hac illac vagabantur, qui rosam & alia florum genera venalia proponerent. VULP.

v. 41. NAM QUID EGO ADJICIAM, DE QUO MIHI MAXIMA FAMA EST, HORTORUM IN MANIBUS DONA PROBATA MEIS?] Aut est anastrophe pro Quidnam, aut Nam, ut Sed, pro Autem. ut adnotatum ad Eleg. 11. lib. 3. v. 27. *Adjiciam*, præterea dicam. *De quo mihi maxima fama est*. unde mihi maxima celebritas nominis. ut Eleg. 13. lib. 1. *Argivæ fama pudicitiæ*. *Hortorum dona*; quæcumque horti ferunt & offerunt mihi, scilicet primitias olerum. Turnebus lib. 23. Adv. cap. 6. ad hunc locum: Ab olitoribus colebatur, inquit, Vertumnus: unde Columella de Cultu Hortorum:

Mercibus & vernis dives Vertumnus abundat.

Ovidius 14. Metam.

Sed neque jam fœtus desiderat arbore demtos,
Nec quas hortus alit cum succis mitibus herbas,
Nec quicquam, nisi te.

Dona hortorum, dixit, ut de sertis Eleg. 3. lib. 3.

Exercent teneras in sua dona manus.

& *Dona Bacchi* Eleg. 17. v. 13. *Dona*, quia vota & sacra mihi. *Probata*, an accepta mihi, laudata? Asconius in hæc 3. Verr. *Si hanc defensionem probabitis*. admittetis, inquit, & accipietis. unde *Probatus homo* Ciceroni, probus & spectatus. *In meis manibus*, credo quia illis imposita essent, ut capiti corona, & casses humeris & corbis, falx & plectra dextræ. Sic apud Ciceronem & Lucretium simulacra manibus tenent pateras, victoriolas, lampadas. Ovidius 14. Metam. de Vertumno: *Lætaque tenet sua munera dextrâ*. PASS. *De q. m. maxima fama est*. in nostro primo, & Borrichiano, ac Groningano legitur *maxima cura est*; quod multo videtur aptius, propter uxorem Pomonam, cui, ut par erat, plurimum obsequi volebat Vertumnus. ita ipse apud Nasonem L. 14. Metam.

Nec

Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meæ.

At

Nec toto passim vagus erras in orbe:
Hæc loca sola colit. nec, uti pars magna procorum,
Quam modo vidit, amat. Tu primus & ultimus illi
Ardor eris; solique suos tibi devovet annos.

Hortorum in manibus dona probata meis. nempe olera, non tantum fœtus arbutei. hinc ab olitoribus ac hortulanis colebatur Vertumnus. BROUKH.

v. 43. CÆRULEUS CUCUMIS, TUMIDOQUE CUCURBITA VENTRE ME NOTAT, ET JUNCO BRASSICA VINCTA LEVI] Id est, designat & declarat cucumis, cucurbita, & brassica, qui sim; & quod in alias ea formas verterim, denotant me esse Vertumnum. Sic Eleg. 11. lib. 3.

Nomine quem simili vita superba notat.

sic supra hic: *Alius mihi nominis index.* *Cucumis*, Græcis Σίκυς, ἢ Σίκυος. Cucumeres, inquit Varro 4. de L. L. a curvore, quasi curvimeres. Virgilius 4. Georg. *Tortusque per herbam Cresceret in ventrem cucumis.* vide Plinium lib. 19. H. N. cap. 5. *Cæruleus*, cyaneus; nam, ut inquit Servius in 5. Æneid. Cæruleum est viride cum nigro, ut mare. unde *Cæruleum deum* dixit Eleg. 7. lib. 3. pro Neptuno. Alii a colore cæli, quasi cæluleus. *Tumidoque cucurbita ventre.* Græcis: Κολοκύνθη οἰδώδιμος, cucurbita ventriosa. vide Plinium loco antecitato, & Columellam lib. 11. Idem de Cultu Hortorum cucumerem & cucurbitam, ut hic, conjungit:

Et tenero cucumis fragilique cucurbita collo.

Brassica, dicta Varroni 4. de L. L. *quasi præseca, quod ex hujus scapo minutatim præsecatur.* Festus: *Brassica a præsecando.* legendum utrobique, *præsicare*. ut in Rudente Plauti: *Exsicis arundine. & dissicere.* De brassica, quæ κράμβη Græcis, Cato de R. R. cap. 156. Columella lib. 11. & Plinius lib. 20. H. N. cap. 9. *Vincta junco*, astricta in manipulum, ut sit enallage. an *Vincta junco*, statuæ ipsius Vertumni, ne decidat? *Junco levi*, scirpo, qui natat ob levitatem. ideo *Pueris qui nare discunt, scirpea inducitur ratis*, inquit Plautus. Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Tunc fiscella levis detexta est vimine junci.

Ita lego, non *levi*, & sic Lexicon habet in *Juncus*. ubi vimen junci a viendo & vinciendo. PASS. *Cæruleus cucumis*. Auctor Copæ:

Nec pendens junco cæruleus cucumis.

Lividum vocat Columella in libro de Cultu Hortorum v. 389. Ἀγγούριον etiam Græci dixere; unde Patavini hoc tempore vocant *anguria* cucumeris genus quoddam globosum, dulci, rubra, & succosa medulla. *Tumidoque cucurbita ventre*. Eleganter Columella libro memorato v. 379.

Sole sub æstivo gelidas per graminis umbras
Intortus cucumis, prægnansque cucurbita serpit.
Una neque est illis facies. nam si tibi cordi
Longior est, gracili capitis quæ vertice pendet,
E tenui collo semen lege: sive globosi
Corporis, atque utero nimium quæ vasta tumescit;
Ventre leges medio.

Junco brassica vincta levi. Hunc usum & genistæ præstabant. Martialis Epigr. 45. lib. 1.

Non pyra quæ lenta pendent religata genista. VULP.

v. 45. NEC FLOS ULLUS HIAT PRATIS, QUIN ILLE DECENTER IMPOSITUS FRONTI LANGUEAT ANTE MEÆ] Primitias florum pratensium sibi dicari inquit. De floribus pratorum ipse Propertius Eleg. 20. lib. 1.

Et circum irriguo surgebant lilia prato.

Horatius quoque Ode 27. lib. 3. *Nuper in pratis studiosa florum*. Virgilius 4. Georg. *Est etiam flos in pratis.* Ovidius 1. Fast.

Si quis erat factis prati de flore coronis
Qui posset violas addere, dives erat.

Pratis ergo dixit ad discrimen florum hortensium. *Flos hiat.* semiaperitur. ut Eleg. 17. lib. 3.

Capripedes calamo Panee hiante canent.

Sic

At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuisti præmia Tuscis,
Unde hodie Vicus nomina Tuscus habet.

Tem-

Sic Ausonius in Rosa:

Hæc aperit primi fastigia summa obelisci.

Quin, ut non. De notionibus hujus voculæ vide A. Gellium lib. 17. cap. 13. Noster Eleg. 19. lib. 2.

Sic me nec solæ poterunt avertere silvæ,
Nec vaga muscosis flumina fusa jugis,
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua.

Decenter, apte & venuste. Horatius in A. P.

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

Impositus fronti. ut sup. v. 29. *At quum est imposita corona*. *Fronti*, ut sup. v. 25. *Frontem mihi comprime funo*. ergo *ante fronti impositus*, præpendens. ut Eleg. 33. lib. 2. *Præpendeat demissa in pocula serta*. Ante imponi, & ante poni cum 3. casu, dicantis & libantis est. Tibullus Eleg. 1. l. 1.

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deo.

Plautus Curcul. 1, 1. *Quid ante pones Veneri in jentaculo?* vide adnotata ad El. 10. lib. 2. v. 22. *Langueat*, marcescat. translatum ab ægris, & deficientibus; nam statim atque decerptus, flos languet. ut Virgilius 9. Æneid.

Purpureus veluti quum flos succisus aratro
Languescit moriens. PASS.

Flos biot. Angelus Politianus, eximius poeta, in Carmine quodam Italico, ipsis Gratiis dictato, de Rosa:

L' altra si mostra allo sportel vezzosa. V.

v. 47. AT MIHI, QUOD FORMAS UNUS VERTEBAR IN OMNES] *τὸ unus*, vel solus deorum: Proteus enim πολύμορφος erat non sponte, sed coactus; vel eximius ante omnes. *In omnes formas*, ut v. 21. *In cunctas figuras*. PASS. Neutra explicatio placet. *Unus in omnes formas*, est, Quum sim unus, multiplex tamen fio. Sic infra v. ult.

Unum opus est, operi non datur unus honor. VULP.

v. 48. NOMEN AB EVENTU PATRIA LINGUA DEDIT] An lingua Etrusca? nam ei patria Etruria. An Latina & Romana? siquidem ei duplex patria. Dictus autem Vertumnus, ut Neptunus, Portunus, Saturnus. *Patria lingua*, ut Lucretius, *Patrii sermonis egestas*. & Horatius in A. P. *Quum lingua Catonis & Enni Sermonem patrium ditaverit*. Festus: *Lingua non solum pars corporis, sed etiam differentia sermonum, & promontorii genus*. *Patria lingua*, ἐπιχώριος διάλεκτος: Dionysius Halic. *Ab eventu*, ab effectu, (a vertendo scilicet) quia quæ efficiuntur, eveniunt. Eventum de re futura dixit Eleg. ult. lib. 3. v. ult. *Eventus*, inquit Cicero in Topicis, *est obscura caussa, quæ latenter efficit*. Ergo caussa, pro effectu. PASS.

v. 49. AT TU, ROMA, MEIS TRIBUISTI PRÆMIA TUSCIS] Ad Romam sermonem dirigit, ut Eleg. 1. sup. v. 67. *Roma fave* &c. *Tribuisti præmia*, ut Eleg. pænult. lib. 3. *Tribuit laudes*. *Præmia*, & honorem & commoda militiæ, a præ & emendo. *Meis Tuscis*, popularibus; nam Tuscus ego. PASS.

v. 50. UNDE HODIE VICUS NOMINA TUSCUS HABET] Ex quo etiamnunc nomen retinet. nam est enallage numeri *Nomina*, pro nomen. Dionysius lib. 5. narrat, Quum Aruntis Porsenæ regis copiæ a Cumanis fractæ in agrum Romanum venissent, plerosque saucios deportatos Romam, ubi convaluissent, illic manere voluisse; datumque locum in Urbe ad ædificandum, vallem scilicet inter Palatinum, & Capitolinum colles, qua transitur a foro in Circum maximum, dictumque Romanâ linguâ Vicum Tuscum. Ὃς ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ Τυῤῥηνῶν οἴκησις ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται κατὰ τὴν ἐπιχώριον διάλεκτον. *Qui usque ad me, id est, ætatem meam Tyrrhenorum sedes ac domicilium vocatur a Romanis secundum vernaculam, & patriam linguam*. Idem fere est apud Livium lib. 2. At Festus Tuscum

Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tatî.

Vidi

Vicum dictum ait a Tuscis, qui recedente ab obsidione Porsena Romæ remanserunt. Varro autem 4. de L. L. (quod & Festus illic tangit in *Liturs*) eos qui cum Cœle Vibenno Tusco in auxilium Romuli adversus Tatium venerant, & Cælium collem incolerent, quod nimis munita loca tenere dicerentur, deductos esse in planum, & ab iis Vicum Tuscum nominatum. Idem narrat Servius in 5. Æneid. ad illud: *Tres equitum numera turmæ*. nisi quod Cœlem non nominat, sed quemdam Tuscum. Horatius Sat. 3. lib. 2. *Tusci turba impia Vici*. Plautus Curcul. 3, 1. *In Tusca Vico sunt qui se venditant*. Publ. Victor in VIII. Regione Vertumnum, & ejus ædem locat in Vico Tusco, ut & Varro 4. de L. L. Vicus in agro constat ex iis qui ibi villas habent: deinde significat ædificia in oppido, viis, itineribus, regionibus, nominibusque dissimilibus, discriminis caussa distributa; quomodo hic accipitur: postremo id genus ædificiorum, quæ in oppido prive quisque ædificat, ut in eo ædificio pervium sit: Festus. Charisius lib. 1. Vici dicuntur humiles domus: nam qua incedimus, non vici, sed viæ sunt vicorum. Vide & Isidorum lib. 15. cap. 2. *Nomina habet*. Ovidius 3. Fast.

Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

Ibid.

Femina quum de se nomina fecit aquæ. P. In hoc ipso Vico Tusco, anno MDXLIX. basis prægrandis marmorea effossa est, ante ædificium illud quadratum quod Statoris putant, cum hac epigraphe,

VORTVMNVS
TEMPORIBVS
DIOCLETIANI. ET
MAXIMINIANI

ita legitur in codice Stephani Vinandi Pighii manu scripto: rectius autem MAXIMIANI apud Gruterum XCVI. 3. BROUKH. Non omittenda sunt verba Taciti lib. 4. Annal. cap. 65. *Haud fuerit*, inquit, *absurdum tradere*, *montem eum* (Cœlium) *antiquitus* Querquetulanum *cognomento fuisse*, *quod talis silvæ frequens*, *ferundusque erat*: *mox* Cœlium *appellitatum a Cœle Vibenna*, *qui dux gentis Etruscæ quum auxilium appellatum ductavisset*, *sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco*, *seu quis alius regum dedit*. *nam scriptores in eo dissentiunt*. *cetera non ambigua sunt*, *magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitasse*, *unde* Tuscum Vicum *e vocabulo advenarum dictum*. VULP.

v. 51. TEMPORE QUO SOCIIS VENIT LYCOMEDIUS ARMIS] Qui alio nomine dicitur *Lucumo*, & Elegia superiore *Lucmon*, ubi de eo satis dictum ad v. 29. An dictus est *Luccomedix*? nam *Meddix* Oscis magistratus: Festus. *Quo tempore*, qua tempestate, ut Eleg. 19. lib. 3. v. 17. *Venit sociis armis*, auxiliaribus, inita societate belli adversus Tatium cum Romulo. Virgilius 8. Æn.

Lectos

Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.

Livius lib. 8. *Quod cum Gallis arma quandam consociassent*. PASS. *Venit Lucomedius*. noster secundus habet *Lycomedius*; quod non nihil firmat Joannis Goropii emendationem, *Lucumonius*, restituentis. est enim is ipse, qui supra *Lucmo*, sive *Lucumo*, nuncupabatur. ad eam formam dicebant *Tiberis*, *Tiberinus*; *Anien*, *Anienus*; *Icarus*, *Icarius*, & quæ id genus sunt plura. vide Servium ad L. 5. Æn. v. 560. & Lucium Joannem Schoppam L. 1. Collectan. C. 18. BROUKH. De hoc vide Dionysium Halic. lib. 2. Ant. Rom. VULP.

v. 52. ATQUE SABINA FERI CONTUDIT ARMA TATI] Vires Tatii regis Sabinorum contrivit. ut Eleg. 3. lib. 3. *Teutonicas Roma refringat opes*. Ovidius 4. Fast.

Hæc, ait, illa dies Libycis qua Cæsar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Jubæ.

& lib. 6.

Jamque suburbanos, Etruscaque contudit arma.

Feri, vel ferocis, ut Eleg. 22. lib. 1. v. 31. *Ferus Hector*. vel crudelis, ut Elegia 11. lib. 3. v. 11. *Ferus clausit serpentis hiatus*.

Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
  Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias divûm sator, ut Romana per ævum
  Transeat ante meos turba togata pedes.

biotue. Hunc Tatium Ennius tyrannum vocat:

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

vide Plutarchum in Romulo, & adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 30. PASS.

v. 53. VIDI EGO LABENTES ACIES, ET TELA CADUCA] Sic Eleg. 13. lib. 1.

Vidi ego, ne quæso teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo.

Labentes, plus est quam labantes, & inclinatas. labuntur enim saucii, & quos vires deficiunt. Horatius Sat. 1. lib. 2.

Aut labentis equo describes vulnera Parthi.

Virgilius 3. Georg.

Labitur infelix, studiorum atque immemor herbæ,
Victor equus.

Acies, exercitus instructus ad prœlium, ut quum iter facit dicitur agmen. vide adnotata ad illud Tibulli Carm. 1. lib. 4.

Adversisque parant acies concurrere signis.

Tela caduca, abjectas a fugientibus hastas. Cajus J. C. L. *Si calvitur* §. *Telum*, *de Verb. Sign.* omne quod manu mittitur telum dici docet ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. aliàs τηλόθεν. Nonius: Tela, omnia quæ jaciuntur, etiam lapides. Vide & Isidorum l. 18. c. 7. Sic *Pila Sabina* Eleg. 4. infra. & *Arma Sabina*, hic alio modo. Ovidius 3. Fast. de iisdem Sabinis: *Tela viris, animique cadunt*. *Caducum* quod cadit, vel cecidit, ut *Poma caduca* Elegia 32. lib. 2. v. 40. ubi vide adnotata. & *Caduca oliva*, Columellæ lib. 12. cap. 49. *Caduca glans*, inquit Cajus L. *Silva cædua*, *de Verb. Sign. quæ ex arbore ceciderit*. PASS.

v. 54. ATQUE HOSTES TURPI TERGA DEDISSE FUGÆ] Flagitiosum & ignominiosum est fugere; licet Demosthenes noto senario suam texerit imbelliam: Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Virgilius 12. Æneid.

Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?
Usque adeone mori miserum est?

Attius Armorum judicio, vel Pacuvius apud Charisium lib. 4. *Ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam*. ubi *pudenda fuga*, ut hic turpis. est enim *fuga* τὸ μίσον, & sæpe pro cursu, vel navigatione. Ovidius 6. Fast.

Turpia feminea terga dedere fuga.

Idem 2. Fast.

Diffugiunt hostes, inhonestaque vulnera tergo
Accipiunt.

Quod si *fugâ*, non *fugæ* legamus, Virgilius ita locutus 4. Georg. *Hoc verso fugâ victor dare terga coëgit*. & 3. Georg.

Quamvis ille fugâ versos sæpe egerit hostes.

Dare terga, ut, *vertere terga*, est ostendere. Sic 1. Æneid. *Undis Dat latus*. Varro apud Nonium: *Occipitium atque armos Dea ostendo*. PASS.

v. 55. SED FACIAS DIVÛM SATOR, UT ROMANA PER ÆVUM TRANSEAT ANTE MEOS TURBA TOGATA PEDES] Ut Eleg. 16. lib. 3. v. 25. *Dii faciant*. id est id velint, & annuant. ubi vide adnotata. *Divûm sator*. Virgilius 1. & 11. Æneid. de Jove: *Hominum sator atque deorum*. Euripides in Trojad. Τῶν πεντήκοντ' ἀροτῆρα τέκνων Πρίαμον. vide adnotata ad illud Eleg. 9. lib. 3. *Hic satus ad pacem*, v. 19. *Ut Romana turba togata*, frequens populus; ut sup. *Hæc me turba juvat*. Virgilius 1. Æneid.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

ubi vide Servium. Laberius apud Macrobium, in Ephebo: *Licentiam ac libidinem ut tollam petis togatæ stirpis*. Idem ibidem: *Idcirco ope nostra dilatatum est dominium togatæ gentis*. Testatur Plutarchus, Lucullum dictum fuisse *Togatum Xerxem*. Inde & Togatæ fabulæ, argumenti Romani: ut Palliatæ, Græci. Toga vestis erat ad talos usque demissa, ut ait Fabius lib. 11. Instit. Orat. Vetus Interpres Persii: Toga est purum pallium formâ rotundâ, & fusiore & inundante sinu; & sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur. cujus similitudinem in operimentis simulacrorum, & picturarum aspicimus, easque statuas toga-

Sex superant versus. te, qui ad vadimonia curris,
Non moror. hæc spatiis ultima meta meis.

Stipes

tas vocamos. Togâ vero Romani in pace utebantur, in bello paludamentis. Mensura togæ justæ senas ulnas implebat. Hæc ille. *Transeat ante meos pedes*. Innuit Janus fori, quæ erant transitiones perviæ. unde supra:

Romanum satis est posse videre forum.

Et in libello qui tribuitur Fabio Pictori: Imus Argiletus est, ubi & Janus quadrifrons, qui & Vertumnus in fine Vici Tusci. *Ante pedes*, signi, scilicet. ut El. 10. lib. 2.

Ponitur hic imos ante corona pedes.

Per ævum. sic Virgilius 6. Æneid. *Æternumque tenet per secula nomen*. Noster Elegia 4. lib. 3. *In ævum*, v. 19. αἰών, ævum, mutato genere, *u* interposito; ut λαιός, lævus; σκαιός, scævus. At Varro 5. de L. L. Ævum, inquit, ab ætate omnium annorum. Hinc æviternum, quod factum est æternum. Servius in 6. Æneid. Ævum deorom proprium, ætas hominum. Atqui ætas, ævitas. Pass.

v. 57. Sex superant versus. te, qui ad vadimonia curris, Non moror. hæc spatiis ultima meta meis] *Superant*, pro restant, & supersunt. ut Virgilius 2. Æneid. *Captæ superavimus urbi*. & alibi sæpe. *Curris ad vadimonia*; vadimoniom properiter obis, ne causa cadas. Suetonins in Caligula cap. 39. *Comprehensis meritoriis vehiculis, adeo ut litigatorum plerique quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causâ caderent*. De vadimonio vel obeundo, vel deserto, multa Cicero in Orat. pro Quintio. Varro 5. de L. L. *Vas* appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat. Consuetudo enim erat qoum reus parum esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alterum daret. Budæus Adnot. in Pandectas, Vadimonium, inquit, est sponsio sistendi in judicio: & obire vadimonium, sive ad vadimonium occurrere; ἀπαντᾶν ἐπὶ τὴν δίκην, καὶ ἀπαντᾶν ἐπὶ τὴν κρίσιν. quo sæpe sermone utitur Demosthenes κατὰ Μειδίου. Vades, sponsores; quia iis datis reus habebat vadendi, seu discedendi facoltatem; & proprie in re capitali, inqoit Festus, & Ausonios in Monosyllabis. Tamen & in re pecuniaria datum vadem notant Interpretes Horatii ad illud Sat. 1. lib. 1.

Ille datis vadibus qui rure extractus in urbem.

Bene ergo, *Curris*, quia & turpe, & damnosum deserere vadimonium. unde Plinius io Præfatione H. N. *Inscriptiones propter quas vadimonium deseri possit*. id est, res necessaria, & urgeos negotium. *Non moror*, non te detineo, a me dimitto, per me licet quolibet abeas. Horatius Sat. 1. lib. 1. *Ne te morer, audi*. Plautus Asinar. 2, 4. *Hic me moratus est*. Livius lib. 5. *Absoluto Claudio negavit tribunus se Gracchum morari*. Dimittendi formula, etiam in Senatu: *Nihil vos moror, P. C.* Capitolinos in Antonino. *Ultima meta*, pro fine cujusque rei; translatum a Circo. Noster Eleg. 14. l. 3. *Ad extremas stat femina metas*. Sic Eleg. 1. sup.

Hac meus ad metas sudet oportet equus.

Dictum de metis ad Eleg. 25. lib. 2. v. 25. Sed Scaligeri liber, & Vaticanus, item Lipsius lib. 5. Ant. Lect. cap. 10. *Creta*. unde & Eleg. 3. lib. 1. legit:

Illa fuit lacrimis ultima creta meis.

Spatiis meis, curriculis, & suscepto argumento. Virgilius quoque 3. Georg. metas & spatia conjunxit:

Hic & ad Elei metas, atque ultima campi
Sudabit spatia.

Noster vero Eleg. 25. lib. 2.

Septima quam metam triverit arta rota.

obi rota pro curricolo, & spatio. Proprie Virgilius 5. Æneid.

Signoque repente
Corripiunt spatia audita, limenque relinquunt.

Translate Horatius Epist. 14. lib. 1. *Amat spatiis obstantia rumpere claustra*. De septem Circi spatiis legendus Isidoros l. 18. c. 34. Eleganter Ovidins 6. Fast.

Tertia restat mihi spatia majore canenda:
Nos tamen adductos intus agemus equos. P.

Tò *creta* ex suo libro dedit Scaliger. & sane ita habent plures scripti. ego autem Gro-

ningi-

Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.
At tibi, Mamuri, formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus:
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Unum opus est, operi non datur unus honos.

ELE-

ninganum illum libentius sequor, in quo *meta*. quomodo fere solent poetæ. BROUKH. Codex Bononiensis favet Scaligero. *Te non moror*. Paullo aliter Catullus Carm. 15. *Nihil meromur istos qui in platea modo huc, modo illuc In re prætereunt sua occupati*: VULP.

v. 59. STIPES ACERNUS ERAM PROPERANTI FALCE DOLATUS] Priapi simulacrum apud Horatium Sat. 8. lib. 1.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

& in Catalectis: *Lignum rude villicus dolavit, Et dixit mihi, Tu Priapus esto*. Tibullus Eleg. ult. lib. 1. de Laribus:

Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
Sic veteres ædes incoluistis avi.
Tunc melius coluere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.

Plinius lib. 34. cap. 7. tradit, lignea aut fictilia simulacra deorum Romæ fuisse ante devictam Asiam. Ibidem: Tuscanica ejusmodi signa ex Etruria advecta, & per terras dispersa expugnatis Volsiniis. Ut puto, ex eo numero Vertumnus fuit. *Acernus*, ex acere. *Acer*, σφένδαμνος. *Erable*. de quo Plinius lib. 16. cap. 15. Isidorus lib. 7. cap. 7. Acer arbor coloribus impar. Servius in 2. Æneid. ad illud: *Trabibus contextus acernis; Acer*, inquit, *arbor in tutela stuporis est*. *Dolatus falce properanti*, obiter factus, & ut ea quæ properantur. Donatus in Eun. *Dolare est minuere, & lædere: unde dolus læsio, & dolones telo*. Item: *Dolare dicitur faber quum lignum ascia cædit*. Nonius: *Dolatum vel quod est per cælum*, (sic lego, non *per-cæsum*) *vel abrasum, vel effossum*. Cicero in Acad. *Non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus*. Varro: *Cælo dolitus artem ostentat Mentoris*. Horatius Sat. 5. lib. 1. *Nontaque caput, lumbosque saligno Fuste dolat*. id est, cædit. Plautus Milite: *Hunc si dolum dolamus*. id est, fabricamus. Inde dolabra. [& *Dolabella* diminutivum, Corneliorum cognomen.] Quadruplex vituperatio, quod stipes, quod dolatus, quod falce, & quod propere. *Falce*; significat putatoriam, arborariam, vel vinitoriam falcem. Gallice, *Serpe*. Nam sarpere, purgare, inquit Festus in *Sarmenta*. *Properanti*; transtulit ad instrumentum quod est artificis. ut Eleg. 19. lib. 2.

Et vitem docta ponere falce comas.

De verbo properandi vide A. Gellium l. 16. cap. 14. & lib. 10. cap. 11. præterea Nonium, ubi Cato: *Qui unumquodque mature transigit, properat: qui multa simul incipit, nec perficit, festinat*. PASS.

v. 60. ANTE NUMAM GRATA PAUPER IN URBE DEUS] Sub quo ex ligneo sum factus aheneus. *Ante Numam*, ergo Romuli tempore. *Grata*, quia: *Hæc me turba juvat, nec pœnitet deseruisse focos Volsinios*. *In urbe*. an Volsiniis? an Romæ? *Deus*, pro simulacro. ut notatum ad Eleg. 1. sup. v. 5. PASS.

v. 61. AT TIBI, MAMURI, FORMÆ CÆLATOR AHENÆ, TELLUS ARTIFICES NE TERAT OSCA MANUS] Solennis precatio, qua Mamurio, a quo fusus fuit, optat terram levem. ut Eleg. 17. lib. 1.

Ut mihi non ullo pondere terra foret.

ubi vide adnotata. *Mamuri*, modo producitur, modo corripitur. sic Porsena, Porsenna; Cybele, Cybelle. De fabro Veturio Mamurio Plutarchus in Numa, Dionysius lib. 2. A. R. Ovidius 3. Fast. & Festus in *Mamurius*. a Dionysio Μαμούριος dicitur. Statua Mamurii plumbea: P. Victor in 6. Regione Urbis. *Cælator*, γλύπτης, *Graveur*, a *Cælum*, quo hujusmodi fabri utuntur. unde *Argenti cælatores* Plinio. Cælare a cædendo: Festus. *Formæ ahenæ*, aheni simulacri, ut Lucretio & Lucillio *signa ahena*.

& æeo,

& *ære*, pro ſtatuis. & *ahencus ut ſtet*, apud Horatium. *Forma*, pro ſigno; ut dixi ad Eleg. 9. lib. 3. v. 13. Statua hæc Tuſcanica fuit, de quo genere Fabius. *Tellus Oſca*. Significat, apud Oſcos, patriam ſuam fortaſſe, Mamurium ſepultum. Oſci qui & Opſci, vulgo Opici. Feſtus in *Oſcum*. Dicti ab Oſco regione Campaniæ: Feſtus in *Maſius*. Servius in illud 7. Æn. *Oſcorumque manus*, Capuenſes dicit, qui antea Oſci, quod illic plurimi abundavere ſerpentes. Oſca, lingua Samnitium: Livius lib. 10. De Oſcis populis Campaniæ Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. Turnebus lib. 13. Adv. cap. 16. inſigniter nugatur in hoc loco exponendo. Optat, inquit, ne umquam Mamurius fictilia ſigna faciat; ſed ſemper nobiles ex ære ſtatuas, & formas ducat, ne figlinæ luteæ vilitate tantua artifex dedecoretur. Oſci populi erant Campaniæ, ubi figlinæ erant; unde ab Horatio ſcriptum:

Vilis cum patera guttus Campana ſupellex.

id eſt, fictilis. Hæc Turnebus [de Mamurio, qui mortuus jampridem, nullas amplius poterat ſtatuas fingere, ſive ex vili materia, ſive ex pretioſa.] *Ne terat manus*, ne comminuat nimio premens eam partem corporis, qua præcellebas cælando. Lucretius lib. 3.

Urgerive ſuperne obtritum pondere terræ.

Plautus Bacchid. 1, 1. *Potiſne eſt terra, ut terat hominem, atque proſternat? hodie nihil præter terram & Bacchans tetigi*. Noſter Eleg. 7. infra: *Oſſibus oſſa teram*. *Manus artifices*, doctas; ut Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Artifices in te verte, Minerva, manus.

Feſtus: *Artifices dicti, quod ſcientiam ſuam per artus exerceant: ſive quod apte opera inter ſe arteant. qua ex cauſſa etiam artes appellatæ ſunt*. Virgilius 12. Æneid. & Auſonius, *Artificis manus* dixerunt. PASS. De Mamurio vide Varronem lib. 5. de L. L. Hoc nomine vocatus fuit Marius ille, de quo Trebellius Pollio in Triginta Tyrannis: *Et vir quidem ſtrenuus*, inquit, *ac militaribus uſque ad imperium gradibus evectus eſt: quem plerique* Mamurium, *nonnulli* Veturium, *opificem utpote ferrarium, nuncuparunt*. VULP.

v. 63. QUI ME TAM DOCILES POTUISTI FUNDERE IN USUS] Id eſt, aptum tot rebus, ac formis. *Potuiſti*, ſciſti. vel abundat, ut Eleg. 5. infra: *Poterit magnes non ducere ferrum*. id eſt, non ducet. *Fundere*, χέειν, χωνεύειν, quoniam conflantur metalla liquentia. ut 8. Æneid.

Vulnificuſque chalybs vaſta fornace liqueſcit.

Seneca Epiſt. 66. *Fundere vel ducere ſtatuam*. Plinius lib. 34. c. 8. *Theodorus qui labyrinthum Sami fecit, ipſe ſe ex ære fudit*. Horatius Sat. 3. lib. 2.

Quid ſculptum infabre, quid fuſum durius eſſet.

Fabius Inſt. Orat. lib. 2. cap. 1. *Quam qui pertinere ad Oratorem non putabit, is ne ſtatuam quidem incohari credet quum ejus membra funduntur*. De primis fuſoribus Pauſanias in Arcadicis. Mamurium Poeta dixit cælatorem, nunc fuſorem facit, ut vel utriuſque artificii peritus fuerit, vel, ut permiſceat artificia. *In uſus*, tot nempe artium exercendarum. *Tam dociles*, pro valde dociles. ut El. 18. lib. 3. *Tam plena theatra*. *Dociles*, habiles, faciles, flexibiles. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 14. de crinibus:

Adde quod & dociles, & centum flexibus apti.

Translatum ab indole diſcipulorum, & cereis, ut ita dicam, adoleſcentulorum ingeniis. PASS.

v. 64. UNUM OPUS EST, OPERI NON DATUR UNUS HONOS] Una eſt ſtatua: ſed vario habitu varia videtur. Signum artificis unum eſt: ſed multiplex ei laus tribuitur ob multas formas, & uſus varios. *Unum opus*. ſic Virgilius Ecl. 3. *Opus Alcimedontis*. *Non unus honos*, quia a multis colitur. & *Honos*, primitiarum ſcilicet. *Datur honos*; ut Eleg. 4. infra: *Neque enim ſceleri dedit hoſtis honorem*. PASS.

ARGU-

ELEGIA III.

HÆc Arethuſa ſuo mittit mandata Lycotæ,
  Quum toties abſis, ſi potes eſſe meus.

Si qua

AAGUMENTUM ELEGIÆ III. LIBRI IV.] Arethuſa puella marito Lycotæ militanti mœſtitiam ſuam, deſiderium, ſolitudinem, fidem, induſtriam, vota pro ejus reditu ſuſcepta elegantiſſime oſtendit: pugnæ inventorem deteſtatur, rogatque conjugem, ut lecti genialis fœdera incorrupta conſervet. VULP.

v. 1. HÆC ARETHUSA SUO MITTIT MANDATA LYCOTÆ] Arethuſa, notum Nymphæ Siculæ, & fontis nomen Theocrito, Virgilio, Ovidio. Sub eo nomine fortaſſe Gallam, & Lycotæ, Poſtumum intelligit, de quibus Eleg. 12. lib. 3. Sane omnia conveniunt. *Lycotam* nullum legi. apud Pauſaniam *Lycottas* reperitur. Sic Panthus, Lynceus, Demophoon, Græca nomina, & ficta, pro Romanis; ut & Cynthia, Acanthis, Lycinna. *Mandata*, vocat ipſe *verba commiſſa* Eleg. 23. lib. 2. v. 4. *Mandata* ſunt abſentium ad abſentes, quæ vel dantur verbis, vel ſcripto mittuntur, ut hic, & Eleg. 16. lib. 3. v. 7. & Eleg. 6. lib. 3. v. 37. *Suo Lycotæ*, plus eſt, quam marito. ut Eleg. ult. lib. 2. *Lynceus ipſe meus*. Ovidius 9. Metam.

Per hos, fidiſſime, noſtro,
Dixit, & adjecit longo poſt tempore, Fratri.

vide adnotata ad Eleg. 8. lib. 3. v. 22. PASS. Epiſtola eſt Æliæ Gallæ ad Poſtumum, ſcripta ad imitationem Heroidum Ovidianarum, ut recte obſervavit Nic. Heinſius. neque enim dubitari poteſt quin incidat in idem tempus, quo Naſo Artes ſuas elucubrabat, teſte hoc loco ex L. 1.

Ecce parat Cæſar domito quod defuit orbi
Addere. nunc Oriens ultime noſter eris.

Tunc vero jam evulgati erant & libri Amorum, & Heroidum Epiſtolæ. ſic enim ipſe L. 3. Art. Amat.

Deve tribus libris, titulus quos ſignat Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legat.
Vel tibi compoſita cantetur Epiſtola voce:
Ignotum hoc aliis ille novavit opus.

placuit amœniſſimi inventi felix ſucceſſus, & aliorum quoque ingenia excitavit. Aulus Sabinus ad multas Ovidianas reſpondit, indice ipſo Ovidio lib. 2. Amor. Eleg. 18. quamquam, quæ iſtic memorantur, omnes interierunt. tentavit & Noſter hac ipſa, quæ nunc præ manibus eſt, Elegia. cujuſmodi utinam plures edidiſſet. *Mandata* eſſe abſentium ad abſentes, recte docet Paſſeratius. erant tamen præſentium quoque ad præſentes. Ovidius Epiſt. Sapphûs:

Non tecum lacrimas, non oſcula ſumma tuliſti.
Denique non timui, quod dolitura fui.
Non mandata dedi. neque enim mandata dediſſem
Ulla, niſi ut nolles immemor eſſe mei.

[Et prior Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Ipſe ego ſolator, quum jam mandata dediſſem,
Quærebam tardas anxius uſque moras.]

verbum *ſuo*, ſic ſolum, plus aliquid eſt, quam ſi addidiſſet *marito*. Noſter L. 3. Eleg. 12.

Et licet in triviis ad latus eſſe ſuæ.

eleganter id expreſſit Vir *undequaque* ſummus, Balthaſar Caſtilioneus, in Epiſtola illa multo pulcerrima, quam ſub nomine Hippolytæ Taurellæ uxoris ſuæ ipſe conſcripſit:

Hippolyte mittit mandata hæc Caſtilioni,
Addideram imprudens, hei mihi, pene ſuo. BROUKH.

Crederem præſtantiſſimo viro, & de Latinorum poetarum carminibus optime merito, Nic. Heinſio, hac Epiſtola Propertium imitatum fuiſſe Ovidianas Heroidum Epiſtolas, niſi auctor eſſet Ovidius ipſe lib. IV. Triſtium Eleg. ult. ſicut Gallo Tibullus, ac Tibullo Propertius, ſucceſſerant, ita ſe Propertio in Elegiæ ſcribendæ laude

ſucceſ-

Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit e lacrimis facta litura meis.

Aut

succeſſiſſe. Prius igitur eo carminis genere Propertius inclaruit, quam Ovidius. Verba ſunt Naſonis:

Virgilium vidi tantum: nec avaro Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Succeſſor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi.
Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.
Utque ego majores, ſic me coluere minores.
Notaque non tarde facta Thalia mea eſt.

Propterea quum poeta Umber verba & ſententias ſuas Romanæ cuidam puellæ accommodaviſſet, Naſoni venit in mentem mulieres illas antiquas, quæ heroicis temporibus vixere, ſcribentes inducere. Quamobrem ſine mendacio profiteri potuit, ſe *novaſſe*, id eſt novum protuliſſe opus aliis ignotum, quum antea ſimile argumentum eo modo tractaſſet nemo. Sic & Elegiam 8. lib. 1. Amorum, in qua Dipſadis lenæ turpem diſciplinam imitatur, ad exemplum compoſuit Elegiæ 5. hujus 4. libri Propertiani. Sic & Faſtorum ſcribendorum cogitationem ſuſcepit, quum ei placuiſſent Elegiæ Propertii de originibus rerum Romanarum, quæ hoc libro continentur. Conſuevit enim Ovidius, qua erat ingenii fecunditate, quæ priores parce attigiſſent, latius & copioſius ipſe perſequi. VULP.

v. 2. QUUM TOTIES ABSIS, SI POTES ESSE MEUS] An adverbium numeri pro temporis adverbio poſuit, *Toties* pro tamdiu? ſed nihil aſtute fingendum: nam vulgaris notio bene convenit. Frequentat autem hoc adverbium. *Toties*, tam frequenter. *Abſis*, nam abſentia, & via longa mutat amores, ut eſt Eleg. 12. lib. 1. vide Ariſtotelem lib. 8. Ethic. cap. 5. Catullus de Coma Berenices:

An quod amantes
Non longe a caro corpore abeſſe volunt?

Si potes eſſe meus, niſi te alia puella teneat. Ovidius 6. Faſt. verbis Junonis:

Hic color, hic teneo cum Jove templa mea.

Quod abeſt, noſtrum non videtur eſſe: unde Martialis: *Sed lis eſt mihi de tribus capellis. Vicini queror has abeſſe furto.* Sic in L. 13. & 14. *de Verb. Sign.* Res abeſſe dicuntur quæ corruptæ ſunt, vel omnino perierunt. PASS. Illud Ovidii ſimile Epiſt. Sapphûs v. 203.

Abſtulit omne Phaon quod vobis ante placebat.
Me miſeram, dixi quam modo pæne, Meus.

Et illud Ciceronis non diſſimile Epiſt. 18. lib. 16. ad famil. *Quid igitur? non ſic oportet? Equidem cenſeo ſic. addendum etiam, Tua. Toties abſis.* Ovidius Epiſt. Herûs v. 70.

Cur toties a me, lente natator, abes?

Si potes eſſe meus. Rufinus vetus poeta in Anthologia:

Ῥυφῖνος τῇ 'μῇ γλυκυτάτῃ ἐλπίδι πολλὰ
Χαίρειν, εἰ χαίρειν χωρὶς ἐμοῦ δύνασαι.

VULP.

v. 3. SI QUA TAMEN TIBI LECTURO PARS OBLITA DEERIT] Τὸ *Tamen*, pro verò, vel autem. ut Eleg. 4. lib. 2.

Unde tamen veniant tot mala, cæca via eſt.

vel abundat. *Tibi lecturo*; quum tu legere voles. *Deerit tibi pars oblita*. Si qua verba deficient, quia inducta, ac pæne deleta. Si qua tibi deerit ſententia; ut Virgilius 6. Æneid,

Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra
Defuerint.

Pars, epiſtolæ ſcilicet; ut ſæpe Cicero in epiſtolis. *Oblita*, a verbo oblinor, quod eſt inficior, inungor, maculor, inquinor. Tibullus Eleg. 6. lib. 2.

Oblitus & muſto feriet pede ruſticus uvas.

Ovidius initio Epiſtolæ Canaces:

Si qua tamen cæcis errabunt ſcripta lituris,
Oblitus a dominæ cæde libellus erit.

Cicero ſæpe: *Oblitus cæna, libidine, parricidio*. Catullus: *Oblitum lupanar*. fœdum. Sic in Catalectis: *Nigra fornicis oblitus favilla*. PASS.

v. 4. HÆC ERIT E LACRIMIS FACTA LITURA MEIS] Ovidius pariter Epiſt. Briſeidos:

Quaſcumque aſpicies, lacrimæ fecere lituras.

Idem lib. 3. Triſt. Eleg. 1.

Littera ſuffuſas quod habet maculoſa lituras,
Læſit opus lacrimis ipſe poeta ſuum.

& lib. 1. Eleg. 1.

Neve

Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
Signa meæ dextræ jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Sericus hostis equo;

Hiber-

Neve liturarum pudeat: qui viderit illas,
De lacrimis factas sentiat esse meis. P. Cicero L. 14. ad famil. Epist. 3. *Accepi ab Aristocrito tris epistolas, quas ego lacrimis prope delevi.* hæ erant legentis. cum scribente Arethusâ facit Sappho:

Scribimus, & lacrimis oculi rorantur obortis.
Aspice, quam sit in hoc multa litura loco.
BROUKH.

v. 5. AUT SI QUA INCERTO FALLET TE LITTERA TRACTU] Oculos tuos effugiet, & latebit. sic Eleg. 4. lib. 1. *Accepta fallit uterque fide. Littera incerto tractu*, id est, instabili & errante. Ut *ducere lineam* dicitur pictor, sic & scriptor *ducere litteras*. itaque hic *tractu*, pro, ductu positum. ut Eleg. 14. lib. 1.

Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem.

& infra hic:

Traxit ab everso lumina nigra rogo.

pro duxit. Contra Eleg. 15. lib. 3. *Tibi gloria Dirce ducitur.* & Juvenalis Sat. 10. *Seianus ducitur unco.* pro, trahitur. Aliud est Ciceroni 2. de Orat. *Tractus verborum*, & *Tractus orationis*. Aliud Virgilio 1. Georg. *Tractus flammarum*, & 2. Georg. *Tractus anguis*. PASS. *Aut si qua*. Gebhardi libri: *At si qua*. BROUKH.

v. 6. SIGNA MEÆ DEXTRÆ JAM MORIENTIS ERUNT] Quia dextrâ scribimus. Ovidius Epist. Canaces:

Dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrum.

Ideo Ciceroni Antonius dextram præcidi jussit, quod eâ scripsisset Philippicas. *Dextra moriens*, deficiens Tibullo: *Te teneam moriens deficiente manu*. PASS. *Erunt*. Groninganus *erant*. BROUKH.

v. 7. TE MODO VIDERUNT ITERATOS BACTRA PER ORTUS] Sic Eleg. 7. lib. 3. *Nox vidit*, & *Aquila videbit*. Plautus item Amphitr. *Tellus Epirotica vidit*. De Bactris capite regionis Bactrianæ dictum ad Eleg. 1. lib. 3. v. 16. *Per ortus*, Orientis populos, & regiones. Ovidius in fine lib. 1. Metam. *Patriosque adit impiger ortus*. Tibullus Elegia 5. lib. 2. *Quaque patent ortus*. Solis ortus dicitur pleno sermone. *Iteratos*, iterum peragratos. Horatius Ode 7. lib. 1. *Iterabimus æquor*. Noster Eleg. 1. sup. *Obliquæ signa iterata rotæ*. PASS. Favet huic explicationi Lucanus lib. 2. v. 641. *Totos mea, nate, per ortus Bella feret*. id est, per totum Orientem. Aliter Ovidius lib. 6. Fast. v. 199.

Mane ubi bis fuerit, Phœbusque iteraverit ortus;
Factaque erit posita rore bis uda seges;
Hac sacrata die Tusca Bellona duello
Dicitur: & Latio prospera semper adest.
VULP.

v. 8. TE MODO MUNITO SERICUS HOSTIS EQUO] Vet. lib. *Henricus hostis*, unde Beroaldus: *Sericus hostis* emendavit. probo. nam Bactra & Seras conjungit etiam Horatius Ode 29. lib. 3. *Quid Seres, & regnata Cyro Bactra parent*. & Ode 12. lib. 1. *Seras & Indos*. De iis Virgilius 2. Georg. & ibi Servius. Plinius item lib. 6. cap. 17. & 22. Idem lib. 34. cap. 14. ait palmam Serico ferro tribui; unde subjecit Noster, *Munito equo*. Si *Bæticus* legimus, ut liber Scaligeri, Cantabricum bellum significabit, de quo Dio, & Horatius. Si *Noricus*, ferreus significatur a Norico ferro, ut apud Horatium Ode 16. lib. 1. *Noricus ensis*. Noricum, regio est Germaniæ. *Hostis equo munito* dictum, ut *Bacchus docta cuspide* Elegiâ 30. lib. 2. *Munito equo*, laminis ferreis tecto una cum equite cataphracto, qua de re Eleg. 12. lib. 3. v. 12. An *Seras* pro Parthis posuit? PASS. *Sericus hostis*. valde hic turbant libri. ---- τὸ *Bæticus* Scaligeri nusquam comparet. neque *Persicus*, aut *Parthicus* Douzæ F. admitti potest, ex Modiano *Duricus*. quum in Mudiano (is est Groninganus) legatur *Euricus*, quod ex

Hibernique Getæ; pictoque Britannia curru;
Ustus & Eoo decolor Indus equo.

Hæcne

Hericus manavit . ---- Adposite Lucanus L. 1.

Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes.

nam ejus fluminis mentio fiet paucis abhinc versibus. Mela L. 1. C. 2. *In ea primos hominum accepimus ab Oriente, Indos, Seres, & Scythas.* BROUKH. Editio princeps, *hernicus hostis.* VULP.

v. 9. HIBERNIQUE GETÆ; PICTOQUE BRITANNIA CURRU] Getæ Scythiæ populi, qui ad Pontum in Orientem vergunt. Strabo lib. 7. Plinius lib. 4. cap. 1. & 2. Spartianus vero in Caracalla ait, Getas Gotthos dici. *Hiberni*, gelidi. Horatius Ode 24. lib. 3. *Rigidi Getæ*, Sic Eleg. 7. lib. 2. *Hibernos Borysthenidas.* Innuit autem bellum Augusti cum Getis. de cujus apparatu Virgilius 7. Æneid. *Getis inferre manu lacrimabile bellum.* Horatius Ode ult. lib. 4. *Non Getæ, non Seres Edicta rumpunt Julia,* & Ode 8. lib. 3. *Occidit Daci Cotisonis agmen*, at is Getarum rex vocatur a Suetonio in Augusto cap. 63. cui scribit M. Antonius olim despondsam fuisse ab Augusto filiam Juliam. Vide Dionem lib. 51. de Getis a M. Crasso victis, sub Augusto, Xiphilinus in Domitiano pro comperto scribit, Getas trans Hæmum apud Danubium incolere. *Pictoque Britannia curru.* Esseda Britanna significat, de quibus Eleg. 1. lib. 2. v. 76.

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

ubi plura. Beroaldus addit ex Mela lib. 3. cap. 6. Britannos dimicare bigis & curribus Gallice armatos; eosque Covinos vocari docet ex Lucano, quorum falcatis axibus utuntur. unde Covinarius, qui agit eum currum, vel eo vehitur. Corn. Tacitus in Vita Agricolæ. PASS.

v. 10. USTUS ET EOA DISCOLOR INDUS AQUA] De apparatu belli Indici dictum ad Eleg. 10. lib. 2.

India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho.

τὸ *Discolor*, non placet: malim decolor; ut Ovidius 4. Metam.

Decolor extremo qua cingitur India Gange,

& lib. 3. A. A.

Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.

Juvenalis Sat. 6. de filio Æthiopis: *Mox decolor heres Impleret tabulas. Ustus*, tostus, perustus. Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.

Noster Elegia 13. lib. 3.

Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.

Qui duo loci confirmant alteram lectionem: *Ustus Eois equis.* Sed vulgata retineri potest hoc ordine verborum: Ustus Indus, decolor aquâ Eoâ, id est, quem aqua ipsa decolorat. Strabo enim lib. 12. scribit, quibusdam visum fuisse, quod Æthiopes nigri & crispi sint, vi aquarum ejus regionis fieri. Superior explicatio & lectio, *Equis*, magis placet. Aliàs legitur, *Acu:* Palmerius. P. Iodi utrum aquâ suâ inficiantur, & colorentur, an vero æstu Solis propinquioris, disquirant philosophi. NOBIS RES EST CUM POETA, POETICE EXPLICANDO. veteres illi omnes caussam nigri in Indis coloris semper Soli dederunt, aquæ numquam. *Testimoniis a Passeratio allatis adde* Lucretium L. 6. quo loco de Nilo agit:

Ille ex æstifera parti venit amnis ab Austro,
Inter nigra virûm percoctaque sæcla calore.

Seneca Oedip. v. 120. *Promit hic ortus, aperitque lucem Phœbus, & flamma propiore nudos Inficit Indos.* Ovidius L. 2. Metam. ubi incendium a Phaëthonte:

Sanguine tum credunt in corpora summa vocato
Æthiopum populos nigrum traxisse colorem.

vide & Macrobium L. 2. in Somn. Scip. C. 10. ubi de humore, quo ignem ætherium nutriri ajunt. --- itaque omnino recipienda videtur Passeratii emendatio: nisi malis *Eoo equo*, ut fiat hypallage numerorum. porro *decolor* legendum est, pro *discolor*, cum eodem viro magno. exemplis ab eo adductis conferre potes quæ Jac. Nicolaus Loënsis L. 8. Epiphyll. Miscell. C. 10. observavit. non quo ea probent *decolor* esse idem quod *niger*; sed quia *decolor* dicitur

de

Hæcne marita fides, hæ pactæ sunt mihi noctes,
Quum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo.

Et

de colore vitiato, & deperdito, ac deformato. Broukh. Decolorem & decoloratum dicebant veteres pro eo quod nigrorem aliunde contraxisset. Suetonius in Augusto c. 4. *Manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius*. Cicero etiam lib. 2. de Divinat. *Decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse*. Vulp.

v. 11. Hæcne marita fides, et pactæ sunt mihi noctes?] Similis conquestio Elegia 6. lib. 3.

Hæc te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?

Ovidius pariter Epist. Hypsipylee:

Heu ubi pacta fides? ubi connubialia jura?

& 3. Fast.

Heu ubi pacta fides? ubi quæ jurare solebat?

Fides marita, conjugalia. ut Eleg. 20. l. 3. v. 26. *Sacra marita*, & Eleg. ult. infra: *Facibus maritis*. *Noctes*, gaudia nocturna. ut Eleg. 17. lib. 2. *Mentiri noctem*; & Elegia 8. lib. 3. *Furandæ copia noctis*. *Pactæ mihi*, quasi pacto convento promissæ & constitutæ. nam pagere, firmare est, & statuere. Sic Eleg. 20. lib. 3. *Pactas in fœdera ruperit aras*. & Ovid. Epist. Phyllidis:

Literibus nostris anchora pacta tua est.

id est, promissus reditus. Pass. Legendum e vestigiis meliorum codicum, *hæ pactæ sunt mihi noctes?* quomodo Beroaldus ediderat. Broukh.

v. 12. Quum rudis urgenti brachia victa dedi] Id est, nondum virum experta. vide adnotata ad Eleg. 17. lib. 3. v. 7. Ovidius 4. Fast.

Sine labe juvencam
Mactarunt, operum conjugiique rudem.

Nuptiarum expers Horatio, ἄγαμος Sapphoni dicitur. Plautus Casina 4, 4. *Amabo, integræ, atque imperitæ huic impera*. *Dedi brachia*, dedi manus, ut victi solent victoribus. ergo a gestu supplicantium. monet Virgilius extrema Æneide:

Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem
Protendens.

& mox: *Vicisti, & victum tendere palmas Ausonii videre*. Noster Eleg. ult. infra:

Capta dabit vestris moribus illa manus.

Horatius Epodo pænult. *Jam jam efficaci do manus scientiæ Supplex, & oro*. An ortum a victis, qui herbam victoribus porrigebant? *Dare manus*, tendere; ut dare terga, ostendere. Lucretius dixit lib. 2.

Si tibi vera videtur,
Dede manus: aut, si falsa est, accingere contra.

Brachia victa, ut *Fesso mento* Eleg. 7. lib. 3. *Tardas aures* Eleg. 1. lib. 1. *Urgenti*, instanti, prementi. Nonius: Urgere, insistere, cogere, premere. & honesta est oratio: nam premere est etiam in obscœnis. Pass. *Rudis*. Imperitum, ignarum dixerunt *rudem*. inde *erudire*, ex imperito seu rudi peritum efficere. Italice, *dirozzare*. Ovidius 7. Metam. v. 213. de dracone pervigili: *Custodemque rudem somni sopistis*. *Rudem ætatem* pro puerili legere est apud Senecam patrem initio Suasoriæ secundæ. Ceterum hoc Propertii loco *rudis*, est *ignara puella mariti*, ut ait Horatius Epist. 1. lib. 2. v. 131. Græcis ἄπειρος ἔλυσα τὸ γάμου, atque, ut Hesiodus ait ἐν Ἔργοις v. 52. ὕπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης. vel ἀδμήτη, seu παρθένος ἀδμής, ut Homerus appellat Nausicaam Odysseæ lib. 6. v. 109. Idem Hymno in Venerem v. 133. de nova nupta:

Ἀδμήτην μ' ἀγαγὼν, καὶ ἀπειρήτην φιλότητος.

Alio pertinet ἄζυγος κόρη, puella scilicet nondum viripotens, de qua Horatius Od. 5. lib. 2. *Nondum subacta ferre jugum valet Cervice, nondum munia Comparis Æquare*. Vulp.

v. 13. Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa Traxit ab averso lumina nigra rogo] Sic Eleg. 6. lib. 2.

Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,
Et posuit castâ turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos.

Fax prætulit omen mihi, ominia caussâ nu-

Et Stygio ſum ſparſa lacu, nec recta capillis
Vitta data eſt: nupſi non comitante deo.

Omni-

benti mihi præluxit. de hoc ritu nuptiali vide adnotata ad illud Catulli ex epithalamio Manlii: *Spineam quate tædam*. Facem autem in nuptiis in honorem quoque Cereris præferebant: Feſtus in *Facem*. *Deducta*; quum deducerer ad novum maritum a duobus pueris patrimis, & matrimis, qui me tenebant; tertio præferente facem. Feſtus in *Patrimi*. Sed apud Græcos facem attollebat nubenti filiæ mater. vide Euripidem Iphigenia in Aulide. Deduci, ſolenne verbum ei rei. Tibullus El. 4. l. 3. *Juveni primum virgo deducta marito*. Ovidius 4. Faſt.

Quum primum cupido Venus eſt deducta marito,
Hoc bibit; ex illo tempore nupta fuit.

De deductione ad domum mariti Pomponius J. C. L. *Mulierem* 5. D. *de Ritu Nuptiarum*. Abutuntur interdum hoc verbo ad ſtuprum. Cicero 4. in Verr. *Hic eſt ad quem iſte deduxerat Tertiam Iſidori mimi filiam*. vide jocum ejuſdem Tullii apud Suetonium in Julio cap. 50. *Deducte*, præteritum pro præſenti tempore. ut Eleg. 14. lib. 3.

Increpat & verſi clavis adunca trochi.

id eſt, dum vertitur. *Traxit*, pro, duxit, ſumſit, concepit. ut Eleg. 21. lib. 3.

Et trahere occultum membra ſoporis iter.

Lumina nigra, atros ignes. ideo ſubjicit, *rogo*, quia rogus ex lignis ſtruebatur plus fumi, quam flammæ emittentibus. Virgilius 4. Æneid. *Sequar atris ignibus abſens*. Ovidius 4. Faſt.

Conde tuas, Hymenæe, faces, & ab ignibus atris
Aufer. habent alias mœſta ſepulcra faces.

Horatius Ode 12. lib. 4. *Nigrorumque memor, dum licet, ignium*. Flamma autem ſecunda, & felix omen quum purius lucebat. unde dixit Eleg. 10. lib. 3.

Luxerit & totâ flamma ſecunda domo.

Everſo rogo. *Buſta jacentia* dixit Eleg. 6. lib. 3. v. 29. Ovidius 13. Metam. ----- *Quum Memnonis ardens alto Corruit igne rogus*. Idem Epiſt. Phyllidis:

Suntque ſepulcrali lumina mota face.

Idem 10. Metam. de infauſtis nuptiis Orphei & Eurydices:

Fax quoque quam tenuit (Hymen) *lacrimoſo ſtridula fumo*
Uſque fuit, nulloſque invenit motibus ignes.

Suetonius in Domitiano cap. 15. *Evenit ut repentina tempeſtate dejecto funere ſemiuſtum cadaver diſcerperent canes*. PASS. Integrum hunc locum luculenter illuſtravit M. Ant. Delrius Comment. in Senecæ Medeam v. 17. alioqui Furiis adſignabant deducendi officium in nuptiis parum auſpicatis. vide Ovidium L. 6. Metam. de nuptiis Terei & Procnes, & Epiſtola Hypſipylæ; item Valerium Flaccum L. 2. v. 173. denique Papinium L. 4. Thebaid. a. v. 133. *Traxit ab everſo l. n. rogo*. Valerius Maximus L. 9. C. 1. de L. Catilina: *Filium ſuum, quem & ſolum & ætate jam puberem habebat, veneno ſuſtulit: protinuſque ex rogo ejus maritalem facem accendit*. nihil poterat dirius excogitari. tales enim faces ipſæ Eumenides gerebant in crudeliſſimis quibuſque ſceleribus. vide Senecam Herc. fur. a v. 103. BROUKH.

v. 15. ET STYGIO SUM SPARSA LACU, NEC RECTA CAPILLIS VITTA DATA EST: NUPSI NON COMITANTE DEO] Tria hic infelicium nuptiarum omina ponit. primum quum ait, *Stygio ſum ſparſa lacu*; aqua triſti & infelici Stygiæ paludis. Horatius *Avernales aquas* vocat, Virgilius *Latices ſimulatos fontis Averni*. Noſter Eleg. 1. ſup. *Magicas aquas*. *Lacus*, pro aqua ipſa. ut Eleg. 3. lib. 3.

Tinguunt Gorgoneo punica roſtra lacu.

Sic Eleg. 20. lib. 1. *Haurire flumina*. Spargebantur vero, aut abluebantur ſacra facturi, ut Eleg. 6. infra: *Spargite me lymphis*. At hæc erant ſacra marita, quibus aqua & ignis adhibebantur. Ovidius lib. 2. A. A.

Quot faciunt juſtos ignis & unda viros.

Statius lib. 1. Silv. in Epithalam. Stellæ & Violantillæ:

Quarinuntque novena
Lampade ſolennem thalamis coeuntibus ignem,
Et de Pieriis vocalem fontibus undam.

Vale-

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.
Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

Occi-

Valerius Flaccus lib. 8. Argonaut.

Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras
Æsonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt: ignem Pollux, undamque jugalem
Prætulit.

Servius ad illud 4. Æneid. *Fulsere ignes, & conscius æther Connubii:* Varro dicit; *Aqua & igni mariti uxores accipiebant. unde & hodie faces prælucent, & aqua petita de puro fonte per puerum felicissimum, vel puellam quæ interest nuptiis, de qua solebant nubentibus pedes lavari.* Varro 4. de L. L. *Caussa nascendi duplex, aqua & ignis. ideo ea in nuptiis in limine adhibebantur.* & mox: *Hinc & mas ignis, quod ibi semen; aqua femina, quod fœtus ab ejus humore, & earum conjunctione sumsit Venus.* vide Festum in *Aqua*, & in *Facem*; item Scævolam L. pænult. *de Donat. inter virum & uxorem*, denique Plutarchum in Romaicis Quæst. 1. Alterum dirum omen, quum ait: *Nec recta capillis Vitta data est.* De vittis lege adnotata ad illud Catulli de Nupt. P. ac Th.

Et roseo niveæ residebant vertice vittæ.

& ad Eleg. 6. lib. 3. v. 30. Erant autem aliæ virginum, aliæ nuptarum vittæ. Virgilius 2. Æneid.

Virgineas ausi divæ contingere vittas.

Valerius Flaccus lib. 8.

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Noster Eleg. ult. infra:

Postquam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Discrimen, quod virginum vittæ quodammodo jacentes & residentes erant, ut in loco Catulli prænotato de Parcis: nuptæ autem rectas gestabant, ut hic locus indicat. Lucanus de nubente:

Turritaque premunt frontem matrona corona.

& Statius 1. Silv. in Epithalamio Stellæ: *Celsæ simul aspice frontis honores, Suggestumque comæ.* Festus in *Celibari hasta*: Celibari hasta caput nubentis comebatur, quæ in corpore gladiatoris stetisset abjecti, occisique. de hac re Ovidius 2. Fast.

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.

An *Rectæ vittæ*, ut viriles togæ positis prætextis Rectæ dicebantur, quæ a stantibus, & in altitudinem texebantur ominis caussâ? Festus in *Rectæ*. Quin etiam muliebres vestes rectæ Plinio lib. 8. H. N. cap. 48. qui recta tunica nubentem indui solitam ait. An *recta*, pro recte, nomen pro adverbio? ut mox versu 22. *Æternus pascat*. Lipsius in Notis ad Tacitum ostendit ex Ammiano, & aliis, cirratas fuisse ionuptas, ut & cirratos pueros ex Persio; apud quem vide plura huc facientia. Tertium dirum omen, *Nupsi non comitante deo*; non deducente me Hymenæo. Ovidius l. 10. Metam. de Hymenæo:

Orphéa nequicquam voce vocatur.
Adfuit ille quidem, sed nec solennia verba,
Nec lætos vultus, nec felix attulit omen.

vide Catullum in Epithalamio Manlii; cujus initium: *Collis o Heliconii Cultor, Uraniæ genus*. PASS. *Et Stygio sum sparsa lacu.* non erat ullum omen infelicius. - - - - - - - hic pro puro fonte est obscœna Stygis aqua. ita & Ovidius Ibin suum lavari facit, jam primulum natum:

Qui simul impura matris prolapsus ab alvo
Cinyphiam fœdo corpore pressit humum;
Protinus Eumenides lavere palustribus ulvis,
Qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis.

BROUKH.

V. 17. OMNIBUS HEU PORTIS PENDENT MEA NOXIA VOTA] *Vota*, pro dona votiva. nam infra dicet:

Armaque quum tulero portæ votiva Capenæ.

Sic Eleg. 19. lib. 2. *Veneri ponere vota juvat*. *Noxia* per aphæresin, obnoxia, quæ *debita* vocat Eleg. 16. lib. 1. v. 44. Sed vet. lib. *Mea pendent anxia vota*. per hypallagen, vota uxoris tuæ anxiæ, & de te sollicitæ. *Pendent*, quia suspendi solebant donaria. Horatius Ode 5. lib. 1. *Suspendisse potenti Vestimenta maris deo*. Tibullus El. 1. lib. 1.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Turnebus lib. 23. Adv. cap. 6. citat hunc versum, & illum infra: *Armaque quum tulero p. v. C.* nec aliud quicquam adfert, nisi

vota

Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas:

Di-

vota suscipi consuevisse a propinquis pro iis qui militatum irent, & solvi pro reditu suspensâ tabellâ. *Portis*, quia portæ urbium sanctæ Jurisconsultis, non tamen Plutarcho. At in ipsis portis erant deorum simulacra, quæ a prætereuntibus salutabantur. Lucretius lib. 1.

Tum portas propter ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.

Imo & urbis portas osculabantur discedentes. Rutilius lib. 1. Itinerarii:

Crebra relinquendis infigimus oscula portis.

Portæ autem Romæ plurimæ apud Festum: Porta Romana, Ratumena, Lavernalis, Flumentana, Fontinalis, Capena, Lemonia, Minucia, Mugionia, Viminalis, Nævia, Navalis, Pandana, Piacularis, Querquetularia, Carmentalis, Roduscula-na, Collina, Salutaris, Sanqualis, Stercoraria, Catularia, Collatina, Prætoria, Principalis, Quintana, Quirinalis, Scelerata, &c. PASS. Noster secundus habet, *mea maxima vota*. --- sed nihil est mutandum. tantum abesse dicit, ut vota sua pro reditu Lycotæ aliquid juvent & prosint, ut prius noceant ac lædant. cur autem vota apud portas suspendit? credo vel in portis, vel prope portas urbium, fuisse signa Larium Vialium, quæ salutarint & qui proficiscebantur peregre, & qui peregre redibant. Plautus Merc. Act. 5. Sc. 2. *Invoco Vos, Lares Viales, ut me bene tutetis*. BR.

v. 18. TEXITUR HÆC CASTRIS QUARTA LACERNA TUIS] Fit a me hæc quarta lacerna, quæ nunc in manibus, in usum tuæ militiæ, & castrorum. nam dicet infra: *Castrensia pensa laboro*. De hoc more Ovidius 2. Fast.

Mittenda est domino (nunc nunc properate, puellæ)
Quam primum nostrâ facta lacerna manu.

In Elegia Cornelii Galli nuper excusa Florentiæ:

Quin etiam argento, puroque intexitur auro
Altera jam castris parta lacerna tuis.
Illic bellantum juvenum studiosa figuras,
Atque audita levi prælia pingit acu.

Sed ajunt, nomine Galli editam a Manutio, & ab ipso fictam. quid *Lacerna*, dictum ad Eleg. 12. lib. 3. v. 7. PASS.

v. 19. OCCIDAT, IMMERITA QUI CARPSIT AB ARBORE VALLUM] Exsecratur eum qui primus usum reperit muniendorum castrorum, & tubæ. Castrametationis inventor Pyrrhus: tubæ Piseus Tyrrhenus. id testantur Silius, & Plinius. *Occidat*, pro male sit ei, etiam mortuo. ut Eleg. 6. lib. 2. v. 31. *Carpsit*, decerpsit ferro. Carpere, lædere, inquit Donatus in Adelphos. Nonius: Carpere, auferre, decerpere. vide plura de hoc verbo adnotata ad Eleg. 5. lib. 2. v. 23. *Vallum*, neutro genere, tota munitio; vallus particula: Servius. sed non observatur. Idem Servius in 6. Æn. Consuetudo erat, ut miles Romanus ipse sibi portaret arma & vallum, id est, calas, sive fustes; ut adnotavi ad illud Tibulli Carm. 1. lib. 4.

Quemve locum ducto melius sit claudere vallo.

Idem Eleg. 10. lib. 1. sudem vocat:

Sed manibus qui sævus erit, scutumque sudemque
Is ferat.

Immerito, innocente; ut *Immerites ungues* Eleg. 4. lib. 2. Sic *Nux sine crimine vitæ* apud Ovidium. PASS. *Vallum*. T. Livius l. 3. Hist. *Tum quicumque ætate militari essent, armati cum cibariis in dies quinque coctis, vallisque duodenis, ante Solis occasum Martio in campo adessent. quibus ætas ad militandum gravior esset, vicino militi, dum is arma pararet, vallumque peteret, cibaria coquere jussit. Sic juventus discurrit ad vallum petendum. sumsere unde cuique proximum fuit: prohibitus nemo est.* VULP.

v. 20. ET STRUXIT QUERULAS RAUCA PER OSSA TUBAS] Construxit, composuit. Struere, augere: Festus. *Struere*, moliri, ut struere insidias. *Querulas tubas*. sic vocat *mæstas* Eleg. ult. infra; ut adnotatum ad Eleg. 7. lib. 2. v. 12. *Per ossa*, ossibus inter se junctis; ut Eleg. 4. lib. 3. v. 26. *Fixa per armos*. vult autem osseas fuisse tubas, quæ postea ex ære directo: Ovidius 1. Metam. & Vegetius lib. 3. de R. M.

cap.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno:
Æternuſque tuam paſcat, aſelle, famem.

Sic

cap. 5. Oſſea tuba ſigoificatur a Varrooe Eumenidibus apud Nonium in *Anima t Phrygios per oſſa cantus liquida canit anima*. Et Plutarchus in Convivio ſeptem ſapientam ex oſſibus cervorum fieri tibias ait, ſed optimas ex oſſibus & tibiis aſinorum. Iſidorus lib. 3. tibias inventas in Phrygia, & ita dictas ait, quod primum de cervinis tibiis, & cruribus hinnulorum fierent. Alii libri *Ære*, quia æneæ tubæ inventor Piſeus: Plinius teſtis lib. 7. cap. 56. Rauca & querula poeta conjungit etiam Eleg. 10. lib. 3. v. 23. PASS. *Et ſ. q. r. per oſſa tubas*. Artemidorus ὀνειροκριτικῆς lib. 1. Σύγκειται γὰρ (ἡ σάλπιγξ) ἐξ ὀστῶν, καὶ χαλκοῦ. *Compoſita eſt enim tuba ex oſſe, & ære*. Sed fortaſſe Propertius tubas pro tibiis uſurpavit, quæ primum oſſeæ fuerunt. nam in prœliis aliquæ gentes etiam tibiis utebantur. vide Polyænum in Strategematis, & quæ nos attulimus ad Eleg. 30. lib. 2. v. 21. Sane Horatius Ode 7. lib. 3. *tibiam* vocavit *querulam: Neque in vias Sub cantu querulæ deſpice tibiæ*. Philoſtratus de Vita Apollonii Tyanenſis lib. 5. cap. 21. Τοῦτο οὖν, ἔφη, ὦ Κάνε, πότερος αὐτὸς ἐργάζεται ὁ αὐλὸς, διὰ τὸ χρυσοῦ τε, καὶ ὀρειχάλκου, καὶ ἐλάφου κνήμης ξυγκεῖσθαι, ἢ δὲ καὶ ὄνου; ἢ ἕτερόν ἐστιν ὃ ταῦτα δύναται; id eſt, *Hoccine igitur, ajebat, o Cane, efficit tibia, eo quod ex auro orichalcove, aut cervorum aſinorumque cruribus compacta ſit? an aliud quiddam eſt, quod ad hæc valeat?* Potuit etiam *oſſium* nomine Propertius cornua ſignificare; quorum oſſea natura eſt. Tibias autem e cornu parabant. Nonnus Panopolites Dionyſiac. l. 3. v. 84.

Ἔβρεμον αὐλοὶ
Ἄζυγες, οὓς κεράοις κεραοξόος εὕρατο τέχνη.

i. e. *Fremebant tibiæ non junctæ, quas antiquo, cornua expoliens, invenit ars*. Icclrco Andreas Dacerius ad Oden 18. lib. 1. Horatii, Varronis verſum a Paſſeratio allatum ſic legit: *Phrygius per oſſa cornua liquidâ canit animâ*. VULP.

v. 21. DIGNIOR OBLIQUO FUNEM QUI TORQUEAT OCNO] Id eſt, magis commeruit eam pœnam, qoam Ocous. nam τὸ *Dignus*, anceps verbum: Cicero Philipp. 13. Ocnus, ſive piger, a Socrate pictus, ſpartum torquens, quod aſellus arrodebat: Plioius lib. 35. cap. 11. Quia verò ſummæ erat pigritiæ noo abigere aſellum, ideo Ariſtoteles hunc Ocnum ait mutatum in eodu genus omnium pigerrimum; ut poſt Politiaoum, qui jam hunc verſum illuſtrarat, notat Turnebus lib. 8. Adv. cap. 1. Vide Proverbium: *Ocnus funem torquet*; ſive *Contorquet piger funiculum*. Fabulam illam refert Pauſanias io Phocicis, & interpretatur. meminit & Plutarchus περὶ εὐθυμίας, Interpres Ariſtophanis in Ranas, & Diodorus l. 2. Vet. lib. *Obliqua orno*; quod Robertus Titius defendere conatus: ſed meritiſſime ridetur a Scaligero. *Obliquo*, ceſſim gradiente, ut ſolent qui funes torquent, & cancri & nepæ apud Plautum. Obliquus a poſitu corporis. Scaliger in Feſtum, Subliquus & Obliquus, a liquus ſive liquis deducit. Vetus Auctor loquens de figuris & lineamentis: *Omnem autem ſummitatem metiendi obſervationes ſunt duæ; Enormis & Liquis. Enormis, quæ in omnem actum rectis angulis continetur. Liquis, quæ minuendi laboris cauſſâ, & ſalva rectorum ratione angulorum, ſecundum ipſam extremitatem ſubtenditur*. *Torqueat funem*; unde σχοινοπλόκος dicitur ille Ocnus a Plutarcho περὶ εὐθυμίας. σχοῖνον πλέκειν, torquere funem. Vet. Gloſſ. σχοινοπλόκος, *Reſtio, reſticularis*. Pauſanias in Phocicis, celebratum ait proverbium apud Ionas: Συνάγει ὄκνος τὴν θώμιγγα. *Contorquet piger funiculum*. Sic *funes tortos* & *rudentes* dixerunt Virgilius & Horatius. Iſidorus lib. 19. cap. 4. *Tormentum funis in navibus longus, qui prora ad puppim extenditur, quo magis conſtringatur. Tormenta autem a tortu dicta ſunt reſtes, funeſque*. Sic *Torus* Catoni funis ex loris retortus, ut notat Scaliger io Coojectaneis. PASS. Ocnus fuit gnavus & induſtrius homo, qui uxorem ſumtuoſam & prodigam habebat; quæ quidquid ille opere faciundo per ſummum laborem quæritaſſet, profundere ſolita eſſet. Vide Alciatum Emblemate 91. & ibi Commen-

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?

Hæc

mentarium Claudii Minois. Vide etiam summum virum Jacobum Mazzonium lib. 3. Defensionis Comœdiæ Dantis pag. 829. & sequ. Funem igitur Ocni torquere, est irritum laborem sumere, hircum mulgere, aquam cribro haurire. quod si contigisset ei qui primus vallum ex arbore carpere instituit, minus bellatum esset, minus fusum humani sanguinis. *Funem qui torqueat.* Restiones etiam σχοινοστρόφοι a Græcis dicuntur: σχοινοστρόφους appellat Dio Chrysostomus Oratione 8. VULP.

v. 22. ÆLFANUSQUE TUAM PASCAT, ASELLA, FAMEM] Nomen pro adverbio, ut tempus ad personam translatum; ut Eleg. 29. lib. 2. *Maturius. Pascat tuam famem*, te famelicum alat. *Tua fames.* Ita Catullus: *Pisonis scabiei, famesque Memmi.* & Martialis Epigr. 7. lib. 3. *Quid cogitatis, o fames amicorum?* Virgilius 1. Georg.

Concussaque famem in silvis solabere quercu.

Sic Noster Eleg. 5. lib. 3.

Nec bibit e gemma divite nostra sitis.

id est, nos sitientes. *Pascere famem*, est comprimere. unde Virgilius: *Et amor compressus edendi.* Et *Pascito linguam*, coërceto, contineto, apud Festum. *Pascere & alere* hoc distant, inquit Nonius: ut sit alere sufficiendi generis curam habere: pascere, natos cibo saginare. Varro γεροντοδιδάσκαλος: *Ubi pregraves Pascantur atque alantur pavonum greges.* quidam a Φάσκω deducunt: Scaliger a πάω, πάσκω, adipiscor, vescor. *Asella.* asellam fuisse scribit Pausanias, a quo dicitur θήλεια ὄνος: *Asinus femina*, ut lupus femina: & uxorem prodigam viri laboriosi interpretatur. PASS. *Æternus.* optat enim, valli militaria inventorem æternas apud inferos pœnas dare; sicuti Danaides aquam in dolium pertusum ibidem portare dicebantur. VULP.

v. 23. DIC MIHI, NUM TENEROS URIT LORICA LACERTOS?] Sic Eleg. 32. lib. 2.

Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?

ubi vide adnotata. *Dic mihi*, velim hoc mihi respondeas; verum fatere. *Lorica*, inquit Varro 4. de L. L. *a loris, quod e crudo corio pectoralia faciebant: postea succenderunt Galli e ferro sub id vocabulum ex anulis ferream tunicam.* Servius in 8. Æneid. *Ægis munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput: quod si in pectore numinis fuerit, Ægis vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis Imperatorum statuis videmus, lorica dicitur.* Idem in eund. lib. 11.

Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit.

Id est, lorica, inquit; *nam proprie lorica tegmen de loro factum, quo majores uti in bella consueverant.* Contra Isidorus lib. 18. cap. 13. *Lorica vocatur eo quod loris careat; solis enim circulis ferreis contexta est.* Plinius lib. 11. H. N. cap. 23. *Nec puduit has vestes usurpare etiam viros levitatem propter æstivam. in tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes.* *Urit*, premit & cruciat, male habet. Donatus in illud Eunuchi: *Uro hominem.* dolere cogo. Horatius Epist. 13. lib. 1.

Si te forte meæ gravis uret sarcina chartæ.

Idem Epist. 10. lib. 1.

Ut calceus olim
Si pede major erit, subvertet: si minor, uret.

Juvenalis Sat. 6.

Quorum
Delicias & panniculus bombycinus urit.

id est, graves sunt vestes sericæ. Livius lib. 36. *Urente assidua labore. Lacertos teneros*, pro humeris dixit. ut Eleg. 6. lib. 3. v. 13. ubi vide adnotata. Lucilius apud Nonium in *Sumen*:

Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
Esse, tamen teneros moveat succussa lacertos,
Et manus ulterior lactanti in fumine sidat.

PASS.

Dic mihi. Virgilius Ecl. 3.

Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibœi?

ex quo Virgilii loco quam vere collegerit Donatus, τὸ *Dic mihi* semper esse injuriosum, ego quidem dispicere non possum: quamquam video omnes poetæ interpretes hoc horribile arcanum certatim transcripsisse ex Commentario in Terent. Andr.

Act.

Hæc noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris & macie vultum tenuasse: sed opto
E desiderio sit color ille meo.

At

Act. 4. Sc. 1. BROUKH. *Urit lorica lacertos*. Sic Horatius Epist. 16. lib. 1.

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus: Habes pretium, loris non ureris, aio.

Idem Epodo 4. *Hibericis peruste funibus latus, Et crura durâ compede*. Tacitus lib. 13. Annal. cap. 35. *Ambusti multorum artus vi frigoris*. Corn. Celsus lib. 4. cap. 3. *Eadem* (cutis) *aut ferramentis, aut sinapi adurendo*. Ceterum turpissimum fuisset Romano militi armorum pondere fatigari. vide quid Cicero scribat 2. Tuscol. *Nam scutum*, inquit, *gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus*. tu lege reliqua. VULP.

v. 24. NUM GRAVIS IMBELLES ATTERIT HASTA MANUS?] *Gravis*, & valida, & magni ponderis, ac impetûs: vel fortis. nam *gravis*, fortis Servio. Horatius Ode 15. lib. 1. *Nequicquam thalamo graves Hastas* ... *Vitabis*. Ovidius ult. Metam. *Gravis hasta minoris Atridæ*. Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Sive hac, sive illac gravidis venit impetus hastæ.

ubi vide adnotata. Servius in 1. Æneid. *Hasta, id est, curis, telum longum est, unde securis, quasi semicuris*. Festus in *Celibari hasta*, inquit, Hastam summam armorum atque imperii esse. *Atterit*, uso & tractatione corrumpit, & pæne consumit. Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Aut operi insuetas atteruisse manus.

Imbelles, molles, militiæ labori minus aptas & assuetas. ut Eleg. 6. infra: *Imbellee lyrae*. Sic Horatius Epist. 8. lib. 1. *Imbelle Tarentum* vocat, quod alibi *molle*. & Ode 4. lib 4. *Imbelles columbas*, quas *molles* vocat lib. 1. unde *imbellia*, belli inscitia: Festus. PASS.

v. 25. HÆC NOCEANT POTIUS, QUAM DENTIBUS ULLA PUELLA DET MIHI PLORANDAS PER TUA COLLA NOTAS] Lorica & hasta te lædant malo, quam ulla pellex collum tuum mordeat, ut illic vestigium libidinis, & nequitiæ appareat. Sic Eleg. 8. lib. 3.

In morso æquales videant mea vulnera collo.

ubi vide adnotata. *Det notas*, ut *Habere morsus*, Eleg. 5. infra:

Semper habe morsus circa tua colla recentes.

Plorandas mihi, caussam lacrimis meis. ut Ausonius: *Veneri plorandus Adonis*. *Plorare*, est queri cum clamore. PASS.

v. 27. DICERIS ET MACIE VULTUM TENUASSE: SED OPTO, E DESIDERIO SIT COLOR ISTE MEO] Reddidisse exilius & os, & faciem diceris: sed utinam cura mei absentis intabescas. *Tenuasse vultum macie*. Virgilius 3. Georg.

Ipsa autem macie tenuant armenta volentes.

& 4. Georg. *Horrida vultum Deformat macies*. Festus *Macilenti macie tenuati*. Dicitur & *Macor*, pro macie, & *Macritudo* Planto in Captivis. *Sed opto*. vide adnotata ad Eleg. 2. sup. v. 33. *Opto*: hoc est in votis. Optat & qui vovet, ac cupit, & qui eligit: Nonius. *Color iste*. nempe decolor, lurida macies. macies enim cum pallore jungitur; ut Eleg. 5. lib. 1.

Nec jam pallorem toties mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.

Ovidius 9. Metam.

Esse quidem læsi poterat tibi pectoris index
Et color, & macies.

At Epist. Canaces:

Fugerat ore color, macies adduxerat artus.

Desiderio meo, pro, mei. ut Eleg. 22. lib. 3.

Et desiderio, Tulle, movere meo. PASS.

Color iste. *color ille*, Vaticanus Livii. quod non displicet. Ovidius L. 1. Trist. Eleg. 1.

Nec te purpureo velent vaccinia fuco:
Non est conveniens luctibus ille color.

tum & *mei*, præ *meo*, poterat rectius videri. Cicero Orat. post reditum ad Quirites C. 3. *Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret, qui suo fletu desiderium mei memoriamque renovaret*. Idem pro Milone

At mihi quum noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.

Tum

lone C. 15. *Omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei*. Atque ita locutus est L. 7. ad famil. Epist. 18. L. 16. Epist. 1. L. 1. ad Attic. Epist. 3. Orat. post reditum C. 1. & rursus C. 3. De Haruspicum responsis C. 23. Pro Sextio C. 56. & C. 35. denique In L. Pis. C. 11. quamquam non est cur vulgatam omnino deseramus: nam & Terentius ita locutus est Heaut. Act. 2. Sc. 3.

Mulier telam deserit
Continuo, & lacrumis opplet os totum sibi:
Ut facile scires desiderio id fieri tuo.

& Phorm. Act. 5. Sc. 8.

Nam neque neclegentia tua, neque odio id fecit tuo.

& Cicero Orat. pro Murena C. 9. *Sed tamen ego mei satietatem magna meo labore superavi, & tu idem fortasse: veruntamen utrique nostrum desiderium nihil obfuisset*. BROUKH. *Diceris & macie vultum tenuasse*. Cæsar Augustus apud Suetonium Tiberio cap. 21. *Attenuatum te esse continuatione laborum, quum audio & lego, dii me perdant, nisi cohorrescit corpus meum*. labores autem Tiberii, ut Lycotæ, militares erant, Ovidius lib. 1. A. A. v. 735.

Attenuant juvenum vigilatae corpora noctes,
Curaque, & e magno qui fit amore dolor.

E desiderio meo. Cicero Philipp. 2. usurpavit *desiderium dissidii* pro mœrore ex dissidio & simultate orto, cum voluntate reconciliationis. *Ipse autem*, inquit, *amore ardens confirmabat, quod desiderium tui dissidii ferre non posset, se in exsilium esse iturum*. Illud Plauti geminum Amphitr. 2, 2, 30. *Atque id si volt experiri, suum abitum ut desiderem, Ecastor med haud invita se domum recipiat suam*. *suum abitum*, hoc est, ipsum qui abiit. Quum vero ego in Oratione quadam mea, de amplissimo viro dixissem: *Absentiæ tuæ desiderium Patavini cives ægre admodum laturi sint*: nempe mœrorem ex absentia contractum, cui desiderium absentis hominis adjunctum est; eum loquendi modum reprehenderunt censores audaculi, qui minus tritas aures habent notandis Latinæ orationis veneribus, & nihilominus triumphant gaudio quum occasionem obloquendi melioribus se nactos esse arbitrantur. VULP.

v. 29. AT MIHI QUUM NOCTES INDUXIT VESPER AMARAS] Non dissimile est illud Ovidii 5. Fast.

At simul inducunt obscura crepuscula noctem.

Vesper, stella Veneris, de qua Plinius l. 2. cap. 9. & quia noctem inducit, *noctifer* vocatur a Catullo Carm. 61. Eadem stella *Lucifer* mane dicitur, diemque ducit. Virgilius 2. Æneid.

Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem.

Amaras noctes; fletu vigilandas, tristes, acerbas. ut Eleg. 1. lib. 1.

In me nostra Venus noctes exercet amaras.
PASS.

Gebhardus e membranis Palatinis reponit *reduxit*, motus loco paullo post excutiendo, qui est Eleg. 8.

Recidit inque suos mensa supina pedes.

non ignoro *re* in compositis esse anceps, ob eamque rationem admitti posse τὸ *reduxit*: id vero quo minus faciam, in caussa est Ovidii locus parissimus, in quo ejusdem verbi idem usus, L. 5. Fast.

At simul inducunt obscura crepuscula noctem;
Pars Hyadum toto de grege nulla latet.

Sic alibi dixit: *terris inducere nubes*; & *tenebras inducere rebus*, Virgilius autem L. 4. Georg. sub finem:

Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus.
BROUKH.

Noctes amaras. Ovidius pariter Epist. Medeæ v. 169.

Non mihi grata dies; noctes vigilantur amaræ.

Tibullus quoque Eleg. 4. lib. 2.

Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra est. VULP.

v. 30. SI QUA RELICTA JACENT, OSCULOR ARMA TUA] Id est, quæcumque arma tua jacent. Et inutilia significat quum ait *jacent*: alioqui fixa essent. ut Virgilius 4. Æneid. *Arma viri thalamo quæ fixa reliquit*. *Osculor arma*, quia me tui admonent,

Etiam

Tum queror, in toto non ſidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aves.

Nocti-

Etiam mutis figebant oſcula. Virgilius 2. Æneid.

Amplexaque tenent poſtes, atque oſcula figunt.

Cicero lib. 5. Epiſt. ad famil. *Oſculari epiſtolam*. & 6. in Verr. *Oſculari ſimulacrum*. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Et dare ſacratis oſcula liminibus. PASS.

Oſculor arma tua. Amantes omnibus iis delectantur quæ cari capitis memoriam refricare poſſunt. Hinc Ovidiana Hero:

Quid referam, quoties dem veſtibus oſcula quas tu
Helleſpontiaca ponis iturus aqua?

& Juvenalis Sat. 6. v. 381.

Criſpo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operam dedit: hunc tenet, hoc ſe
Solatur, gratoque indulget baſia plectro.

VULP.

v. 31. TUM QUEROR IN TOTO NON SIDERE PALLIA LECTO] Quirito & ingemiſco lecti operimenta excuti, quum me huc illuc verſo. *Pallia* Baiſius putat eſſe, *les draps du lict*, quam *nocturnam veſtem* dixerit Horatius. Sed utrobique errat. nam hic ſunt ſtragula ipſa, ut apud Ovidium in eodem argumento lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Eſſe quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata, nec in lecto pallia noſtra ſedent?

ubi ſedere dixit, ut hic ſidere. Et Epiſt. Cydippes:

At mihi væ miſeræ torrentur febribus artus,
Et graviora juſto pallia pondus habent.

Juvenalis Sat. 6.

Advocat Archigenem, onëroſaque pallia jactat.

Aliud eſt pallium Græcorum, unde palliati philoſophi, & palliatæ fabulæ. Varro 4. de L. L. *Quibus operiebantur, operimenta, pallia, opercula dixerunt.* De Pallio legendus Tertullianus. De eo multa nugatur Iſidorus lib. 19. cap. 24. *Sidere*, eodem loco ſtare, unde *ſidera*, quæ inſidunt & inſiſtunt. Varro 6. de L. L. *Toto lecto*; & medio, & utraque ſponda. ut Eleg. 14. lib. 2. *Toto juvenem verſare cubili.* PASS.

v. 32. LUCIS ET AUCTORES NON DARE CARMEN AVES] Quum nox longiſſima mihi videtur, gallos accuſo quod non cantu ſuo lucem nuntiant. De galli cantu Auctor Moreti:

Excubitorque diem cantu prædixerat ales.

Ovidius 2. Faſt.

Jam dederat cantum lucis prænuntius ales.

ubi *dare cantum*, ut hic *dare carmen*. Virgilius 1. Æneid.

Et cœtu cinxere polum, cantuſque dedere.

Sic dare ſaltus, ſalire; dare gemitus, gemere; dare modos, modulari; dare ſonitus, ſonare; dare amplexus, amplecti. *carmen*, pro cantu avium. Virgilius 4. Georg. de luſcinia:

Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat.

[Tibullus pariter Eleg. 3. lib. 1.

Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.]

Significat Propertius gallicinium, de quo Plinius lib. 10. H. N. cap. 21. *Quarta caſtrenſi vigilia ad curas laboremque revocant; diemque venientem nuntiant* (galli) *cantu*. Huc facit illud Ovidii lib. 1. Amor. Elegia 6.

Inque ſuum miſeros excitat ales opus.

Auctores lucis. Aliter Ovidius 4. Metam. *-- Non amplius auctor Lucis adit* (Clytien.) id eſt, Sol lucis pater. Auctor eſt proprie qui magiſter auctionis plurimum licenti rem addicit, quia ad eum recurritur in auctione. ſic qui rem nuntiat, auctor rei dicitur. At diem nuntiant galli, unde auctores lucis dicuntur. Feſtus: *Auctor, communis generis apud antiquos.* Chariſius lib. 1. *Auctor, duorum generum, ab augendo, & generando.* Ovidius 1. Faſt.

Optima tu proprii nominis auctor eris.

Idem 8. Metam.

Quo fugit, exclamat, meritorum auctore relicto? PASS.

Galli gallinacei dicuntur *lucis auctores*, non quia ipſi lucem producunt, ſed quia cantu ſuo prænuntiant. ſic graculum *pluviæ auctorem* vocat Ovidius L. 2. Amor. Elegia 6.

Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera ducta suos.

Et

Vivit edax vultur, ducensque per aëra gyros
Milvius, & pluviæ graculus auctor aquæ.

ubi cur Nic. Heinsius *augur* maluerit, caussa nulla fuit. BROUKH. *Lucis auctores aves.* M. Tullius lib. 2. de Divinat. *Democritus quidem optimis verbis caussam explicat cur ante lucem galli canant.* lege reliqua. Martialis Epigr. ult. lib. 14. *Lucis aves* ἁπλῶς vocat:

Cristatæque sonant undique lucis aves.

Aliter Cicero 1. de Divinat. *Sibique eas aves, quibus auctoribus officium & fidem secutus esset, bene consuluisse.* Ita Senecæ in Herc. Fur. v. 1070. *Somnus* dicitur *futuri Certus, & idem pessimus auctor.* Ceterum auctor feminino genere plures extulerunt. Plautus Trinummo 1, 2, 70. *Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo.* Ovidius Epist. 15. Heroid.

An, nisi legisses auctoris nomina Sapphûs,
Hoc breve nescires unde veniret opus?

Idem Epist. Hypermnestræ:

Ultima quid referam, quorum mihi cana senectus
Auctor?

Sic *auctor vocabulorum antiquitas* dicitur Macrobio lib. 1. in Somn. Scip. cap. 15. Manilius lib. 1. Astronom. v. 299.

Angusto Cynosura brevis torquetur in orbe,
Tam spatio, quam luce minor; sed judice vincit
Majorem Tyrio: Pœnis hæc certior auctor
Non apparentem pelago quærentibus orbem.

Seneca Medea v. 976. *Quicumque regum es cladibus fidus, dolens, Concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi Capiamus.* loquitur de Medea. Justinus lib. 7. H. T. cap. 7. de Carano: *Religioseque postea observavit, quocumque agmen moveret, ante signa easdem capras habere, cœptorum duces habiturus, quas regni habuerat auctores.* Boëthius lib. 3. De Consolat. Philos. lib. 3. Prosa 5. *Si hæc regnorum potestas beatitudinis auctor est.* Hoc & in aliis vocabulis, quæ plerumque masculina sunt, nonnumquam usuvenit. Plautus Amphitr. 1, 1, 33. *Victores victis hostibus legiones reveniunt domum.* Ovidius Epist. Paridis:

Sponsor conjugii stat dea picta sui.

Cornelius Severus apud Charisium lib. 1.

Ignea jam cælo ducebat sidera Phœbe
Fraternis successor equis.

Ulpianus J. C. L. 2. tit. 17. lib. 50. Digest. *Feminæ .... nec procuratores exsistere possunt.* Sic *Dux femina facti*, dixit Virgilius lib. 1. Æneid. v. 365. Canidia vero apud Horatium Epodo 18. *Vectabar humeris tunc ego inimicis eques. Dare carmen.* Virgilius lib. 7. Æneid. v. 700. *Longa canoros Dant per colla modos.* dare, pro edere. Sic Horatius Ode 16. lib. 1. *Altis urbibus ultimæ Stetere caussæ.* pro exstitere. VULP.

v. 33. NOCTIBUS HIBERNIS CASTRENSIA PENSA LABORO] Dixit enim:

Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

Laboro pensa, cum labore & cura lanam carpo, vel neo, vel texo. Laborare, cum quarto casu: Horatius Epodo 5. *Nardo perunctum quale non perfectius Meæ laborarunt manus.* *Laborare*, pro opus facere. Terentius Heaut. *Rastros depone, ne labora.* Cicero 2. de Nat. Deor. *Vellem hos esses laborare.* *Laborare pensa*, quod Plautus, *Pensa accurare*, sed μεταφορικῶς dixit. Quid & unde dictum pensum, adnotatum est ad Eleg. 6. lib. 3. v. 15. Appendebant lanam ancillis (unde eæ dicuntur Juvenali *Librariæ*, ut notat Interpres) quam pari pondere redderent deductis burris, & quisquiliis. *Castrensia*, in usum castrorum, ut loquitur Virgilius 3. Georg. Sic Elegia 9. lib. 3. *Castrensibus utilis armis.* *Noctibus hibernis*, quæ longissimæ sunt, & ducuntur nendo, & texendo ad lucernam. Virgilius 6. Æneid.

Tres Notus hibernas immensa per æquora noctes
Vexit me violentus aquâ.

Sic Plautus Pseudolo: *In una hora.* *hiberna addito.* [nam quum diem, & noctem Romani in duodecim horas tribuerent, horæ diurnæ æstivæ longiores erant quam hibernæ. sic & horæ nocturnæ hibernæ longiores erant quam æstivæ.] PASS.

v. 34. ET TYRIA IN GLADIOS VELLERA SECTA SUOS] Et laboro lanam Tyrio murice infectam. Virgilius 3. Georg.

Quam-

Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
Quot sine aqua Parthus millia currat eques.

Cogor

Quamvis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Horatius Epodo 12.
Muricibus Tyriis iterata vellera laua.
De Tyria purpura vide adnotata ad Eleg. 13. lib. 3. v. 7. *Secta in gladios suos*. Scaliger *gladios* explicat κατὰ γμᾶτα, & tracta lanea, a similitudine. Fortasse vestis Tyria intextis quasi gladiolia distinguebatur, ut dicuntur vestes *papaverata*, & *scutulata*, a specie earum rerum intexta. Hæc altera Beroaldi sententia. [prima enim est inepta, nec digna quæ referatur.] Sic dicuntur & *Palmata & Virgata vestes*. Sed veteres libri habent *in clavos* (ut legamus *tuos*, pro *suos*) id est, ut clavis quibusdam purpureis vestis militaris insigniatur. Clavus erat plagula, quæ ab humeris in pectus demittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum. Ea clavis quibusdam consita erat, in senatoribus quidem, latioribus; in equitibus vero, angustioribus. Propterea tota plagula ipsa vocabatur clavus. Nonius: *Paragium, aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet*. Hæc Scaliger in Conjectaneis. Inde *praclavium*, pars vestis, quæ ante clavum texitur: idem Nonius. Festus in *Recinium: Togam prætextam clavo purpureo*. erant enim & aurei clavi, & purpurei. Hinc sæpe *Laticlavii*, & *Augusticlavii*. Lipsius lib. 5. Antiq. Lect. cap. 10. *Radios*, legit ex Farnesiano lib. ubi *Gradios*. nam radii sunt textorii. Virgilius 9. Æneid.
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Sed in radios vellera secari non possunt, nisi dicas, ut texantur, & percurrantur radiis. An *radii*, virgæ, ut in Geometria? unde *virgata vestes*. *Secta*, an alludit ad segmenta? [*frangit*]. *suos*, ejusdem purpuræ & lanæ, vel Tyriorum armorum formâ. PASS. Beroaldi sententiam (si tamen τὸ *gladios* verum est) juvare poterant, opinor, ista Apuleji L. 8. Metam. *Quidam tunicas albas, in modum lanciolarum quoquoversum fluente purpura depictas, cingulo subligati, pedes luteis induti calceis*, &c. sed obstat mos Romanæ militiæ, ubi nullus usus vestium virgatarum. itaque Lipsium audio & sequor legentem *radios*. -------- sed τῷ *secta* quid fiet? id non dubito quin fuerit *ducta*, corruptum olim ex *ducta*. proprium huic rei hoc verbum. Ovidius lib. 4. Metam. *Aut ducunt lanas*. BROUKH. Locum Appuleji & ego adolescens attuleram, priusquam Broukhusii Adnotationes oculis usurpassem. non dicam tamen cum Donato: Pereant qui ante nos nostra dixerunt. potius mihi gratulabor, me cogitare potuisse quæ recto judicio, & eximia eruditione viri priores cogitavere. VULP.

v. 35. ET DISCO, QUA PARTE FLUAT VINCENDUS ARAXES] Plenus sermo: *Qua parte* (orbis) *fluat*: concisus vero Eleg. 3. lib. 3.
Bellerophontei qua fluit humor equi.
Vincendus Araxes, domandus Armenius. nam populi per fluvios designantur. sic Elegia 4. lib. 3.
Tigris & Euphrates sub tua jura fluent.
PASS.
Hoc distichon male occupaverat sedem superiorem, nimirum ante illud, *Cogor & e tabula*. itaque huc revocavi. neque aliter sentiet, qui expendere voluerit. BROUKH. Censebam olim adolescens, collocandum hoc distichum post id quod proxime insequitur, ne ordo sententiæ turbaretur: inveni postea, idem visum fuisse Broukhusio. VULP.

v. 36. QUOT SINE AQUA PARTHUS MILLIA CURRAT EQUUS] Quanta spatia emetiatur, quantum itineris conficiat, sitim tolerans. *Millia* (passuum), milliaria, quæ octo stadiorum fuisse docet Plutarchus in Gracchis. Scaliger *Eques* legendum contendit, ubi ex Dionis lib. 40. multa adfert de tolerantia Parthorum. vel si *Equus* legimus, *Sine aqua*, erit sine strigatione, & sine urina. Sed *equus* pro *eques*, & contra sumitur; ut Eleg. 4. lib. 3. *Tela fugacis equi*. Adde quod *Sine aqua* conjungendum cum *Millia*: non cum *Equus*. De siccitate camporum Parthicorum, & aquarum inopia Plutarchus in Crasso & Antonio; unde Noster Eleg. 6. infra, *Arenas nigras* vocat.

Ovi-

Cogor & e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis & hæc docti sit positura dei.

Ovidius lib. 1. Pootic. Eleg. 3. ubi loquitur de Scythis, unde oriundi Parthi:

Dant illis animos arcus, plenæque pharetræ:
Quodque sequens nullas hostis habebit equas.

Plinius lib. 25. H. N. cap. 8. *Hippice herba est apud Scythas, quam & ipsi, & equi in ore habentes, famem & sitim non sentiunt.* PASS. Nescio quare hic *equus* maliot. nam profecto plerique veteres & hominem equo insidentem, & equum qui insideretur, *equitem* dixerunt. Virgilius L. 3. Georg.

Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Junius Philargyrius: *Hic EQUITEM sine dubio equum dicit, maxime quum inferat, Insultare solo.* Ennius Annal. VII.

Denique vi magna quadrupes equos atque elephanti
Projiciunt sese.

Minucius Felix, scriptor castigatissimus: *Testis & Curtius, qui equitis sui vel mole vel onere hiatum profundæ voraginis coæquavit.* consulendus Noctium Atticarum luculentus auctor L. 18. C. 5. &, qui eum exscripsit, Macrobius L. 6. Saturn. C. 9. BROUKH. *Quot sine aquo millia.* Geminus Livii locus lib. 42. *Duodecim millium passuum via omnis sine aqua, & plurimi pulveris erat.* *Parthus eques.* Corn. Tacitus l. 15. Annal. cap. 3. *egenam aquarum regionem Parthorum* vocat. Vide Appianum Alexandrinum lib. de Bellis Parthicis, ubi incommoda ejus regionis describit. *Parthus eques.* Cicero Epist. 25. lib. 9. ad Pætum, jocose suo more: *Cogito .... navicularum habere aliquid in ora maritima: contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri posse.* De Parthorum equitatione plura Justinus lib. 41. cap. 2. & cap. 3. *Equis omni tempore vectantur. illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt: super illos ire, consistere, mercari, colloqui.* VULP.

v. 37. COGOR ET E TABULA PICTOS EDISCERE MUNDOS] Pro edisco. ut Eleg. 1. lib. 1. *Cogor habere*, pro habeo. *Edisco*, ex aliquo disco, vel perdisco; ut edoceo. *Mundos*, quia plures, aut etiam innumerabiles mundi ex Democriti sententia: Cicero in Lucullo, & 2. de Nat. Deor. vel est enallage numerorum, pro mundum pictum. vel est synecdoche, pro, mundi partes. ut Eleg. 16. lib. 2. *Externo quærere in orbe fugam.* [nempe extra orbem Romanum, in regione quæ Romanorum imperio non pareret.] *E tabula*, quam vulgus hodiernum chartam vocat. Strabo lib. 1. Anaximandrum, popularem & familiarem Thaletis, ait edidisse tabulam de situ orbis. Ausonius in Gratiarum actione: *Ut qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt, aliquanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis.* PASS. Tabularum geographicarum institutum longe est antiquissimum, utpote quarum inventarum gloria Anaximandro Milesio datur, qui claruit Olympiade 58. vide quæ doctissimus Medicus Marsilius Cagnatus notavit L. 4. Var. Observ. C. 5. quæque Vir supra laudem Ger. Jo. Vossius de Philolog. C. 11. quibus adde Agathemerem Orthonis F. cujus Expositiones Geographiæ compendiariæ in lucem publicam prodierunt curâ Sam. Tennulii. BROUKH. *E tabula p. e. m.* Geographiæ studere, situs regionum cognoscere. Florus Præfat. Historiæ Romanæ: *Faciam quod solent qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabella totam ejus imaginem amplectar.* VULP.

v. 38. QUALIS ET HÆC DOCTI SIT POSITURA DEI] Cujusmodi sit situs, & descriptio mundi, quem animantem, & sapientem, & deum esse asseruot Stoici. Cicero 2. de Nat. Deor. & contra ex Epicureorum sententia 1. de Nat. Deor. *Positura* sæpe dicitur Lucretio, Tacito, & Gellio; qui & *positus*, & *positio* dicitur. *Doctus*, pro sapiente; & contra Gellius lib. 13. cap. 8. *Sapiens rerum humanarum*, pro doctus. Plutarchus in Gracchis, sapientem, ait, Latinis & prudentem & doctum significare. Sic indoctus, pro, insipiens: Plauto. PASS. Non est valde frequens istud *positura*; tamen probum. Præter Lucretium, usurpavit Gellius.

Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet una soror curis; & callida nutrix
Dejerat hiberni temporis esse moras.

Felix

lius L. 5. C. 3. ubi de rudimentis studiorum Pythagoræ. & L. 14. C. 1. BROUKH. *Docti dei*. Putabam olim, hoc Propertium dicere e Stoicorum delirio qui mundum ipsum intelligentiæ ac rationis participem, & magnum aliquod esse numen opinabantur. Seneca Epist. 94. *Totum hoc, quo continemur, & unum est, & deus est; & socii ejus, & membra sumus*. Cui concinit Manilius lib. 1. Astronom.

Quo pateat mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse deum.

Favet Plato in fine Timæi: Θνητὰ γὰρ καὶ ἀθάνατα ζῶα λαβὼν, καὶ ξυμπληρωθεὶς ὅδε ὁ κόσμος, οὕτω ζῶον ὁρατὸν, τὰ ὁρατὰ περιέχον, εἰκὼν τοῦ νοητοῦ θεὸς μέγιστος καὶ ἄριστος κάλλιστός τε καὶ τελεώτατος γέγονεν; εἷς οὐρανὸς ὅδε, μονογενὴς ὤν. Item Cicero lib. 1. Acad. Quæst. ad Varr. *Quam vim, ait, animum esse dicunt mundi, eamdemque esse mentem sapientiamque perfectam: quam deum appellant, omniumque rerum quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quamdam, procurantem cœlestia maxime, deinde in terris ea quæ pertinent ad homines*. Dissentit nihilominus Cotta lib. 3. de Nat. Deor. Stoicos irridens, ab his verbis: *Zeno enim ita concludit: Quod ratione utitur, melius est quam id quod ratione non utitur*. lege reliqua, sunt enim plura. Sed quid hæc omnia, quæso, ad tabulas geographicas, de quibus poeta? *Doctus deus* hoc loco Sol est, sive Phœbus. *positura* autem Solis est ejus iter obliquum per Zodiacum. Sane κλίναντος εἰς τὰ μεσημβρινὰ θεοῦ legitur apud Pollucem Onomastici lib. 1. cap. 7. περὶ μερῶν ἡμέρας. Et Pythagoras apud Ovidium lib. 15. Metam. v. 192. de Solis vario situ:

Ipse dei clypeus, terrâ quum tollitur imâ,
Mane rubet: terrâque, rubet, quum conditur imâ,
Candidus in summo est.

Doctus autem deus erat Phœbus, quod putaretur omnia scire. Chiron Centaurus apud Pindarum Ode 9. Pythiorum ita Phœbum affatur: Χὤ, τι μέλλει, χὤτι πόθ' ἔσσεται, εὖ καθορᾷς. Vide quæ attulimus de Sole omnia vidente, & audiente ad Eleg. 15. lib. 1. Situm autem Solis & cursum Geographi maxime spectant: unde etiam zonarum & climatum descriptio. *Positura*. Eodem flexu vocis dixit Plinius Præfat. Hist. Nat. *indicatura*, pro *index*, *indicium*. *Nec fiducia operis hæc est, sed indicatura*. VULP.

v. 39. QUÆ TELLUS SIT LENTA GELU, QUÆ PUTRIS AB ÆSTU] *Tellus*, pro regione. ut Eleg. 10. lib. 2.

Et si qua extremis tellus se subtrahit oris.

Lenta gelu. pigra & iners. ut Virgilius 1. Georg. *Noctes lentus non deficit humor*, id est, ros gelidus. Sic *glacies iners* Horatio Ode 9. lib. 2. Virgilius 4. Georg. *Contracta frigore pigra*. plagas significat subjectas zonæ frigidæ. *Putris ab æstu*, resoluta in pulverem nimio calore; sub zona torrida. vide adnotata de zonis ad illud Tibulli ex Carm. 1. lib. 4.

Atque duæ gelido vastantur frigore semper.
PASS.

Hoc distichon explicationem nostram confirmat de Solis vario situ. obliquum enim ejus iter zonarum diversitatem efficit. *Lenta gelu*. tarda ad solvendum fœnus agricolis, qui ei semina committunt. De hac significatione τοῦ *lentus* vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 2. v. 38. *Ab æstu*, propter æstum, vi æstûs; non post æstum, ut male Passeratius. VULP.

v. 40. VENTUS IN ITALIAM QUI BENE VELA FERAT] Qui ventus commode ac feliciter navim vehat & impellat insinuatus velis. *Ferre* secundi est flatûs; unde *venti ferentes* Virgilio 4. Æneidos. Idem lib. 5.

Vela secundi
Intendunt Zephyri, fertur cita gurgite classis.

Alio modo vela fert carina. unde *Velifera* dicitur Eleg. 9. lib. 3. PASS.

v. 41. ASSIDET UNA SOROR CURIS; ET PALLIDA NUTRIX PEJERAT HIBERNI TEMPORIS ESSE MORAS] De sessione in luctu dictum

Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.

Roma-

ctum est ad Eleg. 15. lib. 1. v. 12. Assidemus lugentibus & ægris. Cicero 7. Verrina: *Quum lacrimans in carcere mater ei noctes diesque assideret*. Horatius Sat. 1. lib. 1. *Habet, qui Assideat, fomento paret*. Seneca Consolat. ad Marciam cap. 2. *Assidentibus liberis, nepotibus, lugubrem vestem non deposuit*. & cap. 6. *Tibi Arrius assedit*. pro consolatus est. Vel *assidet* nenti aut texenti. inde *assestrix* dicta, quæ assidet. Scribitur a Charisio & aliis, *Adsidet*, & *Adsiduus*. *Uno soror*, vel mea, vel tua adsidet curis, id est, anxiam me consolari nititur. Sic Eleg. 3. lib. 1.

Illo fuit lacrimis ultima cura meis.

vel τὸ *Curis* jungitor cum *Pallida*. Nutrix, vel tua, vel mea, anxia de salute alumni, aut alumnæ, curâ macet & pallet. nam pallor maciem & curam comitatur. supra versu 27. & 28. vel *pallida*, quia timet, Horatius Epist. 7. lib. 1.

Dum pueris omnis pater, & matercula pallet.

Pejerat, deos testator, & sciens fallit, ut id mihi persuadeat, hiemem, qua clausum est mare, reditum tuum morari, non amorem externum. Dicitur & *perjuro* Plauto. sic *ejero* & *ejuro*. Cicero 3. Officiorum: *Perjurium est, quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur, id non facere*. De mari hieme clauso vide Eleg. 8. lib. 1. v. 10. Jurat ergo nutrix te rediturum primo vere. vide Horatium Ode 7. lib. 3. PASS. Proba est ac vera emendatio Nic. Heinsii, *collido*, Not. in Ovid. L. 6. Metam. v. 576. vafra illa anus tuas moras imputat tempestatibus hibernis, per quas integrum non sit tibi iter facere. pro *pejerat*, quod est in versu sequente, malebat Livinejus *dejerat*, amplector ego, & sequor. neque enim satis decore dicat Arethusa, nutricem suam desiderium languentis dominæ perjurio solari consuevisse. Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 3. *Illum liquet mihi dejerare his mensibus Sex septem prorsum non vidisse proximis, Nisi nunc, quum minime vellem*. & Hecyr. Act. 5. Sc. 2. *Philippe, Bacchis dejerat persancte*. respondet Phidippus: *Nec pol istæ metuunt deos, Neque has respicere deos opinor*. vide & Suetonium Calig. C. 24. vitiatum est hoc verbum apud eumdem in Nerone, C. 28. *Acten libertam parum absuit quin justo matrimonio sibi conjungeret, submissis consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent*. sane sententiam postulare *dejerarent*, res opinor est liquida. BROUKH. Adde Plautum Menæchm. 5, 2, 63. *Hanc domo ab te surripuisse, atque abstulisse dejerat*. & Corneliam matrem Gracchorum in quadam Epistola: *Verbis conceptis, ait, dejerare ausim, præterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiæ, tantumque laboris, quantum te, ob has res mihi tradidisse*. Hinc *dejurium* apud A. Gellium lib. 7. cap. 18. VULP.

v. 43. FELIX HIPPOLYTE NUDA TULIT ARMA PAPILLA] πάθος ex comparatione alienæ felicitatis; ut Virgilius 1. Æneid.

O fortunatos quorum jam mœnia surgunt.

Hippolyte, Martis & Otriræ reginæ filia, victa ab Hercule, cui balteum ademerat. Hyginus Fab. 30. & 163. numerat Hippolyten inter Amazonas. Pausanias in Atticis tradit, a Theseo superatam aufugisse Megara, ibique mortuam, & sepultam. Apollodorus lib. 2. Amazonum reginam facit, quæ Martis balteum habuerit, & ab Hercule necata sit. Alii nupsisse ajunt Theseo, unde susceperit Hippolytum. Ovidius Epist. Cydippes:

Nullus Amazonio cælatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte, præda relata tibi est.

Apud Pindarum Nemeis, & Horatium Ode 7. lib. 3. alia est Hippolyte Acasti uxor. *Tulit arma*, militavit, Eleg. 2. sup. v. 27. & *arma* intellige aut sagittas & arcum, quæ gerebat Penthesilea, Eleg. 11. lib. 3. aut peltam & securim cum balteo Martis, ut ceteræ Amazones. *Nudâ papillâ*. Alludit ad nomen Amazonis, ut Eleg. 24. lib. 3. v. 13. PASS.

v. 44. ET TEXIT GALEA BARBARA MOLLE CAPUT] Scythæ enim maxime barbari: & ad Tanaim Scytharum fluvium fuere Amazones. unde *Mæotis Penthesilea* Elegia 11. lib. 3. *Texit caput galeâ*, galeavit. Cinna Epigrammatis apud Nonium: *Et*

miseras

Romanis utinam patuissent castra puellis:
Essem militiæ sarcina fida tuæ.
Nec me tardarent Scythiæ juga, quum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.

Omnis

miseret audet galeare puellas. Sic clypeare t Pacuvius Hermiuna apud Nonium, & Varronem 4. de L. L. *Currum liquit, chlamyde contorta astu clypeat brachium*. Auream cassidam tribuit Noster Penthesileæ El. tt. lib. 3. *Tegit caput*. sic Eleg. 14. lib. 3.

Virgineumque cavo protegit ære caput.

Molle, tenerum, femineam. ut Eleg. 15. lib. 3.

Mollieque immites fecit in ore manus.

Galea, ab galero, quo multi usi antiqui: Varro 4. de L. L. Inde *galeola* genus vasis Noniu. Scaliger γαλέαι, quod ex felina pelle olim fierent: nam γαλῆ felis. PASS.

v. 45. ROMANIS UTINAM PATUISSENT CASTRA PUELLIS] Utinam puellæ Rumanæ in castra admitterentur, nec a militia mure ac lege excluderentur. Enallage *Patuissent*, pro paterent. De militia vetita feminis vide adnotata ad El. 7. l. 2. v. 15. Allusit Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. t4.

Quid juvat immunes belli cessare puellas?

Et Statius lib. 5. Silv. in Abascantii pietate:

Et si castra darent, vellet gestare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta.

Agit de Priscilla. PASS. Philippi Macedonis cunsuetudinem Romani fortasse imitabantur, qui in expeditionibus esse comites uxores nolebat, longe diversus ab eo Dariu quem debellavit Alexander. Is enim totius belli tempore, ut scripserat Dicæarchus libro tertio de victu & moribus Græcorum, secum trecentas quinquaginta pellices circumduxit: Athenæus lib. t3. non procul ab initiu. Epitome lib. 58. T. Livii: *Scipio Africanus . . . . duo millia scortorum castris ejecit*. Arethusa tamen erat uxor, non scortum. Jocuse, ut solet, Franciscus Bernius (*dell' Orlando Innamorato Lib. 2. Canto 23. Stanza 11.*)

Avevano un' usanza i Re Pagani,
Che per Dio grazia a' nostri anche è rimase,
Che fra lor combattendo, o co' Cristiani,

Mai non lasciavan le lor donne a case:
Non so se le facean per star più sani,
O pur fu questa foggia persuasa,
Perchè nella battaglia il Dio d' Amore
Gli facesse più bravi, e di più core. VULP.

v. 46. ESSEM MILITIÆ SARCINA FIDA TUÆ] Me, inquit, tecum ferres, & duceres fidelem laborum & periculorum comitem. Alludit autem ad fascem militis Romani, vallum, arma, & cibaria. qua de re dixi sup. ad v. 19. Virgilius 3. Georg.

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam dum carpit.

vide Vegetium lib. 1. cap. 19. qui pondus bajulare militem vult usque ad sexaginta libras. Ciceru quoque 2. Tusc. agit de onere & labore militiæ, & Festus in *Muli Mariani*. *Essem sarcina*, ut Eleg. ult. infra:

En sum quod digitis quinque levatur onus.

Ovidius Epist. Briseidis:

Non ego sum classi sarcina magna tuæ.

Cornelius Frontu: *Onus vehiculorum & majus est: sarcina hominum; & potissimum vientium & migrantium; unde Juvenalis: Collige sarcinulas*. PASS. Italice: *Sarei parte del tuo bagaglio*. VULP.

v. 47. NEC ME TARDARENT SCYTHIÆ JUGA, QUUM PATER ALTAS AFRICUS IN GLACIEM FRIGORE NECTIT AQUAS] Sic Virgilius 3. Georg.

Non scopuli, rupesque cavæ, atque objecta retardant
Flumina.

Plautus Mercat. 5, 2. *Neque ulla mihi obsistat amnis, neque mons, neque adeo mare*. vide El. 6. lib. 1. v. 1, 2, 3, 4. *Scythia juga*; *Promethia juga* vocat Eleg. 12. l. 1. v. 10. *Pater Africus*, quia ventos deos putabant, & dii patres vocabantur; ut *Mars pater* El. 4. lib. 3. & videtur Africum pro Aquilone posuisse. nam *Africus* frigidus non est, & adversus Vulturnum flat, & spirat ab Oriente hiberno. Alias dicitur Λίψ. Dicitur autem a Virgilio *Creber procel-*

Omnis amor magnus; sed aperto in conjuge major.
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.

Nam

cellis, & Horatio *Pestilens*. *Nectit*, constringit. *Aquas altas*, altorum fluviorum, vel e jugis montium labentes. Virgilius 4. Georg. *Glacie cursus frenaret aquarum*. Glacies a gelu & aqua, quasi gelacies, id est, gelata aqua, inquit Isidorus lib. 13. c. 10. & hic Noster confirmat quum ait, Aquas in glaciem frigore nectit. nam ex aqua & frigore, id est, gelu fit glacies. PASS. *Pater Africus*. Ita Claudianus lib. 2. de Raptu Proserpinæ v. 73. Zephyrum appellat *Patrem veris*:

Viderat herboso sacrum de vertice vulgus
Nonna parens florum, curvaque in valle sedentem
Compellat Zephyrum: Pater o gratissime veris,
Qui mea lascivo regnas per prata meatu
Semper, & assiduis irroras flatibus annum,

Altas aquas, profundas; ad quas ideo constringendas maxima vi frigoris opus est. *In glaciem frigore nectit aquas*. locutio elegantissima, & vere Propertiana. Contra Horatius Ode 4. lib. 1.

Solvitur acris hiems grata vice veris, & Favoni. VULP.

v. 49. OMNIS AMOR MAGNUS; SED APERTO IN CONJUGE MAJOR] Sic Fulgentius citat e Propertio:

Divitias mentis conficit omnis amor.

Amor magnus, potens, acer, vehemens. ut δεινὸς ἔρως apud Platonem. vide adnotata ad Eleg. 19. lib. 1. v. 12. *Sed aperto in conjuge major*. ideoque sanguini & cognationi amor conjugalis anteponitur. vide Eleg. 15. lib. 1. v. 16. *Aperto*, quia etiam amantes citra legitimas nuptias interdum conjuges vocabantur; ut notatum ad illud Eleg. 8. lib. 2. *Abrepta desertus conjuge Achilles*. Mœchus conjux, sed tectus & occultus; maritus conjux apertus; [cujus videlicet non pudet.] *Manifestus amator* Ovidio lib. 1. Amor. Eleg. 4. Catullus Carm. 61. *Bene te Venus Juverit, quoniam palam Quod cupis, capis, & bonum Non abscondis amorem*. Statius urbane in Epithalam. Stellæ & Violantillæ:

Pone o dulcis suspiria vates.
Pone, tua est. licet expositum per limen aperte
Ire, redire gradu. jam nusquam janitor, aut lex,
Aut pudor.

Vet. lib. *Sed in apto*; id est bene convenienti jugo; Eleg. ult. lib. 3. v. 8. & Eleg. 22. *Venturæ conjugis aptus amor*. PASS.

v. 50. HANC VENUS, UT VIVAT, VENTILAT IPSA FACEM] Ventis jactat & quatit Venus ipsa facem maritam, ut vigeat, & magis accendatur. *Venus ipsa*. vide Elegiam 1. sup. v. 46. *Ventilat facem*. sic Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 1.

Quid si præripiat flavæ Venus arma Minervæ?
Ventilet accensas flava Minerva faces?

unde *Ventilabrum*, quo ventilatur in area frumentum. & *Ventilare arma* dixit Martialis Epigr. 32. lib. 5. quod copiosius explicat Epigr. 30. lib. 9. *Ventilare* est proludere, inquit Lipsius in Saturn. *Ventilat facem*, quia fax quatiendo accenditur. ut adnotatum ad Eleg. 3. lib. 1. *Vivat*. sic Ovidius Remed. Amor. *Pæne exstinctum cinerem si sulfure tangas, Vivet*. Dicitur ignis & flamma vivere, Plauto, Lucretio, Ovidio. Dicitur contra, mori, exstingui, interfici. Attius Meleagro apud Nonium in *Torris*: *Tum suum vitæ finem, ac fati internecionem fore Meleagro, ubi torris esset interfectus flammeus*, quia scilicet & movetur ignis, & pascitur, & crescit, & languet ac deficit. Favilla etiam vivere dicitur. Ovidius 4. Fast.

Inque foco corpus pueri vivente favilla
Obruit.

Lucernis etiam vita & mors optatur. Horatius Ode 21. lib. 3. *Vivæque producent lucernæ*. Contra Martialis Epigr. 4. lib. 4. *Spurca moriens lucerna Ledæ*. [Quod ego Vulpius ita expressi in quodam epithalamio:

Marcentes oculos invadit somnus, & ipsi
Languidulo segnes connivent lumine lychni.]

Ideo scintillam Græci ζώπυρον vocant; id est, viventem ignem, & ζωπυρεῖν, excitare ignem. Sic *Aqua viva*, & *Anima putei* apud Plautum in Amphitr. PASS.

v. 51.

Nam mihi quo, Pœnis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque suas ornet aquosa manus?

Omnia

v. 51. NAM MIHI, QUO PŒNIS TIBI PURPURA FULGEAT OSTRIS] Si *qus*, pro, ut, positum est, decurrit sententia ad versum tertium. Ut tu purpura & crystallo abundes, ego deserta queror frustra. Sed puto esse anastrophen: Quonam mihi si purpura tibi fulgeat? Quid mihi proderit si crystallum & purpuram tibi pares, quum interea tabescam desiderio? Sic Horatius:

Quo mihi fortuna, si non conceditur uti?

Fulgeat, longe lateque splendorem mittat, ut Eleg. 1. lib. 2.

Sive cogit illam fulgentem incedere Coit.

ubi vide adnotata. & ad El. 14. l. 3. v. 27. *Pœnis ostris*, Afris, vel Getulis muricibus; enallage numerorum, ut *Misenis* El. 11. l. 1. v. 4. Quid proprie *ostrum*, dixi ad El. 13. lib. 3. v. 7. Plinius lib. 9. H. N. cap. 36. Purpuras laudat Tyrias in Asia; Laconicas in Europa; tertias in Mevinge Africæ, & Getulo litore Oceani. Horatius Ode 16. lib. 2. *Te bis Afro murice tinctæ Vestiunt lanæ*. & Epist. 2. lib. 2. *Vestes Getulo murice tinctas*. A Pœnis tamen Puniceus color, diversus a purpureo. Tibullus Eleg. 3. libri 2.

Colores

Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Sed & Tyrii a Pœnis orti, & sæpe Puniceum pro purpureo, ut *Rosa puniceo*, Horatio dicitur. *Pœnus*, pro punico, ut Elegia 31. lib. 2. v. 3. *Pœnis* olim, pro Pœnis, dicebant: Festus. PASS. Ipsum Passeratium decepit corrupta lectio, ita restituenda:

Nam mihi qus, Pœnis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque suas ornet aquosa manus?

hoc sensu, Quid enim mihi prodest, quod ostrinis tunicis conspicua pilam crystallinam delicata manu verso, quum interea cogor sola dormire, & carere tuo amore? omnis mihi domus nihil nisi solitudo est mera. &c. *τὸ si* Nic. Heinsio debemus, Viro unice ad salutem poetarum Latinorum nato: quem etiam videre debes super elegante usu particulæ *qus* Not. ad Ovid. Epist. Phyllid. v. 53. & doctissimum Gronovium ad Senec. L. 1. Nat. Quæst. C. 16. & L. 1. Contr. 2. ex *tuas* levi mutatione ego *suas* feci. eleganter, ni fallor, & poetice. Ovidius Epist. Hypermnestræ:

Hæc ego: dumque queror, lacrimæ sua verba sequuntur.

& Epist. Medeæ:

Ausus es, (o justo desunt sua verba dolori)
Ausus es, Æsonia, dicere, cede domo.

& L. 10. Metam.

Tendit onus matrem: nec habent sua verba dolores.

de crystallo dictum est aliquid ad L. 2. Eleg. 18. BROUKH. *Tibi purpura fulgeat*. Proprie fulgorem purpuræ tribuit. Horatius Epist. ad Pisones, non procul ab initio:

Purpureus, late qui splendeat, unus & alter
Adsuitur pannus.

Hæc enim erat purpurei coloris natura, ut Solis radiis admotus, magis explicaretur, atque enitesceret. Testis locuples Julius Pollux Onomastici lib. 1. cap. 4. *Χρόα δὲ*, ait, *ἡλίῳ ὁμιλοῦσα τῆς πορφύρας ἡ βαφὴ. καὶ ἡ ἀκτὶς αὐτὴν ἀναπυρσεύει, καὶ πλείω ποιεῖ, καὶ φαιδροτέραν τὴν αὐγὴν, ἐκφλογιζομένην ἐκ τοῦ ἄνω πυρός*. Quapropter Catullus de Nupt. P. ac Th. v. 275. tot sæculis ante summi Viri Isaaci Newtoni experimenta, ipsam lucem purpuream appellavit:

Purpureasque procul nantes a luce refulgent.

& Virgilius *μεταφορικῶς* lib. 1. Æn. v. 590.

Lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Hinc quidquid Soli objectum, longe lateque splenderet, ac eminus conspiceretur, *purpureum* appellabant. Horatius Ode 1. l. 4. *Purpureis ales oloribus*. Albinovanus autem Elegia de Morte Mæcenatis:

Brachia purpurea candidiora nive.

ad quem locum vide Notas Theodori Goralli, sive Joannis Clerici. VULP.

v. 52. CRYSTALLUSQUE TUAS ORNET AQUOSA MANUS] Crystallus feminino genere, sive Crystallum neutro dicitur *παρὰ τὸ στέλλεσθαι ὑπὸ τοῦ κρύους*, *quod concrescat gelu vehementiore*. vide Plinium lib. 37. cap. 2. qui ait glaciem esse; & Isidorum lib. 16.

Omnia surda tacent: raris assueta Kalendis
Vix aperit clausos una puella Lares.

Glau-

cap. 13. ubi *Aquosus colore* dicitur. *Aquosa crystallus*, quæ constat ex aqua, & humore gelu concreto; ut Virgilius, *Aquosa nubes*; & Horatius, *Aquosus languor*. nam alio modo Eleg. 8. infra, *Aquosæ Esquiliæ*. Virgilius, *Aquosus Orion* & *Aquosa biems*. [Ovidius, Thetis *aquosa*, Epist. Briseid.] *Crystallus* hic pro vase crystallino, quo manus tua ornabitur, quum bibes. nam in gemmis & crystallus. Aliter tamen dixit Elegia 6. lib. 3.

Ornabat niveas nullave gemma manus?

nam illic sermo est de anulis, non de poculis. Interpres Juvenalis ad illud Sat. 6. *Grandia tolluntur crystallina: Sic & Cinna dicit: Aqua imitatu nivee ludens legitur crystallus*. leg. *lucens*. PASS. Hoc accipiebam olim de capulo ensis crystallino. Sane veteres elegantiam affectabant in gladiis ornandis. Testis Plinius lib. 33. cap. 12. *Et quid hæc utiner colligere, quum capuli militum, ebore etiam fastidito, calentur argento?* Crystallo autem summa dignitas fuit, ut scimus ex eodem Plinio lib. 37. cap. 2. Suspicabar etiam accipi posse de speculo, quo milites molliores utebantur. id notum ex Juvenale Sat. 2. v. 99.

Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium: quo se ille videbat
Armatum, quum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Historia, speculum civilis sarcina belli.

Pleraque antiquorum specula ex ære polito, sive orichalcho erant: nonnulla etiam ex argento, vel auro lævigato. Interdum tamen vitrea, & crystallina fuisse, testatur Plinius H. N. lib. 36. cap. 26. cujus verba sunt: *Et aliud* (vitrum) *flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur, Sidone quondam iis officinis nobili: siquidem etiam specula excogitaverat*. Paullo autem superius: *Auctores sunt, in India e crystallo fracta fieri, & ob id nullum comparari Indico*. Utrum vero hydrargyrum aversis illineretur ad illa opacanda, ut imaginem accuratius redderent; id quod hodie solet; nec ne, minus mihi compertum est. Reliquum est igitur ut explicemus de anulo, cui beryllas, vel adamas, vel alia gemma crystallo similis fuerit inserta: præsertim quum hæc ad Arethusam ipsam, non ad Lycotam pertinere docuerit elegantissimus Broukhusius. Et sane is hoc distichon commode restituit: neque tamen in ejus explicatione acquiescere possum. Pilâ enim crystallinâ Romanæ puellæ utebantur æstate, ad manuum calorem leniendum: quum vero Arethusa hanc Epistolam scriberet, hiemem fuisse, indicat versus 42. hujus Elegiæ. Deinde pila minus proprie diceretur manus ornare; anulus recte. Cærulei coloris gemmam valde diluti, vocant Itali *Acqua marina*. VULP.

v. 53. OMNIA SURDA TACENT, RARISQUE ASSUETA CALENDIS VIX APERIT CLAUSOS UNA PUELLA LARES] Nemo, inquit, meas audire vult querelas, aut iis respondere. verba ventis fundo. Sic Virgilius Ecl. 10.

Non canimus surdis, respondent omnia silvæ.

Proverbium: *Surdo narrare fabulam*, Terentius & Horatius: Æschylus, κωφῷ λέγειν. Catullus. Carm. 63. *Omnia muta*. *Omnia sunt deserta*. *Tacent*, ut Eleg. 16. lib. 2. *Non respondent mutuo*. *Una puella*, ancillula. Juvenalis Sat. 6. *Flavam sui dat mandata puellam*. *Assueta*, usu & consuetudine ad id docta & facta. ut Virgilius 1 *Assuetumque malo Ligurem*. *Raris Calendis*, vel paucis, vel quæ raro veniunt. Calendæ unde dictæ est apud Varronem 5. de L. L. in *Cælo*. Festus in *Procalare*, Macrobius lib. 15. Saturn. cap. 15. Plutarchus ἐν Ῥωμ. Varro autem lib. de Vita Pop. Rom. apud Nonium; *Itaque Calendis calabantur, id est, vocabantur, & ab eo Calendæ appellatæ; quod est tractum a Græcis, qui καλεῖν vocare dixerunt*. Celebres fuere, inter alias Calendæ Martiæ, & Apriles. Festus in *Martias*, Pomponius Calendis Martiis lib. 6. Saturn. cap. 4. Plautus Milite 3, 1. Tibullus Elegia 1. lib. 3. Horatius Ode 8. lib. 3. Martialis non semel, Ovidius lib. 1. A. A. *Vix aperit Lares*. id est, domum, muneribus admittendis scilicet. Beroaldus hic nugatur de Larario. *Lares* pro domo Eleg. 1. sup.

Glaucidos & catulæ vox eſt mihi grata querentis:
Illa tui partem vindicat una tori.

Flore

ſup. v. 28. PASS. *Raris aſſueta Calendis* . omnes libri *rariſque* . quod non erat valde neceſſarium . *Kalendis* habent Groninganus ac noſter ſecundus, proba & priſca ſcriptura . BROUKH. Etiam Editio princeps , *raris adſueta Kalendis* . Ceterum (pace dicam Viri eximii) hæc minus percepit Paſſeratius . nam *Omnia ſurda tacent* , nihil aliud eſt quam , te abſente , o Lycota , omnia mihi muta videntur , omnia ſolitudo mera . Cicero Epiſt. 10. lib. 16. *Hilare & libenter ei cupienti audire noſtra dixi , ſine te omnia mea muta eſſe* . *Surda* vero , pro , muta . Sic Eleg. 5. infra v. 55.

Qui verſus, Coa dederit nec munera veſtis,
Iſtius tibi ſit ſurda ſine arte lyra .

& Eleg. 7. lib. 1.

Longe caſtra tibi , longe miſer agmina ſeptem
Flebis in æterno ſurda jacere ſitu .

Huc pertinent illa Auſonii παθητικὰ in Parentalibus , de uxore fato functa :

Torqueo deceptos ego vita cælibe canos :
Quoque magis ſolus , hoc mage mœſtus ago .
Vulnus alit , quod muta domus ſilet , & torus alget :
Quod mala non cuiquam , non bona participo .

Amantes , quum abeſt id quod amant , in frequentia ſoli ſunt : contra , quum adeſt , etiam in ſolitudine frequentiam inveniunt . Tibullus Carm. 13. lib. 4.

Tu mihi curarum requies , tu nocte vel atra
Lumen , & in ſolis tu mihi turba locis .

Calendis V. aperit clauſos u. p. Lares . vix ullum feſtum diem agito . ſolebant enim Romani feſtis diebus imagines majorum apertis armariis exornare . nemo autem eruditorum ignorat , Lares familiares veteribus umbras majorum fuiſſe . vide , præter alios , Joannem Roſinum lib. 1. Antiq. Roman. cap. 19. Locus ubi condebantur Larium ſimulacra , Lararium , vel Sacrarium dicebatur . vide Scriptores Hiſt. Auguſtæ . Ulpianus J. C. L. 9. D. *de Diviſione rerum , & qualitate* §. 1. *Sacer locus , eſt locus conſecratus . Sacrarium eſt locus in quo ſacra reponuntur : quod etiam in ædificio privato eſſe poteſt . & ſolent qui liberare eum locum religione volunt , ſacra inde evocare* . Injuria Paſſeratius Beroaldum hic nugari ait , qui in illa bonarum litterarum Aurora multa vidit , etſi non omnia ; & ſententiam hujus verſûs rectius quam Paſſeratius aſſecutus eſt . VULP.

v. 55. GLAUCIDOS ET CATULÆ VOX EST MIHI GRATA QUERENTIS] Plorantis caniculæ gannitus mihi jucundus eſt . *Graucis* nomen catellæ ; quod γραῦς Græcis anicula . Scaliger mavult *Glaucidos* , ut a glaucis oculis ita dicta ſit . Sic *Iſſa* Publii catella celebratur a Martiale . Fuere catellæ , atque etiamnunc ſunt , feminis in deliciis . Martialis Epigr. 198. lib. 14. lemmate : *Catella Gallicana :*

Delicias parvæ ſi vis audire catellæ ,
Narranti brevis eſt pagina tota mihi .

Vide proverbium : Μελιταῖον κυνίδιον , apud Eraſmum . *Vox catulæ querentis* ; nam querula vox , & ſonus aures mulcent . Caligula vocem vapulantis laudabat , tamquam in gemitu prædulcem : Suetonius in ejus Vita cap. 33. & Juvenalis Sat. 14. de crudeli hero & plagoſo :

Gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu , & nullam Sirena flagellis
Comparat .

Sic *queri aves* dicuntur , & *dulces querulæ tibiæ* , & *gemere turtures* . *Vox catulæ* . nam canum varias commemorat voces Lucretius lib. 5. ubi & plorantes facit . Varro 4. de L. L. *Catulus a ſagaci ſenſu & acuto* . Idem lib. 8. *Canis , catulus , catellus* . Chariſius lib. 1. *Diminutionis inæqualitas dura , ut canis , catulus* . Catuli non ſolum canum , ſed omnium animalium fœtus : Nonius . Et *Catularia porta* Romæ , ad quam ruſæ canes placando ſideri Caniculæ immolabantur . P. *Catulæ v. e. m. g. querentis* . videtur enim queri abſentiam tuam , præſertim quum jacet in ea lecti parte in qua tu cubare ſolebas : ſaltem id mihi fingo . VULP.

v. 56. ILLA TUI PARTEM VINDICAT UNA TORI] Sola mecum cubat , & tui lecti ſocia eſt . *Vindicat* , quaſi pro ſuo jure poſcit , & aſſumit . translatum a jure civili . &

manûs

Flore facella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

Sive

manus injectione cum eu voce; *Meum est. Partem tori*. Ovidius Epist. Hypsipyles:

Barbara narratur venisse venefica tecum,
In mihi promissi parte futura tori.

Cicero Orat. Antequam iret in exsilium: *Connubii participe, socia regni Juno*. PASS. Lectus præ ceteris debebat Arethusam sui conjugis admonere. L. 11. Metam.

Ut nec vela videt; vacuum petit anxia lectum:
Seque toro ponit. renovat lectusque locusque
Alcyonæ lacrimas: & quæ pars admonet absit. BROUKH.

v. 57. FLORA SACELLA TEGO, VERBENIS COMPITA VELO] Urbana facella intelligit; nam erant & rusticana, ut monuimus ad Eleg. 19. lib. 2. v. 13. *Flore*, fertis, & corollis: enallage numerorum. Signa autem deorum floribus coronabantur, ut Elegia 10. lib. 2. v. 21. & *aræ*, ut Eleg. 10. lib. 3. v. 19. *Velo*, cingo, redimio, orno; unde *velamenta* supplicum. Virgilius 2. Æneid.

Nos delubra deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festâ velamus fronde per urbem.

Compita. de iis dictum ad Eleg. 1. sup. v. 23. Interpres vero Persii ad Sat. 4. *Compita sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia finitâ agriculturâ rustici celebrabant: nec solum sunt in urbe loca, sed etiam viæ publicæ ad diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes. His juga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti & elaborati operis indicium.* Illic Lares colebantur, quos amplissima corona ornabant, ut scribit Festus in *Donatica*: & *Compitalia* Laribus attributa, ut adnotatum ad v. 23. Eleg. 1. sup. Deinde a Laribus arceri hostes putabantur: Festus in *Hostiliis*, [ac Tibullus Eleg. 10. lib. 1.] Erant & *Lares viales*, nempe Θεοὶ ὁδιοι. vide Plautum Mercat. *Lares permarinos* memorat Livius, quos διαποντίους vocat Vet. Lex. *Verbenis*. Donatus in Andriam: *Verbenæ sunt omnes herbæ, frondesque festæ ad aras coronandas, vel omnes herbæ frondesque ex loco puro decerptæ*. Idem ibidem: *Verbenæ, quasi herbenæ, redimicula sunt ararum*. Leg. Festus in *Sagmina*, in *Struppi*, & in *Capita deorum*, item in *Tauri*; Plinius lib. 22. cap. 2. & l. 25. cap. 9. & Servius in illud 12. Æneid. *Verbenâ tempora vincti*. Varro lib. 2. de Vita Pop. Rom. apud Nonium: *Verbenarius ferebat verbenam: id erat caduceus, pacis signum*. PASS. Ludos compitalicios, quum in desuetudinem abiissent, Augustus restituit: Suetonius in ejus Vita cap. 31. *Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus, & æstivis*. Illud Valerii Flacci non dissimile 2. Argonaut. v. 188. *Simulantque choros, delubraque festâ Fronde tegunt*. VULP.

v. 58. ET CREPAT AD VETERES HERBA SABINA FOCOS] Ovidius 1. Fast.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.

Idem 4. Fast.

Ure mares oleas, tædamque, herbasque Sabinas;
Et crepet in mediis laurus adusta focis.

Plinius lib. 24. cap. 12. ait, a multis herbam Sabinam in suffitus pro ture assumi. *Crepat*, cum crepitu crematur. Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis.

Ad veteres focos, pro, apud & in. Sic Plautus Amphitr. *Ad exercitum*, & *Ad legionem*. Noster Eleg. 14. infra: *Ad vestros sedeam captiva penates*. & Eleg. ult. lib. 2. *Ad molles membra resolve choros*. Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 1.

Hoc est ad vestros non leve crimen avos.

& 4. Fast.

Dois & in veteres turea grana focos.

id est, avitos. ut Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Sic veteres sedes incolumisstis avi. PASS.

Herba Sabina. hujus herbæ naturam ita considerat Plinius lib. 24. cap. 11. *Herba Sabina, brathy appellata a Græcis, duorum generum est: altera tamarici similis folio, altera cupressi. Quare quidam Creticam cupressum dixerunt. A multis in suffitu pro ture assumitur.* &c. De hac Virgilius in Culice v. 402.

Herbaque turis opes priscis imitata Sabina. V.

v. 59.

Sive in finitimo gemuit ſtans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero:

Illa

v. 59. SIVE IN FUATIVO GEMUIT STANS NOCTUA TIGNO] An in abdito & occulto? Sed alii libri: *Finitimo*, vicinæ domûs. Ovidius 1. Faſt.

Et jam finitimo sorpns librabat in berba.

Finitimi tamen proprie in agris, ut in urbibos *vicini*. *Tigno*. ut Virgilius 4. Æn.

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Viſa queri.

Tignum io XII. Tabb. omnis materia, unde fiuot ædificia. Feſtus in *Tignum: Tignum non ſolum in ædificiis, ſed etiam in vineis. Tignum, tout merrain, ſolive, & chévron*. Trabes tignis ſunt majores. *Noctua gemuit:* quia noctuæ volatus felix; ſed cantus contra, quia gemitus, infauſtus putabatur. Noctua, a noctis tempore dicta, quo canit, vel volat: Feſtus, Varro 4. de L. L. Virgilius 1. Georg.

Solis & occaſum ſervans de culmine ſummo
Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.

Noſter Eleg. 20. lib. 2.

Nec tam nocturnâ volucris funeſta querelâ
Attica Cecropiis obſtrepit in foliis.

Gemit noctua, ut bubo apud Virgilium 4. Æneid. *Queritur, & longas in fletum ducit voces*; & Auſonio *Lugubre canit ob ferale ſonans U*. Plautus quoque Menæchm. *Vin' tibi afferri noctuam, quæ TU TU uſque iteret?* Plinius lib. 18. cap. ult. *Noctua in imbre ſerenitatem: ſereno, tempeſtatem cauta præſagit*. & lib. 10. cap. 17. *Noctuas novem voces habere ait Nigidius*. Appulejus lib. 2. Florid. *Scilicet galli expergifico* (carmine canont); *bubones gemulo; noctuæ intorto; cicadæ obſtrepero; birundines perargnto*. PASS.

v. 60. SEU VOLUIT TANGI PARCA LUCERNA MERO] Aliàs *doluit*. aliàs *metuit*. neutrum recte. *Voluit*, id tacite poſtulavit, quaſi voluntas & cupiditas ſit in lucerna. ut Eleg. 12. lib. 3. *Latentur cæde ſagittæ*. *Parca lucerna*, an exigua, & parcæ, & frugi dominæ? nam lucerna parſimoniæ, & induſtriæ ſymbolum, ut *Lucerna Cleanthis* Varroni. an *Parca* epitheton eſt, pro fatidica, ut Eleg. 5. lib. 3. *Mors parca?* An parca, in qua parum olei, & luminis? ut Ovidius 2. Faſt.

Lumen ad exiguum famulæ data penſa trabebant.

Hic Lucerna, ſobriorum eſt: at Eleg. 15. lib. 2. v. 3. ebrietatis & convivii. *Tangi mero*. an ut Lucretius lib. 1. *Illa ab Iaccho?* & Plautus Caſina: *Se uſpiam hæc percuſſit flore Liberi*. Sed alii libri, & Beroaldus: *Tingi mero*, ſibi merum infundi, quo excitari flammam languentem putabant, & inde omen captabant; ut Eleg. 8. infra: *Neque ſuppletis conſtabat flamma lucernis*. *Tingi mero*. Sic Horatius Ode 14. lib. 2. *Mero tinget pavimentum*. Turnebus lib. 8. Adv. cap. 1. ad hunc verſum: *Apparet*, inquit, *quum augurria & omina caperent e lucerna, ſi quid diri ejus lumen denuntiare videretur, mero id ſolitos expiare, tactâ ſcilicet vino lucernâ*. Scaliger in Catalecta citat hunc verſum, & illos Ovidii in Epiſt. Herûs:

Interea lumen (poſito nam ſcribimus illo)
Sternuit, & nobis proſpera ſigna dedit.
Ecce merum nutrix fauſtos inſtillat in ignes:
Craſque erimus plures, inquit, & ipſa bibit.

Addo & illud ex Epiſt. Laodamiæ:

Tura damus, lacrimaſque ſuper, quæ ſparſa relucent,
Ut ſolet effuſo ſurgere flamma mero.

De præſagio ex flamma lucernæ Appulejus lib. 2. A. A. Virgilius 2. Georg. PASS. Perperam Beroaldus & Pafferatius, *tingi* malebant, pro *tangi*, quod eſt in omnibus libris. Ovidius L. 5. Faſt.

Rurſus aquâ tangit, Temeſæaque concrepat æra.

Virgilius L. 3. Georg.

Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca.

Martialis L. 6. Epigr. 74. *Medio recumbit imus ille qui lecto, Calvam trifilem ſemitactus unguento*. BROUKH. *Voluit tangi lucerna mero*. Simillimum eſt illud Horatii Ode 11. lib. 4. *Ara caſtis Vincta verbenis avet immolato Spargier agno*. Ovidius pariter Epiſt. Ariadnæ:

Et quoties ego te, toties locus ipſe vocabat.
Ille locus miſeræ ferre volebat opem.

Ceterum & in Fragmento Petronii Traguriano: *Hæc dicente eo gallus gallinaceus cantavit*,

Illa dies hornis cædem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popæ.

Ne,

tovit, qua voce confusus Trimalchio vinum sub mensam jussit effundi, lucernamque etiam mere spargi. Vulp.

v. 61. Illa dies hornis cædem denuntiat agnis] Dies facere dicitur quod fit cum die; ut Eleg. 20. lib. 2. *Auferet una dies.* [Cornelius Severus, de morte Ciceronis: *Abstulit una dies ævi decus.*] Ergo illa dies, qua ista dantur omina, agnis minatur & indicit cædem; quia procuranda sunt cæde bidentum, vel agnorum. *Denuntiatio*, minantis est, inquit Donatus in Adelphos. Virgilius 3. Æneid. *Tristes denuntiat iras*. Agrætius: *Denuntiatur de præsenti*. *Horni agni*, anniculi, inquit Acro ad illud Odæ 23. lib. 3. *Horna fruge*; & Porphyrio ad illud Epod. 2. *Horna vina*. Hornum, quod est hujus, seu ipsius anni: Nonius. unde horno adverbium. Plautus Mostell. *Velut horno messe magna*. ubi Erasmus legit: *Horna messe*. Hornum hædum significat Horatius quum ait: *Si tener pleno cadit hædus anno*. Alfenus J. C. L. *Quum quæreretur, de Legatis* 3. agnis legatis quærit, an sex mensium intelligantur, & respondet, agnos dici qui sunt minores anniculis: ergo horni, minores. Pass. *Denuntiat*, minax verbum, Tibullus Elegia 5. lib. 3.

At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

Cicero Orat. 3. in Catilinam: *Non ille nobis Saturnalia constituisset, neque tanto ante exitium, ac fati diem reipublicæ denuntiasset.* Idem Tuscul. 1. in calce: *Nos vero, si quid tale acciderit, ut a Deo denuntiatum videatur, ut exeamus e vita: læti & agentes gratias pareamus.* Et Epist. 20. lib. 2. ad Atticum: *Clodius adhuc mihi denuntiat periculum. Pompejus affirmat, non esse periculum.* Contra M. Seneca Suas. 2. *Indenuntiata forte rapimur.* Vulp.

v. 62. Succinctique calent ad nova sacra popæ] Beroaldus legit *Succinctæ popæ*, & minutas victimas interpretatur, vel exta. Somnia. *Popæ*, qui victimas ad aram alligabant, feriebantque, & secespita jugulabant. Vet. Gloss. *Popa*, θύτης. Item: *Popæ*, θύτης. Item: *Popa*, *immolator*, θύτης. *Minister* dicitur Ovidio 1. Fast.

Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cælitibus quo feriente cadit.

& 4. Fast.

A bove succincti cultros removete ministri.

Turnebus lib. 18. Adv. cap. 5. ad hunc locum adfert illud Suetonii in Caligula cap. 32. *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo cultrarium mactavit.* adfert & verba Servii ad illud 12. Æneid. *Veloti limo*. *Limus est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum. hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est flexuosam, unde & limus vocatur.* Spartianus in Vita Getæ: *Percussit bestiam popa nomine Antoninus. Succincti.* Vetus Interpres Persii ad illud Sat. 5.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Quia Gabino habitu, inquit, *cinctique Dii Penates formabantur obvoluti toga super humerum sinistrum, dextro nudo.* Inde *succingulum*. Balteum exponit Festus. Scaliger in Robertum Titium, cinctutos & succinctos eosdem putat, seminudos scilicet, ut in marmoribus antiquis visuntur popæ. Lucanus lib. 1.

Impatiensque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent dum torva ministri.

Persius Sat. 6. *Ast illi tremat omento popa venter.* id est, pinguis, opinor, quia ejusmodi erant popæ, ut & tibicines. unde *popina*, & *popinones*. Est & *popa*, πλακοῦς, καὶ πόπανον; Vet. Gloss. [placenta scilicet, seu libum.] *Calent ad nova lucra*. *Sacra* legerat Turnebus, & Cœlius Rhodiginus. Porro ex hoc loco quispiam putet apud Plautum Trucul. act. 5. sc. unica: *Omnes homines ad suum quæstum calent*, legendum, ubi editum *callent*. Sed in Asinaria dixit: *Ad suum quæstum callidum esse*. *Calent*, avide festinant cupiditate mercedis: nam conducebantur a sacra facturis. *Calere* est properantis; unde *Calido consilio* Livio, & Terentio. Apud Horatium quoque Epist. 1. lib. 2.

Ne, precor, adſcenſis tanti ſit gloria Bactris,
Raptave odorato carbaſa lina duci,
Plumbea quum tortæ ſparguntur pondera fundæ,
Subdolus & verſis increpat arcus equis.

Sed

lib. 2. *Calet uno ſcribendi ſtudio*. Sic idem Epiſt. 1. lib. 1. *Fervet avaritia pectus*. PASS. Inde opinor derivatam locutionem Italis poetis familiarem: *Mi cale, non mi cale*. vulgo dicimus: *Mi preme, non mi preme*. VULP. *Succinctique c. a. u. l. p.* novis victimis purgaturi mala omina gementis noctuæ, & lucernæ deficientis. Erant *popæ* in infima plebe, &, ni fallor, liberti. *Licinium quemdam de plebe, ſacrificulum, qui ſolitus eſſet familias purgare*, memorat Cicero pro Milon. C. 24. Hunc popam ſatis liquet non fuiſſe ex gente Licinia, clara illa atque honoratiſſima: eſt autem veroſimile, accepto pileo patroni nomen, id quod moris erat, ad ſuum nomen priſtinum adjeciſſe. BROUKH.

v. 63. NE, PRECOR, ADSCENSIS TANTI SIT GLORIA BACTRIS] Sic Eleg. 12. l. 3.

Tantine ulla fuit ſpoliati gloria Parthi?

Tanti ſit: ſtet tam magno. vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 1. v. 13. & El. 12. l. 3. v. 10. *Aſcenſis Bactris*, ut primus muros Bactrianorum aſcendas, & muralem inde petas coronam. Ennius apud Gellium, & Nonium in *Atque*:

Atque atque aſcendit muros Romana juventus.

Virgilius 9. Æneid.

Quærit pars aditum, & ſcalis aſcendere muros.

Hæc per ſcalas oppugnatio, reperta a Capaneo, periculoſa, & ipſi auctori exitioſa fuit. Vegetius lib. 4. de Re Milit. c. 21. PASS. *Tanti ſit gloria*. oratio imperfecta: ſubjungi enim debebat, ut te occidant hoſtes, & mihi nuntius de tua morte perferatur. Hæc autem reticet Arethuſa; cupit enim εὐφημεῖν. & poterant hæc ex præcedentibus intelligi, ubi de malis ominibus. *Adſcenſis Bactris*. Salluſtius Catilin. *Se quiſque hoſtem ferire, murum aſcendere, conſpici, dum tale facinus faceret, properabat*. Silius Italicus lib. 12. v. 46.

Nobis ſcandere nuper
Non acie ex ipſa conceſſum eſt mœnia Romæ.

Appianus Alexandrinus lib. de Bellis Parthicis, ubi Surenæ laudes enumerat: Σελεύκειαν αὐτῷ (Ὀρώδῃ Παρθων βασιλεῖ) τὴν μεγάλην εἷλε, πρῶτος ἐπιβὰς τοῦ τείχους. *Seleuciam magnam ei* (Orodi regi Parthorum) *ſubjugaverat, ante alios aſcenſis muribus*. VULP.

v. 64. RAPTAQUE ODORATO CARBASA LINA DUCI] δὶς τὸ αὐτό. nam carbaſus genus lini tenuiſſimi, primum in Hiſpania reperti: Plinius lib. 19. cap. 1. Sic dicitur *Lapis ſilex, libra pondo*. vel *Carbaſa lina*, pro *carbaſea*; ut *fœmina turba* Eleg. 31. lib. 2. De liniis Ægyptiorum, Arabum, & Indorum, unde veſtes tenuiſſimæ texuntur, Plinius loco ante dicto. Curtius de Indis, lib. 8. *Terra lini ferax: inde pleriſque ſunt veſtes*. Ibidem: *Corpora uſque pedes carbaſa velant*. Mox de rege: *Diſtincta ſunt auro, & purpura carbaſa, quæ indutus eſt*. Lucanus de Indis, lib. 3.

Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis adſtringunt carbaſa gemmis.

Rapta, detracta, derepta quum ſpoliatur a victore. *Duci odorato*, Regi vel Imperatori Arabum, Aſſyriorum, Armeniorum; apud quos odores multi gignuntur, ut adnotatum ad Eleg. 29. lib. 2. v. 17. Arabia odorum fertilitate nobilis regio, cui tunc imminebant Romani; ut notavi ad El. 10. lib. 2. v. 16. PASS. Etiam apud vicinas gentes luxus hic Parthicus. v. Valerium Flaccum L. 6. a verſu 221. ubi inter alia, *Candentis carbaſa lini*. BROUKH. *Carbaſa lina*, id eſt, *carbaſea*. ſic Eleg. 3. lib. 3. roſtra columbarum *punica* dixit, pro *punicea*. Herodianus lib. 4. Hiſt. Aug. commemorat Parthorum θαυμαζόμενα ὑφάσματα, telas laudatiſſimas. VULP.

v. 65. PLUMBEA QUUM TORTÆ SPARGUNTUR PONDERA FUNDÆ] Id eſt, emittuntur & funduntur glandes plumbeæ ingentis ponderis a funditoribus. Virgilius 7. Æneid. *Pars maxima glandes Liventis plumbi ſpargit*. Ovidius 2. Metam.

Non

Sed (tua sic domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos)

Incor-

Non secus exarsit quam quum Balearica plumbum
Funda jacit: volat illud, & incandescit eunde,
Et, quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.

Nonius: *Glandis est plumbum in modum glandis informatum.* Glandium ejusmodi frequens mentio apud Cæsarem, Sallustium, Livium, ubi de funditoribus agunt. *Pondera fundæ*, ut *Pondera uteri*, Eleg. 1. sup. *Fundæ tortæ*, quia ex lino, vel setis tortis fit funda. & sic *Funem torquere*, hac Elegia dixit. vel *tortæ*, rotatæ circum caput. Virgilius 1. Georg.

Stupea torquentem Balearis verbere fundæ.

Isidorus lib. 10. cap. 10. *Funda, quod ex ea funduntur lapides.* *Sparguntur*, frequenter huc & illuc mittuntur; unde Statius 8. Thebaid.

Stridentia fundâ
Saxa pluunt; volucres imitantur fulgura glandes. PASS.

His glandibus præluserunt veteres pilis plumbeis, quæ nunc ex tubis æneis, vel ferreis, magno cum fragore atque impetu erumpunt. *Fundæ*. Funda, ubi saxum, vel plumbea glans collocabatur, cava erat. Hinc jocus M. Tullii de prædiolo quodam angusto:

Fundum Varro vocas, quem possim mittere fundâ,
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet. VULP.

v. 66. SUBDOLUS ET VERSIS INCREPAT ARCUS EQUIS] Epithetum rei mutæ, *Subdolus arcus*, pro, subdoli & astuti Parthi arcus; ut Eleg. 2. sup. *Properanti falce.* De Parthorum simulata fuga vide Eleg. 6. lib. 3. v. 54. *Increpat versis*; ut Eleg. 14. lib. 3.

Increpat & versi clavis adunca trochi.

& Eleg. 7. infra:

Pollicibus fragiles increpuere manus.

Elegia vero 17. lib. 1. cum quarto casu:

Aspice quam sævas increpat aura minas.

Sonat autem & crepat arcus quum vibratur telum. Virgil. 5. Æneid.

Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.

& 9. Æneid. *Sonat una letifer arcus.* *Versis equis*, conversis in fugam simulatam. Horatius Ode 19. lib. 1. *Versis animosum equis Parthum.* PASS. Ratio pugnandi apud Parthos receptissima, quam tamen ipsi a Scythis didicerunt: videlicet, arbitro in Parthicis Appiano, ut salutem simul protegant, simul tollant a fuga turpitudinem. Valerius Flaccus L. 6. v. 698. de Myrace, regis Parthorum legato ad regem Æëtam:

Ipse, pharetratis residens ad frena tapetis,
Nunc levis infesto procurrit in agmine curru:
Nunc fuga conversas spargit mentita sagittas. BROUKH.

v. 67. SED (TUA SIC DOMITIS PARTHÆ TELLURIS ALUMNIS PURA TRIUMPHANTES HASTA SEQUATUR EQUOS)] τὸ *Sic* est precantis & optantis. ut Eleg. pænult. lib. 1.

Sic te servato possint gaudere parentes.

Domitis, devictis, subactis. ut El. 1. l. 1. *Domuisse puellam.* *Alumnis*: vide adnotata ad v. 37. Eleg. 1. sup. Ita Catullus: *Celtiberiæ fili.* *Telluris Parthæ*, pro Parthicæ, ut Eleg. 4. lib. 3. *Partha trophæa.* *Tua hasta*, tu hastatus; ut supra, *Tuam famem*, te famelicum. *Pura hasta.* Servius in illud 6. Æneid.

Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta.

Id est, sine ferro, inquit, quod ejus præmium fuit qui tum primum vicisset in prœlio. Plinius lib. 7. cap. 28. *Sicinius Dentatus donatus hastis puris duodeviginti.* Suetonius in Claudio cap. 28. *Posidem spadonem Britannico triumpho inter militares viros hastâ purâ donavit.* Viri autem fortes hastâ donari soliti, quæ inde *donatica* dicebatur. Festus in *Optionatus*, & in *Hasta*. *Pura hasta*, sine ferro dicta, ut *Pura toga*, sine limbo purpureo, & *Purus campus*, sine arboribus. Paullo aliter Statius 11. Theb.

Puræque nefandi
Sanguinis obliquis ceciderunt ictibus hastæ.

Sequatur, sic Eleg. 9. lib. 3.

Persequar & currus utroque ab litore ovantes.

Ovantes currus, ut hic *triumphantes equos*. quasi equi partem hujus laudis haberent.

In

Incorrupta mei conserva fœdera lecti.
Hac ego te sola lege redîsse velim.
Armaque quum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam, *Salvo grata puella viro.*

In equis autem triumphantium sedebant liberi eorum prætextati : Cicero pro Muræna . PASS. Laborabant hi versus a prava distinctione ; quam tu ita corrige ; *Sed (tua sic d. P. t. a. P. t. b. f. e.) Incorrupta m. c. f. l.* mirum est , quomodo interpretes potuerint explicare quæ non intelligebant . bene jam olim exposuerat Bernaldus : sed eum nemo audivit . BROUKH. *Pura hasta .* Marius apud Sallustium Jugurth. cap. 89. *Non possum , fidei caussa imagines , neque triumphos , aut consulatus majorum meorum ostentare : at , si res postulet , hastas , vexillum , phaleras , alia militaria dona , præterea cicatrices adverso corpore .* VULP.

v. 69. INCORRUPTA MEI CONSERVA FŒDERA LECTI] Fidem conjugii serva integram . ut Eleg. 31. lib. 2. *Lectum servare pudicum . Servare fœdera* , pro fidem . Ovidius 2. Fast.

Cynthia laudavit , Promissaque fœdera serva ,
Et contitum princeps tu mihi , dixit , eris .
Fœdera servasset , si non formosa fuisset .

Appulejus lib. 9. A. A. *Torique genialis calcato fœdere , Larem mariti lupanari maculasset infamia . Incorrupta fœdera ;* Horatio Ode 24. lib. 1. *Incorrupta fides* . PASS.

v. 70. HAC EGO TE SOLA LEGE REDISSE VELIM] Hac sola conditione optem te reducem . *Lex* enim pro formula sumitur , pactis & conventis addita . ut Eleg. 20. lib. 3.

Fœdera sunt ponenda prius , signandaque jura ,
Et scribenda mihi lex in amore novo . P.

v. 71. ARMAQUE QUUM TULERO PORTÆ VOTIVA CAPENÆ] Nam arma viri voverat se fixuram diis ob reducem a bello maritum . vide adnotata de hoc ritu ad El. 1. sup. v. 91. *Tulero portæ* , pro ad portam ; ut Eleg. 1. sup. *Armatos hostis inermis eat* . vel *tulero* , pro obtulero & fixero . vide adnotata ad v. 25. Eleg. sequentis . *Portæ Capenæ* , quia deorum simulacra in portis ; ut dictum hic sup. ad v. 17. Beroaldus arma hæc suspensa putat in æde Martis . Sane P. Victor ædem Martis locat juxta portam Capenam . Interpres Juvenalis ad illud Sat. 3.

Substitit ad veteres arcus , madidamque Capenam ;

In via Appia , inquit , *ad portam Capenam , quæ est ad Camœnas* . Ea viæ Appiæ initium : Festus in *Initium* . Ad eam Senaculum : Festus in *Senaculum* ; & de ea in *Lemonia* , & in *Mutalem* . Servius in 7. Æn. *Lucosque Capenos : unde dicta Capena porta , quæ juxta est* . eâ Capuam itur . Divi Sebastiani porta hodie dicitur . Cicero hac porta ingressus urbem rediens ab exsilio : Epist. 1. lib. 4. ad Attic. P. Victor inde exorditur descriptionem Urbis . *Votiva* , ea quæ ex voto debentur . ut Eleg. 28. lib. 2. *Votivas noctes* . PASS. Intellige templum Martis extra portam Capenam . intra portam erat ædes Camœnarum cum luco . mendosus est in hac voce Servius , ad L. 7. Æneid. v. 697. LUCOSQUE CAPENOS . *Hos dicit Cato Vejentum condidisse auxilio regis Propertii , qui eos Capenam , quum adolevissent , miserat . Unde & porta Capena , quæ juxta Capenos est , nomen accepit* . rectius legebatur in editione Georgii Fabricii , viri accuratissimi , *quæ juxta Camœnas est* . BROUKH. Ovidius 6. Fast. v. 191.

Lux eadem Marti festa est : quem prospicit extra
Appositum tectæ porta Capena viæ .

Lege Suetonium in Vita Augusti . Livius lib. 7. *Quum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire armatos juniores jussisset , signaque eodem quæstores ex ærario deferre* . VULP.

v. 72. SUBSCRIBAM , SALVO GRATA PUELLA VIRO] De subscriptionibus in votis , & dicatis donariis vide adnotata ad Eleg. 14. lib. 2. v. 25 , 26 , 27 , 28. & ad El. 28. libri ejusd. Adde illud Ovidii lib. 3. Trist. Eleg. 1.

Caussa superpositæ scripto testata coronæ ,
Servatos cives indicat hujus ope .

Hino lucem capit illud Tibulli Carm. 1. lib. 4.

Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat.

Grata puella, memor beneficii uxor. Ovidius Epist. Penelopes:

Grata ferunt Nymphæ pro salvis dona maritis.

ubi *Nymphæ pro maritis*, ut hic *puella viro salvo* 7. casu; ob salvum virum, pro marito incolumi. PASS.

ELEGIA IV.

TArpejum nemus, & Tarpejæ turpe sepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.

Lucus

ARGUMENTUM ELEGIÆ IV. LIBRI IV.] Tarpejæ virginis Vestalis historiam narrat, quæ Tatii Sabinorum regis amore capta, ut ejus conjugio potiretur, arcem Capitolinam festis Palilibus indefensam pacta est illi tradere; qua occupata Tatius jussit proditricem occidi. VULP.

v. 1. TARPEJUM NEMUS, ET TARPEJÆ TURPE SEPULCRUM FABOR, ET ANTIQUI LIMINA CAPTA JOVIS] *Fabor*, canam: nam fari est vatum, unde *fata*. Virgilius 1. Æneid. *Fabor enim*. Inde & *Fauni*, *fatui*, *fatuelis*, & *fatuæ Nymphæ*, a fatis fandis: Servius, & Donatus. Varro autem 5. de L. L. *Fatur qui primum homo significabilem ore emittit vocem; unde fatum, fatui & fatidici*. Inde qui nunc *hariolus*, olim *fariolus*: Terentius Scaurus de Orthograph. *Nemus Tarpejum*, vocat mox *lucum*, & Eleg. 8. infra *Tarpejos lucos*. Virgilius 8. Æneid.

Hinc ad Tarpejam sedem, & Capitolia ducit
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.

unde dictum *nemus*, adnotavi ad Eleg. 1. lib. 3. v. 2. *Tarpeja*. leg. Festus in *Tarpeja*, & in *Saxum Tarpejum*, qui sepultam illic scribit; Varro item 4. de L. L. Plutarchus in Romulo, Livius lib. 1. Dionysius lib. 2. ubi honoris caussâ ei sepulcrum conditum scribit ex Pisone, & quotannis ad id inferias persolvi; crimenque proditionis refellit. leg. & Servius in 8. Æneid. Fuit & altera Tarpeja Vestalis tempore Numæ: Plutarchus in Numa. *Turpe sepulcrum*, infame ob proditionem. Sic El. 16. lib. 3. *Tumuli infamantur*. *Limina capta*. captam proditione portam: nam infra dicet: *Prodiderat portæque fidem*, &c. In porta autem & janua duplex limen; ut notum est. Donatus in Eunuchum: *Limis est transversus; unde limen, quia ingredientibus exeuntibusque transversum est. Limen*, pro Janua posuit Attius apud Varronem 5. de L. L. *In quæ delatus locos dicitur alta ab limine cæli*. Virgilius & Ennius dixere: *Porta cæli*. Sunt & limina, termini provinciarum: Festus in *Postliminium*. Vide Nonium in *Limen*, de gemino limine, & omni ingressu ita dicto. *Jovis*, Capitolii. ut adnotatum ad Eleg. 3. lib. 3. v. 12. Vice versa Suetonius in Nerone cap. 12. Capitolium, pro Jove posuit: *Barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecravit*. quod Lipsius conatur mutare in *Capitolino*, supple Jovi. At Petronius: *Ipse Senator recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet: & ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Jovem quoque peculio exornat. Antiquus Juppiter*, Capitolium vetus. Varro 5. de L. L. *Clivus proximus sursus versus Capitolium vetus*. P. Victor in Reg. 6. *Capitolium vetus*. Legendus Corn. Tacitus quoties instauratum sit Capitolium. Juvenalis Sat. 6. dixit: *Tarpejum limen adora*. PASS. *Tarpejæ turpe sepulcrum*. sane istic fuisse sepultam constat. Varro L. 4. de L. L. *Capitolium dictum, quod heic cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput humanum inventum dicitur. Hic mons ante Tarpejus dictus a virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi a Sabineis necata armeis, & sepulta: ejus nominis monimentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes Tarpejum appellatur saxum*. - - - - - - - - - Silius Italicus Tarpejam in inferis apud impios collocavit, L. 13. pone finem. lege, si vacat. BROUKH. *Tarpejum nemus*. Auctor Elegiæ Cornelio Gallo tributæ:

At

Lucus erat felix hederoſo conditus antro,
  Multaque nativis obſtrepit arbor aquis:

Silva-

At pius æternam ſervet nè Juppiter urbem,
  Scilicet occiderat virginis illa dolo.
Sic pereat, patrios quicumque inſons in arces
  Mente enit, pœnas ut ſcelerata dedit.
Obruta virgo jacet. ſervat quoque nomina rupes
  Illa, triumphator Juppiter unde tonat.

Antiqui Jovis. Eodem pacto Scriptor Liberi Carminis Epigr. 33.

Naiadas antiqui Dryadaſque habuere Priapi. VULP.

v. 3. LUCUS ERAT FELIX HEDEROSO CONDITUS ANTRO] Nemus & lucum confundit. ut Eleg. 10. infra:

Lucus ab umbroſo fecerat orbe nemus.

Felix lucus. Virgilius 1. Æneid. *Lætiſſimus umbra*. An fortunatus & amœnus? ut 6. Æneid.

Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.

An ex felicibus arboribus? de quibus Macrobius cap. ult. lib. 3. Contra *Infelix lolium*. Servius in 2. Georg. *Felicis mali*: fœcundi, vel ſalubris. Nonius: *Felix*, *fructuoſus*, *ferax*. *Erat*, enallage temporis, ut hic infra: *Prodiderat portæque fidem*. *Conditus*, reconditus, latens, in ſeceſſu. Noſter Eleg. 19. lib. 3.

Arboris in frondes condita Myrrha nova.

ſic *Sabinum reconditorum* Catullus. non autem conditus antro: (quomodo enim lucus antro condi poteſt?) Sed *Lucus antro hederoſo*; ut Eleg. ſup. *Pictoque Britannia curru*. Alii legunt *Conſitus*, ut non ingenio, ſed manu natæ illic arbores. Sic Eleg. 14. lib. 1.

Et nemus omne ſatas intendat vertice ſilvas.

Lucum autem jungit cum antro; ut Eleg. 10. infra:

Vos precor o luci ſacro quæ luditis antro.

Antra Nymphis ſacra. *Hederoſum antrum*, ut Eleg. 1. ſup. *Arenoſum antrum*. & Elegia 2. ſup. *Pomoſa corona*. Antra vero ſolent opacari hedera, vel vite, vel frondibus arborum imminentium. Virgilius Ecl. 5.

Aſpice ut antrum
Silveſtris raris ſparſit labruſca racemis.

Item Ecl. 9. *Hic candida populus antro imminet*. PASS. Scribe *hederoſo* cum noſtris libris; & *conſitus*, cum Gulielmo Cantero. lucus conſitus prope antrum multa hedera veſtitum. Cicero de Senectute C. 17. dixit, *agrum diligenter conſitum*. & Seneca Epiſt. 123. *Pomaria in ſummis turribus ferunt*. ſæpe in his vocibus librarii errarunt. ſic vidi in priſcis quibuſdam Tibulli codicibus

Et tu, Bacche tener, jucundæ conditor uvæ,

pro quo *conſitor* habent emendatiores. BR. *Hederoſo conditus antro*. Hujuſmodi antrum belle deſcribit Ælianus lib. 13. Variæ Hiſtoriæ cap. 1. Καὶ ἦν ἐν κοίλῃ τῇ φάραγγι σπήλαιον ἓν, καὶ βαθὺ πάνυ, κατὰ πρόσωπον δὲ βαθέων κρημνῶν ὠχύρωτο. κιττοὶ δὲ αὐτοῦ περιεῖρπον, καὶ ἐνεπλέκοντο οἱ κιττοὶ μαλακοῖς δένδροις, καὶ δι' αὐτῶν ἀνεῖρπον. *In valle cava, ſpecus erat omnino profundum, & in aditu longis promiſſiſque præcipitiis munitum. Id hederæ circumſerpebant, quæ teneris arboribus implicabantur, per quas aſcendebant*. Paullo poſt memorat βαθεῖαν τὴν ὕλην, *ſilvam profundam ſeu reconditam*. exiſtimo iccirco, apud Noſtrum hoc loco legendum *Lucus conditus*. Eleganter etiam Lud. Areoſtus R. F. Cantu 14. ubi domum Somni deſcribit:

Sotto la nera ſelva una capace
E ſpazioſa grotta entra nel ſaſſo;
Di cui la fronte l' edera ſeguace
Tutta aggirando va con ſtorto paſſo.

Dixerat prior Angelus Politianus, Muſarum ocellus:

L' ellera va carpon co' piedi ſtorti. VULP.

v. 4. MULTAQUE NATIVIS OBSTREPIT ARBOR AQUIS] Aquas audiri non ſinit præ ſtrepitu foliorum. Ovidius hunc locum invertit 6. Faſt.

Eſt nemus arboribus denſum, ſecretus ab omni
  Voce locus, ſi non obſtreperetur aquis.

ubi *Nemus*, ut hic *Lucus* dicitur: *arboribus denſum*, ut hic *Multa arbor*, id eſt, frequens, denſa. ſic Eleg. 8. lib. 2. v. 33. *Multa arena*. & Eleg. 10. infra v. 30. *Multa umbra*. Ovidio *Secretus*, ut hic verſu prox. præced. *Conditus*. *Aquis nativis*, ſua ſponte, & ingenio manantibus, ſine arte

& ma-

Silvani ramoſa domus, quo dulcis ab æſtu
Fiſtula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fidaque ſuggeſta caſtra coronat humo.

Quid

& manu . ut Eleg. 2. lib. 1. *Nativis lapillis* . PASS.

v. 5. SILVANI RAMOSA DOMUS , QUO DULCIS AB ÆSTU FISTULA POTURAS IRE JUBEBAT OVES] *Domus* , ſedes , ubi quis habitat . Virgilius 1. Æneid. *Nympharum domus* . & 8. Æneid.

Dirarum nidis domus opportuna volucrum .

Ramoſa , ramis opaca & frondoſa ; ut Elegia 7. infra , *Ramoſis arvis* . Virgilius per translationem , *Ramoſa cornua cervi* . *Silvanus* , quilibet deus ſilvarum . Vet. Gloſſ. *Silvanus* , πᾶς θεὸς ὑλαῖος . Inde Mars Silvanus Catoni , cui in ſilva rem divinam facit . Vide Servium in 8. Æneid. ad illud :

Silvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos ,
Arvorum pecoriſque deo , lucumque diemque .

vide & Lilium Gyraldum . Statius 6. Theb. *Silvanuſque arbiter Orci* . *Quo* , ad quas aquas . *Fiſtula dulcis* , cujus ſonus jucundus eſt . [καταχρηστικῶς uſitata] ut Eleg. 12. libri 1. *Nec noſtra dulcis in aure ſonat* . Auctor Copæ :

Eſt & , *Mænalio quæ garrit dulce ſub antro* ,
Ruſtica paſtoris fiſtula in ore ſonans .

Horatius Ode 17. lib. 1. *Dulci fiſtula valles perſonuere* . Sic *Dulces querelæ tibiæ* Lucretio . *Ab æſtu* , poſt æſtum , unde ſitis pecori . Sic dicitur , a cœna , a prandio , ab exſequiis . aliter Eleg. ſup. *Putris ab æſtu* . *Æſtus* , inquit Nonius , *æſtivi temporis & Solis flagrantia* , *vel maris impetus & commotiones* . Cornelius Fronto : *Æſtas eſt pars anni : æſtus calor temporis* . *æſtus a nimio calore nomen accipit : æſtas nomen non amittit etſi temperata eſt* . *Jubebat* , ſuadebat cantu ſuo . Eleg. 3. lib. 1. *JubeVerent Hac Amor* , *hac Liber* , &c. *Ire poturas* , pro ire potum . Virgilius : *Et potum paſtas age* , *Tityre* . enallage temporis , & vice verbi participium . *Poturas* ; ita Statius 12. Thebaid. *Sever potura cruorer Terra ſudis* . vel , Ire poturas , ut Virgilius 10. Æneid. *Venio moriturus* . PASS.

Fiſtula . v. Gorlæus Gemmâ 127. *jubebat* . Macrobius II. in Somn. Scip. 3. *Quum paſtoralis fiſtula ad paſtum progreſſis quietem imperat gregibus* . BROUKH.

v. 7. HUNC TATIUS FONTEM VALLO PRÆCINGIT ACERNO] Vallat undique has *aquas nativas* Tatius rex Sabinorum ; de quo Eleg. 1. ſup. v. 30. *Fons a fundenda aqua* : Varro . & pro aqua ipſa : Virgilius 1. Æneid. *Fontemque ignemque ferebant* . *Præcingit* : Ovidius , *Pinuque caput præcinctus acuta* . Silius lib. 3. *Præcingere litora muro* . Claudianus de Bello Getico : *Fluvium præcingere caſtris* . ut ſcilicet aquatione intercludantur hoſtes , quæ ſuis tuta ſit . *τὸ præ* intendit vim verbi ; ut & apud Horatium Sat. ult. lib. 2. *Præcincti recte pueri* . & alibi paſſim . *Vallo* ; vide adnotata ad Eleg. 3. ſup. v. 19. *Acerno* , ligneo ex acere . ut Eleg. 2. ſup. *Stipes acernus eram* . PASS.

v. 8. FIDAQUE SUGGESTA CASTRA CORONAT HUMO] Id eſt , undique munit , & in orbem . Virgilius 6. Æneid. *Omnemque aditum cuſtode coronant* . Statius 10. Thebaid. *Caput omne coronant Murorum* . Ovidius 5. Metam. *Silva coronat aquas cingens latus omne* . Homerus :

Νῆσος τὴν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται .

ubi in Homeri Vita Plutarchus : Ὃν λόγον ἔχει στέφανος πρὸς τοῦτον ὃν περίκειται , τὸν αὐτὸν θάλασσα πρὸς νῆσον . *Quam rationem habet corona ad eum cui imponitur* , *eamdem mare ad inſulam* . Inde *Corona populi* Ciceroni , [Catullo , & Ovidio .] & *Coronâ ſapere oppidum* , Cæſari & Livio . *Fida caſtra* , ut Eleg. ſup. *Fida ſarcina* . Virgilius 9. Æneid. *Quibus hæc medii fiducia valli* . Contra ; *via perfida* : infra v. 49. Muretus & Canterus edidere : *Fidaque ſuggeſtâ c. s. h.* An *Fixaque* , ut eâ conjecturâ idem Canterus ? *Humo ſuggeſtâ* , ſubinde aggeſta . Periphraſis aggeris . hic enim ſuggerere non eſt ſubminiſtrare , ſed ſub vallum ferre exſtruendo . unde fortaſſe *ſuggeſtum* dixere editiorem locum , ſuggeſtâ & cumulatâ terrâ .

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
  Quum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
  Stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes: ubi nunc est curia septa,
  Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

Hinc

terrâ. ubi *sub* valet sursum. ut subjicere, & submittere. PASS.

v. 9. QUID TUM ROMA FUIT, TUBICEN VICINA CURETIS QUUM QUATERET LENTO MURMURE SAXA JOVIS?] Epiphonema. *Quid tum Roma fuit?* nihil scilicet, vel perexiguum, quæ nunc tanta. *Tubicen Curetis*, enallage numerorum, pro tubicen Curetum, id est Sabinorum. vel κατ' ἐξοχὴν Tatium intelligit. Sabini, Curetes dicti ab urbe Sabinorum Curibus. Varro 4. da L. L. *Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum, qui a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam; quod ibi habuerunt castra.* ergo *Curetes* & *Cures* dicuntur. Curitim Junonem quoque dixere: quod Curis fuerit Sabinis hasta, quam ferret Juno. Inde dicti *Quirites*. Alii sunt Curetes Cretæ populi. *Quateret*, pulsaret clangore & sono tubæ; nam vox corporea Lucretio & Philosophis. Virgilius 5. Æneid. *Pulsati colles clamore resultant*. & vox est aër ictus, & echo repercussus vocis sonus. Albinovanus ad Liviam:

At vox adversis collibus icta redit.

Saxa Jovis. Rupem Tarpejam seu Capitolinam. ut Eleg. 11. lib. 3.

Fœdaque Tarpeja conopea tendere saxa.

Vicina, propinqua enim castra erant Tarpejo monti, in colle qui postea Quirinalis dictus a Sabinis, qui Curibus venerant. *Murmure*, strepitu etiam vehementiore. ut infra hic: *Tubicen fera murmura conde*. & Eleg. 8. lib. 1. *Murmura ponti*. Seneca Thyesta: *Jam silet murmur grave classicorum*. Dicitur etiam de crepitu fulminis. Lucretius: *Murmura percurrunt cælum*. *Lenta*, gravi, tardo. Nonius in *Lentum*, *tardum*. gravia enim tarda sunt. Et *lentum virus* Horatius vocat grave. An quasi a lento & liquido inflata tuba? An, ut Virgilius dixit 4. Georg. *Fractas sonitus imitata tubarum?* PASS. *Lento murmure*. vide quæ adnotavimus ad Galliambum Catulli v. 22. de virtutibus & vitiis tibicinum. VULP.

v. 11. ATQUE UBI NUNC TERRIS DICUNTUR JURA SUBACTIS] Jura redduntur a prætoribus, & ædilibus, & judicia fiunt orbe domito. vel dicuntur jura terris subactis 3. casu. id est: Jura dantur & leges orbi victo. ut Eleg. 11. lib. 3.

Jura dare statuas inter & arma Mari.

quod est Virgilio 6. Æneid. *Paci imponere morem*. victores enim victis leges ferunt. & apud Horatium Ode 3. lib. 3. *Triumphatisque possit Roma ferox dare jura Medis*. *Subactis*, domitis, [actis sub jugum.] Virgilius 1. Æneid. *Rutulis subactis*. *Subigere* est & agriculturæ. unde ambigue ponitur, ut apud Suetonium in Cæsare:

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem. PASS.

Dicuntur jura. Jurisdictio erat penes prætorem, qui litigantibus judices dabat, in possessionem mittebat, coërcebat. Sed hæc non sunt instituti nostri. VULP.

v. 12. STABANT ROMANO PILA SABINA FORO] Quid pilum, dixi ad v. 91. Eleg. 1. sup. *Pila stabant*, vel erant, vel recta tenebantur, vel horrebant. unde hasta Varroni ab astando. De foro Romano vide adnotata ad v. 6. El. 2. sup. v. 13. PASS.

v. 13. MURUS ERANT MONTES, UBI NUNC EST CURIA SEPTA] Inepta & prava lectio. sicut & altera mendosa: *Murus erat fons hic*. Legendum opinor: *Purus erat fons hic*. ut Eleg. 1. lib. 3. *Pura de fonte sacerdos*. nam purum esse fontem oportuit e quo ad sacra petebat aquam Tarpeja. *Curia*, ubi res humanæ curabantur, erat juncta Basilicæ Porciæ: Asconius in argumento Milonianæ. vide adnotata ad v. 11. Eleg. 1. sup. *Septa*, clausa, munita parietibus & te-

cto;

Hinc Tarpeja deæ fontem libavit: at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?

Vidit

cto: nam olim sub dio, & in prato Senatus habebatur: Eleg. 1. sup. v. 14. PASS. Dan. Heinsius legebat,

Murus erant montes, ubi nunc est curia, septum.

- - - - - - - Josephus Castalio, *Ubi nunc est curia, septa.* i. e. ubi hodie est curia, ibi tunc erant septa, sive castra & munitiones Sabinorum. vide ipsum, si lubet, Decade 2. Observ. C. 8. - - - - - mihi sic visum erat: *Murus erant montes*, asperum Tarpejæ saxum erat loco murorum. *ubi nunc est curia septa*, ubi nunc conspicitur Curia Hostilia, muro ac pariete clausa, prope lacum Juturnæ & Forum Romanum. ibi tunc aquatum ibant equites Sabinorum. Publ. Victor in regione Urbis octava. vel Pila Horatia intelligenda, quæ propius aberant a Juturnæ lacu. BROUKH.

v. 14. BELLICUS EX ILLO FONTE BIBEBAT EQUUS] Equorum enim *duellica proles*, ut ait Lucretius. Virgilius 2. Georg. *Bellator equus*. & 3. Æneid. *Bello armantur equi*. PASS. Adde Valerium Flaccum lib. 2. Argon. v. 385.

Haud secus Æsonides monitis accensus amaris,
Quam bellator equus.

Juvenalis autem Sat. 7. v. 125. *Bellatorem* ἁπλῶς dixit, pro equo bellico:

Hujus enim stat currus aheneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens.

Hujusmodi equos *militares* appellat Sallustius Catilin. *Magisque in decoris armis, & militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebat*. Macer J. C. Digest. lib. 49. tit. 16. L. 12. §. 1. *Paternus quoque scripsit, debere eum qui se meminerit armato præesse parcissime commeatum dare, equum militarem extra provinciam duci non permittere*. Horatius propterea Ode 8. lib. 1. *Cur neque militaris Inter æquales equitat?* id est, equo bellico insidens. Equorum militarium mentionem facit Nepos in Eumene. *Castrenses* vocat Seneca lib. 2. de Ira cap. 2. *Sit enim militaris viri, in media pace jam togati aures tuba suscitat, equosque castrenses erigit crepitus armorum*. VULP.

v. 15. HINC TARPEJA DEÆ FONTEM LIBAVIT: AT ILLI URGEBAT MEDIUM FICTILIS URNA CAPUT] Ex illo fonte aquam leviter hausit, prius degustatam sacrorum more. Sic Virgilius 4. Georg. *Flumina libant Summa leves*. De libatione plura diximus ad Eleg. 17. lib. 3.

Libatum fundens in sua sacra merum.

Aquam petebat ad sacra lavanda. Livius lib. 1. *Aquam forte ea* (Tarpeja) *tum sacris extra mœnia petitum ierat*. Ovidius 3. Fast. de Silvia Vestali:

Sacra lavaturas mane petebat aquas.

Fontem, aquam, ut v. 7. sup. & fontem Juturnæ intelligit Beroaldus. *Deæ*, Vestæ. *At illi*, postquam implevit urnam scilicet. Sic Eleg. 20. lib. 1. v. 47. *Sed illi*, &c. ubi vide adnotata. *Urna fictilis*, quia pauper tum Roma, & ipsi dii fictiles. Eleg. 1. sup. Sic Ovidius initio 3. Fast. de Silvia petente aquam ad sacra:

Ponitur e summa fictilis urna coma.

Fictilem urnam vocat *testam* Eleg. 13. libri 2. v. 32. Unde urna dicta, vide Elegiam 26. l. 2. v. 50. *Urgebat*, premebat. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Quum premeret summi verticis urna comam.

Medium caput. de hoc more gestandi capite vide adnotata ad illud Eleg. 9. lib. 3. *Capiti committere pondus*. PASS.

v. 17. ET SATIS UNA MALÆ POTUIT MORS ESSE PUELLÆ] τὸ *Et* servit epiphonemati, ut Eleg. 17. lib. 1.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam.

Una mors, ut apud Petronium: *Cui non est mors una satis*. & Horatius Ode 27. lib. 3. *Levis una mors est Virginum culpæ*. Juvenalis Sat. 8. de Nerone:

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

Potuit esse; Fuit. *Puellæ malæ*. Virgini vel impro-

Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas.

Obstu-

improbæ, vel impiæ. PASS. Hunc versum & sequentem, ante ultimum distichum hujus Elegiæ collocavit Broukhusius; quum loco valde alieno, ut ipse ait, legerentur sub ipsum Elegiæ initium; nec putat id se ausum invitis elegantioribus ingeniis. Sed certe repugnantibus codicibus omnibus, & editionibus. In his duobus versibus est quædam πρόληψις eorum quæ deinceps narrat poeta de scelere Tarpejæ. VULP.

v. 18. QUÆ VOLUIT FLAMMAS FALLERE, VESTA, TUAS] Conata est, nec perfecit. vel volens & libens fefellit. Ovidius 2. Fast.

Addis, ait, culpæ mendacia Phœbus, & audes
Fatidicum verbis fallere velle deum.

Fallere, violare. vide Eleg. 1. sup. v. 81. *Flammas tuas*: vocabit infra *Palladis ignes*, & Eleg. 4. lib. 3.

Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ.

nam Vesta ignis. Ovidius 6. Fast. & Plutarchus in Numa. Ignis autem ille omnia videre, neque falli posse putabatur. PASS.

v. 19. VIDIT ARENOSIS TATIUM PERLUDERE CAMPIS] Ovidius 1. Fast. rem ita perstringit:

Protinus Oebalii rettulit arma Tati.
Utque levis custos armillis capta Sabinis
Ad summæ Tatium duxerat arcis iter, &c.

Perludere. aut compositum usurpavit pro simplici, *ludere*: aut ex vet. lib. legendum, *proludere*, aut *præludere*, quod idem & velitum & gladiatorum est. Lucanus Panegyrico ad Pisonem:

Tunc etenim levibus veluti proludit in armis,
Compositisque suas exercet litibus artes.

agit de declamatione, quæ est Rhetorum velut prolusio ante justum certamen. Ovidius 3. A. A.

Sic, ubi prolusit, rudibus puer ille velitis
Spicula de pharetrâ promit acuta suâ.

Virgilius 3. Georg. de tauro; *Sparsâ ad pugnam proludit arenâ*. De ea prolusione gladiatorum Cicero 2. de Orat. meminit, & 1. Verrina. Proludebat ergo Tatius quum ante pugnam pugnæ simulacra ciebat. Nam ludere, proludere, eludere gladiatorum est. *Campis arenosis*, per quos scilicet Tiberis stagnare consueverat; ut Velabrum significet, de quo dictum ad Elegiam 2. sup. Arenam autem multam volvit Tiberis, unde Virgilio dicitur 8. Æneid.

Verticibus rapidis, & multa flavus arena. PASS.

Confer Ovidium 8. Metam. in Fab. de Scylla Nisi a versu 23.

Noverat ante alios faciem ducis Europæi. &c. VULP.

v. 20. PICTAQUE PER FLAVAS ARMA LEVARE JUBAS] Tollere, ventilare, vibrare inter jubas equi arma picta, versicoloria, galeam, loricam, parmam, hastam. *Arma picta*; ut Eleg. 6. infra:

Armorum & radiis picta tremebat aqua.

Eleg. 10. infra:

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.

Virgilius 8. Æneid. *Pictis conspectus in armis*. Idem 10. Æneid.

Astur equo fidens, & versicoloribus armis.

Per, pro inter. ut Eleg. 13. lib. 3. v. 30. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 17.

Ipsa per admissas concute loro jubas.

& lib. 3. Trist. Eleg. 3.

Perque feros manes hospita semper erit.

Jubæ sunt equorum, leonum, draconum, galearum: & *Jubar*, jubata stella Varroni. Flavæ jubæ in equo pulchræ, ut in homine flavæ comæ. Ovidius 2. Metam.

Ecce venit rutilis humeros protecta capillis
Filia Centauri.

& mox:

Utque vagi crines per colla jacebant,
In dextras abiere jubas. An comas ipsius Tatii jubas vocat, ut significet capiti demsisse galeam? Martialis Epigramm. 88. l. 2. *Decent fusæ lactea colla jubæ*. PASS. *Picta arma*. Vide Silium VIII. 467. BROUKH.

Obſtupuit regis facie, & regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Sæpe illa immeritæ cauſſata eſt omina Lunæ:
Et ſibi tinguendas dixit in amne comas.

Sæpe

v. 21. OBSTUPUIT REGIS FACIE, ET REGALIBUS ARMIS] Attonita fuit admiratione tam eximiæ formæ. ut Eleg. 29. lib. 2.

Obſtupui, non illa mihi formoſior umquam
Viſa,

Vidit, *obſtupuit*, quia amor ex oculis naſcitur. *Facie regis*, oris egregia dignitate, qualia regem decet. hinc vetus poeta apud Ariſtotelem 1. & 4. Polit. (de Priamo.) Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Et Priamus apud Homerum 3. Iliados, de Agamemnone, quem tamen ignorabat, Βασιλῆϊ δὲ ἀνδρὶ ἔοικε. Plautus Milite 1, 1. *Stat propter virum fortem, & fortunatum, & formâ regiâ*. Vide Ovidium 6. Metam. de Minoë. *Facies*, pro forma egregia, Eleg. 25. lib. 1.

Et longa faciem quærere deſidia.

Regalibus, rege dignis, pictis regifice, aureis. PASS. *Obſtupuit regis facie*. *facies* eſt totius corporis filum atque habitus. *Pacuvius* apud Gellium L. 13. C. 20. in tragœdia quæ *Niptra inſcribitur*, *faciem dixit hominis pro corporis longitudine*.

Ætate, inquit, *integra*, *feroci ingenio*, *facie procera virum*,

etiam Plautus in Pœnulo, & Quadrigarius XI. Annal. ſic uſurparunt. Hæc eſt illa rege digna *facies*, in qua ſtupuit Tarpeja: idcirco paullo poſt *formoſum* vocat. quod iterum ad vultum referri nequaquam debet. Corn. Nepos Iphicr. C. 3. *Fuit autem & animo magno, & corpore, imperatoriaque forma, ut ipſo aſpectu cuivis injiceret admirationem ſui*. atque hac ratione potuit Tatius *formoſus* dici, quamquam *ſenex*, ut eum vocat Virgilius L. 8. Æn. BROUKH. *Obſtupuit*. Perculſa eſt admiratione, & ſubito ſimul amore capta. Cicero lib. 2. de Divinat. *Hujus aſpectu quum obſtupuiſſet bubulcus*. Valerius Flaccus l. 5. Argon. v. 374. *Regina . . . . . inſolito ſtupuit duce*. Horatius prior dixerat Epodo 3. *Argonautas inter omnes candidum Medea mirata eſt ducem*; Aliter Cicero Verrina 3. *Homo, qui & ſumma gravitate, & jam id ætatis, & parens eſſet, obſtupuit hominis improbi dicto*. VULP.

v. 22. INTERQUE OBLITAS EXCIDIT URNA MANUS] Sic Eleg. 7. infra:

Inter complexus excidit umbra meos.

Fabius lib. 3. cap. ult. *Saltem reſpiciamus, ut plauſum affectantibus arma excidant*. Excidunt nobis imprudentibus quæ vel animo, vel manu tenemus, quum aliud agentes remittimus, & laxamus manum. Sic Cæſari inter manus exciderunt libelli quum Ciceronem audiret. & Tibullus Carm. 2. l. 4.

At tu, violente, (Mars) *caveto*
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.

Inter manus, pro e digitis & manibus. ut Eleg. 9. infra:

Pocula mi digitos inter cecidere remiſſos.

Inter manus. ergo tum capite urnam non geſtabat, vel retinere in capite ſublata manu altera deſierat. *Manus oblitas*, pro ipſius oblitæ; ut El. 1. ſup. *Humeros pios*. Ovidius 4. Faſt.

Dum legit (papaver) *oblito fertur guſtaſſe palato*, PASS.

Excidit. expreſſit Seneca Hippol. v. 104. *Palladis telæ vacant, Et inter ipſas penſa labuntur manus*. BROUKH. Vide quæ notamus ad Carmen 2. L. 4. Tibulli v. 4. VULP.

v. 23. SÆPE ILLA IMMERITÆ CAUSSATA EST OMINA LUNÆ] Sic Ovidius 9. Metam. *Omina ſæpe, Viſaque cauſſatur*. id eſt, culpam & cauſſam in ea confert. Horatius Epiſt. 14. lib. 1.

Stultus uterque locum immeritum cauſſatur inique.

Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Aut ego ſum cauſſatus aves, aut omina dira.

Aliàs *cauſſari* eſt cauſſam dicere, vel defendere; cujus ſignificationis exempla profert Nonius. Servius in illud Ecl. 9.

Cauſſando noſtros in longum ducis amores.

Id eſt; Cauſſas nectendo. Cauſſa pro excuſatione :

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tatî.

Dum-

tione: inde caussari. *Omina Lunæ*. Sabinus Epist. Paridis ad Oenonem:

Quum te nec Phœbi sollertior artibus ulla est,
Phœbeæque Hecates somnia vera vides.

Lege: *Omina Hecates*; ut *Omina Lunæ*. Tibullus Eleg. 4. lib. 3. *Noctis omina* vocat, quia Nox somniorum mater: ideoque a Luna finguntur immitti. Vide Plautum Mercat. 2, 1. Corn. Tacitus lib. 2. Annal. *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum; & sanguine sacro respersâ prætextâ, pulchriorem aliam manibus aviæ Augustæ accepisse. Auctus omine & addicentibus auspiciis vocat concionem*. Omina de visis nocturnis. Ovidius Epist. Deianiræ:

Me pecudum fibræ, simulacraque inania somni,
Ominaque arcanâ noctis petita movent.

Apud Statium 12. Thebaid. Juno Lunam sic alloquitur:

Hunc quoque, qui curru madidas tibi pronus habenas
Ducit, in Aonios vigiles dimitte Soporem.

ubi Noctem & Lunam confudit. Est autem Somnus apud eumdem 2. Thebaid. auriga Noctis: *Sæpe obvius illi Noctis agebat equos*. PASS. Adi Passeratii Commentarios; & lib. Conject. C. 1. ubi multa eruditio poetica. BROUKH. *Omina Lunæ* sunt somnia, & visa nocturna. Lunam vero pro nocte posuit. Sic & Papinius lib. 5. Silv. Carm. 4.

Septima jam rediens Phœbe mihi respicit ægras
Stare genas.

Septima nempe nox. Ita Soles pro diebus passim apud poetas. VULP.

v. 24. ET SIBI TINGENDAS DIXIT IN AMNE COMAS] Expianda dixit illa visa. Somnia nempe procurabantur mola salsâ & ture: Tibullus & Plautus. aut aspersione, vel ablutione. unde Eleg. 10. lib. 3. *Pura somnum tibi discute lympha*. Juvenalis Sat. 6.

Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Verticibus timidum caput abluet.

Statius lib. 9. Thebaid. de Atalanta:

Tristibus interea somnum turbata figuris
Torva sagittiferi mater Tegeatis ephebi,
Crine dato passim, plantisque ex more solutis,
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas
Purgatura malum fluvio vivente soporem.

& paullo post:

Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit,
Verbaque sollicitas matrum solantia curas
Addidit.

Vide Suetonium in Galba, & Plinium lib. 18. cap. 35. *Tingendas*, mergendas in aquam puram, Tiberis opinor. *Comas*; caput. quia quæ caput, & comas mergit. *In amne*, ambigue & de fluvio, & de mari, ut apud Virgilium 4. Georg. *Oceani amnes*. & Tibullus itidem Eleg. 4. lib. 3. PASS. Quæsita occasione, quo sæpius Tatium videret. ablutione autem expiabant mala somnia. Valerius Flaccus L. 5. v. 330.

Forte deûm variis per noctem exterrita monstris,
Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,
Rapta toris primi jubar ad placabile Phœbi
Ibat, & horrendas lustrantia flumina noctes.

tum somnium pavefactæ virginis denarrat, additque:

His turbata minis fluvios ripamque petebat
Phasidis.

sed & bona quoque somnia ritu eodem Virgilius L. 8. Æneid.

Nox Æneam somnusque reliquit.
Surgit, & ætherii spectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit.

Servius: *quia dicitur nox etiam solo somno polluere*. Apulejus L. 1. Metam. *Confestim discussa pigra quiete, alacer exsurgo, meque protinus, purificandi studio, marino lavacro trado*. pessime hæc ceperant primi illi Enarratores. BROUKH. Hunc Propertii locum imitatus est eximius poeta Sannazarius El. 7. lib. 2.

Sæpe meæ tibi quum narrassem visa puellæ,
Dixisti, certos haud procul esse metus.
Sæpe illam madidos lustrare in flumine crines
Jussisti, & mixto solvere farra sale. V.

v. 25. SÆPE TULIT BLANDIS ARGENTEA LILIA NYMPHIS] Obtulit; & est dicantis, ut Eleg. 3. sup.

 Arma-

Dumque ſubit primo Capitolia nubila fumo,
Retulit hirſutis brachia ſecta rubis.

Et

Armaque quum tulero portæ votiva Capenæ.

Lilia argentea, candidiſſima. Feſtus: *Argennon, argentum percandidum*. Virgilius 8. Æneid. *Argenteus anſer*. [ſed ibi eſt anſer cælatus argento in clypeo.] Ovidius 2. Metam. *Niveis argentea pennis Ales*. & 3. Metam.

Fons erat illimis nitidis argenteus undis.

ſic ἀργυρόπεζα Thetis dicitur Homero a candore pedum. Noſter Eleg. 20. lib. 1. *Surgebant lilia prato Candida*. Λείριον, lilium; ut ſtiria, ſtilla: confrages, conflages. Lilia vero grata Nymphis. Virgilius Ecl. 2. *Tibi lilia plenis Ecce ferunt Nymphæ calathis*. Nymphis ergo præſidibus ejus fontis offeruntur, ne patiantur vulnerari Tatium; ut Eleg. 28. lib. 2.

Munera Dianæ debita redde choro;

quod te Nymphæ ſervaverint. *Blandis*, jucundis, facilibus: Virgilius Ecl. 3. Noſter Eleg. 6. infra dixit: *Blandi furie*, quod exorat deos; ut hic contra: *Blandis Nymphis*, quæ facile exorantur. PASS.

v. 26. ROMULA NE FACIEM LÆDERET HASTA TATI] Ne violaret, vulneraret formoſum Tatium. ut Eleg. ult. lib. 2.

Cur quiſquam faciem dominæ jam credat amico?

Huc pertinet illud Ovidii 8. Metam.

Nam metuo certe ne quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens. quis enim tam durus, ut in te
Dirigere immitem non inſcius audeat haſtam?

Ab haſta, quæ Curis Sabinorum linguâ, Romulus Quirinus dictus. Ovidius 2. Faſt.

Sive, quod haſta Curis priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in aſtra deus.

Idem lib. ult. Metam. haſtam Romuli ait in arborem verſam. *Romula*, pro Romulea. ut Eleg. 11. lib. 3. v. 52. PASS.

v. 27. DUMQUE SUBIT PRIMO CAPITOLIA NUBILA FUMO] *Subire* & *ſuccedere* eſt ingredi; & ſæpe, rurſum ire & conſcendere. nam quod Virgilius 2. Æneid. dixit:

Illa ſubit, mediæque minans illabitur urbi;

ait etiam: *Scandit fatalis machina muros*. & *Venturaque deſuper urbi*. Noſter Eleg. 14. lib. 1. *Oſtrino ſubire toro*, id eſt, lectum purpura ſtratum conſcendere. Nonius: *Subire, ingredi*. Virgilius 7. Æneid.

Tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque ſubibant.

Capitolia: enallage numerorum, pro Capitolium. eſt autem πρόληψις. ſcribit enim Dionyſius lib. 4. regnante Tarquinio Priſco repertum humanum caput in fundamentis jaciundis templi Jovis, unde nomen Capitolio. & obiter Varro 4. de L. L. ubi eum montem antea Saturnium, deinde Tarpejum ab hac Veſtali vocatum ſcribit, poſtremo Capitolium. De Capitolio legendus Arnobius lib. 6. utque a Toli cujuſdam capite illic reperto cognominatum ſit. *Nubila*, obſcura, & fumo velut nubibus tecta. Sic *Nubilum cælum* dicitur Plinio. Vetus poeta apud Ciceronem 1. Tuſc. *Acherontia templa, Orci pallida, leti obnubila, obſita tenebris loca*. *Primo fumo*, quum primum ignis accenditur, vel ad rem divinam, vel ad coquendum prandium. Sic Horatius Ode 18. libri 3. *Vetus ara multo Fumat odore*. Virgilius Ecl. 1.

Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.

Varro Epiſt. Lat. lib. 1. apud Nonium in *Hilareſco*: *in votum* (leg. *adventum*) *amicorum domus fumat, hilareſco*. vide & Senecam Epiſt. 65. [Virgilius Ecl. 1.

Et jam ſumma procul villarum culmina fumant.]

Idem 3. Æneid.

Terra
Viſa aperire procul montes, & volvere fumum.

Fumus autem dictus a furvo: Feſtus in *furvum*. Aliàs legitur, *Primis flammis*. an ſignificat prima face noctis? PASS. *Primo fumo*. fortaſſe, veſpertina caligine increbeſcente, quæ fumi ſimilis eſt. VULP

v. 28. RETTULIT HIRSUTIS BRACHIA SECTA RUBIS] Rediit cum brachiis ſectis, & laceris. *Retulit*: ſic Tibullus Elegia 1. lib. 1.

Ille

Et ſua Tarpejâ reſidens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi:

Ignes

Illo non juvenis poterit de funere quiſquam
Lumina, non virgo, ſicca referre domum.

Virgilius Ecl. 4.

Ipſæ lacte domum referent diſtento capellæ
Ubera.

Secta rubis, notata aſperis & hamatis ſentibus. Ovidius 1. Metam.

Indignave lædi
Crura notent ſentes, & ſim tibi cauſſa doloris.

quod Varro *deſcobinatis cruribus* apud Nonium in *Deſcobinatus*. Columella de Cultu Hortorum:

Nec manibus mites ferulas, nec cruribus æqua
Terga rubi.

vulgo, *æque*. Tibullus lib. 4. Carm. 3.

Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum,
Candidaque hamatis crura notare rubis;

De rubo ſpinis aduncis Plinius lib. 16. H. N. cap. 37. *Rubus, βάτος; Ronce. Rubus Idæus; Framboiſier. Hirſutis*, aſperis, ut Eleg. 1. lib. 1. *Hirſutæ feræ*. Dumoſa autem illa tum fuiſſe loca, Virgilius innuit 8. Æneid.

Ad Capitolia ducit
Aurea nunc, olim ſilveſtribus horrida dumis.

Ibid. *Galli per dumos aderant*. PASS. B. *ſecta rubis*. male ex Palatinis Gebhardus *ſepta rubis* reponit. -- vulgata lectio recta eſt ac proba. Virgilius L. 3. Georg.

Vel quum tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres.

& Eclog. 10.

Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas!

T. Calpurnius Eclog. 3.

Duris ego perdita ruſcis
Jam dudum, nullis dubitavi crura rubetis
Scindere. BROUKH.

v. 29. ET SUA TARPEJA RESIDENS ITA FLEVIT AB ARCE V.] Quia ſcilicet in luctu ſedebant; ut notatum ad v. 41. Eleg. 3. ſup. *Reſidens*, pro ſedens, ut *Retinere*, pro tenere; *Renuntiare*, pro nuntiare. Inde *Reſes*, ignavus, quia ſæpius ſedet: Feſtus. Vel Reſidens, quia feſſa; ut Virgilius 8. Æneid. *Ter feſſus valle reſedit*. & 2. Æn. *Seu laſſa reſedit*. *Flevit ab arce*, queſta eſt e ſuperiore loco vulnera &c. ut Eleg. 11. infra:

Colloquiumque ſua fretus ab urbe dedit.

Tarpejâ, κατὰ πρόληψιν, ut ſup. *Capitolia*. nam poſtea ipſa nomen loco impoſuit illic ſepulta. Feſtus in *Tarpeja*, & in *Saxum Tarpejum*. Varro 4. de L. L. Plutarchus in Romulo, Livius lib. 1. Dionyſius lib. 2. Servius in illud 8. Æneid.

In ſummo cuſtos Tarpejæ Manlius arcis.
PASS.

v. 30. VULNERA, VICINO NON PATIENDA JOVI] Vulnera flevit, non quæ rubi, ſed quæ ſagittæ amoris fecerant; ut Eleg. 22. lib. 2.

Interea noſtri quærunt ſibi vulnus ocelli.

Non patienda Jovi, quæ Juppiter non perferret, quia facile cedit, & vincitur amoris telis. Pati enim vulnera dicuntur fortes, ut notatum ad illud Eleg. 14. lib. 3.

Et patitur duro vulnera pancratio.

An hoc ait, non perpeſſurum Jovem illa ſic abire, ſed vindicaturum inceſtos amores? ut infra:

Omnia præbebant ſomnos, ſed Juppiter unus
Decrevit pœnis invigilare tuis.

Ovidius 2. Faſt. de Jove amante Juturnam:

Multa tulit tanto non patienda deo.

Vicino Jovi, cujus ædes juncta ædibus Tarpejæ, ut ſup. *Vicina ſaxa Jovis*. PASS. Ex duabus explicationibus quas affert Paſſeratius, primam rejicio, alteram veriorem cenſeo. Fortaſſe tamen tertia locum habere poſſit: Et flevit ſua vulnera, non patienda, Jovi vicino. ſcilicet, De graviſſimo & ſibi plane intolerabili amoris vulnere conqueſta eſt apud proximum Jovem. Cupidinis enim furor impiam & audacem faciebat. *Flevit Jovi* Sic locutus videtur Eleg. 15. lib. 1.

At non ſic Ithaci digreſſu mota Calypſo
Deſertis olim fleverat æquoribus. VULP.

v. 31.

Ignes castrorum, & Tatiæ prætoria turmæ,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
Dum captiva mei conspicer esse Tatî.

Roma-

v. 31. IGNES CASTRORUM, ET TATIÆ PRÆTORIA TURMÆ] Ignes affatur, ut Virgilius 2. Æneid. *Vos æterni ignes*. *Ignes castrorum*, quos vigiles & excubitores in castris accendere solent. Virgilius 9. Æneid.

Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.

Horatius Ode 10. lib. 1. *Thessalosque ignes, & iniqua Trojæ Castra fefellit*. Inde strategemata ignium in castris etiam vacuis accendendorum ad fallendos hostes, Livii lib. 21. 31. 36. vide Homerum sub finem 8. Iliad. *Prætoria* quæ, & unde, diximus ad Eleg. 1. sup. v. 29. *Turmæ Tatiæ*, pro, *Tatiensis*; ut Eleg. 10. infra:

Sic sanctum Tatiæ composuere Cures.

& sup. hic *Romula hasta*. Turmæ, manus equitum. Varro 4. de L. L. *Turma quasi terma. e in u abiit, quia ter deni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Rhamnium, & Lucerum fiebant*. Curatius apud Festum in *Turmam*, idem ait quod Varro. Servius in 9. Æneid. *Turmæ sunt equitum, cohortes peditum*. Isidorus l. 3. *Turma triginta equites; deni de singulis tribubus*. PASS. Huc animum advertit Torquatus Tassus in Gothifredo Cantu 6. Erminiam virginem loquentem inducens, locumque ita expressit:

Poi rimirando il campo, ella dicea:
O belle agli occhi miei tende Latine,
Aura spira da voi, che mi ricrea,
E mi conforta pur, che m' avvicine.

neque ita multo post:

Assai felice
Io mi terrò, se 'n voi servir mi lice. V.

v. 32. ET FORMOSA OCULIS ARMA SABINA MEIS] Pulchra mihi spectanti. Sic El. pænult. lib. 3.

Olim oculis nimium facta superba meis.

Tibullus Carm. 13. lib. 4.

Tu mihi sola places, nec jam te præter in Urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.

Formosa etiam inanimata vocantur, ut Elegia 2. lib. 1. *Humus formosa*. Plautus Amphitr. 1, 1. *Legiones nimis pulcris armis præditas*. PASS. *Formosa oculis meis*. Narrat Plutarchus in libello de Amore, Nicomachum quemdam rudi cuidam, qui sibi Zeuxidis Helenam non videri pulchram dixerat, ita locutum: Λαβὲ τοὺς ἐμοὺς ὀφθαλμούς, καὶ θεός σοι φανήσεται. *Sume tibi meos oculos, & dea tibi videbitur*. Catullus Carm. 85. *Quintia formosa est multis*. nempe multorum judicio. VULP.

v. 33. O UTINAM AD VESTROS SEDEAM CAPTIVA PENATES] Supplices sedebant. vide Colvium in Apulejum p. 161. & 162. Tibullus Carm. 13. lib. 4.

Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras.
Hæc notat injustos, supplicibusque favet.

Virgilius 2. Æneid. *Aris invisa sedebat*. & in Mostell. Plauti 5, 1. Tranio servus *sedet ad aram meam domini*. Refert Plutarchus in Coriolano, Ad focum ipsum Tulli penetrasse, & tacitum sedisse Coriolanum. Noster El. 5. infra: *Supplex ille sedet*. vide Statium 12. Thebaid. & Euripidem in Supplicibus. Sedebant & captivi. Ovidius 6. Fast. *Jussa foco captiva sedet*. vide adnotata ad Eleg. 4. lib. 3. v. 18. & Eleg. 5. lib. 3. v. 16. ubi sedent, quum adstricti scilicet ad currum triumphantis. Aliàs captivi stantes vænibant. id ostendit Prologus Captivorum Plauti. *Ad vestros penates*, juxta focum. Cicero in Catone: *Curio ad focum sedenti*. Sic & *vernæ ad focum* apud Horatium & Martialem. PASS.

v. 34. DUM CAPTIVA MEI CONSPICER ESSE TATI] Dummodo serva bello facta videar ab aliis puellis, quæ meæ illi fortunæ fortasse invidebunt. Scaliger ἐλλιπτικῶς ait esse, pro, Dum me conspicer esse captivam. &c. fallitur. nam *Conspicer* παθητικῶς, pro, conspiciar. Sallustius apud Donatum in Eunuchum: *Quum interea Metellus monte digrediens cum exercitu conspicatur*. Ibidem Donatus: *Commune verbum est conspicor*. Varro 6. de L. L. *Contemplare & conspi-*

Romani montes, & montibus addita Roma,
Et valeat probro Veſta pudenda meo.
Ille equus ille meos in caſtra reportet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipſe jubas.

Quid

conſpicere idem eſſe apparet. *Mei*. vide adnotata ad v. 1. & 2. Eleg. 3. ſup. PASS. In Vaticano Livineji, uno Gebhardi, Borrichiano, Groningano, unoque noſtro legitur *conſpicer arma Taci*. quæ lectio validiſſime firmat elegantem Viri doctiſſimi J. F. Gronovii emendationem, *ora Tati* reſtituentis L. 4. Obſ. C. 6. dum vel ſic, captiva, & in vinculis propius ſpectem vultus illos regales Tatii mei. ita ſupra L. 3. Elegia 11.

Gallica Parnaſi ſparſit in ora nives,

in Groningano codice legitur; pro quo alii *in arma*, vel *in arva*, habent. Tu vide (nam tanti eſt) notam ad L. 1. El. 3. v. 16. Nic. Heinſius *Titi* malebat, ne *Tatii* nomen toties repetitum, parum concinne iterum repetatur. BROUKH. Paſſeratius recte omnino, ſi quid judico, hunc verſum explicavit: neque opus mutatione lectionis. Codex Bononienſis habet *Conſpicer*. Ceterum, ejuſdem nominis crebra repetitio mirum in modum amantes decet. Ovidiana Hero in Epiſt. v. 39.

Quid loquar interea tam longo tempore, quaeris?
Nil, niſi Leandri nomen, in ore meo eſt.

Icirco, *Tati*, ubique retineamus. VULP.

v. 35. ROMANI MONTIS, ET MONTIBUS ADDITA ROMA] Septem colles alloquitur, quamvis nondum incluſos mœnibus. de quibus Eleg. 11. lib. 3.

Septem urbs alta jugis, toto quæ præſidet orbi.

Montibus addita Roma. Septem jugis impoſita. ſic locutus Virgilius 3. Æneid. *Iliacamque jugis hanc addidit urbem*. PASS. Hæc non ſine contemtu & faſtu dicuntur: ſignificat enim Tarpeja, ſordere ſibi ſilveſtrem, ac rupibus impoſitam urbem. Locus eſt huic ſimilis in Agrariis Ciceronis in Rullum, ubi Romam cum Capua comparat. Quære, & lege, ſi vacat. VULP.

v. 36. ET VALEAT PROBRO VESTA PUDENDA MEO] Relicturam ſe Veſtæ ſacra ſignificat. ſic Eleg. 21. lib. 3.

Romanæ turres, & vos valeatis amici.

Pudenda, cui meum ſtuprum pudorem incutiet & ruborem. quæ labe mea erubeſcet, ut inquit Eleg. ult. infra:

Labe mea veſtros erubuiſſe focos.

Retulit ad perſonam, ut Plautus Caſina 5, 2. *Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo*. Horatius Ode 4. lib. 2. *Matre pudenda*. Ovidius 1. A. A.

Hac magis eſt una fraude pudenda fides.

Virgilius 11. Æneid. *Pudendis vulneribus pulſum*. *Probro*; recte. nam probrum virginis Veſtalis apud Feſtum, de inceſtu. Idem Feſtus: *Probrum, ſtuprum. flagitium*. dictum puto quaſi prœbrum. Ut decedentes vale dicebant diis, ita contra qui adventarent, deos ſalutabant. Plautus Bacchid. 2, 1. *Saluto te, vicine Apollo*. PASS. Sed hoc loco *τὸ valeat*, contemnentis eſt, & contumelioſe dicitur, ut non ſemel apud Ciceronem. V.

v. 37. ILLE EQUUS ILLE MEOS IN CASTRA REPONET AMORES] Ille equus cujus flavæ jubæ, relatum ſiſtet, & ſtatnet incolumem eum quem amo. & *Reponet*, pro collocabit, ut ad quietem poſt labores belli. ut Eleg. 17. lib. 1.

An poteris ſiccis mea fata reponere ocellis?

In caſtra, ἀρχαϊκῶς, pro, in caſtris; ut notatum ad Eleg. 9. lib. 3. v. ult. Sed vet. lib. *Reportet*, id eſt, utinam referat. nam portat & reportat equus. Virgilius 5. Æn. *Quem Thracius albis Portat equus bicolor maculis*. *Meos amores*, meum amantem. ut Eleg. 28. lib. 2.

Una ratis fati noſtros portabit amores.

Aliter Eleg. 16. lib. 1. *Meos admittis amores*, id eſt, me amantem. & fortaſſe Tarpeja ſe ipſam ſignificat. PASS. Douza P. malebat *reportet*, quod e membranis etiam Paſſeratius adſert. Horatius L. 1. Epiſt. 17.

Rectius hoc, &
Splendidius multo eſt, equus ut me portet, alat rex.

Cice-

Quid mirum, in patrios Scyllam sævisse capillos?
Candidaque in sævos inguina versa canes?

Pro-

Cicero Orat. post redit. in senatu, C. 11. *Itaque P. Lentuli beneficio excellenti, atque divino, non reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives; sed equis insignibus & curru aurato reportati.* ------ exponunt vulgo, ille equus incolumem sistet in castris eum quem ego amo. male. Utinam, inquit Tarpeja, (nam ista εὐχὴ repetenda e superioribus) utinam equus ille tam carus Tatio, portet secum in castra me amantem. nam id optaverat modo:

O utinam ad vestros sedeam captiva penates.

τὸ *mei amores* tantumdem valet atque *ego amore percita*. BROUKH. Adsentior libenter certissimæ Broukhusii explicationi. Sperat virgo incesta, se, arce Sabinis prodita, equo regio vectam castra subituram, tamquam ovantem. Si hæc ad Tatium referantur, friget & caligat sententia. VULP.

v. 38. CUI TATIUS DEXTRAS COLLOCAT IPSE JUBAS] Manu sua, sive aurigarum operâ jubas ita componit, ut in armum dextrum recumbant. Sic virgo Apulejana l. 6. A. A. *Tuam*, inquit, *jubam probe pectinatam meis virginalibus monilibus adornabo*. Laus ducis, qui suum ipse curaret equum: non ut eques ille Romanus, cui equus strigosus, obesus venter, apud A. Gellium lib. 4. cap. ult. Sic Ateas Scytharum rex quum ipse suum curaret equum e legatis Philippi regis Macedonum quæsivit, Num idem faceret Philippus: Plutarchus in Apophthegm. *Collocare* suo loco, est apte ponere. Ovidius dixit: *In ordine ponere crines*. Inde *collocatio* Rhetorum, & pronubarum. Alii libri *dextra:* sed melius *dextras*, ut recte sensit Turnebus lib. 8. Adv. cap. 1. qui & adfert versum Virgilii 3. Georg.

Densa juba, & dextro jactata recumbit in armo.

Adde & Ovidium 2. Metam. *Usque vagi crines per colla jacebant, In dextras abiere jubas*. Varro lib. 1. R. R. cap. 7. de pullo equino generosæ indolis: *Non angusta juba, crebra, fusca, subcrispa, subtenuibus setis implicata in dexteriorem partem cervicis*. PASS. Amantibus res illæ solent esse carissimæ, quibus amatos delectari vident. Plautus Asin. 1, 3. *Et quoque catulo meo Subblanditur novus amator, se ut quom videat, gaudeat*. VULP.

v. 39. QUID MIRUM, IN PATRIOS SCYLLAM SÆVISSE CAPILLOS?] Nihil novi est impietatem & crudelitatem exercuisse Scyllam in tondenda coma purpurea patris Nisi. Dicitur Sævire in aliquo, & in aliquem. Hanc fabulam commemoravit Elegia 19. lib. 3.

Tuque o Minoâ venumdata Scylla figurâ.

Quid mirum? sic Horatius Ode 13. lib. 2. Noster Eleg. 8. lib. 2.

Mirum si de me jure triumphat Amor.

Et *Mirum* sæpius per ironiam: Donatus in Eunuchum. *Capillos*, *comam purpuream* vocat Eleg. 19. lib. 3. Virgilius 1. Georg. *Purpureos capillos*. Ovidius 8. Metam. de hac re:

Cui splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhærebat magni fiducia regni. P.

v. 40. CANDIDAQUE IN SÆVOS INGUINA VERSA CANES?] Permiscet duas fabulas, Scyllæ Nisi, & Scyllæ Phorci; ut etiam Virgilius Ecl. 6.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris?

Ovidius item 4. Fast.

Et vos Nisæi naufraga monstra canes.

& lib. 3. Amor. Eleg. 11.

Per nos Scylla patri canos furata capillos
Pube premit rabidos, inguinibusque canes.

Idem 14. Metam. totam fabulam narrat. Catullus Carm. 59. *Aut Scylla latrans infima inguinum parte*. Lucretius lib. 3.

Aut rabidis canibus succinctas, semimarinis
Corporibus Scyllas.

sic legit Nonius *Rapidis*. *Inguina candida*, ut Virgilius loco antecitato. *Inguen*, *βουβὼν*, quia ea pars bubonibus & tumoribus obnoxia, *L'aine*. sæpe pro ipsis pudendis ponitur. & Eleg. 10. infra v. 45. pro femore. *Sævos canes*, quia & ipsa sævierat in patrem. Sic Eleg. 16. lib. 3. *Sæva canum rabies.*

Prodita quid mirum fraterni cornua monſtri,
Quum patuit lecto ſtamine torta via?
Quantum ego ſum Auſoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta miniſtra foco!

Palla-

bies. An *ſcævot*, quia dixit ſævire, & *ſcævo*, canina dicuntur? PASS.

v. 41. PRODITA QUID MIRUM FRATERNI CORNUA MONSTRI?]. Id eſt, monſtrum cornutum, Minotaurum ſcilicet. Sic Eleg. 3. lib. 1. *Ignotis cornibus Inachidos*. Sabinus Epiſt. Demophoontis:

Quid ſocerum Minoa gravi tibi fecit ab hoſte
Micantem monſtri cornua victa ſui?

De Paſiphaë, Minotauro, & Ariadna dictum ad Eleg. 32. lib. 2. v. 57. *Prodita*, tradita Theſeo hoſti a ſorore Ariadna. Donatus in Adelphos, *Socius deficit; Parens prodit; Patronus deſerit*. & ita proditur patria, ut parens. Infra:

Dos tibi non humilis prodita Roma venit.

unde infame proditoris nomen. PASS.

v. 42. QUUM PATUIT LECTO STAMINE TORTA VIA] Apertus reditus Theſeo e flexuoſa via labyrinthi. vide not. ad illud Catulli Carm. 63.

Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.

Torta via, ut Eleg. 7. lib. 3. *Torta vertigine*. Noſter Eleg. 14. lib. 2. *Dædaleum iter* vocat. *Lecto ſtamine*, filo collecto, & convoluto in reditu, & regreſſu. Ingrediens enim Theſeus explicabat filum, regrediens colligebat & convolvebat. Ovidius 3. Faſt. de Ariadna:

Jam bene perjuro mutarat conjuge Bacchum
Quæ dedit ingrato fila legenda viro.

Linum vocat Eleg. 14. lib. 2. v. 8. Virgilius 10. Æneid. *Extremaque Lauſo Parcæ fila legunt*. ubi Servius: *tranſeunt, vel colligunt*. Ego: Nere deſinunt, & quod fecerunt, convolvunt. PASS.

v. 43. QUANTUM EGO SUM AUSONIIS CRIMEN FACTURA PUELLIS] Quantum dedecus allatura. *Facere crimen*, ut facere injuriam, bellum alicui: facere damnum & flagitium, Plautus Pſeud. 1, 5. Cicero pro Flacco: *Qui igitur probari poteſt in pecunia non referenda crimen ſibi ipſum facere, in*

qua crimen eſſet nullum ſi referret? *Crimen* pro dedecore & infamia, id quod præcedit, pro eo quod ſequitur. Eleg. 11. lib. 1.

Ah pereant Bajæ crimen Amoris aquæ.

Quantum crimen, quia alia crimina Amoris parva ſunt; ut Eleg. 32. lib. 2. *Non me crimina parva movent*. Aliter:

Hoc ſi crimen erit, crimen amoris erit.

Auſoniis puellis, Romanis, innuptis præcipue. ut Eleg. 3. ſup. v. 47. Sic *Auſoniis Dryaſin* Eleg. 20. lib. 1. PASS. *Auſoniis puellis*. ſatis enim Græcæ puellæ infames erant ob proditionem Scyllæ Niſi filiæ, & Ariadnæ Minois. Ovidius 8. Metam. v. 96. de Scylla:

Dii te ſubmoveant, o noſtri infamia ſæcli,
Orbe ſuo.

tamquam ſi diceret Tarpeja: Ego Scylla futura ſum, ego Ariadna Romanarum puellarum. VULP.

v. 44. IMPROBA VIRGINEO LECTA MINISTRA FOCO] Camilla & ſacerdos capta ad ignem ſervandum. Sic Feſtus in *Sex Veſtæ*; Veſtalem, *miniſtram* ſacrorum vocat. Ovidius 6. Faſt. de Veſtalibus:

Attonitæ flebant demiſſo crine miniſtræ.

A. Gellius lib. 1. cap. 12. proprie *Capi Veſtalem* ait: ab eodem tamen etiam *Legi* dicitur. ubi plura de ritu capiendarum Veſtalium. *Improba*. *Mala* dicitur ſup. v. 17. Sic Eleg. 6. lib. 3.

Non me moribus illa, ſed herbis improba vicit

Foco virgineo, quia & Veſta virgo erat, & ejus miniſtræ Veſtales, Ovidius 6. Faſt.

Nec mirum, virgo ſi virgine læta miniſtrâ.

& paullo poſt:

Nec tu aliud Veſtam quam vivam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.

& 4. Faſt.

Quæque colunt ſanctos virginitate focos.

Cur Veſta virgo, tradit Plutarchus in Numa, & Dionyſius lib. 2. *Focus*, a fovendo & calefaciendo: Feſtus. Ovidius 6. Faſt.

At

Pallados exſtinctos ſi quis mirabitur ignes,
Ignoſcat: lacrimis ſpargitur ara meis.

Cras,

At focus a flammis, & quod fovet omnia, dictus.

ubi loquitur de Veſta, cujus vis ad aras & focos pertinet, ut ait M. Tullius 2. de Nat. Deor. Idem 2. de Legibus: *Foci publici ſempiternum ignem in urbe Veſtales virgines cuſtodiunto.* Ibidem: *Veſta focum urbis complexa eſt.* Pass.

v. 45. Palladis exstinctos si quis mirabitur ignes] Obſtupefiet ob portentum; quia mira ſunt portenta & monſtra. Perperam Lipſius lib. 2. Var. cap. 8. legit *Pallidus exſtinctos.* &c. neſcire videtur, eamdem eſſe Minervam, ſive Pallada, & Veſtam; ignem ſcilicet. *Res una eſt*, inquit D. Auguſtinus, *dii plures: ut aliquando contra, deus unus, res plures.* Juvenalis Sat. 3.

Procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam.

Metellum intelligit, qui Palladium abripuit. Papinius extremo lib. 2. Thebaid. (*Tibi, o Pallas*)

Pervigilemque focis ignem longæva ſacerdos
Nutrit,

ubi Interpres, A L. Metello pontifice, ardente templo Veſtæ, raptum ex incendio Palladium, ſcribit, & eum cæcatum eſſe. Herodianus in Commodo, Fulmine percuſſo, & cremato Pacis templo, ædem Veſtæ narrat eodem incendio conflagraſſe; ac tum omnium oculis conſpectum ſignum Palladis, quod ante id tempus nemo umquam viderat. Renovabatur ignis ille quotannis menſe Martio. Ovidius 3. Faſt.

Adde quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Plutarchus in Numa, Bello Mithridatico, & iterum bello civili exſtinctum fuiſſe ignem Veſtæ ſcribit; ubi docet, quomodo inſtaurari conſueverat. Idem in Camillo ait, Exiſtimari, præter ignem, a Veſtalibus adſervari Palladium. Livius lib. 28. *Plus omnibus prodigiis terruit animos hominum ignis in æde Veſtæ exſtinctus. ob quam cauſſam cæſa flagro eſt Veſtalis, cujus cuſtodia noctis ejus fuerat, juſſu P. Licinii pontificis.* Leg. Feſtus in *Ignis*. Ovidius lib. 3. Triſt. Elegia 1.

Hic locus eſt Veſtæ, qui Pallada ſervat & ignem.

Lucanus lib. 9.

Et quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aſpecta virorum
Pallas in abſtruſo pignus memorabile templo.

Erat Palladium cælo delapſum cum fato imperii, & Trojâ deletâ translatum Rómam, ubi in æde Veſtæ ſervabatur; ut eſt apud Ovidium 6. Faſt. Pass. *Palladis v. ſ. q. m. i.* libri meliores *Pallados*, uſitata poetis flexione. Lipſius adoleſcens tentaverat *Pallidus*, L. 2. Var. Lect. C. 8. quem fœtum quamvis deinde ipſe abjecerit, atque expoſuerit, non potuit tamen evitare latratus imbellium canicularum. atqui vir factus mutavit mentem, & hunc ipſum locum recte atque erudite expoſuit C. 9. laudatiſſimi Syntagmatis de Veſta & Veſtalibus. hoc vero muſſant dicere, & factum nollent. *Palladis* nomine hic appellari *Veſtam* ait Paſſeratius. cui favet illuſtris Spanhemius Obſ. in Callimach. p. 588. atque huc etiam Lipſius ibat: & omnium primus Beroaldus. Broukh. Ipſa Pallas apud Silium Italicum lib. 9. v. 530.

Noſtro quum pignore regnet
Roma, & Palladio ſedes hac urbe locarim.

Diſerte Philoſtratus de Vita Apollonii libro 7. cap. 6. Δομετιανὸς δὲ .... τρεῖς τῶν Ἑστιάδων ἀπέκτεινεν ἐπ' αἰτίᾳ τῆς ζώνης, καὶ τὸ μὴ καθαρεῦσαι γάμων, ἃς ἁγνὰς τὴν Ἰλιάδα Ἀθηνᾶν, καὶ τὸ ἐκεῖ πῦρ θεραπεύειν ἔδει. *Domitianus ...., tres Veſtales virgines interemit ob zonæ ſolutæ crimen. & quod a conſuetudine cum viris puras ſe ſe haud ſervaſſent. quas caſtas tamen Iliensi Palladi miniſtrare, & igni adſervato in ejus templo par erat.* Veſtam & Palladem coniungit Prudentius lib. 2. περὶ ϛεφάνων, v. 512. *Tunc Veſta Palladios lares Impune ſenſit deſeri.* Vulp.

v. 46. Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis] Det veniam. in aram lacrimas fundo, quibus ignis exſtinctus eſt. Papinius

Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cave ſpinoſi rorida terga jugi.
Lubrica tota via eſt, & perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite ſemper aquas.

O uti-

nius lib. 12. Theb. de ara ſupplicum Athenis:

Non turea flamma, nec ater
Accipitur ſanguis: lacrimis altaria fumant.

PASS. Hanc gemmulam Ciceroni Noſter debere videri poteſt. Sic enim ille pro Fontejo C. 17. *Nolite pati, judices, aras deorum immortalium, Veſtæque matris, quotidianis virginis lamentationibus de veſtro judicio commoveri. Proſpicite, ne ignis ille æternus, nocturnis Fonteja laboribus vigiliiſque ſervatus, ſacerdotis veſtræ lacrimis exſtinctus eſſe dicatur.* BROUKH. Ut lacrimis, ita cæde & ſanguine Veſtæ ignem exſtinguere dixerunt veteres. Ovidius lib. 15. Metam. v. 777.

Quos (enſes) *prohibete, precor; facinuſque repellite: neve*
Cæde ſacerdotis flammas exſtinguite Veſtæ.

Silius Italicus lib. 4. v. 413.

Veſtaleſque focos exſtingui ſanguine cerne.

D. Auguſtinus lib. 3. de Civit. Dei cap. 28. *Mutius Scævola pontifex, quoniam nihil apud Romanos templo Veſtæ ſanctius habebatur, aram ipſam amplexus, occiſus eſt: ignemque illum, qui perpetuâ curâ virginum ſemper ardebat, ſuo pene ſanguine exſtinxit.* VULP.

v. 47. CRAS, UT RUMOR AIT, TOTA PUGNABITUR URBE] Nam in foro erant arma Sabina: ſup. v. 12. *Tota urbe*, ut Eleg. 5. lib. 2.

Hoc verum eſt tota te ferri, Cynthia, Roma?

Sic Virgilius Ecl. 1. *Undique totis Uſque adeo turbatur agris. Ut rumor ait*, ut fama eſt. Tibullus extremo lib. 4.

Rumor ait, crebro noſtram peccare puellam.

Corn. Fronto: *Rumor tumultuatur: fama judicat.* Fabius Declam. 252. *Rumor eſt univerſi populi conſenſus certus.* PASS.

v. 48. TU CAPE SPINOSI ROSCIDA TERGA JUGI] Delige & occupa. ut, *Capere locum caſtris.* Virgilius 2. Georg. *Ante locum capies oculis.* & 1. Æneid.

Nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.

Indicat igitur illi tutum locum, ut editiorem & opportuniorem inſidiis propter vepres. Sed alii libri, *Tu cave;* cui lectioni ſequentia conveniunt. poſterior ſyllaba verbi *cave* ſæpe corripitur. ſic Eleg. 7. lib. 1. v. 25. *Terga jugi;* ſumma & porrecta, longa inſtar tergi quadrupedum. Sic Homerus 3. Odyſſ. & alibi: εὐρέα νῶτα θαλάσσης. Virgilius 3. Georg.

Undaque jam tergo ferratos ſuſtinet orbes.

[glacie nimirum durata.] Ovidius quoque lib. 1. Pontic. Eleg. 3.

Dura meant celeri terga per amnis equo.

Virgilius 1. Georg. de aratore: *Proſciſſo quæ ſuſcitat æquore terga.* [agri planitiem ſignificat, quæ ſulcando fit inæqualis & ſcabra] Idem 3. Georg. dixit *Dorſum nemoris*, & 1. Æneid. *Dorſum maris.* Columella pariter lib. 4. cap. 24. lumbos, humeros, ungues vitibus tribuit. Noſter etiam Eleg. 21. lib. 3. *Brachia viæ* dixit. *Roſcida*, rore manantia. ut Eleg. 20. lib. 1. *Roſcida poma. Jugi ſpinoſi*, ſpinis & vepribus aſperi. ſup. v. 28. *Hirſutis rubis.* PASS. Bono judicio Paſſeratius, & Nic. Heinſius reſtituunt *Tu cave:* & evincunt ſequentia. Lege Naſonem lib. 1. Faſt. a verſu 263. & Macrobium I. Sat. 9. loco non negligendo. eam fabellam paullo uberius legere licet ſub finem L. 14. Metam. Etiam Servius retulit, ſed ſine Jani nomine aut mentione, ad L. 1. Æn. v. 295. deinde *varida terga* habent noſtri duo, & Groninganus, cum Borrichiano, unoque Colbertino. BROUKH. Favet huic lectioni Editio princeps A. 1472. VULP.

v. 49. LUBRICA TOTA VIA EST, ET PERFIDA: QUIPPE TACENTES FALLACI CELAT LIMITE SEMPER AQUAS] Lubrica quaſi labrica, a labendo. Varro 4. de L. L. *Ab aqua lapſu lubrico lympha.* Servius in illud Virgilii

O utinam magicæ noſſem cantamina Muſæ!
Hæc quoque formoſo lingua tuliſſet opem.

Te

Lubrica convolvit ſublato pectore terga,

Lubricum dicitur & quod labitur, dum tenetur, ut piſcis: & in quo labimur, ut (8. Æneid.)

Et ſe ſe oppoſuit Solio per lubrica ſurgens.

Lubricus etiam fluvius dicitur, qui labitur. Ovidius 4. Faſt.

Eſt locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo.

Dicitur & lubricus μεταφορικῶς, pro fallaci, verſipelli, nimium blando, periculoſo. exempla obvia. Martialis Epigr. 57. lib. 9. poſuit pro nitido & lævi. & alibi: *Crus compede lubricum decenti*. hoc eſt, læve ex attritu. *Via perfida*, cui male creditur. Sic Eleg. 7. lib. 3. *Fallit portus & ipſe fidem*. & *Perfida janua* El. 16. lib. 1. v. 43. Contra, *Fida caſtra*, ſup. *Quippe*, pro namque. ut Eleg. 1. ſup.

Quippe Lupercus, equi dum ſaucia protegit ora, &c.

Celat, tegit & occultat, ſpinis & dumis ſcilicet. *Semper-aquas*, uno verbo: id eſt, aquas perennes. ut *Semper-deus*, *ſemper-amans*, & multa ſimilia. De iis aquis Ovidius 1. Faſt. poſt deſcriptionem clivi Capitolini in eadem Tatii hiſtoria:

Oraque, quæ pollens ope ſum, fontana recluſi;
Sumque repentinas ejaculatus aquas.
Ante tamen gelidis ſubjeci ſulphura venis,
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.

Janus loquitur. *Tacentes*, ſine murmure labentes. Participium pro nomine; ut El. 2. ſup. *Properanti falce*. Sic Horatius Ode 31. lib. 1. *Taciturnus amnis*. & Virgilius 1. Æneid. *Æquora tuta ſilent*. Contra Horatius Ode 13. lib. 3. *Loquaces lymphæ*. & Ovidius 2. Faſt. *Garrulus rivus*. *Limite*, curſu obliquo. & Limes de aquis, ut apud Plautum Pœnul. 3, 3. *Nunc vos mihi amnes eſtis: vos certum eſt ſequi. Si bene dicetis, veſtrâ ripâ vos ſequar. Si male dicetis, veſtro gradiar limite*. & Noſter Eleg. 10. infra:

Avia ſecreti limitis unda fluit. (lympha) ubi limitem viæ ſubjicit, ut ſpeciem generi. Ita Virgilius 2. Georg. *Secta via limite quadret*. Martialis Epigr. 91. lib. 11.

Carmina nulla probas molli quæ limite currunt,
Sed quæ per ſalebras, altaque ſaxa cadunt.

Feſtus: *Limites in agris, nunc termini, nunc viæ tranſverſæ*. Iſidorus lib. 15. cap. 14. *Limes a limo; id eſt, tranſverſo, unde limen, & limus genus cinguli*. *Fallaci*, inſidioſo & latenti. Sic *Fallax unda Mæandri*, Eleg. ult. lib. 2. PASS. *Lubrica tota via eſt, & perfida*. rectam orationem fecit ex tranſlatione pulcerrima Ciceronis ſui Orat. pro M. Cœlio C. 17. *Multa nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniveret: & interdum multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix poſſit*. BROUKH. *Lubrica via*, σφαλερὰ ἢ ὀλισθηρὰ ὁδὸς Græcis. *Limite*: *Borrontelle* vocant Hetruſci. Ovidius 8. Metam. v. 557.

Tutior eſt requies: ſolito dum flumina currant
Limite; dum tenues capiat ſuus alveus undas.

Perfida via. Florus lib. 3. cap. 4. dixit, *Perfidum glacie flumen*. VULP.

v. 51. O UTINAM MAGICÆ NOSSEM CANTAMINA MUSÆ!] Didiciſſem, tenerem, ſcirem incantamenta. & eſt διὰ τὸ αὐτό. nam Muſa quid aliud quam cantamen, ſive carmen? Sic tamen & Ovidius initio Ibidis:

Omne fuit Muſæ carmen inerme meæ.

Cantamen, pro incantamen. ut Eleg. prox. ſequ. *Cantatæ Lunæ*. *Magicum carmen* dixit Eleg. 28. lib. 2. *Nænia Marſa* dicitur ab Horatio Epodo 17. & Ovidio 6. Faſt. Quæ autem eſt Muſa magica? an Urania? PASS.

v. 52. HÆC QUOQUE FORMOSO LINGUA TULISSET OPEM] Non ſolum, inquit, Medea Iaſoni dimicaturo diceretur opem tuliſſe: nam & ego ferrem tibi formoſo auxilium, ut illa tulit formoſo Iaſoni, ſi magicarum artium & incantamentorum perita eſſem. τὸ *Quoque* innuit alios idem feciſſe. Elegia 30. lib. 2.

Hic quoque non neſcit, quid ſit amare, chorus.

[& Ovi-

Te toga picta decet: non quem fine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Sic

[& Ovidius de lacrimis Epist. Phyllidis:

Hæ quoque habent artes, quaque jubentur eunt.]

Lingua. Donatus in illud Hecyræ 5, 1. *Facilem benevolumque lingua tua jam tibi me reddidit:* consuetudine magis, quam ratione dicit, Tua lingua, pro homine ipso. Noster Eleg. 16. lib. 1.

Te non ulla mea læsit petulantia linguæ.

Tulisset opem. Inde *opitulari*. *Auxilia magica* vocat Eleg. 8. lib. 1. Tibullus, & *Carmen auxiliare* Ovidius 7. Metam.

Neve parum valeant a se data gramina, carmen
Auxiliare canit, secretasque advocat artes.
PASS.

v. 53. TE TOGA PICTA DECET: NON QUEM SINE MATRIS HONORE NUTRIT INHUMANÆ DURA PAPILLA LUPÆ] Sic Horatius Epist. 18. lib. 1. *Arcta decet sanum comitem toga*. Fabius lib. 11. docet quomodo toga deceat oratorem. *Toga picta* cum palmata confunditur ab Isidoro lib. 19. cap. 29. At Livius lib. 30. & 31. distinguit. ubi togam pictam & purpuream eamdem esse ostendit. lib. 30. *Massinissa toga picta, & palmata tunica donatus*. & lib. 31. *Massinissa dona missa, vasa aurea, toga purpurea, & palmata tunica*. Picta, sive purpurea ἀλοπόρφυρος. Festus in *Picta*: *Picta quæ nunc toga dicitur, purpurea ante vocitata est, eaque erat sine pictura*. Nonius in *Phrygia*: *Phrygia vestis est picta, ejusque artifices Phrygiones appellantur*. Virgilius 9. Æneid. *Pictus acu chlamydem*. & 3. Æneid.

Fert picturatas auri subtemine vestes.

& alibi. Plinius lib. 8. H. N. cap. 48. *Trabeis usos accipio reges: pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ. acu facere id Phryges invenere, unde Phrygiones appellantur. Aurum intexere in eadem Asia Attalus, unde nomen attalicis*. Ausonius in Panegyrico: *Toga picta, & palmata tunica, ut in pace Consulis, ita in victoria triumphantis*. *Non quem*. supple, eum non decet quem &c. *Sine matris honore*, Cum dedecore & probro Iliæ. Spurium significat Romulum, ut Juvenalis Sat. 8. sub finem:

Majorum primus quisquis fuit ille tuorum
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

nempe, spurius vel latro. Ausonius in eum qui genus ad Romulum & Remum referebat: *Credo quod illi nec pater certus fuit, Et mater est vere lupa*. Duplex dedecus Iliæ, & quod vitio peperit, & quod exposuit. *Nutrit*. enallage temporis, ut Eleg. 13. lib. 3. v. 58. *Nutrit dura p. l.* ut Eleg. 6. lib. 2.

Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.

Inhumanæ, sævæ. Donatus in Eunuch. *Inhumanum*, *immite*. Alii libri, *Nutriit humana*. nam humana & misericors lupa, quæ abjectos sustulit ac educavit; & simul hominem, seu mulierem, fuisse lupam illam significat, id est Accam Faustuli conjugem meretriculam. Plutarchus in Romulo. sic Plautus Pœn. act. 5. sc. 5. & 6. Leno, & lycus, & homo & lupus. λυκάνθρωπος. PASS. *Nutrit i. d. p. l.* optimo consilio addit nutricationem, quæ vel sola immane quantum valet in effingendis moribus. neque neglexit poetarum sapientissimus L. 4. divini operis:

Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Vide & Nasonem L. 9. Metam. in fabula Byblidis; item L. 3. Tristium Eleg. 11. pulcrius etiam ac plenius L. 1. ejusdem operis, Eleg. 7. denique Auctorem Herculis in Oeta, v. 146. Exstat luculenta de hac re Phavorini philosophi disputatio apud nobilem scriptorem Noctium Atticarum L. 12. C. 1. BROUKH. *Toga picta*. Ovidius L. 2. Pontic. Epist. 1. v. 31. de triumpho Tiberii:

Claraque sumturum pictas insignia vestes,
Tura prius sanctis imposuisse focis.

Adde Juvenalem Sat. 10. v. 36.

Quid, si vidisset prætorem curribus altis
Exstan-

Sic hoſpes, pariamne tua regina ſub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.

Sin

Exſtantem , & medio ſublimem in pulvere circo
In tunica Jovis , & picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa toga?

Nutrit inhumana . omnino hæc lectio retinenda ; contemnit enim Romulum Tarpeja , verbiſque aſperis & odioſis in eum invehitur . Hanc lupam Propertius laudavit ſup. Eleg. 5. v. 55.

Optima nutricum noſtris , lupa Martia , rebus ,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!

Videtur autem hos verſus imitatus Manilius lib. 1. Aſtron. v. 366.

Mundi nutrito rege Capella ,
Cujus ab uberibus magnum ille aſcendit Olympum ,
Lacte fero creſcens ad fulmina , vimque tonandi . VULP.

v. 55. SIC , HOSPES , PATIARE TUA REGINA SUA AULA] Scaliger ait in libro ſuo legi , *Sic hoſpes , pariamne ſua regina ſub aula ;* utrum apud te futura ſim , hoſpes an regina ; an concubina , an mater familias . Num legendum ,

Dic , hoſpes , pariamne tua regina ſub aula?

vel *Sic* , ea conditione quæ ſequitur de dote . ut Eleg. 13. lib. 2.

Juſſit & Aſcræum ſic habitare nemus .

non ut Eleg. 16. lib. 3.

Scironis media ſic licet ire via .

Si , *patiare* , retinemus , *hoſpes* , erit vocandi caſus , & ſubaudietur , ſim . Sed , *Pariamne* , placet : id eſt , pulchra faciam te prole parentem . & *hoſpes* , genere feminino . Chariſius lib. 1. *Hoſpes quamvis communis generis , dicitur etiam hoſpita* . Alii libri , *Si ſim hoſpes* . &c. Aperta lectio : Si , hoſpes , patiare (ut) ſim regina ſub aula tua , venit tibi dos &c. *Sub aula* , in aula ; ut Eleg. 9. lib. 3.

Tuta ſub exiguo flumine noſtra mora .

Aula , vel regia ; vel atrium , ubi lectus genialis locabatur . Horatius Epiſt. 1. lib. 1. *Lectus genialis in aula eſt ?* Iſidorus lib. 15. cap. 5. *Aula domus eſt regia , ſive ſpecioſum habitaculum , porticibuſque quatuor concluſum* . Vet. Gloſſ. αὐλὴ , *atrium* . Athenæus lib. 5. docet , priorem domûs partem perflabilem ita vocari . PASS. *Hoſpes , pariamne regina* . Illud Horatii non diſſimile Sat. 8. lib. 1.

Quum faber incertus , ſcamnum , faceretne Priapum ,
Maluit eſſe deum .

Princeps omnium Editio : *Sit hoſpes , pariamque t. r. ſ. a.* VULP.

v. 56. DOS TIBI NON HUMILIS PRODITA ROMA VENIT] Dos eſt quod ab uxore , vel alio uxoris nomine , marito , pro ſuſtinendis oneribus matrimonii datur remittiturve . *Non humilis* , ſat magna ; ut El. 7. lib. 1. *Non humilem poetam* . *Venit* , ad te adfertur . *Ferre & adferre* dotem marito dicitur uxor in Aulul. Plauti . An *venit* pro eſt ? An *Venit dos* , ut venire & obvenire dicitur hereditas? An ut Plautus Pœnulo : *Is ad me lucrum ?* & Varro 4. de L. L. *Ab eo præco dicitur locare , quod uſque idem it , quoad in aliquo conſiſtit pretium* . Ulpianus tit. 6. Inſtit. Dos aut profectitia dicitur , id eſt quam pater mulieris dedit ; aut adventitia , id eſt , ea quæ a quovis alio data eſt . L. 5. §. *Si pater* . D. *de jure dotium* . hic ergo dos adventitia . PASS. *Dos prodita Roma* . Albinovanus Eleg. de Obitu Mæcenatis , veſtigia Propertii , ut videtur , ſecutus :

His modo miles erat , ne poſſet femina Romam
Dotalem ſtupri turpis habere ſui .

Cleopatram ſignificat . Ovidius Epiſt. Medeæ v. 199. uberius ſuo more , atque ex declamatorum ſchola :

Dos ubi ſit , quæris : campo numeravimus illo ,
Qui tibi , laturo vellus , arandus erat .
Aureus ille aries , villo ſpectabilis aureo ,
Dos mea : Quam , dicam ſi tibi , redde ; neges .
Dos mea , tu ſoſpes : dos eſt mea , Graja juventus .

Seneca pariter Medea v. 488. *Tibi patria ceſſit , tibi pater , frater , pudor . Hac dote nupſi : redde fugienti ſua* . Denique Juſtinus lib. 39. cap. 3. *Sed Cleopatra non tam a viro repudiata , quam a matre divortio viri dimiſſa , Cyziceno*

Sin minus; at raptæ ne ſint impune Sabinæ,
  Me rape, & alterna lege repende vices.
Commiſſas acies ego poſſum ſolvere: nuptæ,
  Vos medium palla fœdus inite mea.

Adde

xiceno in Syria nubit; sique ne nudum uxorie nomen afferret, exercitum Grypi sollicicatum, velut datalem, ad maritum deducit. Apud eumdem auctorem lib. 2. cap. 7. legitur, *Uaer mariti ſanguine datate, regnum viri, & ſe pariter adultero tradidit*. VULP.

v. 57. SIN MINUS; AT RAPTÆ NE SINT IMPUNE SABINÆ] Legitur & : *Si minus*. ſic Cicero 13. ad Attic. *Epiſtolam Cæſaris mihi ſi minus legiſſes*. *Sin minus*; ſupple, facere id voles. Idem Orat. in Catil. *Educ tecum omnes tuas: ſin minus, quam plurimos*. *At*, pro ſaltem. Cicero 7. Verrina: *Si minus necari, at cuſtodiri oportebat*. *Raptæ ne ſint impune Sabinæ*; ne inultum maneat Romuli facinus, qui veſtras virgines rapuit ludis circenſibus; qua de re Eleg. 6. l. 2.

Tu rapere intactas docuiſti impune Sabinas. PASS.

v. 58. ME RAPE, ET ALTERNA LEGE REPENDE VICES] *Rependе*, refer, redde. ductum ab iis quæ eodem, vel majore pondere redduntur. Eleg. ult. infra:

Dum pretium vitæ grata rependis humus.

Virgilius 2. Æneid. *Si parva feram, ſi magna rependam*. *Pendere* ductum ab ære gravi, unde *Pendere pœnas*: Feſtus. *Vices*, talionem, par pari. Vices, pro pœnis, quæ contra & viciſſim exiguntur. Noſter Elegia 13. lib. 1.

Multarum miſeras exiget una vices.

Alterna lege, vel conditione, vel potius jure, naturali ſcilicet, ut ſit ſpecies pro genere quaſi ſirempſe lege. unde *Talio*, in XII. Tabb. Cicero Topic. *Natura duas habet partes, tuitionem ſui, & ulciſcendi jus*. non ſcripta ſed nata lex vim vi repellere. PASS.

v. 59. COMMISSAS ACIES EGO POSSUM SOLVERE: NUPTÆ, VOS MEDIUM PALLA FŒDUS INITE MEA] Sic Eleg. 10. lib. 1. *Poſſum ego diviſas iterum conjungere*. *Solvere*, dirimere, ut Eleg. 4. lib. 2. *Solvere amores*. Aliud eſt 5. Æneid. *Atque agmina terni Diductis ſolvere choris*. id eſt explicuere. *Commiſſas acies*, quæ jam conſeruerint manus, & pugnare cœperint. Virgilius 5. Æneid.

Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.

Initiator, inquit Nonius, *ut Varro, Cœnam committere, dicit*. Et proprie committere eſt inſimul mittere: Feſtus. Suetonius in Caligula: *Committeſe aliquos inter ſe*. & in Aug. cap. 44. *Committere pugiles Latinos cum Græcis*. hinc *commiſſiones* ludorum & gladiatorum. *Acies*. vide not. ad v. 53. Eleg. 2. ſup. *Nuptæ*, jam virum expertæ Sabinæ. & vaticinatur; nam id nuptæ poſt fecerunt. *Inite fœdus medium*, componite fœdus, inter viros & cognatos. Inire fœdus, in fœdus ire. ut El. 9. infra, *Ad fœdera veni*. Sic *Inire gratiam*, Plauto & Terentio. *Inita amicitia*, Livio lib. 34. *Inire ſocietatem*, Suetonio in Aug. cap. 13. & in Tiberio cap. 2. *Fœdus*, quia hoſtia ſorda, vel quia fides interponeretur in paciſcendo: Feſtus. & ſane *fidus* vocatum eſt ab Ennio, ut Varro ſcribit 4. de L. L. Servius tamen in 1. Æneid. a fecialibus derivat, vel a porca fœde, id eſt, lapidibus cæſa. *Medium*, interjectum pugnæ, & interpoſitum. vel per hypallagen, ipſæ mecum mediæ cum palla, vel ipſâ pallâ mediâ. Noſter Eleg. 9. lib. 2. *Media non ſine matre ducet*. & ibidem: *Mihi ſi mediâ liceat pugnare puellâ*. Virgilius lib. 7. Æneid. *Dum paci medium ſe offert*. Tangit hiſtoriam Sabinarum κατὰ πρόληψιν, quæ [quum novæ inter ſoceros & generos diſcordiæ ſurrexiſſent] *crinibus paſſis, ſciſſaque veſte, victo malis muliebri pavore, auſæ ſe inter tela volantia inferre, ex transverſo impetu facto, dirimere infeſtas acies, dirimere iras*, ut ait Livius lib. 1. *Palla*, muliebris veſtis: *honeſtæ mulieris veſtimentum*, inquit Nonius, *hoc eſt tunicæ pallium*. deinde citat Plautum Menæchmis: *Pallam ad Phrygionem fert*; ac Lucillium lib. 15. vide & Varronem 4. de L. L. Horatius Epiſt. ad Piſones *honeſtam* vocat, & tribuit tragœdis: Ovidius 3.

Amor.

Adde Hymenæe modos: tubicen fera murmura conde:
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem;
Ipsaque in Oceanum sidera lassa cadunt.

Expe-

Amor. Eleg. 1. ipsi Tragœdiæ, & 11. Metam. Apollini. Fuit & citharœdorum: Auctor ad Herenn. Tibullus Eleg. 4. lib. 3. Servius in 1. Æneid. ad illud: *Pallam signis auroque rigentem. Tunicæ pallium*, inquit, *quod secundum Varronem palla dicta est ab irrugatione & mobilitate quæ est circa finem ejusmodi vestium; ἀπὸ τοῦ πάλλειν*. Idem alibi: *Palla proprie est vestis muliebris deducta ad vestigia*. Baifius ait & brevem pallam fuisse quæ Gallica dicebatur. Martialis Epigr. 93. lib. 1.

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

visse & Strabonem lib. 4. PASS. *Commissas acies ego possum solvere*. ideo fortasse dicit, quod gravissima dissidia, virginum Vestalium interventu componi consueverint. Eæ quoque delinquentes a judicibus interdum deprecabantur. vide Plinium lib. 28. H. N. cap. 2. Valerium Maximum lib. 5. cap. 4. tit. 7. Suetonium in Julio cap. 1. & in Vitellio cap. 16. Tacitum lib. 11. Annal. Ciceronem Orat. 2. Agraria. tantus honor religioni, seu superstitioni potius habebatur. VULP.

v. 61. ADDE HYMENÆE MODOS: TUBICEN FERA MURMURA CONDE] An addere pro dare? Virgilius 4. Georg.

Nunc age naturas apibus quas Juppiter ipse
Addidit, expediam.

An quia & assa voce canebatur Hymen, & ad tibiam? ut in Casina Plauti, & apud Terentium; unde *Zygia tibia* Appulejo. *Adde modos Hymenæe*. adhibe carmen nuptiale: nam Hymenæi id est officium. Catullus Carm. 60. *Excitusque hilari die Nuptialia concinens Voce carmina tinnulâ*. *Modi*, vel carmina, ut Horatio ubique, vel soni & concentus tibiarum, qui æstimantur intervallo vocum; ut ait Cicero in Oratore. Sic apud Terentium: *Modos fecit Flaccus*. Plura notavi ad Eleg. 22. lib. 2. v. 6. *Conde*, reconde, remove. non enim tuba, sed tibia adhibebatur nuptiis. Contra Ovidius 2. Fast. *Conde tuas, Hymenæe, faces*. *Fera murmura*, horridum & trucem cantum. Ovidius 1. Fast. in fine:

Canteturque ferâ nil, nisi bella, tubâ.

Ennius apud Varronem 6. de L. L.

Jam cata signa ferâ sonitum dare voce parabant.

sic legendum, non *fere*. Vetus poeta apud Ciceronem 2. de Divinat.

O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides,
Unde superstitiosa sæva primum evasit vox fera?

nempe quia mugiunt oracula, 6. Æneid. PASS.

v. 62. CREDITE, VESTRA MEUS MOLLIET ARMA TORUS] An legendum Cedite? Sed *Credite*, supple, mihi sane. *Meus torus*, lectus, conjugium. Eleg. 3. sup. v. 71. & Eleg. 20. lib. 3. sæpe. *Molliet arma vestra*, leniet & mulcebit vestra bella; & animos pugnandi cupidos. nam & ferrum igni mollitur. Horatius Sat. 4. lib. 1. *Dum ferrum molliat ignis*. & Epodo 5. *Corpus quale posset impia Mollire Thracum pectora*. Virgilius 1. Æneid. *Mollitque animos, & temperat iras*. PASS.

v. 63. ET JAM QUARTA CANIT VENTURAM BUCCINA LUCEM] Sic Eleg. 28. lib. 2.

Et jam Luna negat toties descendere cælo.

Buccina quarta. Nox in quatuor vigilias castrenses dividebatur, singulas ternarum horarum, quæ tuba vel buccina distinguebantur. Ita media nox finis secundæ vigiliæ: & quartæ vigiliæ initium hora quæ nobis (*Gallis*) quarta matutina dicitur. Plinius lib. 10. H. N. cap. 21. *Nocturni sidera*, (galli gallinacei) *& ternas distinguunt horas interdiu cantu. cum Sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia ad curas laboremque revocant, nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere, denique venientem nuntiant cantu*. Vegetius lib. 3. de R. M. cap. 8. *Et quia impossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ*,

Experiar somnum: de te mihi somnia quæram:
Fac venias oculis umbra benigna meis.

Dixit,

gilie, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. a tubicine omnes vigiliæ committuntur: & finitis horis a cornicine revocantur. ergo hic buccinam posuit pro tuba, ut infra docet, quum ait:

Atque intermissâ castra silere tubâ.

Sic Seneca Thyeste: *Nondum in noctem vergente die Tertia misit buccina signum.* Ausonius in Gripho ternarii numeri:

Ter clara instantis Eoi
Signa canit serus deprenso Marte satelles.

In quem locum Scaliger e Grammaticis Græcis tradit, etiam apud Græcos ita divisam noctem; sed tubâ principium tantum, & finem noctis designari. unde Sophocles in Tragœdia *Λημνίαις* vocavit [illegible] ὥραν, tempus quod est inter crepusculum & diluculum [, vel *μεσονύκτιον*.] *Buccina canit*. Sic Ovidius 6. Fast.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis.

Venturam lucem, instantem diem. P. *Quarta c. v. buccina l.* T. Livius lib. 24. *Ubi quartæ vigiliæ signum cecinisset, ad eum locum scalas jussit ferre.* & infra: *Signo secundæ vigiliæ conveniatur, quod tempus mortales somno altissimo premit.* Idem lib. 7. *Vigiliis deinde dispositis, ceteris omnibus tesseram dari jubet: ubi secundæ vigiliæ buccinâ datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent.* Idem lib. 26. *Tribunis militum ac præfectis sociorum imperavit, uti duo millia equitum delectis denuntiarent, ut ad tertiam buccinam præsto essent.* Lucanus lib. 2. v. 689. *Neu buccina dividat horas.* Silius Italicus lib. 7. v. 154.

Hæc secum, mediam somni quum buccina noctem
Divideret; jamque, excubias sortitus iniquas,
Tertius abruptâ vigil iret ad arma quiete.

ad quem locum vide Dan. Heinsium. Lege & Censorinum cap. 9. de Die Natali. Etiam in Evangelio Matthæi cap. 14. v. 25. *τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτὸς. quartâ autem vigiliâ noctis.* Euripides in Rheso memorat *τετράμοιρον φρουράν, vigiliam quadripartitam.* *Venturam lucem*, imminentem diem. Sic Eleg. 11. lib. 3.

Venturam melius præsagit navita noctem.

imminentem maris tempestatem, obscuram, & nocti similem. VULP.

v. 64. IPSAQUE IN OCEANUM SIDERA LAPSA CADUNT] Merguntur Oceano veniente die. occulunt. *Cadere*, pro occidere. Virgilius 2. Æneid. *Suadentque cadentia sidera somnos.* & 9. Æneid.

Oceani finem juxta, Solemque cadentem.

eodem sensu Ovidius 1. & 4. Fast. dixit:

Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.

Lapsa cadunt. διὰ τὸ αὐτὸ. ut Eleg. 15. lib. 3.

Sic cadit inflexo lapsa puella genu.

Virgilius 6. Æneid. *Lapsa cadunt folia.* Furius apud Macrobium: *Lapsasque in humum defluxit.* Vetus poeta apud Ciceronem 3. Tusc.

Ut sciat quanto e loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna occidat. PASS.

Quum astra dicantur excubare, apud poetas, & stationes obire; non multum aberraturum ab vero duxerim, qui hic *lassa* legerit, id quod extat in Borrichiano. Seneca certe ita loquitur, Hercule in Oeta, v. 1520. de Luna: *O decus mundi, radiate Titan, Cuius ad primos Hecate vapores Lassa nocturnæ levat ora bigæ.* & in eodem dramate v. 781. de Sole: *Dum lassa Titan mergat Oceano juga.* Adde Valerium Flaccum L. 7. *Jam lassa dies.* & ipse etiam Papinius L. 2. Theb. ubi de Malea: *Fessis insidetur astris.* Lutatius: *Super ipsum fessa astra considunt. id est, per eminentiam sui sedem præstat astris, rapido cursu fatigatis. altitudinem voluit exprimere, quasi illic astra requiem sumant.* accedit quod hæ voces, *lapsa*, & *lassa*, sæpe confunduntur a librariis. BR. Videndus Fridericus Taubmannus ad lib. 2. Æneid. Virgilii, v. 9. VULP.

v. 65. EXPERIAR SOMNUM: DE TE MIHI SOMNIA QUÆRAM] An consulam? Ovidius 4. Fast.

Magna fides avium est, experiamur aves.

Virgilius 4. Æneid. *Rursusne procos irrisa priores Experiar?* id est, adibo cum periculo repulsæ. Plautus Asin. Act. 1. sc. ult.

Dixit, & incerto permisit brachia somno,
  Nescia se furiis accubuisse novis.

Nam

Dignos indignos adire, atque experiri certum est mihi. Terentius Hecyra 5, 2. *Hanc experiamur. id est, utamur ejus opere*, inquit Donatus. Conabor igitur inire somnum. *Quæram de te somnia*; captabo omina Lunæ, &, quod ait Terentius Eun. *te somniabo*. De somniis amantium Eleg. 3. lib. 1. Somnum a somniis separat, quia somni ministra somnia apud Ovidium. Sic Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

Quærere, pro captare. ut Eleg. 13. lib. 3. *Quærere avent*. & Eleg. 9. infra, *Quærere venerem*. PASS. *De te mihi somnia quæram*. Heliodorus L. 3. Æthiop. *Petebat felicem insomniis noctem: & ut sibi appareret carissimi in somnis, suppliciter orabat*. expressit in re minus læta mellitissimus Lotichius L. 3. Eleg. 3.

Tu quoque, si veterum memor est & pulvis amorum,
Occurras oculis sæpe videnda meis.
Sæpius in somnis redeat tua dulcis imago,
Fidaque tangendas præbeat umbra manus.
BROUKH.

De te m. somnia quæram, Sic Eleg. 21. lib. 2.

Dispeream, si quidquam aliud, quam gloria de te
Quæritur. VULP.

v. 66. FAC VENIAS OCULIS UMBRA BENIGNA MEIS] Imago blanda & grata offeras te oculis meis. Tu ipse facilis mihi videaris dormienti. *Fac venias*, venito. ut El. ult. infra:

Fac teneas unum nos imitata virum.

Ovidius 4. Fast.

Et dixit, Semper fac puer esse velis.

Plautus Amphitr. *Facito ut Amphitruonem advenientem abigat ab ædibus*. Porro umbra venire dicitur. Virgilius 1. Æneid.

Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis.

& Eleg. 17. lib. 3.

Arcessitus erit somnus in ossa mea.

Virgilius pariter 6. Æneid. umbras de somnis dixit: *Qua veris facilis datur exitus umbris*. *Venias oculis*, ante oculos adsis, vel benigna oculis, & aspectu mihi jucunda. An *oculis meis*, mihi; ut supra hic:

Et formosa oculis arma Sabina meis?

An quia videre videmur in somniis, & in oculos somnus illabitur? Terentius Heaut. 3, 1. *Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis*. Hinc Ciceronis jocus in Caninium Rabulam: *Vigilantem habemus consulem, qui toto suo consulatu somnum non vidit*. [fuerat enim consul uno tantum die.] Noster Eleg. 25. lib. 2.

Quum satis una tuis insomnia portet ocellis.

Benigna, blanda; ut Plauto in Asinaria *Blanda verba*, quæ Noster Eleg. 13. lib. 3. *Verba benigna*. *Benignus*, inquit Festus, *propris qui bonis & dignis largitur, a bono & gignendo*. Plautus Aulul. *Benignius me omnes salutant*; id est blandius. PASS. *Fac venias umbra*, Dido apud Virgilium 4. Æneid. *Omnibus umbra locis adero*. *Benigna*. *benignus*, largus, facilis, copiosus, minime invidus, ἄφθονος. VULP.

v. 67. DIXIT, ET INCERTO PERMISIT BRACHIA SOMNO] An dedit manus somno; id est, victa sopore jacuit? quo de genere sermonis dictum ad illud Eleg. sup.

Quum rudis urgenti brachia victa dedi.

An, ut Virgilius 1. Georg. *Si brachia forte remisit?* nam *permittere* apud Nonium in exemplis Sisennæ est, se immittere, vel præcipitare. Sic Galli dicunt: *Se laisser aller au sommeil*: [Itali, *abbandonarsi al sonno*.] vel *Permisit somno*, Somni arbitrio & potestati tradidit, ut Virgilius 4. Æn.

Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ.

Horatius: *Permitte divis cetera*, Sic *Permittere se fidei*, vel *in fidem alicujus*, ei se dedere: Cæsar & Livius. *Incerto somno*; quia languent membra & remittuntur somno. Ovidius 11. Metam. de deo Somno:

Tardaque deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens
Excussit tandem sibi se.

Noster Eleg. 3. lib. 1.

Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia, non certis nixa caput manibus.

ut hic

Nam Vesta, Iliacæ felix tutela favillæ
Culpam alit, & plures condit in ossa faces.

Illæ

ut hic possit esse; hypallage; pro, incerta brachia. An *Incerto somno*, ut Plautus Casina apud Nonium: *Nam ubi domi sola sum, sopor manus calvitur*. PASS.

v. 68. NESCIA SE FLAMMIS ACCUBUISSE NOVIS] Ignorabat, inquit, se cubitum discessisse, & jacere, una cum novo amoris ardore. *Accubare flammis*, una cum flammis cubare. Horatius Epist. 5. lib. 1. *Assidet insano*. Noster Eleg. 32. lib. 2.

Atque inter pecudes accubuisse dea.

Flammis novis, vel magnis, vel incognitis. & quia ad alias flammas, Vestæ scilicet, adsueverat vigilare. Aliter Eleg. 6. infra: *Et nova flamma Luxit*. *Flamma* de amore, ut Eleg. ult. lib. 2.

Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.

Sed vet. lib. *Nefariis*, unde Scaliger legit:

Nescia ne furiis accubuisse novis.

Duæ negationes pro una, inquit, ut Terentius: *Facinne ne intelligentes, ut nihil intelligant*. Malo, *se furiis*. furiæ, pro amore acerrimo. Virgilius 3. Georg. *In furias ignemque ruunt*. & 2. Æneid. *furias Ajacis Oilei*. [ardentissimo Cassandræ amore correpti.] Sic Eleg. 1. lib. 1.

Et mihi jam toto furor hic non deficit anno.

Beroaldus quoque legit *Nefariis*, & exponit flagitiis. satis flagitiose. PASS. *Nefariis*, etiam editio princeps, & Codex Bononiensis. VULP.

v. 69. NAM VESTA, ILIACÆ FELIX TUTELA FAVILLÆ, CULPAM ALIT, ET PLURES CONDIT IN OSSA FACES] Vesta, quæ ipsa ignis est, & tuetur ac servat feliciter ignem Trojanum, & reliquias Ilii, fovet & nutrit nefandum amorem. *Tutela*, ut El. 13. lib. 3.

Diique deæque omnes, quibus est tutela per agros.

Horatius Ode pænult. lib. 4. *Tutela præsens Italiæ*. ut hic felix tutela. *Favilla*, inquit Servius in 3. Æneid. est *deserto igne scintilla*. Ergo *favillæ Iliacæ*, ut Virgilius 2. Æneid. *Iliaci cineres*. ut Eleg. 1. sup.

Ilia tellus
Vivet, & huic cineri Juppiter arma dabit.

Ovidius 6. Fast.

Ignis in Iliacis nunc erit estque focis.

Ibidem:

Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta
Detulerit flavis in mare Tibris aquis.

Tutela favillæ, quæ servat reliquias Trojæ. Ovidius 6. Fast. vocat custodem flammæ:

Quum flammæ custos ædes recepta dea est.

De hac re vide plura notata ad v. 45. hujus Elegiæ, & v. 11. Eleg. 4. lib. 3. Statius lib. 1. Silv. Carm. 1. *An tacita vigilet face Troïcus ignis*. Juvenalis Sat. 4.

Diruta servat
Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem.

Culpam alit. sic Eleg. 11. lib. 1.

Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores.

ubi vide adnotata. Ovidius 3. A. A.

Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem.

& in Remed.

Verba dat omnis amor, reperitque alimenta morando.

Culpa, Jurisconsultis est desidia, & amor desidia. unde amor culpa dicitur, & amare peccare, ut adnotatum ad illud El. 5. lib. 1.

Quod si parva tuæ dederit vestigia culpæ.

Statius 3. Thebaid.

Non egomet tacitas Veneris furata calores,
Culpavive facem.

Contra 2. Thebaid. de amore honesto virginis nupturæ:

Subit ille supremus
Virginitatis amor, primæque modestia culpæ
Confundit vultus.

Condit, conjicit & includit. *Condere*, inquit Festus, *in interiorem locum dare ad custodiam*. Ideo dixit Noster Eleg. 17. lib. 3. *Veteres custodit in ossibus ignes*. Sic Livius: *Condere in carcerem, & vincula*. & Plautus: *Conditur in cunas*. *Faces*, lampadas, tædas, flammas. vide Eleg. 3. sup. v. 52. *In osse*, ut Eleg. 4. lib. 1.

Qui non ante patet donec manus attigit ossa.

& Eleg. 9. lib. 1.

Quam pueri toties arcum sentire medullis.

PASS.

Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
 Strymonis abſciſſos fertur aperta ſinus.
Urbi feſtus erat, dixere Parilia patres.
 Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.

Annua

v. 71. ILLA RUIT, QUALIS CELEREM PROPE THERMODONTA STRYMONIS ABSCISSO FERTUR APERTA SINU] Sic Eleg. 8. lib. 3.

Seu ſequitur medias, Mænas ut acta, vias.

Ruit, præceps & amens rapitur. ut Eleg. 15. lib. 3.

Neſcit veſtro ruere iro referre pedem.

Qualis Strymonis. Sic Virgilius 4. Æneid. *Qualis commotis excita ſacris Thyas*. *Strymonis*, patronymicum a Strymone fluvio. unde Virgilius 1. Georg. & 10. Æneid. *Strymoniæ grues*. & 4. Georg. *Deſerti ad Strymonis undam*. vide Plinium lib. 4. H. N. cap. 11. & Strabonem lib. 7. *Edonis* vocatur Eleg. 3. lib. 1. v. 5. *Fertur*, ruit, bacchatur. Ovidius 2. A. A.

In ferrum flammaſque ruit, poſitoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta dei.

Virgilius 2. Æneid. *Medios fertur moriturus in hoſtes*. *Aperto ſinu obſciſſa*, nudato pectore ob laceram veſtem; vel pectus; nam ſinus & corporis & veſtis. Eleg. 8. lib. 3.

Fac meo reſciſſo pectore nudo ſinu.

Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Neve cubet laxa pectus aperta ſinu.

Ovidius 1. Faſt.

Altera diſſuto pectus operta ſinu.

Prope Thermodonta, fluvium Thraciæ, ut adnotavi ad Eleg. 14. lib. 3. v. 13. *Celerem*, rapidum. PASS. *Illa ruit*, amentiæ verbum ac furoris. Cicero Philipp. 3. C. 12. *Atque is ab hac impetu abſtractus conſilio & copiis Cæſaris, conſenſu veteranorum, virtute legionum, ne fortuna quidem fractus minuit audaciam: nec ruere demens, nec furere deſinit*. *Strymonis abſciſſa f. a. ſinu*. noli dubitare quin poeta ſcripſerit *abſciſſos fertur aperta ſinus*, familiari & ſibi & aliis Græciſmo. Virgilius L. 11. Æn.

At medias inter cædes exſultat Amazon,
Unum exſerta latus pugnæ.

ubi *latus exſerta* idem eſt quod Noſtri *ſinus aperta*. *Strymonis*, Amazon Thracia. pulcre Silius 11. 73. ſqq. BROUKH. De Baccha, ſeu bacchante muliere hoc dictum accipio, ut explicat Paſſeratius: non de Amazone. omnes enim Bacchæ furentes, Amazones non item. VULP.

v. 73. URBI FESTUS ERAT, DIXERE PALILIA PATRES] Qui dies feſti ſint, docet Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 16. & Nonius in *Feſtum*, & *Fauſtum*. Per translationem dixit Terentius Eunuch. *O feſtus dies hominis!* pro homine læto ac jucundo. *Feſtus* cum tertio caſu; Horatius Ode 14. lib. 3. *Hic dies vere mihi feſtus*. Sic apud eundem *Feſtus pagus*. *Dixere Palilia patres*. ita eum diem majores appellavere. *Patres*, pro, avis & majoribus. Virgilius 2. Æneid.

Religione patrum multos ſervata per annos.

& 7. Æneid. *Turno Inachus Acriſiuſque patres*. & 11. Æneid. *Corpora quiſque ſuorum More tulere patrum*. Ovidius 2. Faſt.

Februa Romani dixere piacula patres.

De Palilibus vide notata ad Eleg. 1. ſup. v. 19. PASS. Veteres magiſtri ſcribunt *Parilia*. Soſipater Chariſius L. 1. *Palilia dicuntur*. [videtur hic aliquid excidiſſe.] *Pales enim dea paſtoralis eſt, cujus dies feſtus. niſi quod quidam a partu iliæ Parilia dicere maluerunt*. Marius Victorinus L. 1. Art. Gram. capite de Orthogr. *Parilia dicuntur, non Palilia: non a Pale dea, ſed quod eo tempore omnia ſata, arboreſque & herbæ parturiant pariantque*. Probus in Virgilium L. 3. Georg. v. 1. *Pales dea eſt paſtorum, cui diem ſacrum appellant Parilia, tranſpoſitâ literâ; quæ ſi ſuo loco eſſet, Palilia potius dicerentur. qui dies natalis eſt urbis Romæ, quæ a paſtoribus eſt condita*. & ſic pleraſque membranas veteres Ovidii habere teſtatus eſt Nic. Heinſius. noſtri libri hic *Palilia* exhibebant. BROUKH.

v. 74. HIC PRIMUS CŒPIT MŒNIBUS ESSE DIES] Hoc die primum condita ſunt mœnia. hic urbis Romæ natalis. Ovidius 14. Metam. *Feſtiſque Palilibus urbis Mœnia conduntur*. vide Ciceronem lib. 2. de Divinat. ubi de L. Tarutio Firmano.

Ovi-

Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Quum pagana madent fercula deliciis.

Quum-

Ovidius 4. Fast. verissimam Palilium sacrorum caussam esse scribit natalem urbis Romæ.

Hoc tamen est vero propius: quum condita Roma est,
Transferri jussos in novo tecto Lares.
Mutantesque domum tectis agrestibus ignem,
Et cessatura supposuisse casa.
Per flammas saliisse pecus, saliisse colonos;
Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.

Idem. 6. Fast.

Dena quater memorant habuisse Palilia Romam
Quum flammæ custos æde recepta dea est.

id est XL. natales, & annos. Dionysius lib. 1. ait, eum diem, Palilia scilicet, etiam sua ætate maxime festum fuisse, ut urbis Romæ natalem. Plutarchus in Romulo Palilia fuisse docet ante urbem conditam. Singulare est quod canit Manilius lib. 4. Astron.

Hesperiam suo Libro tenet, qua condita Roma:
Et propriis frenat pendentem nutibus orbem,
Orbis & imperium retinet: discrimina rerum,
Lancibus & positas gentes tollitque premitque;
Quo genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.

[Sed hæc pertinent ad natalem conditorum urbis, non ad urbis ipsius.] *Cœpit*. non tunc quidem, sed paullo ante. PASS.

v. 75. ANNUA PASTORUM CONVIVIA, LUSUS IN URBE] Ut Eleg. 1. sup.

Annuaque accensa celebrare Palilia fœna.

id est solennia, ut Virgilius 3. Æneid. dixit *Sollennes dapes*. De ejusmodi conviviis rusticorum, sed non de Palilibus, Virgilius 1. Georg.

Mutuaque inter se læti convivia curant.

Hoc est *Mutitare* Gellio. *Lusus*, omnis remissio animorum. nam, ut ait Cicero 2. de Leg. *Festorum dierum ratio in liberis, requietem habet litium & jurgiorum: in servis, operum ac laborum*. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 16. *Festis* (diebus) *insunt sacrificia, ludi, epulæ*. *In urbe*. aliàs, *in herbis*. Virgilius 1. Georg.

Atque annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis.

PASS.

v. 76. QUUM PAGANA MADENT FERCULA DIVITIIS] Id est, dapes & epulæ paganorum. *Fercula sunt missus carnium*, inquit Fulgentius: Credo quod cœnæ & prandio inferantur. Sunt & funerum, & ludorum & triumphorum fercula. Ferculum etiam ad gestanda spolia: Livius lib. 1. & ad reponenda simulacra deorum: Acron. Festus: *Pagani a pagis dicti. Pagi a fontibus; quod eadem aqua uterentur. nam aquæ (fontes) lingua Dorica παγαὶ appellantur*. Servius ad illud 2. Georg. *Ingentes pagos & compita circum: Villæ, pagi, ἀπὸ τῶν πηγῶν appellantur; id est, a fontibus, circa quos villæ consueverant condi*. unde & *pagani* dicti, quasi ex uno fonte potantes, Inde *Paganalia* & *Paganicæ feriæ* Varroni 5. de L. L. de quibus Horatius: *Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus*. Isidorus lib. 15. cap. 2. *Pagi sunt apta ædificiis loca inter agros habitantibus. Hæc & conciliabula dicta, a conventu & societate multorum in unum*. Idem lib. 8. Paganos Christianis opponit, ut a Jurisconsultis Pagani opponuntur militibus. *Madent*, plena sunt, abundant; ut *fluere facetiis* dixit Plautus Milite. Lucretius lib. 4. *Scilicet arte madent simulacra*. plena sunt, & imbuta, & prædita. [ebria, rectius dixisset.] Horatius Ode 21. lib. 3. *Socraticis madet sermonibus*. Plautus Mostell. *Madeo metu*. A. Gellius l. 3. c. 8. *Madere vitiis*. Martialis:

Jure madent, variaque togæ limatus in usu.

Virgilius apud Fabium: *Scholasticorum natia madens pingui*. *Divitiis*, copia & omni genere frugum, quæ proprie opes, quia Ops & terra eas fundit. Sic Eleg. 13. lib. 3.

Divitiæ quarum messis & arbor erant.

Sed alii libri, *Deliciis*; id est, delicatioribus cibis, & solito magis exquisitis, quum soleant aliàs asperiore victu esse contenti. *Deliciæ* a deliquando, vel deliquescendo; quod his homines delicati diffluant. PASS.

Beroal-

Quumque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
Atque intermissa castra silere tuba.

Hoc

Beroaldus dicit, in quibusdam se codicibus invenisse *deliciis*. recte. nam istas Parilium delicias opponit ferculis quotidianis hominum rusticorum, duris, atque inopia horrentibus. deinde, unde agrestibus istis *divitiæ*, urbe vix nascente? - - - - - - idem olim mendum in Cicerone hærebat, lib. de Amicit. C. 15. *Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu nec ratione habent cognitam, disputabunt*. erat enim in libris vulgatis *divitiis diffluentes*. id quod recte mutarunt viri eruditi, scriptorum codicum fidem secuti. BROUKH. Hæc vera & optima lectio. Ad hunc locum Seneca fortasse respexit Epist. 10. *Deliciis*, inquit, *permadnimus, & omnia dura ac difficilia judicamus*. De his paganorum deliciis vide Tibullum Eleg. 5. lib. 2. VULP.

v. 77. QUUMQUE SUPER RAROS FŒNI FLAMMANTIS ACERVOS TRAJICIT IMMUNDAS EBRIA TURBA DAPES] Quod legitur *Immundas dapes* mendosum est, quamvis dapes Palilibus ad expiationem adhiberi scribat Ovidius 4. Fast. Legendum, *Immundos pedes*, id est, cœno sordidos; ut Eleg. 23. lib. 2.

Cui sæpe immundo Sacra conteritur Via socco.

Quum, inquit, turba (pastorum) ebria trajicit pedes immundos super acervos fœni. Ovidius 4. Fast.

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.

Noster Eleg. 2. sup.

Trajicit alterno qui leve pondus equo.

ubi vide adnotata. Idem Ovidius ibidem eodem sensu dixit:

Certe ego transilii positas ter in ordine flammas.

Super acervos. Super & supra confundit, ut Eleg. 30. lib. 2.

Instat semper Amor supra caput, instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.

Raros, non densos, sed ubi paucæ stipulæ: vel paucos acervos, & infrequentes; ut Eleg. 5. infra *Rari capilli*. An, *sacros*, legendum? ut apud Tibullum El. 5. l. 2. *Flammas transilietque sacras*. *Fœni*: ut Persius Sat. 1. *Famosa Palilia fœno*. vide notata ad illud Eleg. 1. sup.

Annuaque accenso celebrare Palilia fœno.

Flammantis. Flammare, ardere. Lucretius lib. 1. *Flammantia mœnia mundi*. Catullus Carm. 63. *Flammati Phaëthontis*. PASS. Non semel *dapes* & *pedes* commutarunt. in Colbertino Tibulli codice, 2, 11, 8. Sic scribitur: *Figinus adstabat quum scyphus ante pedes*. quum verum sit *ante dapes*. Pomponius Placenta: *Rustici edunt Libenter pedibus tristis atros intybos*. ita quidem apud Nonium legitur in *intyba*: ubi recte *dapibus* emendavit Mercerus. BROUKH.

v. 79. ROMULUS EXCUBIAS DECREVIT IN OTIA SOLVI] Donatus in Andriam: *Decernere est de magnis rebus certam proferre sententiam: unde decretum senatus*. Idem in Hecyram: *Decreverim, statuerim & defixerim*. vide Nonium in *Decernere*, constituere, definire, & dimicare. Jussit, inquit, ut in otia solverentur excubitores & vigiles, quietique indulgerent, quia festi dies requiem habent & litium & jurgiorum, & operum ac laborum. *Solvi in*. Virgilius 4. Æneid. *Solvitur in somnos*. & 4. Georg. *Nec corpora segnes In Venerem solvunt*. Negotio astringimur, solvimur otio. Cicero 2. de Orat. *soluta opere oves*. Horatius: *Cum famulis operum solutis*. *Excubias*, pro, excubitores, ut custodia pro custodibus. Quid excubiæ, dixi ad Eleg. 16. lib. 1. v. 12. PASS.

v. 80. ATQUE INTERMISSA CASTRA SILERE TUBA] Silentium esse in castris. Festus: *Silere, tacere, ab S litera silentii nota*. Est & verbum augurale. *Silent castra*, ut *nox* Virgilio, & *Tacet ager*, & *Silent æquora*. Isidorus lib. 13. cap. 10. in *Tenebræ*: *Ubi sonus non est, silentium dicitur*. Cornelius

Fron-

Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem.
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius, festoque remissus.
Nec mora, vocales occupat ense canes.

Omnia

Frooto: *Silet cujus loquentis sermo comprimitur, ab ipsa significatione litera S: tacet, qui ne loqui quidem cœpit. Intermissâ tubâ*, ad tempus omisso, & dilato clangore tubarum, quibus distingui solitas vigilias supra notavi ad versum illum:

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

Remissas autem significat excubias ob diem festum. Lucanus lib. 7.

Ne rumpite somnos,
Castrorum vigiles, nullas tuba verberet aures.

Intermittere, ad tempus relinquere. Varro 4. de L. L. *Ager qui intermittitur, a novando novalis*. Horatius Ode 1. lib. 4. *Intermissa Venus diu*. Cicero: *Intermittere diem, tempus, studia, litteras, consuetudinem, ludos*. PASS. Papinius L. 7. Theb. *Dum castra silent, suspensaque bellum Horrescit pietas*. id exponit vetus Scholiastes Barthii, *nondum nos oppugnant*. Erant itaque induciæ, secundum Nostrum, Romanos inter ac Sabinos. quod nescio an alibi legas. BROUKH.

v. 81. HOC TARPEJA SUUM TEMPUS RATA, CONVENIT HOSTEM] Quum existimasset oblatam sibi εὐκαιρίαν, id est, idoneam occasionem proditionis, adit & alloquitur Tatium. Festus: *Ratus sum, putavi, aliaqui pro certo & firmo*. *Suum*, sibi commodum. Sic Horatius Epodo 9. *Ventis iturus non suis*. Ovidius 4. Metam. *Vota suos habuere deos*. Cicero pro Quintio: *Alphenus utebatur populo non suo*. Virgilius 12. Æn.

Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem.

Convenit hostem. Donatus in Eun. *Convenisse, non vidisse tantum, sed & allocutum esse significat*. Festus in *Conventa*: *Conventa conditio dicebatur, quum primus sermo de nuptiis, & earum conditione habebatur*. PASS.

v. 82. PACTA LIGAT, PACTIS IPSA FUTURA COMES] *Pacta, quæ dicta & promissa*, inquit Nonius, *ut sperata, antequam pacta esse*. Virgilius 7. Æneid. *Gremiis abducere pactas*. usurpat itaque Noster verba prisci juris Romani, & ei rei propria, quum ait *Convenit hostem*. *Pacta ligat*. Duplex pactum firmat, unum connubii, alterum armillarum; de quo Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinos,
Ut premerent sacræ virginis arma caput.

Ligat pacta, conventiones firmat, & sancit leges proditionis. Pactum, *duorum pluriumve in idem placitum & consensus*. Ulpianus L. 1. de pactis. a pago, sive pango, statuo. unde *Pangi vites* & arbores dicuntur. *Ligat*; ut Eleg. 20. lib. 3. *sua constringit pignora signo*. Inde *Obligatio* Jurisconsultis, quæ & *juris vinculum* interdum dicitur. *Pactis*, ambigue: vel septimo casu, secundum pacta: vel tertio casu, quæ pacta & paciscentem sequi mox debebat. Item, *Comes*, vel socia tori, vel quæ in Sabinos simul iret. *Comes*, cum tertio casu; ut Eleg. 16. lib. 3. *Exclusis fit comes ipsa Venus*. PASS.

v. 83. MONS ERAT ADSCENSU DUBIUS, FESTOQUE REMISSUS.] Ovidius 1. Fast.

Utque levis custos armillis capta Sabinis
Ad summæ Tatium duxerat arcis iter:
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles & fora clivus erat.

Sic supra, asperum & lubricum significavit collem Tarpejum v. 48. & 49. *Dubius adscensu*, difficilis & periculosus. ita Cicero, Virgilius, Horatius *Res & tempora dubia* vocant: & *Rem incertam* Ennius pro adversa dixit. *Remissus festo*; cujus ob festum remissior & negligentior erat custodia, quia in otia soluti vigiles. Cicero in Catilinam: *Sim remissiores esse volumus*, id est, solutiores. Et pro Murena: *Remissior in petenda*. Horatius Ode 27. lib. 3. dixit: *Remisso arcu*; pro, laxo. PASS. *Festoque remissus*. Livius lib. 5. Hist. *Anxur in Volscis brevi receptum est, neglectis die festo custodiis urbis*. Hunc versum & sequentem frustra quæras in Editione principe A. 1472. sed fortasse

typo-

Omnia præbebant somnos. sed Juppiter unus
Decrevit pœnis invigilare suis.
Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem:
Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.

At

typothetarum negligentia omissi sunt: quod non raro accidit. VULP.

v. 84. NEC MORA, VOCALES OCCUPAT ENSE CANES.] Ac statim invadit, ac jugulat canes. Occupare est aggredi & perimere. ut Eleg. 11. lib. 4. *Votis occupat ante ratis*. Ovidius 1. Fast.

Occupat Alcides; adductaque clava trinodis,
Ter quater adversi sedit in ore viri.

& 4. Fast.

Nec mora, transiliit: rutro Celer occupat ausum.
Ille premit duram sanguinolentus humum.

Martialis lib. 3. Epigr. 71. dixit, *Ferro occupare*, ut hic, *Ense*:

Occupat hunc ferro rusticus atque secat.

Livius lib. 35. *Qui occupasset occidere eum, totius rei gratiam laturum*. Q. Curtius l. 8. *Quum aprum solo occupasset, quem rex ferire destinaverat*. & lib. 9. *Jussit quatuor admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram*. Plautus Asin. 4, 2. *Quam quidem, nisi te occupassit, afflixe scio*. Terentius Andria: *Mors ipsam occupat*. *Ense*. Isidorus ensem a gladio distinguit, quod ensis ferrum solum; gladius & ferrum & capulus. *Canes*, qui etiam tunc alebantur in Capitolio, ut significarent si fures venissent: Cicero pro Sex. Roscio. De iis Livius lib. 5. Plinius autem lib. 29. H. N. cap. 4. *Eadem de caussa* (ob remissam Capitolii custodiam obsidentibus Gallis) *supplicia annua canes pendunt, inter ædem Juventatis & Summani vivi in furca, sambucea arbore fixi*. Legendus & Plutarchus de Fortuna Romanorum. *Vocales*, clamosos, acri voce & latratu. ut Eleg. ult. lib. 2. *Vocalis Arion*. Alludit autem ad etymon canis. Varro 4. de L. L. *Canis dictus, quia canit, & ut signum signa voce dat*. Inde *Nictaculus*: ibidem. & *Nictare* Festo. PASS.

v. 85. OMNIA PRÆBEBANT SOMNOS. SED JUPPITER UNUS DECREVIT PŒNIS INVIGILARE SUIS] *Omnia*, locus, tempus, epulæ, lassitudo. *Præbebant somnos*. Sic Virgilius 4. Æneid. *Dat somnos, adimitque*. Ovidius 5. Fast.

Nox ubi jam media est, somnumque silentia præbent.

& 3. Fast.

In stipula placidi capiebant munera somni.

Homerus Odyss. π. Καὶ ὕπνος ἄωρος ἵκοιτο. *Sed Juppiter unus*, Tarpejus pater. nam Ζεὺς πίστιος odit proditores. *Decrevit*, constituit. *Invigilare*; in statione manere dixit Ovidius 2. Fast.

Dent tibi cælestes, quos tu cælestibus annos,
Proque tua maneant in statione domo.

Pacuvius: *Pro imperio vestro sic Salisubsulus excubet*. De vigiliis & dormitationibus deorum legendus Arnobius. *Invigilare*, cum tertio casu. Sic Virgilius 9. Æneid. *Venatu invigilant pueri*. Cicero Philipp. 14. *Invigilare reipublicæ*. Sic Horatius dixit: *Indormire nobilibus*, & *saccis*. *Invigilare suis pœnis*, excubare, ut te ulcisceretur. PASS. Broukhusius excudi curavit, *pœnis i. suis*. nimirum quæ ipsi Jovi debebantur: sumendo supplicio de Tarpeja proditrice. felix conjectura. VULP.

v. 87. PRODIDERAT PORTÆQUE FIDEM, PATRIAMQUE JACENTEM] Per proditionem hosti reseraverat portam Capitolii suæ fidei (vel patris) & custodiæ mandatam. *Fidem*, pro tutela. ut: *Dianæ sumus in fide*. supra dixit: *Limina capta Jovis*. & El. 19. lib. 3.

Nise, tuas portas fraude reclusit amor.

Prodere fidem dixit etiam Sallustius in Catilin. *Sed ea sæpe fidem prodiderat, creditum abjuraverat*. Cicero in Lucullo: *Prodere officium aut fidem*. Virgilius 4. Æneid. *Prodere conjugium*. Sic dicitur & *Prodere dogma* & *decretum*. Cicero. Hanc portam autem ab ipsa Junone reseratam narrat Ovidius 1. Fast.

Et jam contigerat portam, Saturnia cujus
Dempserat oppositas insidiosa seras.

Patriamque jacentem, urbem & cives somno vinoque sepultos. PASS. *Prodiderat portæque fidem*.

At Tatius (neque enim ſceleri dedit hoſtis honorem)
Nube, ait, & regni ſcande cubile mei.

Dixit,

fidem. clanculum ac furtive aperuerat, nullo ſtrepitu, ita ut nemo ſentiret. quod deinceps ne fieri poſſet, a patribus proviſum fuit. Servius ad L. 1. Æn. v. 453. *Cautum fuerat, poſt proditum hoſtibus a Tarpeja virgine Capitolium, ut ærei cardines fierent, quo ſtridor poſſit aperta oſtia omnibus indicare*. BROUKH.

v. 88. NUBENDIQUE PETIT, QUEM VELIT IPSA, DIEM] *Petere diem*, ut Cicero in Verrem: *Inquirendi diem poſtulare*. Nuptiis autem certus dicebatur & conſtituebatur dies. quia vero addit, *Quem velit ipſa*: ſatis improbe petiiſſe diem oſtendit, quum id arbitrii paterni eſſet, non ſui. Sic El. 19. lib. 3.

Hanc igitur dotem virgo deſponderat hoſti.

quum puellæ non ſit ſpondere dotem. De conſenſu patris, Juriſconſulti L. *Aulus*. L. *Si ita pater* 10. *de ritu nuptiarum*. PASS.

v. 89. AT TATIUS (NEQUE ENIM SCELERI DEDIT HOSTIS HONOREM)] Sic Elegia 2. ſup. v. 47, 49, 61. *Neque enim*, ſervit parentheſi, ut Eleg. 13. lib. 3.

Certa loquor, ſed nulla fides (neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.)

Ovidius 3. Metam.

At pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam
Facta dei feciſſe deo) pro lumine adempto
Scire futura dedit.

Hoſtis non dedit honorem ſceleri. proditionem ſceleſtam & nefariam afficere præmio noluit. Honos, τιμὴ, præmium, vel merces. Virgilius 1. Æneid. *Hic pietatis honos?* & 5. Æneid.

Ipſis præcipue ductoribus addit honorem.

vide Nonium in *Honor*. *Dare honorem*. ut Eleg. 2. ſup. *Operi non datur ullus honos*. Locus ſimilis de inviſa proditione etiam hoſtibus Eleg. 19. lib. 3.

Non tamen immerito Minos ſedet arbiter Orci.
Victor erat quamvis, æquus in hoſte fuit.

vide Ovidium 8. Metam. Sic Laſthenes proditor Olynthi, & Timolaus Thebarum, ante proditionem vocabantur amici Philippi; poſtea inviſi, pulſique ac vexati ab eodem. Auguſtus de Thracum rege gloriante proditum a ſe Antonium: *Proditionem amo, proditorem non laudo*. Q. Curtius lib. 8. de Indis, qui Erycem ducem ſuum interfecerant, & caput ac arma ejus ad Alexandrum detulerant: *Facto*, inquit, *impunitatem dedit, honorem denegavit exemplo*. Vide adagium: *Cilliconis exitium*. & Eraſmum in Apophtheg. 657. & 46. PASS. Livius lib. 1. de hac eadem virgine ita ſcribit: *Accepti obrutam armis necavere: ſeu ut vi capta potius arx videretur, ſeu prodendi exempli cauſſâ, ne quid uſquam fidum proditori eſſet*. VULP.

v. 90. NUBE, AIT, ET REGNI SCANDE CUBILE MEI] κατὰ μυκτηρισμόν. hoc ſchema dicitur Chariſio lib. 4. per deriſionem. ut Virgilius 4. Æneid.

I ſequere Italiam ventis, pete regna per undas.

& 12. Æneid.

En agros, & quam bello, Trojane, petiſti
Heſperiam metire jacens.

Ovidius 3. Metam.

Nunc tibi me poſito viſam velamine narres,
Si poteris narrare, licet.

Scande cubile, conſcende lectum meum, ut mecum quaſi uxor jaceas. Varro 4. de L. L. *Quia ſimplici ſcanſione ſcandebant in lectum non altum, ſcabellum; in altiorem, ſcamnum*. Virgilius 12. Æneid.

Quæcumque Latino
Magnanimi Jovis ingratum aſcendêre cubile.

Ovidius 2. Faſt. de Fauno inſidiante Omphale:

Aſcendit, ſpondaque ſibi propiore recumbit.

Inde Græcis: βατήριον λέχος, cubile ſcanſorium. Phocylides:

Μηδ' ἀλόχοις ζώοις βατήριον ἐς λέχος ἐλθεῖν.

Atque ita locuti ſunt Homerus 9. Iliad. Heſiodus in Ergis, Theocritus in Encomio Ptolemæi. *Regni mei*, meum qui rex ſum. cubile regium. ut Virgilius 8. Æneid. *Regnique coronam*. *Regnum* ſumitur pro rege, ut *hoſpitium* pro hoſpite, *conjugium* pro conjuge, *ſervitium* pro ſervis. Sic *regna*

Dixit, & ingestis comitum superobruit armis.
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustæ præmia sortis habes.

ELE-

pro regina posuit Albinovanus in Carm. ad Liviam v. 375. PASS.

v. 91. DIXIT, ET INGESTIS COMITUM SUPEROBRUIT ARMIS] τὸ *Super* vel jungi potest cum *Ingestis* per anastrophen: Superingestis. ita Plinius lib. 18. H. N. c. 30. *Sunt qui acervos leguminum super ingerant*. vel *Superobruit*; ut Appulejus lib. 1. A. A. *At ego de alio decidens Socratem superruo*. *Ingestis armis*: acervatim conjectis in eam clypeis; ingerimus enim nocitura. ut in Andria Terentii, Pseudolo Plauti, [Elegia 5. lib. 2. Tibulli,] *Ingerere mala*. Horatius Sat. 5. lib. 1. *Pueris convicia nautæ Ingerere*. Virgilius 9. Æneid. *Raptas fugientibus ingerit hastas*. Sic Livius *Ingerere saxa & tela* dixit. Hac de re Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas,
Ut premerent sacræ virginis arma caput.

& 14. Metam.

Arcisque viâ Tarpeja reclusâ,
Dignâ animam pœnâ congestis exuit armis.

Livius lib. 1. *Sp. Tarpeius Romanæ præerat arci. Hujus filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in arcem accipiat. aquam forte ea tum sacris extra mœnia petitum ierat. Accepti obrutam armis necavere: seu ut vi capta potius arx videretur, seu prodendi exempli caussâ, ne quid usquam fidum proditori esset. Additur fabulæ (quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo, gemmatosque magna specie anulos habuerint) pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent; eo scuta illi pro aureis donis congesta. Sunt qui eam ex pacto tradendi quod in sinistris manibus esset, derecto arma petisse dicant: & fraude visam agere, sua ipsam peremtam mercede. Armis*, scutis quæ ab armia dependerent. PASS. Ita rem exhibet nummus L. Tituri. Plutarchus autem, in Romulo, tradit Tatium jussisse suis, ut conventorum memores, quæ sinistris ferrent, omnia congererent in illam. ipsum ante alios detraxisse manui armillam, unaque cum hac scutum ei injecisse. Quum idem facerent omnes, auro illam injecto scutisque obrutam esse, & numero ac pondere oppressam, digna proditionis mercede. Haud absimile est exemplum, quod refert Parthenius Nicæensis Erot. C. 21. Achillem enim Methymnam Lesbi obsidentem, quum ei acriter resisterent incolæ, fuisse consilii inopem, ac de urbe capienda desperasse ait. ibi tum Pisidicem, regis Methymnæorum filiam, Achillem de muro conspexisse, & mox, amore incensam, misisse ad eum nutricem, quæ polliceretur traditturam se illi urbem, si quidem ipsam vellit habere pro uxore. id promisisse Achillem. postquam vero urbem in suam potestatem redegisset, commotum indignitate facti, exhortatum fuisse milites, ut puellam lapidibus obruerent. Parem deinde historiam de Cyro ac Nanide Crœsi filia subnectit capite insequente. De Scylla & Minoë omnia sunt nota. BROUKH. *Ingestis armis*. nomine *armorum* Latinos scuta plerumque significare solitos, dixi ad Tibullum Eleg. 4. lib. 1. v. 51. Lege Florum l. 1. H. R. cap. 1. ac Valerium Maximum l. 9. cap. 6. VULP.

v. 92. HÆC, VIRGO, OFFICIIS DOS ERAT APTA TUIS] Optime conveniebat, o puella Tarpeja, tuis obsequiis cum probro. *Apta*, in deteriorem partem, ut Eleg. 11. lib. 3. *Dolis aptissima tellus*. *Officiis*; nam officium sæpe in obscœnis, ut not. ad Eleg. 21. lib. 2. v. 24. PASS. *Officiis*, ἐρωτικῶς. nihil enim magis contra officium. VULP.

v. 93. A DUCE TARPEJO MONS EST COGNOMEN ADEPTUS] Sp. Tarpejus virginis pater arci præfectus erat: sed non ideo dux appellatur. Quare legendum puto:

A duce Tarpeja mons est cognomen adeptus.

Nam omnes uno consentiunt ore ab ea montem Tarpejum dictum, ut not. ad v. 1. hujus Elegiæ. quia ea dux Tatio fuit. Ovidius 1. Fast.

Utque

Utque levis custos armillis capta Sabinis
Ad summæ Tatium duxerat arcis iter.

Mons, nempe Saturnius, dein Capitolinus. *Adeptus est cognomen*, assecutos nomen, quia moos Tarpejus, sive saxum Tarpejum, sive rupes Tarpeja dicta. Et hoc est quod dixit Eleg. 1. sup.

Sacra diesque canam, & cognomina prisca locorum.

ubi pariter cognomen pro nomine ponitur, ut hic. Vide Plutarchum in Coriolano de nomine & cognomine. PASS. Non est hic silentio prætereunda viri docti, eloquentis, mihique amicissimi de vera hujus loci lectione conjectura, quam ego quidem valde probo. Is est ANDAEAS BASSANUS, Canonicus Concordiensis, cui legendum videtur in hoc versiculo

A nece Tarpejæ mons est cognomen adeptus.

propter eas caussas quas duabus elegantibus Epistolis ad me datis ipse attolit & explicavit. Hæc enim lectio quum historiæ convenit, & argumento Elegiæ, tum minime abit a ductu litterarum quem præferunt vulgati codices: pauca scilicet elementa mutantur, atque ita scriptum a Propertio, credibile admodum est. Duas illas Epistolas, una eom mea responsione ad priorem, legetis paullo post qui nostro poeta delectamini. VULP.

v. 94. O VIGIL, INJUSTÆ PRÆMIA SORTIS HABES] Quem alloquitur? an Jovem ipsum, de quo dixit:

Sed Juppiter unus
Decrevit pœnis invigilare tuis?

Et ita *habes præmia*, sumsisti pœnas de Tarpeja templi tui proditrice, iniqua sorte & conditione. An vigiles Romanos alloquitur, quibus proditis solatio est pœna proditricis? & injustam sortem vigilum vocat, qui non bene sortiti erant vigilias? nam eæ sorti permittebantur. Virgilius 9. Æn.

Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.

An ad ipsam Tarpejam dirigitur sermo, quæ vigilem servabat ignem, & cujus custos erat? Ovidius 2. Fast. *levem custodem* vocat. ut ejus iniquam sortem appellet, quod ita obruta. Sic Virgilius 12. Æneid. *Turni sortem miseratur iniquam*. Et ita *habes præmia*, id est, repensus est honos tibi mortuæ, quia de nomine tuo mons dictus, unde tibi perennis fama. Sic Ovidius 2. Fast.

Ille loco nomen fecit, locus ipse Lupercis.

Magna dati nutrix præmia lactis habet.

τὸ *Præmia* ambigue. Virgilius 12. Æneid. *Hæc præmia, qui me Ferro ausi tentare, ferant*. Sic *pretium* Terentio & Virgilio. & supra *Honor*. Obscurus sane hic locus. PASS. Admodum hic æstuat Passeratius, fassus tandem, locum esse valde obscurum. ceteri nihil adtulerunt. mihi videtur sermo esse de canibus Capitolii custodibus, quos Tarpeja omnes ferro necaverat, ne hostem proderent latratu. id sane canibus tum quidem nequiter expetivit: quamquam pejore etiam sorte fuerunt post Urbem a Gallis Senonibus direptam, defensumque a Manlio Capitolium. Plinius L. 29. C. 4. *De anserum honore, quem meruere Gallorum in Capitolium ascensu deprehenso, diximus. Eadem de caussa supplicia annua canes pendunt inter ædem Juventatis & Summani, vivi in furca sambucea arbore fixi*. Servius ad L. 8. Æn. v. 652. *Manlius custos Capitolii Gallos detrusit ex arce, clangore anseris excitatus, quem privatus quidam dono Junoni dederat. Qua caussa postea eo die, quo hoc factum est, canes, qui tunc dormientes non senserant, cruci suffigebantur: anseres auro & purpura exornati in lecticis gestabantur*. Dices, Quid ista canum contumelia ad canes Tarpejæ? nihil sane. Videtur tamen Noster duas istas historias confudisse, & canum annua supplicia ex ipsis Urbis primordiis deduxisse; quæ instituta demum fuerunt post celebre illud facinus M. Manlii Capitolini. Pari certe errore poeta Simulus (cujus versus nobis Plutarchus servavit in Vita Romuli) Tarpejam non Sabinis, sed Gallis prodidisse Capitolium, in literas misit. & Noster, paullo altius, Scyllarum duarum historias uno disticho commiscuit. Hæc ego sic mecum cogitabam, non ut pro certis adstruerem, sed ut elicerem meliores doctiorum hominum sententias. si tamen ad has minutias descendere dignabuntur quidam eruditionis non minus profundæ, quam fuit olim Democriti puteus, in quo latere Veritas credebatur. BROUKH. Propertius Tarpejam alloquitur, ejusque *sortem injustam* vocat, quod videlicet a quovis alio po-

potius punienda fuerit, quam a Tatio, de quo erat optime merita. Locus Ovidii pulcherrimus ex 8. Metam. v. 125. ubi Scyllam patris ac patriæ proditricem inducit de Minoë conquerentem, mirum in modum huic explicationi favet:

Exige pœnas,
Nise pater. gaudete malis mede prodita nostris
Mœnia: nam fateor, merui, & sum digna perire.
Me tamen ex illis aliquis quos impia læsi,
Me perimat. cur, qui vicisti crimine nostro,
Insequeris crimen? scelus hoc patriæque patrique,
Officium tibi sit. VULP.

VIRO CLARISSIMO

JOANNI ANTONIO VULPIO

in Publico Patavino Gymnasio egregio Humanitatis Professori

ANDREAS BASSANUS

CANONICUS CONCORDIENSIS FELICITATEM.

VIX credas, Vir Clarissime, quam mihi hæreat in animo atque adeo in oculis illa tui majestas oris, comitas illa affabilitasque sermonis ex illâ die, quâ te, non tam purgandi mei, quam tui visendi gratiâ, conveni. Quæ enim humanitas tanta, quæ facilitas & benevolentia in ullo umquam fuit, ut cum illâ, quâ me excepisti, conferri ex æquo possit? Itaque mihi fidem habeas velim rite sancteque affirmanti, ex eo temporis articulo mihi me cariorem esse cœpisse. Quod quin tibi per litteras significarem, temperare ipse mihi non potui, ex Vicetinâ peregrinatione vix domum reverso. Quid quæris? incedo omnibus lætitiis. Profecto

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Quum caderent magnæ Laomedontis opes,

ut ait Poeta ille tuus, quem novo, eoque luculentissimo, Commentario a te summo studio summaque reconditæ eruditionis copia, ne Catullo & Tibullo, unanimis ejus Sociis, pudori esset, ornatum & illustratum, mihi inspiciendum peramanter dedisti; quemadmodum ego gestio, exsulto & plane triumpho, quod meam rectam, simplicem & fidelem purgationem acceperis, meque in tuam gratiam & clientelam liberalissime susceperis. Verum, ut aliud ex alio, Propertii carmina modo allata mihi locum ejusdem Poetæ nunc ipsum in mentem revocant cujus ego lectionem, ut quidem hactenus habent edita exemplaria, minime probo. Ne gravere locum, Vir humanissime, mecum tantisper expendere. Is est in Eleg. 4. Libri 4. ubi Poeta, postquam fabulam Tarpejæ docte admodum & eleganter narravit, eam hisce versibus, quos omnes editi libri adhuc præ se ferunt, claudit:

A Duce Tarpejo mons est cognomen adeptus,
O Vigil, injustæ præmia sortis habes.

Mihi vero videtur, perperam hic Ducis Tarpeji mentio fieri, cum de eo in totâ fabulâ verbum nullum. Quid? Tarpeja, Virgo Vestalis, aquam forte sacris extra mœnia petitum ierat. videt *arcuosis Tatium proludere campis*, ejusque statim pulchritudine ac dignitate capitur. quibus modis male optatas nuptias demereri sibi possit, dies noctesque cogitat. tandem arcis proditionem ad eam rem quam parabat, aptissimam judicat. nec mora: *Convenit hostem, Pacta ligat, pactis ipsa futura comes*. At Tatius, proditionem ipsamque proditionis artificem aversatus, *ingestis* nihil tale exspectantem *superobruit armis*. *A Duce* igitur *Tarpejo mons est cognomen adeptus*. Hui! Aut ego vehementer erro, aut Dux iste Tarpejus

jus habitat hìc dolo malo. Quid illud? neminem alium scriptorem, nisi qui rem aliter narrant, montem hunc a Tarpejo dictum contendere, præter unum Propertium? Sane Verrius Flaccus, vel qui eum potius in compendium redegit, Festus, ut omittam reliquos: *Tarpejum appellatum ajunt partem montis, qui ob sepultam Tarpejam ibi virginem, quæ eum montem Sabinis prodere pacta erat, ita nominatus est. Vel ab eo, quod quidam, nomine Lucius* (alius nempe a Spurio, de quo Livius) *Tarpejus, Romulo Regi eum propter raptas virgines adversaretur, in ea parte quâ saxum est, de noxia pœna sumta*. Atque hisce de caussis, Vir Cl. vulgo receptam lectionem, Propertii non esse fidenter dixerim. Quænam igitur vera lectio? Veram deus aliquis fortasse dederit; si probabilem veræque similem quæris, accipe. Ita enim ego legendum conjicio, minimâ mutatione factâ: utinam Codice aliquo non abnuente! aut saltem te omnino non improbante!

A uece Tarpeia mons est cognomen adeptus.

Quam porro conjecturam probabiliorem reddit, siquid video, versiculus etiam ultimus qui mox subsequitur:

O Vigil, injustæ præmia sortis habes,

quo Tarpejam Vestalem, fraude necatam, Poeta statim alloquitur. Equidem timide de hujusmodi rebus apud te, Virum doctissimum, &, ut cum Theocrito loquar, τὸν μαίσαις φίλον ἄνδρα, verba facio; sed tu, pro sapientiâ tuâ, homini, plus æquo fortasse confidenti, modestiæ impatientem discendi cupiditatem facile ignosces. Vale.

Portusgruarii, Cal. Octobribus 1752.

JOANNES ANTONIUS VULPIUS
ANDREÆ BASSANO,
CANONICO CONCORDIENSI, VIRO CLARISSIMO,
S. P. D.

ACCEPI *litteras tuas, humanitatis, officii, elegantiæ, doctrinæque plenissimas; quibus cave existimes quidquam contineri, aut Latinum magis fieri posse. Incredibile propterea est, quantam ex iis voluptatem hauserim, & quantopere huic sæculo, atque Italiæ universæ novum hoc lumen sim gratulatus: mirifice enim gaudere soleo, quum in aliquem intueor strenuum, et magno animo, qui eo jam pervenerit, quo ipse, propter ingenii tarditatem, ne aspirare quidem possum. De responsione cogitabam: sed multa rei familiaris negotia, molesta nimis & importuna, quibuscum assidue conflictor, impedimento fuerunt. Propertii locum, quem tu aliter legendum putas quam vulgo legatur, diligenter consideravi: neque a tua sententia longe abhorreo; argumentis enim rem conficere mihi videris. Et quamvis codicibus non addicentibus nihil in bonis auctoribus immutari oportere censeam; pollicenor tamen, me de hac conjectura tua in Commentariis ad eum locum honorifice verba facturum; digna enim profecto est cujus ratio habeatur. Noli mirari epistolæ brevitatem: laborem scilicet scribendi ætas mea jam ingravescens identidem ferre non potest. Animo saltem prolixo & libenti scribo, teque Virum ingenio excellenti, variâ doctrinâ, candidis moribus, benevolentia complector. Vale.*

Patavii X. Cal. Novembris CIↃIↃCCLII.

ANDREAS BASSANUS
JOANNI ANTONIO VULPIO
S. P. D.

QUAM difficultatem, dum a te discederem, V. C. de Propertii illo versiculo: *O Vigil, injustæ præmia sortis habes:* mihi movisti, eam in itinere, quod Benedicti XIV. P. M. jussu in hanc urbem, ad studiorum moderationem in hoc Seminario & Collegio capiendam, suscepi, serio diuque sum meditatus. Cum multa, ut fit, cogitanti occurrerent, eaque præsertim quæ non solum ut vero propiora, sed etiam ut certa & inconcussa, jam tum cum de illâ meâ superioris versiculi conjecturâ ad te scriberem, animo insederant; demum post multas longasque commentationes singula mihi perpendenti, atque omnia rejicienti, aliqua cœpit veritatis, quasi inter tenebras, e longinquo lux affulgere, quæ sensim clarior propiorque facta omnem, aut ego valde fallor, sustulit obscuritatem. *Dicite Io Pæan, & Io bis dicite Pæan:* libet vero jam canere, quasi præclarâ aliquâ partâ victoriâ. Patere igitur, Vir doctissime, ut totum hoc, quidquid est, qualecumque est, ad te, velut ad supremum harum rerum æstimatorem & judicem, uti consuevi aliàs facere, dispiciendum dirimendumque adducam. Quod quidem eo etiam libentius facio, quod, utcumque tandem casura res sit, utrinque certum mihi paratum est lucrum. Si enim respueris, nos errore liberabimur: si probaveris, erit quod nobis haud inaniter gaudeamus. Sed illud in primis animadvertere libet, novâ hac & a nemine, quod sciam, antea excogitatâ interpretatione illam alteram *de nece Tarpejæ* conjecturam mirifice confirmari, illamque huic, quasi cereum, prælucere; ita alia aliam quodammodo parit, mutuoque ambæ vinculo inter se consociantur. Lego itaque constantissime locum Poetæ hoc modo: *A nece Tarpejæ mons est cognomen adeptus. O Vigil, injustæ præmia sortis habes:* atque ita fidenter interpretor: „ Tarpejus „ mons a Tarpejâ virgine, quæ a Tatii „ milite ob proditionem arcis factam necata „ fuit, ita appellatus est. O virgo Tar„ peja, præclare nimis tecum actum est, „ cum a te mons hic cognomen accepit. „ *Habes* scilicet *præmia sortis injustæ*. Inde„ re enim nomina locis, urbibus, flumi„ nibus aliisque rebus, eorum tantummodo „ est qui magnum aliquod & memorabile „ facinus perpetrarunt. Tibi vero quæ sce„ lus immane & flagitium turpissimum ad„ misisti, non hic certe honos debebatur. „ Habes igitur a fortuna quæ nullam sce„ leris tui rationem inique habuit, præ„ mia injusta & indebita. Virtuti enim, „ inquam, hujusmodi præmia & honores „ debentur, non sceleri. „ Hanc porro hujus esse versiculi sententiam ut sine hæsitatione crederem, fecit etiam versiculus ille alter, cui hic noster ex æquo respondet. Positâ enim nobis ob oculos morte a Tatii militibus Tarpejæ illatâ, Poeta calculo suo eam statim adprobat, dignamque virginem fuisse exclamat, quæ talibus indignis periret modis: ex personâ suâ scilicet inquiens: *Hæc, Virgo, officiis dos erat apta tuis.* Quemadmodum igitur hoc versiculo gaudet Poeta, talem virgini mortem obtigisse; ita altero dolet, adeo eam, licet injuriâ, fortunatam fuisse, ut ab illius nece mons cognomen adeptus fuerit. Quantopere cupiam, quid tu, Vir eruditissime, de hac interpretatione sentias, noli exspectare dum dicam. bene nosti, ut certe nosti, quanti ego te faciam, quantumque tibi in litteris jure tribuam, & quam ego etiam sim a tui similibus discendi cupidus, facile ipse per te, vel me tacente, conjicies. Quapropter rogandus, puto, non es, ut, quam primum per gravissimas occupationes tuas licebit, suavissimis & elegantissimis litteris de hac re totâ, quam ego tamquam ex tripode accipiam, sententiam feras. Vale, o clarum Italiæ decus, meque in ære tuo esse, & futurum perpetuo, scias.

Ex Montefiscone XII. Cal. Mart. 1753.

Argu-

ELEGIA V.

TErra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim:

Nec

ARGUMENTUM ELEGIÆ V. LIBRI IV.] Veneficam devovet, quæ puellam suam artibus meretriciis instruxerat. VULP.

v. 1. TERRA TUUM SPINIS OBDUCAT, LENA, SEPULCRUM] Terræ numen lenæ quodam modo imprecatur; quamvis id negat Plinius lib. 2. H. N. cap. 63. fieri debere; quod ea sola sit quæ numquam irascatur homini. Suetonius tamen in Tiberio cap. 75. *Pars terram matrem deosque manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent. Obducat*, tegat: Nonius. Virgilius Ecloga 1.

Limosoque palus obducat pascua junco.

Noster Eleg. 16. lib. 3. *Obductis committam mene tenebris?* Terra obducat sepulcrum, propria. Cicero 2. de Legib. *Redditur terræ corpus, & ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur.* Quod ait *Spinis*, Cicero 5. Tusc. gloriatur, *Se indagasse sepulcrum Archimedis septum undique ac vestitum vepribus ac dumetis.* Sic infra imprecatur illi caprificum. & Eleg. 7. infra Cynthia ait: *Pelle hederam tumulo. Lena. Lena* & *leno*, ut Copa, copo; Lea, leo; Dracæna, draco. *Lenones dicti ab alliciendo.* Festus. A deleniendo, & blandiendo: Isidorus lib. 10. Asconius autem in 3. Verrinam: *Lenones scortorum sunt: productores, invitatores personarum.* Cicero 1. de Nat. Deor. in bonam partem: *Natura quasi sui lena, & blanda conciliatrix.* Ulpianus L. *Palam. De Ritu Nupt.* Lenas eas esse ait quæ mulieres quæstuarias prostituant, & quæ alterius nomine hoc vitæ genus exercent, & quæ cauponam exercentes corpora quæstuaria habent prætextu instrumenti cauponii. PASS.

v. 2. ET TUA, QUOD NON VIS, SENTIAT UMBRA SITIM] Lenæ sunt anus, quæ naturâ siticulosæ. unde Ovidio lena quædam vocatur *Dipsas* Eleg. 8. lib. 1. ubi sic illi imprecatur:

Dii tibi dent nullosque lares, inopemque senectam,
Et longas hiemes, perpetuamque sitim.

Inde, *Ad armillum redire*, sive *ad armille*; proverbium in anus ebriosas. Appulejus l. 6. & lib. 9. Et *Armillum* Festo, *vas vinarium in sacris*. vide Nonium in *Armillum*. *Sentiat sitim*, cum cruciatu. ut Eleg. 5. l. 1. *Meos sentire furores. Quod non vis*, quod tibi minime placet. P. O lena, sitias æternum apud inferos, quæ nunc tam inlibenter sitis. --- nihil hoc loco mutant libri: tamen istud *quod non vis* nescio quo modo suspectum est mihi. ex literarum vestigiis, & ductu, conjici posse videtur, olim scriptum fuisse *quod meruis*. id deinde corruptum in *quod nevis*, concinnavit nobis frigidum istud *quod non vis*. quare vix est ut dubitem locum fore sanum, si legeris, pauxilla immutatione,

Et tua, quam meruit, sentiat umbra sitim. BR.

H'Эe; vetulæ vinosæ, ultra obitum ebrietatem producere cupientis. talis anus Plautina, Curcul. 1, 2. cujus hæ sunt ad merum blanditiæ: *Salve anime mi Liberi lepos. ut veteris vetusti cupida sum! Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea est. Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa, Tu crocinum, & casia es, tu bdellium. nam ubi Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.* Optassent alii ossa sua condiri aromatibus, & inspergi floribus: hæc autem femina merobiba & multibiba mavult poculis irrigari. Verba Lucretii huc pertinere possunt L. 3. v. 929.

Tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,
Quod sitis exurat miseros, atque arida torrens. VULP.

v. 3.

Nec sedeant cineri manes, & Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono:
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper avis.

Pene-

v. 3. NEC SEDEANT CINERI MANES, ET CERBERUS ULTOR TURPIA JEJUNO TERREAT OSSA SONO] Manes non in ipso cinere maneant, sed errent, & vagentur perpetuo. nam manes ipsos una cum cinere sepulcro includi credebant. unde Eleg. 13. lib. 2.

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos.

Ovidius 3. Fast.

Terque Vale dixit, cineres ter ad ora relatos
Pressit, & est illis visa subesse soror.

Ideo cineres & manes sæpe conjungit Virgilius, 4. Æneid.

Id cinerem, & manes credis curare sepultos?

Ibidem:

Nec patris Anchisæ cineres manesve revelli.

& 10. Æneid.

Manibus & cineri, si qua est ea cura, remitto.

Sedeant; quia *Sepulcrum portus corporis* Ennio. unde sedes pro sepulcro Virgilio 6. Æneid.

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulcro.

Sedere cum 3. casu; ut Virgilius 2. Æn. *Aris invisa sedebat*. *Et Cerberus*. lege At Cerberus. de Cerbero Eleg. 5. lib. 3.

Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus.

vide illic adnotata. *Terreat*, vulgo enim persuasum erat latratu Cerberi terreri umbras. Virgilius 6. Æneid.

Licet ingens Janitor antro
Æternum latrans exsangues terreat umbras,

Statius Epicedio in Glauciam lib. 2. Silv.

Illum nec terno latravit Cerberus ore.

& 5. Silv. in Abascantii pietate:

Nempe times ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus: tacet ille piis.

& alibi non semel. Martialis Epigr. 35. lib. 5.

Pallida nec nigras horrescat Erotion umbras,
Oraque tartarei prodigiosa canis.

Ossa turpia. deformis anûs ossa. *Jejuno*, acri; ut jejunæ canis sævior latratus. vide Laërtium in Diogene. Horatius Epodo 5. *Ossa ab ore rapta jejunæ canis*. Sic Eleg. 10. *Iratam sitim* dixit, quia sitientes iracundiores. *Sono*, latratu. ut Eleg. 7. infra v. 57.

Tergeminusque canis sic mihi molle sonet.

PASS.

Nec sedeant cineri manes. Putabant scilicet, manes eorum quibus non essent justa persoluta, procul a sepulcro discurrere, nec usquam interquiescere. ideo Æneas apud Virgilium 3. divini poematis, Polydori funus instaurans: *Animamque sepulcro condimus*. Reliquorum vero *mortuorum animas vulgus existimabat circa tumulos & corporum suorum reliquias oberrare*. id tradit Lactantius lib. 2. Div. Instit. cap. 2. Manes & ossa conjungit etiam Livius lib. 31. *Omnia*, inquit, *sepulcra monumentaque diruta esse in finibus, omnium nudatos manes, nullius ossa terrâ tegi*. *Cerberus terreat ossa*, nempe εἴδωλον, imaginem, larvam pessimæ aniculæ apud inferos. harum enim unamquamque ut σκελέτευμα, seu σκελετὸν σῶμα hominis mortui sibi fingebat vulgus. Ovidius in Ibin:

Prosequar & vultus ossea forma tuos.

nempe larva nudis ossibus cohærens. VULP.

v. 5. DOCTA VEL HIPPOLYTUM VENERI MOLLIRE NEGANTEM] Sic Plautus Bacchid. 1, 3. *Namque, ita me dii ament, Lycurgus, ut mihi quidem videtur, posset hic ad nequitiam adducier*. In Carmine Libero: *Sic ut non modo te, Priape, posset, Privignum quoque sed movere Phædræ*. Notus Hippolytus, castissimus juvenis, ex Euripide, & aliis. *Docta*, callida, vafra. Plautus Persa: *Ille doctus leno pæne in foveam decidit*. & in Milite ubique. *Docta mollire*, ut Eleg. 3. lib. 2.

Par Aganippeæ ludere docta lyræ.

Mollire, mollem & facilem reddere amori;

& Ele-

Penelopen quoque neglecto rumore mariti
Nubere lascivo cogeret Antinoo.

Illa

& Elegia superiore : *Vestra meus molliet arma torus* . & Eleg. 22. lib. 2. *Cur sim tam mollis in amore . Vel* , etiam . ut Elegia 28. lib. 2.

Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno .

Hippolytum , castitate insignem , ac pæne osorem mulierum . *Negantem Veneri* , refractarium , nec morem gerere volentem libidini . Lucanus lib. 8.

Cornipedem exhaustum cursu , stimulisque negantem
Magnus agens .

Statius lib. 3. Silv. in Hercule Surrentino :

Præcipuus sed enim labor est exscindere dextrâ
Oppositas rupes , & saxa negantia ferre .

Martialis Epigr. 7. lib. 13.

Si spumet rubrâ conchis tibi pallida testâ ,
Lautorum cœnis sæpe negare potes . PASS.

Hippolytum Venerè negantem . pari locutione Paullinus Nolanus : *Negant Camœnis , nec patent Apollinè Dicata Christo pectora* . BROUKH. *Docta mollire* . Sic Juvenalis Sat. 1.

Doctus spectare lacunar ,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso .
VULP.

v. 6. CONCORDIQUE TORO PESSIMA SEMPER AVIS] Alii libri , pro *Avis* , *anus* , & eam lectionem probat Beroaldus : non ego. nam avis inauspicatissima lena matrimonio & conjugio unanimi . Horatius Ode 15. lib. 1. *Mala ducis avi domum , Quam multo repetet Græcia milite* . & Ode 3. l. 3. *Alite lugubrè* . & Epodo 10. *Malâ soluta navis exit alite* . ἀσπουσίῳ ὄρνιθι dixeris Græce . Vetus poeta apud Ciceronem 1. de Divin. *Solvere imperat secundo rumore , adversaque avi* . Homerus Iliad. ω. Μὴ δέ μοι αὐτὴ Ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι κακὸς πέλευ . verba sunt Priami ad Hecubam dehortantem ne se castris Græcorum committeret redemturus Hectoris cadaver . *Toro concordi* , unanimis conjugibus . Martialis :

Quæ sciet hos illac vendere lena toros .

Concordes & *excordes* a corde ; id est , animo : Cicero 1. Tusc. Ut hic *Toro concordi* , sic aliàs dixit : *Bene convenisne jugum* . PASS.

v. 7. PENELOPEN QUOQUE NEGLECTO RUMORE MARITI NUBERE LASCIVO COGERET ANTINOO] Ut Hippolytum casti viri exemplum , sic Penelopen probæ feminæ profert . Ovidius pariter 1. A. A.

Penelopen ipsam , perstes modo , tempore vinces .

Noster Eleg. 9. lib. 2.

Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere .

vide illic adnotata . Seneca tamen dixit Epist. 89. *Verba dedit seculo suo Penelope* . *Neglecto rumore mariti* . spreta fama quæ de Ulixis reditu spargebatur . An legendum *Maritæ* , vel *Marito* , id est , fama pudicitiæ conjugalis ? Virgilius Æneid. lib. 4. *Neque enim specie famave movetur* . Noster Eleg. 5. lib. 2. dixit , *Contemnat murmura famæ* . *Cogeret* , nempe blanditiis , vel vi carminis magici . ut Eleg. 3. lib. 1.

Neve quis invitam cogeret esse suam .

Nubere , obscœne . ut Eleg. 3. sup. v. 16. *Lascivo Antinoo* , proco illi libidinoso & protervo . Homerus lib. 2. Odyss. Epithei filium facit , & lib. 17. superbum inducit : eum vero lib. 22. primum omnium Ulixes interficit . Ovidius Epist. Penelopes :

Eurymachique avidas , Antinoique manus .
PASS.

Rumor mariti est fama de marito sparsa in vulgus . Cicero L. 3. ad Quintum fr. Ep. 8. *Rumor dictatoris injucundus bonis : mihi etiam magis quæ loquuntur* . rumor de dictatura Pompejo deferenda . Ovidius L. 6. Metam.

Lydia tota fremit : Phrygiæque per oppida facti
Rumor it , & magnum sermonibus occupat orbem .

rumor de Arachne in araneam mutata . Penelope autem procorum nulli omnino nubere volebat , quia rumor erat Ulixem vivere etiamnum , neque in mari periisse . Lucillius , apud Priscianum L. 9.

Nupturam te nupta negas , quia vivere Ulixem
Sperat .

Nubere l. cogeret Antinoo . invidiose auget aniculæ noxiam scientiam , a re scilicet quam nullo modo fieri posse ipse statuebat .

Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis esse noverca suis.
Quippe & Collinas ad fossam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.

Audax

apud Homerum dicit Penelope, omnes sibi procos odio esse atque exsecrationi; Antinoum vero ante omnes: neque se minus reformidare eum, quam nigram mortem, L. 17. Odyss. v. 497. Broukh.

v. 9. Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum] Sic Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Quum libet, hæc tristi depellit nubila cælo:
Quum libet, æstivo convocat orbe nives.

Illa velit, modo id cupiat. & subauditur, Si. Si velit. vide adnotata ad Eleg. 2. sup. v. 37. *Magnes poterit non ducere f.* id est, non ducet ferrum, & vim adferet ipsi naturæ. vide adnotata ad Eleg. 2. sup. v. 6. De magnete, qui & Heraclius lapis, & sideritis dicitur, Lucretius lib. 6.

Quod superest, agere incipiam, quo fœdere fiat
Naturæ, lapis hic ut ferrum ducere possit
Quem magneta vocant patrio de nomine Graji,
Magnetum quod fit patriis in finibus ortus.

Legendi Plato in Timæo, Aristoteles l. 1. de Anima, Plinius lib. 34. H. N. cap. 14. & lib. 36. cap. 16. Idem lib. 37. cap. 4. ait, adamantem, si adsit, non pati ferrum duci a magnete. Ergo & sine vi magica magnes poterit non ducere ferrum. *Non ducere*, ad se non trahere. ut Eleg. 6. lib. 3.

Staminea rhombi ducitur ille rota.

Aliàs legitur; *Inducere*. Sic *Invidere*, pro non videre: Appulejus Apologia; & *Invisus Deus* Arnobio, ἀόρατος. Titinius Barathro apud Charisium lib. 2. *Inauratæ atque inlautæ mulieres*. id est, non auratæ. *Indelicta*: Attius apud Festum in *Probrum*. *Inermare*: *infiteri*: Festus. *Insperate* Ennio, & Eleg. 6. lib. 1. v. 22. *Inarmatæ patriæ*. Pass.

v. 10. Et volucris nidis esse noverca suis] Odisse pullos. suis pullis infesta esse, ut noverca suis privignis solet; nec libenter eos alere. Plinius initio lib. 7. H. N. *Parens melior homini, an tristior noverca fuerit*. Petronius: *Quibus est mea Roma noverca*. *Odium novercale* abiit in proverbium. *Noverca est*, inquit Festus, *quam quis sublatis liberis novam uxorem ducit arcendæ familiæ gratiâ*. Paulus J. C. L. *Adoptivus de Ritu Nupt. Noverca patris est uxor*. *Nidis*, pullis, μετωνυμικῶς. Virgilius 1. Georg.

Juvat imbribus actis
Progeniem parvam, dulcesque revisere nidos.

& 4. Georg.

Ipsasque volantes
Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.

Nonius in *Nidus*, fœtus avium. apud eumdem Varro *Nidum* vocat poculi genus. Pass.

v. 11. Quippe et Collinas ad fossam moverit herbas] *Quippe*; pro, Necnon. Virgilius 1. Georg.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas & jura sinunt,

Moveris, an evulserit manu legendo? an transtulerit voce sola? ut Virgilius 4. Æn. *Descendere montibus ornos*. An legendum *Noveris*, ut scire & tenere dicatur quæ ad fossam sint aptæ herbæ? Sic Tibullus Elegia 2. lib. 1.

Sola tenere malas Medea dicitur herbas.

Collinas herbas, non quæ in collibus nascuntur, ut putat Beroaldus: quem apparet legisse non *fossam*, sed *fontem*, cum quibusdam codd. sed quæ nascuntur ad portam Collinam. ea erat juxta collem Quirinalem. Festus in *Salaria via*, in litura. Ad eam autem portam Vestales incesti compertæ vivæ defodiebantur: Festus in *Sceleratus campus*, & Plutarchus in Numa. iccirco Poeta dicit, *ad fossam*. Ovidius lib. 4. Fast.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet.

templa scilicet Veneris Erycinæ. Sic ad portam Esquilinam Canidia magiam exercet, inquit Scaliger. An *ad fossam* dixit, quia in scrobem devotiones sepulcrales procurabantur, ut apud Appulejum l. 1. A. A?

De

Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et ſua nocturno fallere terga lupo.

De *foſſa magica* Horatius Epodo 5. Sat. 8. lib. 1. An per *collinas herbas*, herboſos colles intelligit, qnos ea in foſſam & vallem traduceret? An *ad foſſam herba*, ut Eleg. 22. lib. 3. *Ad eloquium cives? Collina regio*, & *Collina tribus* a Varrone memoratur lib. 4. de L. L. PASS. Hodie quoque tales aniculæ ſacra fere ſua facere dicuntur circa cruces, & patibula, & ſepulcreta facinoroſorum. ---- De ſcrobe magica hoc accipiendum recte Scaliger monebat. vide Homerom L. 10. Odyſſ. v. 607. & L. 11. v. 24. a quo poetæ omnes hauſerunt. ita etiam expoſuit Delrius L. 2. Diſquiſit. magic. Quæſt. 11. & nunc quoqoe mentio freqoens eſt taliom ſcrobium in quæſtionibus ſagarum. BA. Valeriue Flaccus lib. 1. Argon. v. 735.

In ſcrobibus cruor, & largus Phlegethontis operti
Stagnat honos. VULP.

v. 12. STANTIA CURRENTI DILUERENTUR AQUA] Beroaldos, Natora, inquit, rerum mutaretur, & ſolida terra in aquam converteretur, duraqne liqueſcerent. Alii libri *Stagnaque*. Aquæ, inqnit, ſtantes io currentes; hoc eſt, fluvios, vel torrentes mntarentur. An *Stantia*, exſtantia, excelſa perfnnderentur floviis retro aſcendentibue? nam ſtare & currere opponuntur. *Currenti aqua*, ot Eleg. 2. lib. 1.

Et ſciat indociles currere lympha vias.

Virgilius 3. Georg.

Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ.

Diluerentur, mergerentur. unde diluvium & diloviee Horatio. PASS. *Stantia* ſunt ſegetes, frutices, arbores, & qnidquid ſupra terram exſtat ac prominet. hæc enim præcipue ſubitis imbribue ad interitum dare, aut etiam letali grandine converberare dicontur maleficæ mulieres. BROUKH. Ad hunc verſum olim hæc notaveram adoleſcens: Terræ planities lacus repente fieret; τὸ enim *currenti* non indicat flumen, ſed improviſam eluvionem. Appulejus 1. Metam. *Saga, inquit, & divina, potens cælum deponere, terram ſuſpendere, fontes durare, montes diluere, manes ſublimare, deos infimare, ſidera exſtinguere.* Quam explicationem ut non improbo, ita & aliam adfero qoæ fortaſſe vera ſit. *Stantia* vocat Propertius paludes, & ſtagna, in quibus torpet aqua, nec movetur: quæ, ſi velit lena, ſubito deriventur atque diſcorrant, more vivorum flominum. Horatius mire ſuffragatur Ode 27. lib. 3. *Antequam ſtantes repetat paludes Imbrium divina avis imminentum.* Sic *reſidem aquam* dicit Varro lib. 3. de Re Ruſt. æſtuario oppoſitam, ut animadvertit Lævinus Torrentius. Sidonius Apollinaris Epiſt. 8. lib. 1. ubi multa probra in Ravenoam ingerit: *In qua palude indeſinenter rerum omnium lege perverſa, muri cadunt, aquæ ſtant, turres fluunt, naves ſedent*, &c. Neqoe aliter Silius Italicue lib. 10. v. 462. *Per lubrica pingui Stante cruore ſoli.* Feſtue, & alii *Stagnum* a voce *ſtare* deducoot. V.

v. 13. AUDAX CANTATÆ LEGES IMPONERE LUNÆ] Id eſt, quæ non veretur vim diis afferre: quod audaciæ, & ſceleris Titanici. Audacia enim omnis ſceleris mater. Virgilius 6. Æneid.

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.

Audax imponere. Sic Horatius Ode 3. lib. 1. *Audax omnia perpeti.* & Noſter Eleg. 19. lib. 1. *Cupidus attingere.* *Imponere leges*, cogere ſibi parere. eſt enim potentioris leges dare; ut Eleg. 1. ſup. *Terris dicuntur jura ſubactis.* Ovidins 8. Metam. *Leges victis juſtiſſimus auctor Hoſtibus impoſuit.* Virgilios 6. Æoeid. *Pacique imponere morem.* *Lunæ cantatæ*, excantatæ, & vi carminum de cælo deductæ; ut ſup. Eleg. 4. *Magica cantamina Muſæ.* Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Aut cur cantatis Luna laboret equis.

& lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit.

De Luna carminibus cælo deducta vide ad Eleg. 1. lib. 1. v. 19. PASS.

v. 14. ET SUA NOCTURNO FALLERE TERGA LUPO] *Fallere*, ἐπικρύπτειν, pro abſcondere, tegere. Ovidius 3. Faſt.

Et ſua divinâ furta fefellit ope.

Possit ut intentos astu cæcare maritos,
Cornicum immeritas eruit ungue genas.

Con-

id est, abdidit, occultavit. *Fallere*, latere, effugere, frustrari. Eleg. 4. lib. 1. *Acceptâ fallis uterque fide*. Eleg. ult. infra, *Fallere oscula*, pro tegere, & fingere vultus. *Terga* dixit, pro facie, & forma quæ a tergo conspiciatur. Virgilius 7. Æneid.

Quos hominum e facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

An per hypallagen: Audax fallere nocturnum lupum suis tergis; id est, quum a tergo noctu a lupo conspiceretur, eum falleret, ut qui crederet esse lupam? *Nocturno*, noctu vagari solito. ut Eleg. 4. lib. 2. *Nocturna Cytaïs*. [Virgilius 3. Georg.

Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat.]

vide & 9. Æneid. v. 59. Versipellem autem eam significat, ut Virgilius Ecl. 8.

Hic ego sæpe lupum fieri, & se condere silvis
Mœrin ...... vidi. Pass.

Nihil hac fabella decantatius: & posset facile grandis aliquis liber expleri solis nominibus eorum, qui rem ultro citroque discusserunt. pro eo tibi ego aliquid dabo, unde Servium expleas, in libris vulgatis hac parte mutilum, ad L. 1. Georg. v. 16. SALTUSQUE LYCAEI. *Montis Arcadiæ*. addit liber scriptus: λύκος *Græce dicitur lupus, unde in Lycæo quibusdam sacris degustatis vertebantur in lupos, & post decem annos revertebantur in pristinum statum, si hominum carnibus non vescerentur*. vide Pausaniam initio Arcadicorum, sive L. 8. ubi de Lycaone; qui copiosius rem persequitur. sacrorum degustatio, quam Servius tangit, apud Platonem est, sub finem L. 8. de Rep. vide & Plinium L. 8. C. 22. & Varronem apud Augustinum L. 18. de Civit. Dei C. 17. Pomponius Mela L. 2. C. 1. *Neuris statum singulis tempus est, quo, si velint, in lupos, iterumque in eos qui fuere, mutentur*. Broukh. Adde Joannem Bodinum lib. 2. Dæmonomaniæ cap. 6. & Martinum Antonium Delrium lib. 2. Disquisit. Magicarum Quæst. 16. *Fallere sua terga*. Sic Terentius loquitur Phorm. 1, 4, 43.

Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit. id est, occultaverit, & quasi præstigio abdiderit. Vulp.

v. 15. Possit et intentos astu cæcare maritos] Calliditate sua & fallacia cæcus reddere, quantumvis perspicaces, & hoc agentes, summaque diligentia uxores custodientes; ut quod viderent, non viderent. *Cæcare*; ut Cicero 4. Philipp. *Spes rapiendi atque prædandi cæcat animos eorum*. *Intentos*. ut Horatius in Arte: *Merulis intentus decidit auceps In puteum*. *Astu*, malitia: nam astuti proprie malitiosi, inquit Servius in 11. Æneid. Donatus vero in Eun. Astu, pro astutè adverbium. aliàs nomen, ut *In astu venit*. Festus: *Astu apud poetas astutiam significat, cujus origo ex Græco, ab oppido ἄστυ deducitur, in quo qui conversati assidue sint, cauti atque acuti esse videantur*. Pass. *Posset & intentos*. sententia exigit, *Possit ut intentos*. *Astu cæcare maritos*. vide Tibullum L. 1. Eleg. 2. qui addit non sine lepore, & ut amatorem in rem suam callidum decebat,

Tu tamen abstineas aliis. nam cetera cernet
Omnia: de me uno sentiet esse nihil.

tale pharmacum, sine ulla incantatione, invenerunt feminæ Lusitanæ in herba *Dutroa*. Super qua videndus Linschotanus noster, & rerum Indicarum Scriptores. Ba. *Cæcare*. Utitur M. Tullius, pro Domo sua: *Non enim te arbitror, quum post meum discessum omnium locupletum fortunas, omnium provinciarum fructus, & tetrarcharum ac regum bona, spe, & avaritia devorasses, argenti & supellectilis meæ cupiditate esse cæcatum*. Idem pro P. Sextio: *Neque eos in laude positos videmus, qui inciterunt aliquando populi animos ad seditionem, aut qui largitione cæcarunt mentes imperitorum*. & Tusc. 1. *Qui se totos libidinibus dedidissent, quibus cæcati velut domesticis vitiis, atque flagitiis se inquinassent*. & Tusc. 5. *Si ejus acies (animi humani) ita curata est, ut ne cæcetur erroribus*. Livius lib. 49. *Cæcata mens subito terrore*. Ovidius lib. 2. Pontic. Epist. 7.

Pectora quam mea sunt serie cæcata malorum.

Deni-

Denique Lactantius lib. 2. Div. Instit. c. 1. *Quonam illud ex consilio fieri putemus, nisi esse aliquam perversam potestatem, quæ veritatis sit semper inimica; quæ humanis erroribus gaudeat; cui unicum ac perpetuum sit opus, offundere tenebras, & hominum cæcare mentes, ne lucem videant?* VULP.

v. 16. CORNICUM IMMERITAS ERUIT UNGUE GENAS] Cornicibus oculos effodit & exsculpsit, non re vera, sed ἀλληγορικῶς, ut recte notat Beroaldus. Proverbium est: *Cornicum oculos configere*, quo utitur M. Tullius pro Muræna, & pro Flacco. Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 5. *Græcum Græco eripiet hinc plausum, & tamquam cornix cornici oculos effodiat*. de astuto eluso a calliditore. Pierius in Cornice putat sumtum ex historia, qua dicuntur Areopagitæ puerum capitis damnasse, quod oculos cornicum studiosius erueret, rati id signum improbissimæ mentis. *Genas*, pro oculis posuit, ut Eleg. 12. lib. 3.

Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ.

& Eleg. ult.

Quum venient, siccis oscula falle genis.

Ex Plinii lib. 11. cap. 37. intelligitur, genas esse membranas quæ tegunt oculos, & unde cilia eminent, [palpebras nimirum.] vide adnotata ad locum Eleg. 12. lib. 3. ante laudatum. *Eruit*; ut Charisius lib. 3. *Eruo mendacis* & *mendaci oculos*. Ovidius 12. Metam.

Figitur huic duplici Grynæus in lumine ramo,
Eruiturque oculos.

Suetonius in Nerone: *Equiti Romano liberius jurganti oculum eruit*. Sic loquitur etiam Plinius, & Lactantius. *Ungue*, pro, digitis. ut Eleg. 20. lib. 1.

Quæ modo decerpens tenero pueriliter ungui. PASS.

Recte dixit *ungue*. solebant enim sagæ ungues nutrire quam longissimos. Horatius Epod. 5. *Hic irresectum sævo dente livido Canidia rodens pollicem*. & L. 1. Sat. 8.

Scalpere terram
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt.

Ipsissimos cornicum oculos effodiebat anicula, non allegorice, (ut putaverunt Beroaldus, eumque secutus Passeratius) sed re vera. insignis eorum usus in rebus magicis, sed præcipue si exemti essent atque eruti cornicibus quam maxime vetulis. auctorem do Nasonem L. 7. Metam.

Nec defuit illic
Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri,
Vivacisque jecur cervi: quibus insuper addit
Ora caputque novem cornicis secula passæ.

unde simul observabis legendum videri apud Nostrum *emeritas genas*, i. e. veteres vetustas, ut Plautus loquitur, annosas, ac cariosas, jam innumerorum annorum stipendiis functas, ducta a re castrensi translatione. quales poetis creberrimæ in hac ipsa voce. - - - - - - - - - - Cornices inter aves mali auspicii ponit Plinius L. 10. C. 12. item Prudentius L. 2. contra Symmachum v. 570. & Servius ad Eclog. 9. v. 15. recte igitur in apparatu magico. neque tamen soli istic oculi cornicum; suos ipsi quoque dracones largiri perhibebantur. vide Lucanum L. 6. BROUKH. Rectam Broukhusii explicationem ego quoque olim præceperam, ejus commentario nondum inspecto. *Genas* pro oculis, vel palpebris potius, non semel posuerunt boni Latinitatis auctores. Virgilius 6. Æneid. v. 686. *Effusæque genis lacrimæ*. Ovidius lib. 13. Metam. v. 561. de Hecuba Polymestorem Thracum regem digitis obcæcante:

Involat, & digitos in perfida lumina condit,
Exspoliatque genas oculis, (facit ira potentem)
Immergitque manus: fœdataque sanguine sonti
Non lumen, neque enim superest, loca luminis haurit.

Quæ Ovidius appellat *loca luminis*, Aristoteles vocat χώραι τῶν ὀμμάτων lib. 1. Hist. Animal. cap. 9. ubi de talpa. Ἀφαιρεθέντος δὲ τοῦ δέρματος, inquit, ἔχει τήν τε χώραν τῶν ὀμμάτων, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ μέλανα κατὰ τὸν τόπον. i. e. *Detracta prætenta membrana, locus oculorum apparet, & pars nigra eorumdem*. Itali vocant *occhiaje*. Dantes Aligherius Purg. Cantu 23.

Parèn l' occhiaje anella senza gemme.

effossis nimirum oculis. *Eruere* igitur *genas*, est fortasse loca luminis haurire, quod subdit Ovidius. Idem lib. 2. Pontic. Epist. 8.

Et pariter fossis lumen abire genis.

Seneca in Tragœdiis frequentavit. Troadibus v. 439. *Brevisque fessis somnus obrepsit genis*. Agamemnone v. 716. *Ubi sum? fugit lux alma, & obscurat genas Nox alta*. Herc. Furente v. 767. de Charonte: *Concava*

Consuluitque ſtriges noſtro de ſanguine, & in me
Hippomanes fœtæ ſemina legit equæ.

Exor-

tava luteat genæ. ad quem locum vide Gruteri Notas, qui hanc genæ ſignificationem prorſus ignoravit. Denique Thebaide v. 535. loco plane inſigni: *Per decem menſium graves Uteri labores, perque pietate inclytas Precor furores, & per irati ſibi Genas parentis; ſcelere quas nulla noceus, Erratis a ſe dira ſupplitia exigeat, Hauſit*. loquitur de Oedipode, qui ſibi oculos eruerat. Papinius Statius lib. 5. Silv. Carm. 4. de ſe ἀγρυπνίᾳ laborante:

Septima jam rediens Phœbe mihi reſpicit ægras
Stare genas.

Hanc ſignificationem indictam non prætermiſit Vorſtius De Latinitate ſelecta, & vulgo fere neglecta, pag. 17. Ceterum Propertiana venefica, ut cæcos maritos efficeret, cæcabat cornices, aſtutum animal. ritus enim & cæremoniæ ſagarum ad ea referri ſolebant quæ aſſequi & efficere ſtuduiſſent. Lege Virgilii Pharmaceutriam, ſive Ecl. 8. *τὰ emeritas genas*, quod Broukhuſius probat, mihi neſcio quomodo non placet. VULP.

v. 17. CONSULUITQUE STRIGES NOSTRO DE SANGUINE, ET IN ME HIPPOMANES FŒTÆ SEMINA LEGIT EQUÆ] *Conſuluit*, ab iis conſilium petiit, & quid facto opus. exploravit eventura. Sic Ovidius 1. Faſt. *Protinus viſant conſulit augur aves*. Virgilius 4. Æneid. *Spirantia conſulit exta*. & 7. Æneid. *Lucoſque ſub alta Conſulit Albunea*. Cicero 1. de Divinat. *Conſulere haruſpicem*. & alibi: *Conſulere populum, ſenatum*. inde Juriſconſulti. *Striges*. de iis vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 3. v. 29. Ovidius 6. Faſt. de ſtrigibus:

Nomaque in volucres falſa figurat anus.

Sed legendum pro falſa, *Marſa*. *De*, exponi poteſt, In. ut Virgilius 6. Æneid. *Cui tantum de te licuit?* Cicero 9. ad famil. 56. *Conſilia inita de me*. & Philipp. 13. *De quibus lata* (lex) id eſt, in quos. Noſter Elegia 21. lib. 2. *De me finxit*. *Sanguine*, cæde, nece, exitio. Eleg. 4. lib. 2.

Altera vix ipſo ſanguine mollis erit.

Cicero pro Ligario: *Scio vos non petere ſanguinem*. An re vera, *Sanguine*, quia ſanguinem, præſertim infantium, exſorbere credebantur? Ovidius 6. Faſt.

Carpere dicuntur lactantia viſcera roſtris,
Et plenum pura ſanguine guttur habent.

Et legit, excepit, decerpſit. *Hippomanes*. duo ſignificat hæc vox. Ariſtoteles lib. 6. Hiſt. Animal. *Quum equa peperit, ſtatim ſecundas devorat, atque etiam quod pulli naſcentis fronti adhæret, hippomanes dictum, magnitudine minus carica*. vide Plinium l. 8. H. N. cap. 42. Columellam lib. 6. c. 27. Juvenalem Sat. 6. Virgilium 4. Æneid. Theocritum Pharmaceutria, Ovidium l. 2. A. A. Virus deinde ſignificat ab inguinibus equarum amantium diſtillans. Vide Maronem 3. Georg. Ovidium l. 1. Amor. Elegia 8. & de Medicamine faciei, Tibullum denique Eleg. 4. lib. 2. *Semina*, ſemen genitale. *Virus* vocant Virgilius & Ovidius. Hoc autem hippomanes veneficæ adhibebant. quamobrem Juvenalis Sat. 6.

Tanti partus equæ, quanti una venefica conſtat.

Fœtæ equæ, nuper enixæ. Servius in illud 1. Æneid. *Loca fœta furentibus auſtris*. *Fœta*, inquit, *medius ſermo eſt, vel partu liberata, ut: Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro Procubuiſſe lupam*. *Et fœta, gravida, ut: Non inſueta graves tentabunt pabula fœtas*. Plinius lib. 5. H. N. cap. 40. *Optimus in fœtu qui noviſſime cernere incipit: aut quem primum fert in cubile fœta*. id eſt, nuper enixa. PASS. *Conſuluitque ſtriges noſtro de ſanguine*. *Conſulere* pertinet ad vaticinia. Suetonius Octavio cap. 93. *In Liberi patris luco barbara cæremonia de filia conſulenti idem affirmatum eſt a ſacerdotibus*. Et propius ad rem noſtram Paullus J. C. lib. 5. Sententiarum tit. 21. *Si ſervi de domini ſalute conſuluerint, ſumma ſupplicio, id eſt cruce, afficiuntur*. Item Spartianus in Severo c. 15. *Multos etiam, quaſi Chaldæos aut vates de ſua ſalute conſuluiſſent, interemit*. *Hippomanes* quid ſit, copioſe dixi ad Tibullum Eleg. 4. lib. 2. v. 58. VULP.

v. 19.

Exornabat opus verbis, ceu blanda perurat,
Saxosamque terat sedula culpa viam:

Si

v. 19. EXOANABAT OPUS VEABIS, CEU BLANDA PEAUAAT] Nihil hic Beroaldus. Scaliger autem: Insinuatione, inquit, utebatur, tamquam de re difficillima dicere aggressura. Alii libri: *Exerabat*. hoc sensu: *Exerabat opus*, persuadere puellæ conabatur, ut lecti sui copiam alicui faceret: nam *opus* in obscœnis. Ovidius lib. 2. A. A. *Furtivum nec timor urget opus*. In Catalectis: *Rogatque tentet Si pictas opus edat ad figuras*. Exorare opus verbis dicitur, ut Eleg. 13. lib. 1. (licet alio sensu)

Illa suis verbis cogat amare Jovem.

Ceu blanda perurat, ut est delenifica, & impetrabilis, amore perurat & incendat, quas velit. *τὸ verbis*, iterandum est, & *verbis exorabat*, & *verbis perurat*, & *Blanda verbis*, ut in Prologo Laberii apud Macrobium *Blandiloquens oratio*. & Plautus Asin. *An tu blanda verba aurum vere?* PASS. Libri fere *exorabat* habent, quod non est nauci. Plinius L. 1. Epist. 8. *Ii vero qui benefacta sua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint; sed ut prædicarent, fecisse creduntur*. Quintilianus L. 4. C. 2. *Ego vero narrationem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest gratia & venere exornandam puto*. Ba. Terentius pariter Eunucho, 2, 1, 8. *Munus nostrum ornato verbis, quod poteris*. Editio omnium princeps: *Exorabit opus verbis, ceu blanda peruret*. VULP.

v. 20. SAXOSAMQUE TEAAT SEDULA CULPA VIAM] Scaliger: *Terere saxosam viam, est per saxosam viam ire*. & proverbium ait esse, pro in difficultatibus versari: quo Plautus alluserit (Captivis) *Non meus scruposam victus commeat viam*. Beroaldus ait, blandiloquis verbis lenæ exorari mentem puellæ, ut via saxosa conteritur sedulitate. Idemque Beroaldus pro, *ferat*, quod legerat, emendavit, *terat*. Ego: *Culpa sedula*; vel ipsa lena, culpæ & stupri suada: vel puella, ejus lenocinio & blandis verbis corrupta; quæ sedulo & diligenter ultro citroque ad amatores commeat. *Sedula*, ut Eleg. 3. lib. 1.

Luna moraturis sedula luminibus.

Sedulus est, a quo dolus abest, nec abest diligentia, quæ tamen nocet interdum. ut Cicero pro Archia, *Sedulitatem mali poetæ* dixit, qui multum & diligenter scriberet, sed adversis Musis. Horatius Epist. 13. lib. 1.

Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes.

& Epist. 1. lib. 2.

Sedulitas autem stulte, quem diligit, urget.

& Sat. 5. lib. 1.

Ubi sedulus hospes
Paene arsit, macros dum turdos versat in igne.

Culpa, pro lena culpæ, id est, stupri internuntia: vel pro meretrice; ut scelus, crux, venter, carcer, & *stuprum Clytæmnestra* Eleg. 7. infra. *Lyra imbelles* Eleg. 6. infra, pro citharœdo. *Terat viam saxosam*, semper vagetur, fiatque vulgaris puella; ut Eleg. 23. lib. 2.

Cui sæpe immundo Sacra conteritur Via socco.

Saxosam viam, saxis & silicibus stratam. aliàs Saxosum, asperum, ut *Saxosæ valles* Virgilio. Saxa autem & silices atteruntur itu & reditu frequenti. Virgilius 1. Georg. *Angustum formica terens iter*. Juvenalis Sat. 6. *Pedibus silicem quæ conterit atrum*. Lucretius lib. 1.

Strataque jam vulgi pedibus detrita viarum
Saxa conspicimus.

Sic *Tritor compedum* & *Conterere carcerem*, Plautus dixit. PASS. Aliud agunt qui hæc capiunt de Via Sacra. Tu refer ad callidam industriam aniculæ, corrumpentis sedula vafritie simplicem puellæ animum. quod erat initio difficile, & laboris plenum. Et recte Scaliger vidit esse proverbii speciem, *terere saxosam viam*, pro eo quod est in difficultatibus versari. Festus: *Scrupi dicuntur saxa aspera & difficilia attrectatu. unde & scrupulosam rem dicimus, quæ aliquid in se habet asperi*. Cicero Divinat. in Q. Cæcil. C. 11. *Intelligo quam scopulosa difficilique in loco verser*. Idem Orat. pro P. Sextio C. 46. *Haut ego viam, judices, si aut asperam, aut arduam, aut plenam esse periculorum aut insidierum*

Si te Eoa, Doroxanium, juvat aurea ripa,
Et quæ sub Tyria concha superbit aqua:

Eury-

diarum negem ; mentiar : præsertim quum id non modo intellexerim semper, sed etiam præter ceteras senserim. talia autem loca longo attritu fiunt planiora, & leviora. BROUKH. Hoc Plauto Aulul. 2, 1, 30. est *lapides loqui*. nempe durum aliquid in sermone proponere. Pindarus Pythiorum Ode 4. injustorum hominum mentionem facit, τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν δ' ὅμως. ubi Scholiastes antiquus: αἳ μὲν τῶν ἀνθρώπων φρένες, πολύ τι ὠκύτεραι ἐπαινέσαι ἢ ἀπολέσθαι τὸ παρὰ τὸ δίκαιον κέρδος. καίτοι ἑρπόντων ἐκ τῆς ἀδικίας πρὸς τὴν ἑξῆς τραχεῖαν ὁδὸν, ὅμως τὸ κέρδος τοῦ δικαίου προκρίνουσι. nempe, *lucrum justo anteponunt*. In Libro Sapientiæ Salomonis cap. 5. v. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles*. LXX. Interpretes, ἐρήμους ἀβάτους, *solitudines inaccessas*. Hunc Propertii locum mire explicare possunt illa Ovidii Epist. Helenæ v. 141.

Sum rudis ad Veneris furtum: nullâque fidelem
(Di mihi sint testes) lusimus arte virum.
Nunc quoque, quod tacito mando mea verba libello,
Fungitur officio littera nostra novo.
Felices, quibus usus adest! ego, nescia rerum,
Difficilem culpæ suspicor esse viam. VULP.

v. 21. SI TE EOA JUVAT DAPATARUMQUE AUREA RIPA] Si delectaris auro & gemmis, quæ in litore maris Indici leguntur. Noster Eleg. 13. lib. 3.

Inda cavis aurum mittit formica metallis.

Juvat, ut Eleg. 3. sup. *Hæc me turba juvat*. *Eoa ripa*, Indica, ut *Eoi lapilli* Eleg. 15. lib. 1. v. 7. Eleg. 13. lib. 3. *Eois maritis*. Eleg. 3. sup. *Eoa aqua*, vel *Eois equis* v. 10. *Ripa aurea*, ὑπερβολικῶς, pro ripa fluminis aurum vehentis. Q. Curtius lib. 8. *Aurum flumina vehunt, quæ leni modicoque lapsu segnes aquas ducunt*. *Aurea*, pretiosissima, ut *Aurea libertas, aurea mediocritas*. An *ripa* de litore Erythræi maris? Horatius Ode 27. lib. 3. *Æquoris nigri fremitum, & trementes Verbere ripas:* Plinius lib. 15. H. N. cap. 9. de mari Pontico: *Thynni dextra ripa intrant, læva exeunt*. Servius. *Ripa propriæ fluminum: litora maris*. An *ripa*, pro flumine; ut El. 3. lib. 1. *in Apidano*, pro in ripa Apidani? *Ripam fluminis* Ulpianus definit esse id *quod flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens*. L. 1. *de fluminibus*. & Paulus L. pænult. eod. tit. *Ripam ait dici quæ plenissimum flumen continet*. An a rumpendo, ut rupes? *Debatarumque*. Codex Beroaldi, *Deraautem*. Testatur etiam legi *Dorozantum*, quos ait esse Indiæ populos apud Curtium. non reperi. Liber Scaligeri *Dorizautium*; unde legit *Dorizanium*, ut *Philocomasium, Erotium, Adelphasium* [nomina puellarum ὑποκοριστικά.] Turnebus vero lib. 21. Adv. cap. 16. legendum putat *Doroxanium*, ut sit nomen puellæ, ut Acanthis lenæ. PASS. *Dorixuium*. ita Scaliger. mirifice hic turbant libri. Turnebus legebat *Doroxanium*, L. 21. C. 17. quod ego verum esse puto. certe in Groningano perspicue exstat,

Si te Eoa Doroxantum juvat aurea ripa.

ubi si *t* mutaveris in *i*, habebis rem factam. ceteras membranarum hallucinationea non libet memorare. ita extra oleas spatiantur. BROUKH.

v. 22. ET QUÆ SUA TYRIA CONCHA SUPERBIT AQUA] Quæ videtur gloriari quasi conscia sibi suarum divitiarum, seque maxime ad tingendam purpuram expeti. *Superbit concha*, ut Eleg. 1. sup. *Superbiat Umbria*; & Eleg. 11. infra, *Ara superba Jovis*. sic *Limina superba*, pavimentum, postes, & fasces Horatio, & Virgilio. sic Noster Eleg. 12. lib. 3. *Lateutur sæde sagittæ*. Quod de margaritis exponit Beroaldus, non placet. non enim in Tyrio, sed Erythræo mari nascuntur. ut Eleg. 13. lib. 3. *Venit e rubro concha Erycina salo*. Sed muricem, ostrum, & purpuram intelligit, cujus sanguine inficitur lana. qua de re dictum ad Eleg. 13. lib. 3. v. 7. *Aquâ Tyriâ*, maris Tyrii. vide Festum in *Tyria maria*. PASS.

v. 23.

Eurypylique placet Coæ textura Minervæ,
Sectaque ab Attalicis putria signa toris:
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ,
Murrheaque in Parthis pocula cocta focis:

Sperne

v. 23. EURYPYLIQUE PLACET COÆ TEXTURA MINERVÆ] *Textura*, vestis texta. Plautus Sticho: *Ut operam perdam araneorum, & texturam improbam*. *Texturas*, & *texta* sæpe usurpat Lucretius. Hac de re Tibullus Eleg. 3. lib. 2.

Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

vide adnotata ad Eleg. 2. sup. v. 23. *Minerva Coa*, artificium texendi, cui præsidet Minerva. Ovidius 3. Fast.

Pallade placata lanam mollire puellæ
Discant, & plenas exonerare colos.
Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, & rarum pectine densat opus.

Sic Virgilius 8. Æneid. *Tolerare colo vitam tenuique Minerva*. De Eurypylo Homerus in Catalogo navium:

Καὶ Κῶ Εὐρυπύλοιο πόλιν, νήσους τε Καλύδνας.

Meminit Strabo lib. 10. & 13. Is Evæmonis filius Homero Iliad. β. & λ. cujus meminit & Pausanias Laconicis, & Achaicis. Fuit & alter Telephi filius, de quo Strabo lib. 13. Virgilius 2. Æneid.

Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus.

PASS. Hermesianax Colophonius, Elegiarum scriptor, apud Athenæum lib. 13. vocat Κῴας Εὐρυπύλου πολιήτας, *Eurypyli cives*. *Coa textura Minervæ*. Tibullus Eleg. 1. lib. 2. *Aliqua assidue textis operata Minervæ*. VULP.

v. 24. SECTAQUE AB ATTALICIS PUTRIA SIGNA TORIS] Signis ornata fulcra lectorum Attali; quæ vetustate ipsa pæne consumta, tamen inde absecta & ablata valde expetebantur. Aliter dixit Eleg. 3. sup. *Tyria in gladios vellera secta suos*. An *signa* non solida, sed intexta vestibus intelligit, ut Virgilius 1. Æneid. *Pallam signis, auroque rigentem?* *Putria*, vetustissima, ut Pacuvius & Attius *Putre annis & ætate corpus* dixere apud Nonium in *Putret*. Catullus Carm. 63.

Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.

Attalicis toris, ut Eleg. 13. lib. 2.

Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
PASS.

S. ab Attalicis p. signa toris. ideo maximi pretii, quia de Attali triclinio. His etenim simulacris cariosis, & fatiscentibus, antiquitas tamen, & vetus possessor, præter excellentiam artificis, gratiam conciliabat. Nec statuis tantum, sed & vasibus, poculis, gemmis eadem fuit æstimatio. Horatius Sat. 3. lib. 2. Damasippum decoctorem ita loquentem inducit:

Olim nam quærere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus ære.

Corinthiorum se studiosum fuisse testatur, eaque vasa diligenter conquisivisse quibus Sisyphus, antiquissimus Corinthi rex, domi suæ usus esset. Juvenalis Sat. 6. ubi de mulierum infinita cupiditate:

Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Murrhina, deinde adamas notissimus, & Beronices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori.

Et Sat. 12. v. 46.

Adde & bascaudas, & mille escaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emtor Olynthi.

nempe Philippus rex Macedonum, pater Alexandri Magni. Martialis Epigramma 6. lib. 8. totum huc pertinet. Ibi acute dictum,

Argenti furiosa sui quum stemmata narrat,

id est, nobilem scyphorum suorum originem. His adde Statium lib. 4. Silv. in Hercule Epitrapezio Nonii Vindicis, & Ciceronem Act. 6. in Verrem. VULP.

v. 25. SEU QUÆ PALMIFERÆ MITTUNT VENALIA THEBÆ, MURRHEAQUE IN PARTHIS POCULA COCTA FOCIS] Ægyptiæ Thebæ palmis inclytæ. Strabo lib. 17. multa narrat de præstantia palmarum Thebaicarum. Plinius lib. 23. cap. 5. *Palmæ quæ*

Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
Frange & damnosæ jura pudicitiæ.

Et

fert myrobalanum , probatissimo in Ægypto . Idem & lib. 13. cap. 4. ejus palmæ meminit . Solinus Ægyptiæ palmæ fructûs proprium esse ait , ut sitim sedet ; unde ἄδιψος ea nominata . Ovidius lib. 2. Amor. Elegia 13.

Isi , Parætonium genialiaque arva Canopi
Quæ colis , & Memphin , palmiferamque Pharon .

Thebæ , ἑκατόμπυλαι , Homero Iliad. I. meminit & Odyss. δ. vide Strabonem lib. 17. *Mittunt venalia* . sic Virgilius 1. Georg.

India mittit ebur , molles sua tura Sabæi .

Venalia , id est , merces Ægyptiacæ , ut unguenta , vasa crystallina , chartæ , lina : Plinius & Strabo ubique. Scaliger vitreos calices Ægyptios intelligi putat , qui ἀλλάσσοντες dicebantur . Ergo τὰ *Pocula* iterandum , quod placet . *Murrheaque pocula* , ex murrhâ facta . Lucanus lib. 4. *Non auro murrhâve bibunt* . Murrhinorum poculorum frequens mentio apud poetas . Plinius l. 37. H. N. cap. 2. *Oriens murrhina mittit . inveniuntur in pluribus locis , nec insignibus , maxime Parthici regni* . Ibidem Petronii trullam murrhinam commemorat . Turnebus lib. 8. Adv. cap. 1. citato hoc versu : *Murrhina* , inquit , *pocula hic significantur , quæ Propertius fictilia fuisse videtur existimasse , quum in Parthorum caminis coqui ea scribat , dissentiente Plinio , qui humorem putat sub terra contrescere , densarique calore , eumque lapidem erui , & in vasa cælari* . Seneca Epist. 120. *Utrum sit aureum poculum , an crystallinum , an murrheum , an Tiburtinus calix , nihil refert* . Sic emendat Turnebus lib. 26. Adv. cap. 14. quum editum sit , *Vitreum* . ut *murrheum* , pro *murrhinum* dixerit , quomodo & hic Propertius . vide Plinium loco citato . Baifius ait , ætate nostrâ ea vasa nulla esse , vel nobis ignota , nec esse quam *Porcellanam* vocant . *Cocta focis Parthis* , in fornacibus & caminis Parthorum ; ut Virgilius 7. Æneid. *Retoquunt patriis fornacibus enses* . *Parthis* , pro Parthicis ; ut Eleg. 4. lib. 3. *Partha trophæa* . P. *In Parthis p. c. f.* Salmasius in Solin. T. 1. p. 267. a. D. ex fide veterum librorum , legit *Pocla cocta fuit* . At nos in nullo libro istud *fuit* invenimus . BROUKH. An murrha veterum , quod nostro sæculo materies illa quam dicimus *Porcellana* ? Id affirmari posse videtur ex hoc Propertii loco . At si Senecam audias lib. 7. de Beneficiis cap. 9. murrham in gemmis numerabis . *Video* , inquit , *murrhina pocula . parum scilicet luxuria magna fuerit , nisi quod vomant , capacibus gemmis inter se propinarent* . Senecæ disertissime suffragatur Plinius lib. 37. H. N. cap. 2. quem vide . Nihilominus Benedictus Varchius , vir πολυμαθὴς , locum Senecæ ita vertere non dubitavit : *Veggovi tazze di Porcellana , come se nelle superchie spese si consumasse poca , se e' non beessino l' una e l' altre in tazze preziosissime quel vino che poco dipoi debbono ributtare* . Sed & Samuel Pitiscus ad Suetonii August. cap. 71. adversus Baifii sententiam , de vasculis p. 124. Bulengeri , de conviviis VI. 13. & Pancirolii , de veter . amiss. cap. 7. vero propius existimat , nostra esse *porcellanea* , quocumque modo fierent ; quamvis ea parandi rationem ignoraverint Romani veteres . Quod si Varchii , & Pitisci opinio a veritate non aberraret , nullo modo ignorare potuissent Quirites illi , callidi harum rerum æstimatores , cujusmodi horum poculorum materia esset . Satis erat vas murrheum frangere : statim cognovissent , coctile esse ac fictile , lucida illa & vitri simillima crusta illitum & coopertum . V.

v. 27. SPERNE FIDEM , PROVOLVE DEOS , MENDACIA VINCANT] Sic lena apud Ovidium lib. 1. Amor Eleg. 8.

Nec si quem fallas , tu perjurare timeto .
Commodat illusis numina surda Venus .

Sperne fidem , nulla sit tibi cura fidei servandæ . *Spernere* , & colere , contraria . Sic Noster Eleg. 4. lib. 1. *Contemnere erat* . Vetus poeta apud Ciceronem 3. Offic.

Cujus ipse princeps jurisjurandi fuit ,
Quod omnes scitis , solus neglexit fidem .

Provolve deos , habe ludibrio , proculca , porro ut in luto volve . Provolvebantur dii , quum violarentur perjurio , & afficerentur contumelia . Terentius Andria 4 , 5.

Ni

Et ſimulare virum, pretium facit. utere cauſſis:
Major dilata nocte recurret amor.

Si

Ni puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam Provolvam, teque ibidem pervolvam in luto. Virgilius 2. Æneid. *Hunc lora & juga ſubter Provolvere rota.* Lucretius lib. 6. per tmeſin:

Multa ſiti proſtrata viam per, proque voluta Corpora.

Tacitus lib. 5. Annal. *Multi fortunis provolvebantur. Mendacia vincant:* potiura ſint falſa veris. & perjuria ſuperent fidem. Plautus Milite a, 2. *Qui ſe arguet, eum contra vincat jurejurando.* PASS.

v. 28. CEDANT DAMNOSÆ JURA PUDICITIÆ] Commoda nimirum & præmia honorum decreta matronis. ut Eleg. 5. lib. 2. *Per dominæ Junonis dulcia jura.* Virgilius 4. Æneid.

Ante, pudor, quam te violem, aut tua jura reſolvam.

Damnoſæ pudicitiæ, cum damno & rei familiaris & ætatis conjunctæ; ut Eleg. 9. infra, *Damnoſi canes*. Horatius Epiſt. 18. lib. 1. *Damnoſa Venus*. Plautus: *Damnoſi mariti*, & *dii damnoſiſſimi*. *Cedant jura*, diſcedant, valeant. tanti nun ſint jura & ſanctitas matronarum. Sic Eleg. 9. lib. 1. *Cedat amor*. An *Jura*, veneratio, reverentia? Virgilius 2. Æneid. *Sed jura, fidemque Supplicis erubuit*. Quod alii libri præferunt *Frange*, eſt gluſſema τῦ *Cede*. & *Cedere*, violare. ut Virgilius 12. Æneid.

Pulſaque referens infecto fœdere divos.

Hæc tamen lectio veteris libri, *Frange &*, probatur a Lipſio lib. 2. Antiq. Lect. cap. 20. PASS. Omnes libri vel *Frangent* habent, vel *Franget*. in Groningano claris literis legitur *Frange & damnoſa*. BROUKH. Editio princeps, *Frangent damnoſæ*. *Jura* hic non ſunt commoda, præmia, privilegia matronarum, ut Paſſeratius minus recte: ſed juſſa: lena enim faciendum ſuadet nun quod pudicitia jubet, ſed quod utilitas & ſtudium lucri. *Jura* pro juſſis uſurpavit etiam Eleg. ult. hujus libri v. 18.

Det pater hic umbræ mollia jura meæ.

Sic Virgilius dixit *reſolvere jura pudoris*: Horatius autem Ode 35. lib. 1. *Imperium frangere*. VULP.

v. 29. ET SIMULARE VIRUM, PRETIUM FACIT. UTERE CAUSSIS] Cogit etiam pecuniam, & rem familiarem auget, fingere te nuptam eſſe; tibi eſſe maritum, vel alium amatorem. ſunt enim qui nuptas magis deperennt. [nituntur enim in vetitum, & cupiunt negata.] Horatius Sat. 4. lib. 1. *Hic nuptarum inſanit amoribus*. Alii libri, *Stimulare*. quod erit ſtimulis & aculeis zelotypiæ accendere. Galli dicunt, *donner martel en teſte*. Sequentia magis conveniunt ſimulandi verbo. *Pretium facit*, ut vulgo dicimus: *Faire argent*. Sic Cicero 4. & 5. Verrina *Facere pecuniam* dixit. Martialis aliter de emturiente Epigr. 60. lib. 9.

Et pretium magnis fecit iaſpidibus.

Aliu item modo Eleg. 1. dixit: *Nunc pretium fecere deæ*. Au *pretium facit*, pretioſam & cariorem reddit eam mercem? Ovidius 5. Faſt.

Fit pretium dignis, nec ſibi quiſque placet.

id eſt, ſunt in pretiu. *Utere cauſſis:* adfer cauſſas & excuſationes. cauſſare ſemper aliquid, quamobrem petenti obſequi non poſſis. Virgilius Ecl. 9.

Cauſſando noſtros in longum ducis amores.

Cauſſa, Gallice *deffaite*. Terentius Andr. 1, 5. *Cenſen' me verbum potuiſſe ullum proloqui? Aut ullam cauſſam, ineptam ſaltem, falſam, iniquam? obmutui*. & alibi ſæpe. Aſconius in illud 3. Verrinæ, *Omen magis, quam cauſſa*. *Cauſſa*, inquit, *excuſatio*. Ovidius hac de re lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Sæpe nega noctem: capitis modo finge dolorem,
Et modo quæ cauſſas præbeat, Iſis erit. PASS.

Et ſimulare v. p. f. videndus Donza Schediaſm. ſuccidau. p. 72. BROUKH. *Utere cauſſis*. Carmen Liberum Epigr. 50. *Et non dat mihi, nec negat daturam, Cauſſaſque invenit uſque differendi*. Virgilius 9. Æneid. *Cauſſas nequidquam nectis inanes*. VULP.

v. 30. MAJOR DILATA NOCTE RECURRET AMOR] Nun diſſimile eſt illud Ovidii 3. A. A.

Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
Postmodo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris emto,
Fac simules puros Isidis esse dies.

Inge-

Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem:
Miscenda est lætis rara repulsa jocis.

Major amor, acrior. ut Eleg. 3. sup.

Omnis amor magnus, sed aperte in conjuge major.

Recurret, statim redibit. ut Eleg. 5. l. 2.

Si dolor absuerit, crede, redibit amor.

Horatius Epist. 10. lib. 1.

Naturam expellas furca licet, usque recurret.

& Ode 7. lib. 4. *Bruma recurrit iners*. *Nocte dilata*, promissis ducendo amantem. quia mora peritat. Sic Eleg. 9. lib. 2.

Conjugium falsâ poterat differre Minervâ. PASS.

v. 31. SI TIBI FORTE COMAS VEXAVERIT UTILIS IRA] Sic Juvenalis Sat. 11.

Vexatasque comas, & vultum auremque calentem.

& Sat. 13. *Vexare oculos humore coacto*. Petronius: *Excussit vexatam sola vestem*. id est, incompositam. Martialis Epigr. 90. lib. 11.

A te vexatas male tenere rosas.

Ergo *vexaverit comas* κατὰ μείωσιν, pro ornatas dissolverit. Tibullus El. ult. lib. 1.

Sit satis ornatas dissolvisse comas.

De verbo vexare vide A. Gellium lib. 2. cap. 6. & Macrobium lib. 6. Saturn. cap. 7. *Ira*, nempe amatoris, id est amator iratus, sed cum tuo commodo. ut Eleg. 5. lib. 2.

Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim lædere pollicibus.

Utilis, unde usus & commodum ad te perveniet. ut Eleg. 13. lib. 3. *Ille furor patriæ fuit utilis*. PASS.

v. 32. POSTMODO MERCATA PACE PREMENDUS ERIT] Mox urgendus, velut impositis capiti pedibus. ut El. 21. l. 3. *Ex omni* (parte) *me premit usque deus*. An mulgendus, ut *Pressare ubera*, Virgilio? Noster Eleg. 16. lib. 2.

Et seldum pleno vellere carpe pecus.

An onerandus damnis? Plautus Aulul. 1, 4. *Hic onerat aliquam zamiam*. id est, imponit damnum. & in Mostell. 3, 2. *Vehere clitellae*, & *homines clitellarii*, senes decepti, & argento emuncti. *Postmodo*. mox. ut Eleg. 10. lib. 2.

Sentiet illa tuas postmodo capta manus.

Pace mercata, dato pretio ut te sibi pacatam & tranquillam habeat. qua de re Elegia 6. lib. 3. *Mihi si tanta felix concordia bella Extiterit*. & Eleg. 13. lib. 2. *Si forte bonas ad pacem verterit aures*. *Pax mercata*; ut Cicero pro Cluentio: *Nummarius interpres pacis*. *Mercatâ*, παθητικῶς. ut Elegia 2. lib. 1. *Mercato cultu*. PASS.

v. 33. DENIQUE UBI AMPLEXU VENEREM PROMISERIS EMTO] τὸ *Denique* ad summam properat, finemque dictorum: Donatus in Andriam. *Venerem*, συνουσίαν, ut El. 15. lib. 2. v. 11. *Amplexu emto*, mercatis gaudiis, ut Eleg. 22. lib. 2. *Quum e complexu Briseidos iret Achilles*. *Emto*, ut Eleg. 20. lib. 2.

Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis.

[& Eleg. 13. lib. 3. *Oscula emta*.] PASS. *Amplexus* hic non est gaudium, sed pignus & pollicitatio gaudii. VULP.

v. 34. FAC SIMULES PUROS ISIDIS ESSE DIES] Finge te operatam esse, & secubare. *Fac simules*, pro simula, simulato. ut Eleg. 4. sup. v. 66. *Fac venias*, pro venito. *Esse*, aliàs *Isse*. an pro venisse? ut Eleg. 4. lib. 2. *Sæpe repulsus eas*. *Puros dies Isidis*. De sacris Isidis vide Eleg. 33. lib. 2. *Puri dies*, quibus ut certis aliis quibusdam rebus, ita & Venere abstinendum erat; ut in sacris Cereris & Isidis. vide & Ovidium lib. 3. Amor. Elegia 9. Idem lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Et mode, quæ caussas præbeat, Isis erit.

Legendus & Festus in *Puri menstrio*; & Carmen Liberum Epigr. 13. item Tibullus Eleg. 1. lib. 2. v. 11. Plautus Pœnulo 1, 2. *Pura sum, comperce amabo me attrectare, Agorastocles*. Sic Græci dicunt ἁγνεύειν, & ἁγνῶς ἔχειν, pure habere. Di-

ceban-

Ingerat Apriles Iole tibi: tundat Amycle
Natalem Majis Idibus esse tuum.

Sup-

cebantur etiam *puri dies*, non religiosi, non ominosi; & apti nnptiis. Ovidius 2. Fast.

Exspectet puros pinea tæda dies. PASS. Omnes membranæ, quasi olearii in Velabro, habent

Fac similes puros sideris esse dies.

unde Volscus notavit, translationem esse a sereno sole. primus Beroaldus verum vidit. qua eum laude minime fraudare debemus. de Casto Isidis omnia hodie nota: tum temporis non item. BAOUSH. In Editione omnium principe,

Fac puros similes sideris esse deos. VULP.

v. 35. INGERAT APRILES IOLE TIBI: TUNDAT AMYCLE NATALEM MAJIS IDIBUS ESSE TUUM] *Iole*, nomen ancillæ: quomodo vocata Euryti filia ab Hercule amata. *Ingerat*, subinde moneat, & in aurem inferciat: unde *fartores* dicti Festo. Ingeruntur dicta tamquam tela. nam & *verba jaci* dicuntur. vide Eleg. 4. sup. v. 91. *Ingestit armis*. Dictitet Iole, idus Apriles tuum esse natalem, qui dies natalis Mæcenatis fuit. vide Horatium Ode 11. lib. 4. *Aprilis*, quasi Aperilis, quod ver omnia aperiat; non ab Aphrodite. Varro 5. de L. L. & Ovidius 4. Fast. *Amycle*, nomen ancillæ, ab Amycla Amphionis & Niobes filia, quæ cum Chlori sorore sola servata ex illa fratrum & sororum cæde: Pausanias Corinthiacis. *Tundat*, obtundat, sæpius idem monendo: *Fodiat*, ut Terentius & Horatius. Terentius Hecyra 1, 2. *Tundendo atque odio effecit senex*. ubi Donatus: *Tundere est sæpius idem repetere; translatione a fabrorum malleo*: Inde *Tudites*, mallei: Festus. Natali vero die mittebantur munera. Martialis Epigr. 54. lib. 9.

Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
Munera: tu prohibes. imperiosus homo es.

Idem Epigr. 63. lib. 8. *Ut poscas, Clyte, munus, exigasque, Uno nasceris octies in anno, Et solas, puto, tresve quatuorve Non natalitias habes Calendas*. Petronius: *Vestimenta mea cubitoria perdidit, quæ mihi natali meo dederat cliens*. *Idibus Majis*; idus Majæ natalis Mercurii. Martialis: *Majæ Mercurium creastis Idus*. & iisdem idibus ædes Mercurii dedicata. Festus in *Majis*. idemque festus dies mercatoribus: Festus in *Majus*, & Ovidius 5. Fast. *Idus* ab iduare, quod est Hetruscâ linguâ dividere. vide Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 15. & Plutarchum ἐν Ῥωμ. Quæst. 22. PASS. *Ingerat Apriles Iole tibi*. De Idibus Aprilis, quod ait Passeratius, hoc loco ne γρῦ quidem. Imitatus videtur Ovidius l. 1. A. A. v. 405.

Sive dies aderit natalis; sive Kalendæ
Quas Venerem Marti continuasse juvat.

nempe Kalendæ Apriles, quæ mensem Martium exactum continuo excipiunt. Perperam Douza Martias Kalendas interpretatur. Martiis Kalendis munera matronis mittebantur, qui dies erat mulieribus quasi Saturnalia. Mense vero Aprili non unus dies ad puellas venales pertinebat, ut constat ex veteri Kalendario. nam III. Nonas meretrices lavabantur sub myrto. XII. Kal. Majas erant Festa Veneris: IV. Kal. Festum Floræ. Manifestum igitur est, quamobrem dixerit Propertius: *Ingerat Apriles Iole tibi*. Potest tamen hic locus aliter explicari: Moneat ancilla, Aprilem adesse, tamquam si eo mense nata fueris: alia vero ancilla alio tempore inculcet, te ortam fuisse Idibus Majis. etenim avaræ puellæ plures dies veluti natales celebrabant, ut munera sæpius acciperent. Ovidius id testatur 1. A. A.

Quid, quasi natali quum poscit munera libo,
Et, quoties opus est, nascitur ipsa sibi?

Tundat Amycle. Cincius Alimentus de Verbis Priscis, apud Festum: *Tuditantes, tundentes, negotium tundentes significare ait Cincius, id est agentes*. Livius lib. 2. Hist. *Quando id certum atque obstinatum est, inquit, neque ego obtundam sæpius eadem nequicquam agendo*. Plautus Cistell. 1, 1, 120. *Istoc ergo auris graviter obtundo tuas, Ne quem amet*. Terentius Andria, 2, 2, 11. *Obtundis, tametsi intelligo*. & Adelphis, 1, 2, 33. *Ne me obtundas de hac re sæpius*. D. Augustinus haud dissimiliter locu-

tus

Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
Quidlibet. has artes si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeæ delectent probra sequacis:
Nempe tulit fastus ausa rogare prior.

Sed

tus Serm. 360. *Sic & ego de Ecclesia catholica tots erbe diffusa circumtundebar divinarum vocibus litterarum*. *Terebrare* etiam dixerunt. Plautus Bacchid. 5, 2, 82. *Ut terebrat!* Quod Ludovicus Areostus eleganter ita expressit Cantu 45. R. F.

La balia le ricorda, e rode, e lima,
Che tanto ben di rado avvenir suole. V.

v. 37. Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra quidlibet. has artes si pavet ille, tenes] Ut Eleg. 4. sup. v. 33. *Captiva sedet*, ita & hic *Supplex*, veniam orans. Tibullus Eleg. ult. lib. 2.

Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo.

Posita cathedra. Plinius Junior Epist. 21. lib. 8. *Julio mense, quo maxime lites interquiescunt, positis ante lectos cathedris amicos collocavi*. (lecturus illis) Horatius Sat. ult. lib. 1.

Discipularum inter jubeo plorare cathedras.

Juvenalis Sat. 9.

Strata positus, longaque cathedra
Munera femineis tractas secreta Kalendis.

Martialis Epigr. 109. lib. 9.

Inter femineas tota qui luce cathedras
Desidet. - - - Calpurnius in Bucolico:
Inter femineas spectabat turba cathedras.

De *cathedra*, pro sella feminea legendus Lipsius lib. 1. Elect. cap. 19. Erant & cathedræ doctorum, de quibus Ausonius Epigrammate in Rufum, & in Parentalibus. *Tu scribe quidlibet*. quidquid visum erit scribe in tabellis. *Has artes si ille pavet*, si dolos & astus tuos reformidat, iisque movetur. *Artes*, pro dolis, ut Eleg. ult. l. 3. *Ista sum captus ab arte*. Pavere cum quarto casu. Horatius Epodo 12. *Ut pavet acres Agna lupos*. Attius Prometheo apud Ciceronem 2. Tusc. *Noctem paventes*. An, *Tenes quidlibet*, id est, statim quidvis auferes? An *Tenes*, tuus est, cepisti? Sic El. 7. infra:

Si te non totum Chloridos herba tenet. P.

Quidlibet. *Quod libet* Gebhard. p. 171. Ba. *Scribe quidlibet*. nimirum ut ille suspicetur, te scribere amatoriam epistolam ad ejus rivalem: vel saltem occupatam esse, agere alia, & illius amorem minime curare. *Tenes*. Italice: *Hai nella rete il merlotto*. Vulp.

v. 39. Semper habe morsus circa tua colla recentes] Vide adnotata hac de re ad Eleg. 3. sup. v. 25. & 26. *Morsus*, notam modo impressam dente, vestigium nequitiæ. *Circa colla*, ut collum ambiant. Eleg. 6. infra:

Plauserunt circa libera signa deæ.

Ibidem:

Terque focum circa laneus orbis eat. Pass.

v. 40. Litibus alternis quos putet esse datos] Catullus hac de re Carm. 65.

Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ.

Juvenalis Sat. 6.

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus
In quo nupta jacet.

Putet, unde æmulatio nascatur. Aliàs legitur, *Putat*. *Datos*. Dare morsus, mordere; ut dare ictus, gemitus, saltus, carmen, motus; & *Dare notas* Eleg. 3. sup. v. 26. Pass.

v. 41. Nec te Medeæ delectent probra sequacis] *Probrum*, aliàs flagitium & stuprum: Festus. Noster Eleg. 4. sup.

Et valeat probro Vesta pudenda meo:

Aliàs maledictum & convicium, ut hic. Livius lib. 1. *Ingerere probra*. Cicero l. 11. Epistolar. ad Attic. *Omnium probrorum plena epistola*. & pro Flacco: *Maledictis & probris vexare*. Maledicta ergo & convicia Medeæ in Iasonem intelligit, de quibus Euripides & Seneca. An quæ ipsi Medeæ ab Iasone & Creonte exprobrata sunt? *Sequacis*, Secutulejæ,

Sed potius mundi Thaïs pretiosa Menandri,
Quum ferit astutos comica mœcha Getas.

In

tulejæ, Petronio. Sequi virum est mulieris libidinosæ. unde Eleg. ult. lib. 2.

Colchis & ignotum nunne secuta virum?

Virgilius 1. Georg. dixit: *Capreæque sequaces. Persecutrices*, inquit Servius. ut 5. Æn. *Maleæque sequacibus undis*. & 4. Georg. *Fumosque manu prætende sequaces; Persecutores apum*, inquit. & alibi. Lucretius lib. 2. *Curas sequaces* dicit; & lib. 3. *Motus sequaces*. *Sequaces hederæ* Persius. *Sequaces lanæ* Martialis. *Sequax bitumen*, id est, lentum & facile, Plinius. PASS. Epithetum ignominiosum. Catulli Ariadna in Nuptiis Thetidis:

Respersum juvenem fraterna cæde secuta.
BROUKH.

Medeæ probra. infamia, qua laborat apud omnem posteritatem, quum turpiter externum virum ipsa petiverit, patrique ac patriæ prætulerit. VULP.

v. 42. NEMPE TULIT FASTUS AUSA ROGARE PRIOR] Id est, Passa repulsam; immo etiam repudiata est & ejecta. Eleg. 21. lib. 2.

Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Ejecta est.

Ferre fastus, ut Eleg. 19. lib. 3. *Cretæi fastus quæ passa juvenci*. *Rogare*, & petere, libidinis; ut *Ausa*, impudentiæ. Noster Eleg. 5. lib. 1. *Non impune illa rogata venit*. ubi vide adnotata. & *Prior rogare*, ut Eleg. 25. lib. 2. *Ultro contemtus rogat*. Sic Sallustius de Fulvia: *Quæ viros sæpius peteret, quam peteretur*. id est, petulans & procax. PASS.

v. 43. SED POTIUS MUNDI THAÏS PRETIOSA MENANDRI] Nempe, te juverit, te delectet. *Thaïs pretiosa*, *Multinumma* Varroni: quæ noctem suam magno vendebat. ut Eleg. 13. lib. 3. *Non pretiosa*. Alii libri, *Prædosa*, ut ait Beroaldus. Sic *præmiosa* Cato dixit apud Festum. *Mundi*, culti, elegantis; ut Eleg. 2. sup. *Mundus institor*. & Eleg. 9. infra: *Munda rosa*. An *mundus*, diffluens & dissolutus? talis enim Menander apud Phædrum L. 5. Fab. 2. Noster Eleg. 21. lib. 3. v. 28. *Doctum* vocavit. *Thaïs Menandri*: Varro Meleagris in *Dimittere*, & in *Tunica* apud Nonium: *Quum etiam Thaïs Menandri tunicam habeat demissam ad talos*. vide adnotata ad Eleg. 6. lib. 2. v. 3. ubi *Thaidem* vocat *Menandream*. PASS. *Mundi M. blandi* habet unus Regius, pro *mundi*. male. *mundus* hic valet elegans, cultus, totus a pyxide & speculo. talis autem erat Menander. ----- Beroaldi *prædosa* non placet: minus multo Gebhardi *speciosa*. poterat eos expedire Clitipho ille Terentianus, Heaut. Act. 2. Sc. 1. *Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, tamen Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ. Mea 'st potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis*. adde, si voles, J. F. Groovium Observ. in Script. Eccles. C. 2. & scito, nos in octo libris *pretiosa* invenisse. quæ vocula non tantum de ea dicitur, quæ gaudiis suis elocandis pretium ipsa ponit, sed & de illo qui damnosa mercede conducit. Horatius L. 3. Od. 6. *Sed jussa coram non sine conscio Surgit marito, seu vocat institor, Seu navis Hispanæ magister, Dedecorum pretiosus emtor*. BROUKH. *Mundi Menandri*. etiam ob Comœdias polite atque Attice scriptas mundus Menander. VULP.

v. 44. QUUM FERIT ASTUTOS COMICA MŒCHA GETAS] *Mœcham* pro meretrice posuit, ut & fortasse Catullus Carm. 42. *Mœcha putida, redde codicillos*. Græcum est μοιχός, adulter. unde *Mœchimonium* dixit etiam Laberius apud Gellium, & Nonium. *Comica*, quæ in comœdiis inducitur, ut apud Ciceronem: *Comici stulti senes*. *Ferit*, deludit, emungit, & dolo & damno afficit. Eleg. 3. lib. 3.

Qui volet austeros arte ferire viros.

ubi vide adnotata. Vet. Gloss. *Dispendium feriendum*, Ζημία ὑπενεκτέα. *Astutos Getas*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. ult.

Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vivet, dum meretrix blanda, Menandros erit.

Idem 3. A. A.

Nota sit & Sappho; quid enim lascivius illâ?
Cuive pater vafri luditur arte Getæ.

Auso-

In' mores te verte viri: si cantica jactat,
I comes, & voces ebria junge tuas.

Jani-

Ausunius in Monosyllabis:

Barbarus est Lydus, fallax Geta, femineus Phryx.

Donatus in Adelphos: *Infidelis servus in comœdiis vel Syrus, vel Geta.* Strabo lib. 7. docet, unde Getarum & Davorum nomina servilia fluxerint apud Athenienses. *Astuti*, ab ἄστυ, urbs, quia in urbe versati callidiores esse solent: Festus. PASS. *Q. feris a. e. m. Getas*. quum servum aliquem vafrum & fraudulentum ipsa fraudulentior fallit, ac bolo opimo emungit. Translatio de ludu gladiatorio ducta. præiverat Terentius Phorm. Act. 1. Sc. 1.

Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi ea pepererit e
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies.
Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet,
Puer causa erit mittundi.

pulcre Epicharmus ille Umber Trinum. Act. 2. Sc. 1. *Qui ab eo quod amat Quom extemplo saviis sagittatis percussus est, illico res foras Labitur, liquitur. Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes. Ibi ille cuculus; Ocelle mi, fiat! & istuc, & si amplius vis dari, Dabitur! ibi illo pendentem ferit.* Marollium audi: *Quand cette courtisane, personnage de tant de comedies, fait donner force coups de baston à des Geta rusez*, qui poterat festivius? BROUKH.

V. 45. IN MORES TE VERTE VIRI: SI CANTICA JACTAT, I COMES, ET VOCES EBRIA JUNGE TUAS] Morem gere viro, id est, amatori. Obtineas polypi ingenium, quale fuisse Catilinæ Cicero & Sallustius scribunt, & Alcibiadis, Plutarchus. *Verte*, ut Eleg. 2. sup.

In quamcunque voles verte, decorus ero.

Morum similitudo & morigeratio conciliat amorem. Lege celebres versus Afranii Vopiscu apud Nonium in *Mala ætas*. & Lucretium sub finem lib. 4. *Viri*, pro amatoris. Noster Eleg. 6. lib. 2.

Phryne tam multis facta beata viris.

Cantica jactat, pro cantat. sic Virgil. Ecl. 2.

Ibi hæc incondita solus
Montibus & silvis studio jactabat inani.

Sic *jactare convicia*, pro conviciari Eleg. 8. lib. 3. ubi vide adnotata. *Canticum*, carmen quod modulatione quadam pronuntiabatur in theatro. Cicero Epist. 22. lib. 9. ad famil. *Ut ille in Demiurgo: nosti canticum. Cantica*, fabularum, ut & *diverbia*, de quibus Donatus in Terentium. Isidorus lib. 3. *Canticum, vox cantantis in lætitia.* Fabius lib. 11. cap. 3. ejusmodi canticum vocat *modulationem scenicam*, quam vitiosam oratori docet in pronuntiatione. Apud Suetonium in Caligula cap. 54. *Cantico desaltato*. id est, fabula & tragœdia. Canticum intelligit Eleg. 22. lib. 2. *Varios incinit ore modos*. Ovidius 3. Fast. de meretricibus in Festo Annæ Perannæ:

Illic & cantant quidquid didicere theatris.

Appulejus Apolog. 1. *Fenestra canticis circum strepita. I comes*, adde te sociam cantico. *I*, pro veni, ut sup. *Puros Isidis isse dies. Et voces tuas junge*, illi accine. Addit, *Ebria*, quia ebrietatis comes, ut saltatio, ita & cantus lasciviur. Tibullus Elegia 7. lib. 1.

Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus, Osiri:
Sed chorus, & cantus, & levis aptus amor.

Fabios lib. 11. cap. 3. *Quid enim oratori minus convenit, quam modulatio scenica, & nonnunquam ebriorum, aut comissantium licentia similis?* PASS. *Si cantica jactat*, ita omnes libri - - - - tamen verior mihi lectio videtur, quam reponit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Remed. Amor. v. 334. *si brachia jactat*. h. e. si saltat. nam manuum magis & brachiorum motu quam pedum, se commendabant veterum saltationes. vide quæ istic & commode & copiose ex poetis Latinis adducuntur exempla. Lucretius L. 4.

Quod superest, non est mirum, simulacra moveri,
Brachiaque in numerum jactare, & cetera membra.

tum paullo post:

Quid porro, in numerum procedere quom simulacra

Cenni-

Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram.

Nec

Cernimus in somnis, & mollia membra movere,
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt,
Et cepetunt oculis gestum pede convenienti?

valide etiam juvat id quod statim sequitue, *voces ebria junge tuas*. neque enim saltatio apud veteres erat hominum bene sobriorum, neque in eo pretio, quo est hodie apud gentes cultiores. Horatius L. 2. Sat. 1.

Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

Vide & Ciceronem Orat. pro Murena C. 6. loco plane insigni. his recte perpensis, non possum quin ambabus manibus amplectar bellissimam Viri magni emendationem. BR. EGO VERO librorum consensum revereor, neque loco manifeste sano medicinam esse adhibendam reor. id enim optantis esset, non emendantis. Heinsius ipse pudenter abstinuit: ejus enim verba sunt: *Quare parum abest, quin apud Propertium libro IV. Eleg. V. illis versibus: In mores, &c. Si brachia jactat censeam reponendum*. Deinde, *jactare brachia*, si nihil aliud addatur, non est nota certa saltationis. Quamobrem in exemplis ab Heinsio allatis plerumque aliæ etiam saltationis περιστάσεις commemorantur. Præterea, solebant amatorculi non solum saltare, sed & passim cantitare, vocisque dulcedine se puellis commendare. Martialis in Cotilum Epigr. 63. lib. 3.

Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines,
Balsama qui semper, cinnama semper olet.
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat:
Qui movet in varios brachia volsa modos.

Voces ebria j. t. Ita Persius Sat. 5. v. 165.

Dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto.

VULP.

V. 47. JANITOR AD DANTES VIGILET: SI PULSET INANIS, SURDUS IN OBDUCTAM SOMNIET USQUE SERAM] Sic Ovidius l. 1. Amor. Eleg. 8.

Surda sit oranti tua janua, laxa ferenti.

vide & Elegiam 6. ejusd. lib. ad Janitorem. *Vigilet ad dantes*, excubet, & paratus sit aperire dantibus, & quibus manus gravior fiet, ut loquitur Plautus. *Ad dantes*, erga dantes, vel dantibus. ut Eleg. 14. lib. 3. *Ad latus esse sua*. & Eleg. 18. l. 1. *Dicere ad aves*. *Si pulset inanis*. Appulejus Apolog. 1. *Qui amplam stipem mulieri detulerunt, nemo eos observat, sua arbitratu abscedunt: qui inaniores venere, signa data pro adulteris deprehenduntur*. *Pulsat*, qui admitti vult. sic Eleg. 14. lib. 2.

Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant.

Plautus in Asin. dixit etiam verberare: *Noli fores verberare conservae meae*. κόπτειν Græci dicunt, quod est pulsare, ingredi volentium: & ψοφεῖν, egredientium, quod Latinis: *Crepuerunt fores*; quia crepitu digitorum significabant se velle egredi, ne quem prætereuntem læderent, quia in publicum fores aperiebantur: Turnebus l. 11. Adv. cap. 12. *Inanis*, qui nihil adfert; cui steriles manus, Plauto. Idem Pseud. 1, 3. *Nihil te mei miseret? Inanis accedas? nihilne te pudet? te amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem?* Idem Asin. 3, 3. *Ego bajulabo (crumenam) tu, ut dominum decet, ante me ita inanis*. Eidem, Pseud. 1, 3. *inanilogus* dicitur, cui non sit argentata querimonia. Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Heu canimus frustra: nec verbis victa patescit
Janua, sed plena est percutienda manu.

id est, gravi ob pecuniam. *Surdus*, qui audire non vult, nec curat. Eleg. 3. sup. *Omnia surda tacent*. *Surdum*, a se & audite. nam *aures* quasi *audes*. *Somniet*, dormiat. nam somnium sine somno & dormitatione non est. *Usque*, diu ac multum, inquit Donatus in Eunuch. aut continuo & perpetuo, ut Eleg. 30. lib. 2. *Usque sequetur Amor*. *In seram obductam*, quo usque sera obducta erit: at illa semper erit inani. sic *dormire in lucem*, & *in medios dies*, & *in aurem utramque*. An indormiat seræ, eique obductæ? Obductam seram. occlusam januam. nam sera est *claustrum januæ*, inquit Donatus ad illud Eun. 4, 6. *Ostium obsera intus*. De sera dicetur ad Eleg. 7. infra.

Nec tibi displiceat miles non factus amori,
    Nauta nec attrita, si ferat æra, manu.
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
    Cælati medio quum saliere foro.

infra. PASS. *Inauis*. *vacuum* appellat Juvenalis Sat. 10. celebri versu:

Cautabit vacuus coram latrone viator. VULP.

v. 49. NEC TIBI DISPLICEAT MILES NON FACTUS AMORI] Nec fordeat miles rudis in amoris militia & tiro; licet in Martis militia veteranus. qua de re Plautus Truculento. *Displiceat*; sic Augustus: *Dis me tibi displicuisse*. *Places*, verbum amatorium: contra, *displices*, repudiantis. *Non factus amori*, quia *Horridus miles* Ennio; *Barbarus & durus* Virgilio. *Factus*, aptus, habilis. Cicero pro Milone: *Ad quam* (legem) *non facti, sed imbuti sumus*. & in Bruto: *Quamvis naturâ non est ita factus*. Alii libri: *Miles modo factus amori*, qui nuper militara in castris amoris cœpit. nam fieri militem dixit Cicero pro Cæcina: *Quod miles factus non esset*. Sic Ovidius lib. 4. Trist. El. 6.

Fert bene præcipites navis modo facta procellas.

Hac de re Ovidius 3. A. A.

His rudis, & castris nunc primum notus amoris,
Qui tetigit thalamos præda novella tuos.

& sic τὸ *Miles* iterandum: Ne tibi displiceat miles, miles modo factus amori. Notat tamen Beroaldus ex Aristotele 2. Politic. milites esse pronos & proclives ad libidinem mulierum, unde orta sit Martis & Veneris fabula. PASS. Milites libidini quidem facti, at non amori. violentos enim se præbent, iracundos, incultos, asperos, suspiciosos: puellarum quietem ac hilaritatem interturbant, rixantur in joco atque vino, involant in capillum, da nihilo minantur, & machæram educont. Altera lectio, quam profert Passeratius, non est nauci. etenim novi amatores mulieribus grati & utiles magis. Eleganter lena illa Plautina in Asin. 1, 3, 26. *Quasi piscis, itidem est amator lenæ, nequam est, nisi recens. Is habet succum, is suavitatem: eum quovis pacto coudias; Vel patinarium vel assum: verses quo pacto lubet. Is dare volt, is se aliquid posci. nam ubi de pleno promitur, Neque ille scit quid det, quid damni faciat. illi rei studet*. lege sis quæ sequuntur. Ceterum, quæstus meretricius omnino similis est spurcissimo illi vectigali quod Vespasianus e lotio colligebat; de qoo Suetonius in ejus Vita cap. 13. Venustissime autem Petronius, de mulieribus vilissimum quemque ad Veneris luctam, quasi datâ operâ, seligentibus: *Quædam*, inquit, *feminæ sordibus calent; nec libidinem concitant, nisi aut servos viderint, aut statores altius cinctos. Harenarius aliquas accendit, aut perfusus pulvere mulio, aut histrio scenæ ostentatione traductus*. VULP.

v. 50. NAUTA NEC ATTRITA, SI FERAT ÆRA, MANU] Si adportet stipem. & æra fert tam miles, quam nauta. *Æs* enim, militare stipendium Plauto Aulul. *Cedit miles, æs petit*. unde *æra diruti milites*. & nautarum æra sunt, naulum scilicet. Eleg. ult. infra: *Ubi portitor æra recepit*. & æra meretrices quoque accipere dicuntur. Juvenalis Sat. 6.

Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit.

Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Stat meretrix parvo cuivis mercabilis ære.

Inda *quadrantaria* dicta Clodia, quod ut meretriculæ quadrantes ei dati, qui numuli ærei, Plinio, & Plutarcho in Cicerone. & C. Marius impudicæ mulieri moltam dixit quatuor quadrantes: Idem Plutarchus in Mario. Martialis Epigr. 33. lib. 9. de scorto diobolari: *Quam redimit totam denarius alter*. PASS. *Attrita manu*. rudentibus nempe ac remis tractandis. callosa & scabra. VULP.

v. 51. AUT QUORUM TITULUS PER BARBARA COLLA PEPENDIT] Ovidius lib. 1. Amor Eleg. 8. in hanc sententiam:

Nec tu, si quis erit capitis mercede redemtus,
Despice. gypsati crimen inane pedis.

Scaliger: *Caput*, inqoit, *erat ædilitii edicti* (apud A. Gellium lib. 4. cap. 2.) *quæ*

parte de mancipiis vendundis tantum est: Titulus servorum singulorum utei scriptus siet coirato, ita ut intelligi recte possiet, quid morbi vitioive quoique siet, quis fugitivus, errove siet, noxave solutus non siet. vide etiam titulum ad ædilitium edictum in Pandectis juris. & Ulpianum L. 1. *de ædilitio ed.* §. *Ajunt ædiles*. ubi tamen tituli nulla mentio: sed ut pronuntietur, quid vitii, &c. Hoc loco scribit Propertius, titulos illos unicuique ex collo aptos fuisse. ego reperio etiam in venalitio pingi solitos. Petronius: *Ego autem collecto spiritu non destiti totum parietem persequi. erat autem venalitium titulis pictum*. venalitium vocat δουλεμπορεῖον. Hæc Scaliger. Seneca Epist. 47. *Stare ante limen Callisti dominum suum vidi: & eum qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula (leg. reicula) mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi*. Etiam quum ad supplicium ducerentur servi, titulum caussamque supplicii in tabula descriptam gestabant: Dio lib. 54. Fortasse autem venalitiis addebantur tituli, ut etiam indicarent cujus regionis, ætatis, artis, pretii essent. Sic tituli meretricii. Juvenalis Sat. 6.

Tunc nuda papillis
Constitit auratis titulum mentita Lyciscæ.

Erant tituli & in pompa triumphi. El. 4. lib. 3. *Titulis oppida capta legam*. Suetonius in Augusto c. 59. *Titulo prælato victimæ*. & in Caligula cap. 14. *Proposito titulo vovere capita sua*. Et *flamarum tituli*: Ibid. cap. 34. & in Galba cap. 2. Fuerunt & tituli ædium venalium. Tibullus Eleg. 4. lib. 2.

Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas,
Ite sub imperium, sub titulumque lares.

Petronius: *Titulus tepidi temporis*, id est, index. [Contra Tibullus Panegyr. ad Messalam posuit indicem pro titulo statuæ:

Nec quæris quid quaque index sub imagine dicat.]

Pendere per colla. pro, ex collo. Eleg. 12. lib. 3. dixit *Pendebit collo*. An pro ante, ut Eleg. 13. lib. 3. *Spolia opprobrii nostra per ora trahit? Barbara colla*, barbarorum mancipiorum, maxime Syrorum & Lydorum. Sic Horatius Ode 25. lib. 3. *Pede barbaro Lustratam Rhodopen*. Eleg. 1. sup. *Rudi colla*. Eleg. 8. infra: *Colla Molossa*. PASS. Hujusmodi tituli elogia etiam dicebantur: Græcis τίτλοι καὶ αἰτίαι. VULP.

v. 52. CELATI MEDIO QUUM SALIERE FORO] *Celati*, inquit Beroaldus, *sub galea occultati gladiatores, vel servi stigmatici*. Scaliger: *Celati, procul dubio sunt signati: ἐστιγματισμένοι, ut Xenophon περὶ προσόδων dixit, ἀνδράποδα ἐστιγματισμένα. nam mancipiorum pedes signabantur creta: siquidem privati hominis essent, heri sigillo; sin publica, reipublicæ*. Plinius lib. 35. H. N. cap. 17. pedes venalium creta denotari solitos ait trans mare advectorum; unde Tibullus Elegia 3. l. 2. *Gypsatos pedes* vocat. & Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8. An ergo legendum *Cretati?* Turnebus lib. 8. Adv. cap. 1. Celare exponit, omni mangonio pingere, & omni lenocinio celare. errat. *Quum salitre foro medio*. Scaliger: In foro venalia prostabant mancipia, & saltare ac currere circum coronam solebant. Menander Ἐφεσίῳ apud Harpocrationem in Κύκλοι: Ἐγὼ μὲν ἤδη μοι δοκῶ νὴ τοὺς θεοὺς Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐκδεδυκότα Ὁρᾶν κύκλῳ τρέχοντα καὶ πωλούμενον. id est: *Ego quidem jam mihi videor, per deos, Memet in circulis* vestibus *exutum Videre in orbem currentem & venumdatum*. Currebant ergo dum præco ipse venales prædicabat, ut cognoscerentur qui essent. Nævius Agitatoria (apud Charisium lib. 2. in Tax pax.) *Age ne tu mihi adversari dicas, hunc unum diem, Demea, sequior sinam illos esse tax pax, postea Currentes ego illos omnes vendam, nisi tu viceris*. τρέχοντας Menander; *currentes* Nævius; *salientes* Propertius dixit, quibus plaudebat ipse præco. Cornutus ad illud Persii:

Cappadoces rigida pingues pavisse catasta.

Legitur, inquit, *& plausisse: quoniam venales antequam in catasta imponantur, cantant universi pariter more gentis suæ*. Hæc Scaliger. Turnebus lib. 8. Adv. cap. 1. *In foro saltare, ingenuis turpe erat, quod servitia, quum veniebant, faciebant*. Beroaldus: *Quia virgis cæsi in media foro saliebant stigmatici servi*. Sic *præsul* in ludis apud Livium. Nescio an huc pertineat argumentum Declamationis 340. apud Fabium: *Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit. Mango novitium puerum per publica rostra jecit prætextatum. dicitur ille liber*. PASS. Joannes Rhodius *calatos* exponit, cauterio inustos, Not. ad Scribon. Larg. p. 310. quod huic loco bene ut conveniat, vix mihi patior persuaderi. Nic. Heinsius *Elati* reponebat Not. ad Valer. Flacc. L. 2. v. 270. Ba-

Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum.
Versibus auditis quid, nisi verba, feres?
Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine ære lyra.

Dum

Cælatæ vocat poeta servos fugitivos, quibus in potestatem domini reversis fœda stigmata imprimebantur, ut similia molientibus terrori essent. Horum *vultus inscriptos* vocat Plinius lib. 18. H. N. cap. 3. *γράμμασι κατεστιγμένους* Græci dicunt. Rem vero graphice ob oculos ponunt Valerius Maximus lib. 6. Memorabilium cap. 8. & Petronius in Satyrico. Illius verba sunt: *Servus ab eo vinculorum pœnâ coërcitus, inexpiabilique litterarum nota per summam oris contumeliam inustus*. Hujus autem: *Implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus litteris, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit*. Hæc inscriptio fiebat ferro candenti, ut liquet ex versiculo Næviano apud Priscianum lib. 7.

Signare oportet frontem calida forcipe.

Inscriptionum frontis meminit Seneca lib. 3. de Ira cap. 3. At magis luculente l. 4. de Beneficiis cap. 37. *Philippus*, inquit, *Pausania* mandavit, ut *improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago, stigmata inscriberet, ingratum hospitem testantia. dignus quidem fuit, cui non inscriberentur illæ litteræ, sed insculperentur*. animadverte hic vim τῦ *cælati*. *Inscribere, signare, cælare, insculpere* verba sunt prorsus affinia. Sic apud Ovidium 2. Fast. v. 79. legere est *cælatum stellis Delphina*. Porro, servi qui olim stigmatiæ fuerant, & fronte inscripta, si forte manumissionem consecuti postea essent, comam alebant, & in frontem retrahebant, ut notas inustas operirent: Diphilus Comicus apud Athenæum lib. 6. Nec deerant, qui spleniis, nimirum emplastris ad splenis formam dissectis, & fronti impositis, tamquam ad capitis dolorem, tale dedecus dissimularent. Martialis Epigr. 29. lib. 2. de Rufo quodam, olim servo notis compuncto:

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges.

At cui bono venales prostabant ejusmodi furciferi? In ergastula scilicet relegabantur, ubi, ne rursus fugere possent, crassam compedem trahentes, fossuram exercebant; quod supplicium Horatius minatur Davo Sat. 7. lib. 2. *Accedes*, inquit, *opera agro nona Sabino*. VULP.

v. 53. AURUM SPECTATO, NON QUÆ MANUS AFFERAT AURUM] Auri rationem habeto, non afferentis militis, nautæ, servi. *Spectato*, & an probum sit, & an aurum. *Non quæ manus afferat*. Huc pertinet quod narrat Suetonius in Vespasiano cap. 23. *Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans num odore offenderetur, & illo negante: Atqui, inquit, e lotio est*. PASS.

v. 54. VERSIBUS AUDITIS QUID, NISI VERBA, FERES?] Vide Ovidium l. 1. Amor. Eleg. 8. a versu 57. & lib. 2. A. A.

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur.

Magni tamen fieri versus suos a Cynthia docet Propertius Eleg. 8. & 13. lib. 1. item Eleg. 26. lib. 2. *Quid feres?* id est, auferes, accipies. Eleg. 24. lib. 1. *Ab Hesperio male dracone ferat*. *Nisi verba*, præter inania verba, præter meras nugas. *Verba* ambigue, ἔπεα ἢ λόγους. Ideo sæpe verba, pro versibus. ut Eleg. 2. lib. 3.

Turba puellarum si mea verba colit.

[& Eleg. 33. lib. 2. *Non audis, & verba sinis mea ludere*] *Verba*, pro dolo Eleg. 9. lib. 2.

Sed vobis facile est verba & componere fraudes.

Sic Horatius: *Virtutem verba putas*. PASS. *Quid, nisi*. Ovidius lib. 2. Trist. v. 365.

Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas?

& v. 371.

Ilias ipsa quid est, nisi turpis adultera, de qua
Inter amatorem pugna virumque fuit? V.

v. 55. QUI VERSUS, COÆ DEDERIT NEC MUNERA VESTIS] Sic Eleg. 4. lib. 3. v. 8. *Munus equi*. PASS. Legendum opinor *vesti*.

qui

Dum vernat ſanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.

Vidi

qui verſus tibi dederit, non addito auro, unde ematur veſtis Coa. ellipſis eſt, bonis ſcriptoribus frequens. v. Turnebus XXIII. Adv. 2. Taubmannus ad Plaut. Curcul. 4, 4, 22. p. 351. b. Ovidius L. 1. Art. Amat.

Quid, quaſi natali poſcit quum munera libo,
Et quoties opus eſt, naſcitur ipſa ſibi?

Martialis L. 11. Epigr. 27.

Vel, quum perfricuit frontem, poſuitque pudorem,
Succida palliolo vellera quinque rogat.

vide notata doctiſſimo Gronovio ad Senec. l. 2. de Ira C. 25. tamen vulgata ferri poteſt, neque eſt ſine exemplo. Corn. Nepos Phocion. C. 1. *Hic quum a rege Philippo munera magna pecuniæ repudiaret*. Ovidius L. 14. Metam.

Adde, quod eſt juvenis: quod naturale decoris
Munus habet: formaſque apte fingetur in omnes.

Seneca Oedip. v. 853. *Inutile iſti munus infantem dedi*. ſermo eſt de Oedipode expoſito, ut necaretur. ſed liber Florentinus, ille omnium optimus, *infantis* habet. Catullus Carm. 66.

Non illam rara labefactes munere veſtis.
BROUKH.

Ante hoc diſtichum Codex Bononienſis, & Editio princeps collocant aliud revocatum ex Elegia 2. lib. 1.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?
Et tenues Coa veſte movere ſinus?

inepte prorſus, & ἀπροσδιονύσως. VULP.

v. 56. IPSIUS TIBI SIT SURDA SINE ARTE LYRA] Nam & lyrâ elegi canuntur, & citharâ. Eleg. 10. lib. 2.

Nunc aliam citharam me mea Muſa docet.

Lyra ſurda, quæ non auditur: ut cæcum, quod non videtur. Juvenalis Sat. 7. *Surda nihil gemeret grave buccina*. Idem Sat. 13.

Diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit.

Perſius Sat. 6. *Remque omnem, votaque ſurda Condidit Ionio*. *Locus ſurdus* Vitruvio lib. 5. ubi non facile vox redditur. Plinius lib. 36. refert etiam ad viſum: *Surduſque color fit*. Perſius Sat. 6. ad odoratum: *Spirent cinnama ſurdum*; non ſentiatur odor: ut Horatius Sat. 8. lib. 2. *Exſurdant vina palatum*; hebetant. *Sine arte*, rudis & indocta. Eleg. 1. ſup.

Non fuit opprobrio facta ſine arte caſa.

Contra Eleg. 1. lib. 2.

Sive lyra carmen digitis percuſſit eburnis,
Miramur faciles ut premat arte manus.

Legitur & *ære*. id eſt, lyra inanis & immunis. PASS. Melius liber Groninganus, *Iſtius tibi ſit ſurda ſine ære lyra*, iſtius lyra, inops, & ab ære deſtituta, mutum tibi tinniat. atque ita etiam in ſuis invenerant Volſcus, Paſſeratius, Gebhardus. neque Scaligero diſplicebat. BROUKH. *Surda lyra*, vel non audita: ut Silius Italicus lib. 6. v. 74.

Vetus ille parentis
Miles, & haud ſurdâ tractarat prœlia famâ.

& lib. 8. v. 248. de Varrone Conſule:

Atque illi ſine luce genus, ſurdumque parentum
Nomen.

vel, quod verum exiſtimo, abſurda, abſona, rauca. Statius lib. 1. Silv. Carm. 4. *Quamquam mihi ſurda ſine illo Plectra*. Et perſpicue Quintilianus lib. 12. Inſtit. Orat. cap. 10. *Ut in* Zephyris, *&* Zopyris, *quæ ſi noſtris litteris ſcribantur, ſurdum quiddam & barbarum efficient*. VULP.

v. 57. DUM VERNAT SANGUIS, DUM RUGIS INTEGER ANNUS, UTERE; NE QUIS EAT LIBER AMORE DIES] Titius legebat, *annis utere*: ridetur a Scaligero p. 33. & 34. *Vernat*, in ætatis vere, & flore calet: viget. Eleg. 19. lib. 1.

Illic formoſæ veniunt chorus heroinæ.

Ut omnia florent & vigent vere, ſic in juventute, quod ver eſt ætatis, ſanguis vernat. Sic Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere. non tardo labitur illa pede.

Ovidius 3. A. A.

Dum licet, & veros etiam nunc editis annos,
Ludite. eunt anni more perennis aquæ.

& mox:

Uten-

Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
Sub matutino cocta jacere Noto.

His

Utendum est ætate; cito pede labitur ætas.
Annus integer (a) *rugis*, ver ætatis a rugis intactum. *Integer annus*, ætas integra Plauto in Pseud. 1, 2. *Ubi sunt quibus ætas est integra, & qui amant ab lenone?* Suetonius in Augusto cap. 19. *Neque ætate, neque corpore integer*. & in Caligula cap. 25. *Neque facie insigni, neque ætate integra*. Plautus Mercat. 3, 2. *Adolescens quum sis, tum quum est sanguis integer*. Virgilius 2. Æn. *Quibus integer ævi Sanguis*. *Integer rugis*; ut Virgilius in Culice: *Vix compos mente resurgit*. & Ennius: *Studiosum robore belli*. Sic dicitur & *Expers domo*, & *Expere metu*, & *Expers more* apud Plautum. vel τὸ a subauditur, ut hic *Liber amore dies*. *Annus*, pro anni; enallage numerorum, ut *Misenis*, *Bospora*, *Capnolia*. Annus; pro parte anni. Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

Annus in apricis maturat collibus uvas.

Virgilius, *Frigidus annus*, &, *Formosissimus annus:* Horatius vero, *Annus hibernus*. *Rugis*, quæ comites senectutis. ut Eleg. ult. lib. 3.

Et veniat formæ ruga sinistra tuæ.

Utere. Eleg. 15. lib. 2. dixit: *Hunc fructum ne desere vitæ*. Suetonius in Galba cap. 20. *Galba, cupide fruaris ætate tua*. *Ne quis eat liber amore dies*. ex Cervini conjectura Titius legit:

Annis
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.

& ita vet. lib. Ridetur a Scaligero p. 33. & 34. *Dies eat*, abeat, prætereat, ut Elegia 4. lib. 1. v. 10. *Turpis eat*. Seneca Consol. ad Marciam cap. 6. *Eat omnis inter luctus dies*. Alludit autem ad Apelleum illud: *Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit*. *Liber amore*, vacuus & immunis; ut Eleg. 2. lib. 2. *Liber eram*. sic *Liber locus*, *liberum hospitium*. Liber cum sexto casu; ut Virgilius 3. Georg. *Liber habenis equus*. Cicero: *Liber terrore, cura*. Horatius Epist. ad Pisones, cum secundo casu:

Indoctus quid enim saperet, liberque laborum? Pass.

Ne quis eat liber amore dies. Antonius Volscus, qui omnium primus ausus est manum admovere poetæ nostro, sæpe interpolatricem, bis vel ter salutiferam, sic notatum reliquit in commentario suo: *Ita scriptum in vetustis cudicibus observavimus, Ne quid cras libet ab ore dies. sed absonum adeo atque salebrosum videtur, ut rectius legi videatur, Ne quis eat liber amore dies.* ---- Jure postliminii in sedem suam reponamus genuina poetæ nostri verba, addicentibus octo libris vetustis. Hanc tam elegantem tamque bellam lectionem quum ad oram sui codicis notasset Marcellus Cervinus, multorum olim MSS. librorum possessor, postea eam quasi pro conjectura Cervini examinandam eruditis obtulit Roberti Titii stupor L. 2. Locor. Controv. C. 8. Pessima porro anicula firmat sententiam suam exemplo rosarum. neque poterat aptius. formæ enim par est admodum ac similis cum eo flore brevitas. *pereunt hodie, nisi mane leguntur*. pulcre Seneca Hippolyt. v. 764. quo loco & lectio simul nostra corroboratur: *Fulgor teneris qui radias genis Momento rapitur: nullaque non dies Formosi spolium corporis abstulit*. & sapiens est effatum mali Imperatoris: (Domitiani) *Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius*. Baoukh. *Dum vernat sanguis*. Ovidius lib. 3. Trist. Elegia 12.

Indocilique loquax gutture vernat avis.

Etiam in Editione omnium principe: *Ne quid cras libet ab ore dies*. Vulp.

v. 59. Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti Sub matutino cocta jacere Noto] A floribus, maxime rosis, argumentum ducitur brevis & fugacis formæ. vide notata ad Eleg. 25. lib. 2. v. 51. *Rosaria*, pro ipsis rosis; ut Eleg. 2. sup. *Cerasos* arbores, pro fructu; ut Eleg. 13. lib. 3. *Rubos*, pro moris. *Rosarium*, ut violarium, pomarium, significat copiam rosas gignentium fruticum: ut *rosetum* Virgilio locum ipsum rosis consitum. Plinius lib. 21. cap. 11. in fine: *Rosaria a Favonio fossa esse oportet*. Suetonius Nerone cap. 27. *Indicebat & familiaribus cœnas: quorum uni mitellita quadragies H S. constitit, alteri pluris aliquanto rosaria*. *Pæsti*. Virgilius 4. Georg.

Bife-

His animum nostræ dum versat Acanthis amicæ,

* * *

Sed

Biferique rosaria Pæsti. ubi Servius: *Pæstum oppidum Calabriæ, ubi bis anno nascitur rosa* (Majo & Septembri:) Ovidius 15. Metam.

Leucosiamque petit, biferique rosaria Pæsti.

Ausonius in Rosa:

Vidi Pæstano gaudere rosaria cultu.

De Pæsto Lucaniæ oppido, & sinu Pæstano Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. & Strabo lib. 5. in fine. *Odorati*, suaveolentia. vide Eleg. 3. sup. v. 66. *Victura*, diutius permansura in flore, absque Noto esset. Plantæ ac flores vivere dicuntur, & mori. Statius 3. Silv. in Lacrimis Etrusci:

Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros.

Cocta sub Noto. Auster enim torret simul & putrefacit. Horatius Sat. 2. lib. 2.

At vos

Præsentes Austri coquite horum obsonia.

Statius 7. Thebaid.

Quum Sole novo tristique rosaria pallent Usta Noto.

An *cocta*, adusta frigore? quia addit *matutino*: & est *frigida aura Eoo gelu* Eleg. 16. lib. 1. Virgilius 1. Georg. *Penetrabile frigus adurit*. Auster inimicus floribus. Virgilius Ecl. 2. *Floribus Austrum Perditus immisi*. *Sub Noto*, sub flatum Austri. ut Ovidius 1. Metam. *Jam sub luce reliquit*. vel est alieni imperii. Horatius: *Sub rege Medo*. Ovidius: *Sub Jove mundus erat*. *Matutino*, mane flante; ut Eleg. 16. lib. 1. *Nocturno Zephyro*. mane autem ob rorem teneriores sunt rosæ. *Jacere*, aut ægra languere, aut decidisse, & humi esse strata. Ovidius pariter 5. Fast.

Et monet ætatis specie, dum floreat, uti.
Contemnunt spinam, quum cecidere rosæ.
PASS.

Victura rosaria. nam rosæ, nisi ab Austro lædantur Sole oriente, diem totum perdurant. iccirco poeta memorat Notum matutinum. *Cocta*. Aliàs *coquere*, est maturare. Virgilius lib. 2. Georg. v. 522.

Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

Quod Tibullus dixit Eleg. 4. lib. 1.

Annus in apricis maturat collibus uvas.

M. Varro lib. 1. de R. R. cap. 7. *Quæ arbores in ordinem satæ sunt, eas æquabiliter ex omnibus partibus Sol & Luna coquunt. quo fit ut uvæ & oleæ plures nascantur, & ut celerius coquantur*. VULP.

v. 61. HIS ANIMOS NOSTRÆ DUM VERSAT ACANTHIS AMICÆ] Aptum nomen lenæ asperæ & garrulæ; ab spinis, [quæ ἄκανθαι Græcis] & avicula Acanthide seu cardueli; de qua consulendus Plinius, ut de herba ejusdem nominis. *Versat animos*, labefactat huc & illuc impellendo. Eleg. 8. lib. 3.

Non est certa fides, quam non injuria versat.

Animos amicæ, amicam, nempe Cynthiam; ut Eleg. 7. infra, v. 64. *Pectora nota*. PASS. Non Cynthiam, quæ fortasse mortua erat quum Propertius hanc Elegiam scriberet, sed aliam, cui *Dorozanium* nomen imposuit sup. v. 21. VULP.

v. 62. PER TENUES OSSA SUNT NUMERATA CUTES] Id est, tota pellucebat macie. A quibusdam hic versus obelisco confoditur, ut nothus ac spurius; quibus assentitur Scaliger. Significat, eam morbo, vel fame in extremam maciem adductam. Plautus Aulul. 3, 5. *Qui ossa atque pellis totus est, ita curá macet. Quin cata inspicere in Sole etiam vivo licet, Ita is pellucet quasi laterna Punica*. Idem Captivis 1, 2. *Ossa atque pellis sum miserá macritudine*. [A Plauto fortasse Scriptor Liberi Carminis Epigr. 32. de puella quadam tabida: *Cujus viscera non aperta Tuscus Per pellem poterit videre haruspex*.] *Ossa*, penthemimeris. vide ad illud Eleg. 1. sup.

Nulli cura fuit externos quærere divos.

Per. Gallice *à travers*. vide adnotata ad Eleg. 4. sup. v. 20. *Cutes*, insolens numerus pluralis, ut *Ostris*, *Misenis*, *Bosphora*, *Illyrias*. Cutis hæret vivis; mortuis detrahitur pellis. Isidorus tamen lib. 11. confundit. Ovidius 8. Metam. in descriptione famis:

Dura cutis, per quam spectari viscera possent.

Idem lib. 4. Trist. Eleg. 6.

Vix habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.
PASS.

Per t. o. s. n. c. versus puerilis, ineptus, & Pro-

Sed cape torquatæ, Venus o regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

Vidi

& Propertiu umnino indignus. videtur autem olim suppositus ab eorum mangonum aliquu, qui nullam in libris poetarum lacunam ferentes, vecordi liberalitate iisdem suppetias ibant. Hoc genus, quod sane dolendum, ab stirpe nondum interiit. VULP.

v. 63. SED CAPA TORQUATA, VANUS O REGINA, COLUMAA OB MERITUM ANTE TUOS GUTTURA SECTA FOCOS] Sic El. 16. lib. 2.

At tu nunc nostro, Venus o, succurre dolori.

Regina, ut Eleg. 3. lib. 3.

Es Veneris dominæ volucres mea turba columbæ.

Horatius Ode 26. lib. 3. ad Venerem: *Regina, sublimi flagello Tange Chloën semel arrogantem*. Ab Hesychio memoratur Ἀφροδίτη βασιλίς. *Cape*, verbum dicantis & fulventis vutum. Varro Quinquatribus apud Nonium in *Autumuitos: Cape bone caducom Liberi mollem dapem*. Tibullus lib. 4. *Magne Geni, cape tura libens*, Idem lib. eodem:

Natalis Juno, sanctos cape turis honores.

Brissonius in Formulis 37. & 38. *Gutture secto columbæ*; periphrasis jugulatæ columbæ. Sic Horatius Epodo 3. *Senile guttur fregerit*: strangularit, suffocarit. & est enallage numerorum, pro guttur. Columba grata Veneri victima, cui sacra. ut adnotatum ad Eleg. 3. lib. 3. v. 31. Ovidius 1. Fast.

Ergo sæpe suo conjux abducta marito
Uritur in calidis alba columba focis.

Torquatæ, velut torqui collum cinctæ vario colore. Hinc corrigendus Appulejus lib. 6. Metam. *Proceduus quatuor columbæ, & hilaris ingressibus picta colla torquentes* (leg. *torquatæ*) *subeunt*. & 2. Florid. *Enimvero servienla ejus* (psittaci) *circulo minio, velut aurea torqui, pari fulgoris circumactu cingitur, & coronatur*. Nævius Cypriæ Iliad. lib. 1. apud Charisium lib. 1.

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

Martialis Epigr. 67. lib. 13. *Torquati palumbi*. Ovidius Epist. Phyllidis:

Adfuit Alecto brevibus torquata colubris.

Ante focos tuos; ad aras tuas. ut Eleg. 19. lib. 2.

Hædus ubi agrestes corruet ante focos.

& Eleg. prox. seq. *Cadat ante meos ista juvenca focos*. *Ob meritum*; quia me ulta. Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Venerique merenti
Fixa notet casus aerea palma meos.

Ovidius 4. Fast.

Redduntur merito debita vina Jovi.

& lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Munera dat meritis, sæpe datura, deis.

In veteri monimento V. S. L. M. id est: Votum solvit libens merito. Brissonius Form. 38. v. 19. PASS. Ut *reges* dicebantur omnes dii, ita deæ omnes *reginæ*, sæpe vel rei vel loci nomine adjecto, sæpe omisso. Horatius L. 1. Od. 30. *O Venus regina Cnidi Paphique Sperne dilectam Cypron*. sic *Juno regina* passim legitur in utroque opere Homeri. eadem Virgilio L. 1. Æn. vocatur *divûm regina*. vide & L. 7. Æn. v. 572. Ciceronem Accus. 5. in Verr. C. 72. & pro Domo sua C. 57. Livium L. 5. C. 21. & 22. item L. 30. C. 2. Plutarchum in vita Camilli. plurima mentio est *Junonis reginæ* in antiquis Inscriptionibus apud Boissardum, Manutium, Gruterum, Reinesium; uti & *Isidis reginæ*. nam & hæc Juno credita est. in gemma vetere Stephani Vinandi Pighii legebatur. ISI. REGINA. ADIVVA. ME. Ejus gemmæ aposphragisma erat cornu copiæ, sceptrum, malum punicum, temo, globus. BROUKH. *Sed cape*, &c. Votum susceperat Propertius, ut marcida & effœta vetula, nullo funeris honore, vilissimo, & injuriis prætereuntium obnoxio sepulcro conderetur: iccirco quum jam evenissent quæ optaverat, promissa solvit. At superius v. 9. tamquam de vivente loqui videtur poeta:

Illa velit, poteris magnos non ducere ferrum,

Sed ibi enallage temporum; *velit*, pro vellet, seu voluisset. *Venus o regina*. Musæus pariter de amoribus Herûs ac Leandri v. 33. Ἄλλε Κύπρις ἄνασσα. Junonem βασίλειαν ὀλύμπου vocat Nonnus Panopolita

lib.

Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cavos:

Atque

lib. 31. Dionysiac. v. 233. quæ Valerio Flacco lib. 1. Argon. v. 81. est *Omnipotens regina*. Juvenalis quoque Sat. 12. v. 3. *Niveam Reginæ cædimus agnam*. id est, Junoni. Telemachus apud Homerum 3. Odyss. v. 380. ita Palladem precatur: Ἀλλὰ ἄνασσ' ἵληθι. Idem Iliad. 14. v. 326. vocat Δήμητρα καλλιπλόκαμον ἄνασσαν, *Cererem comas pulchram reginam*. Seneca Hippolyto v. 405. verbis nutricis ad Dianam: *Regina nemorum, sola quæ montes colis, Et una solis montibus coleris dea*. Prior vero Theocritus Idyll. 27. v. 29. Ἄρτεμις βασίλεια. Horatius Ode 4. lib. 3. *Descende cælo, & dic age tibiâ Regina longum Calliope melos*. Homerus autem Hymno in Venerem v. 92. reginam salutat deam ignotam, χαῖρε ἄνασσα, sive illa sit Diana, seu Latona, seu Venus, seu Themis, seu Pallas, seu Gratiarum, vel Nympharum aliqua. Eidem ἄναξ, *rex*, Apollo dicitur Iliad. 1. v. 36. *Torquatæ columbæ guttura*. Quia scilicet columbarum colla diversos colores præferunt Soli objecta, non secus ac si monili gemmeo cingerentur. Describit Lucretius lib. 2. v. 800.

Pluma columbarum quo pacto in Sole videtur,
Quæ sita cervices circum, collumque coronat.
Namque alias fit uti claro sit rubra pyropo:
Interdum quodam sensu fit, uti videatur
Inter cæruleum virides miscere smaragdos.

Priscianus in Periegesi v. 1304.

Psittacus hic viridis decoratus torque rubenti
Nascitur.

Cur vero torquatæ columbæ Veneri cædebantur? quod scilicet earum caro comesa minueret salacitatem. Martialis Epigr. 67. lib. 13.

Inguina torquati tardant hebetantque palumbi.
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax.

Habes, lector, quod respondeas Auctori Pseudo-Virgilii, ita ineptienti ad versum 488. lib. 5. Æneid.

Volucrem trajecto in fune columbam,
Qua tendunt ferrum, malo suspendit ab alto.

Quæsitum, inquit, *haud absone, sanusne ac sobrius vates esset, qui avem Veneri sacram, Venere genitum, ut ajunt, Æneam sagittantium telis exposuisse scribat. Sed nimirum avem illo selegit, quæ cum voce fune, versam aptius citiusque clauderet, in fune columbam*. Nihil tamen proficiemus; & perget ille strenue delirare, Pseudo-Propertii, & Pseudo-Martialis auctoritate contemta. Extra jocum. Veteres imitatus est Andreas Naugerius in Carmine Lyrico ad Venerem: *Spargam odoratas violas, rosasque Ipse ego, votique reus secabo Grata torquatæ ante tuas columbæ Guttura flammas*. VULP.

v. 65. VIDI EGO RUGOSO TUSSIM CONCRESCERE COLLO] Vide adnotata ad Elegiam 2. sup. v. 53. *Tussim concrescere*, humorem, caussamque tussis coalescere, & densari in ejus faucibus. De tussi Corn. Celsus lib. 4. cap. 4. & Isidorus lib. 4. & 10. *Concrescere*; densari. Virgilius 1. Georg. *Putres concrescere fungos*. & lib. 3.

Concrescunt subitæ currenti flumine crustæ.

id est, *conglaciscunt*, inquit Servius. Cicero 2. de Nat. Deor. *Cælum concretum, & crassum*. *Rugoso collo*. Lucillius 9. Satyr. apud Nonium in *Passum*:

Rugosi, passique senes eadem omnia quærunt.

Tussi autem urgeri solent senes & anus. Horatius Sat. 5. lib. 2. *Si quis Forte cohæredum male tussiet*. Tussim & dentes conjungit Noster, ut Martialis Epigramma 76. lib. 1.

Si memini, fuerunt tibi quattuor, Ælia, dentes:
Exspuit una duos tussis, & una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus;
Nil istic quod agat, tertia tussis habet.

Idem Epigr. 26. lib. 2.

Quod querulum spirat, quod acerbum Nævia tussit,
Inque tuos mittit sputa subinde sinus. P.

v. 66. SPUTAQUE PER DENTES IRE CRUENTA CAVOS] Vidi illam exspuere saniem. id Græcis dicitur αἱμοπτυϊκούς. Corn. Celsus

Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas.
Horruit algenti tegula curta foco.

Exſe-

lib. 4. cap. 4. ait, ſæpe evenire ut ſanguinem pus ſequatur, & docet quomodo tuſſis ſanguinem extrudat. hinc Noſter *Cruenta* vocat *ſputa*, id eſt, mixta ſanie. πτύω, ſpuo. *Screantia* dictæ ejuſmodi mulieres a ſcreando: Varro 6. de L. L. *Screpta* apud Nonium legitur ex Plauti Frivolaria, & Feſtum in *Screpta*. ubi etiam *Scrræ* dicuntur. ideo ille ſenex lepidus in Milite Plauti 3, 1. ait: *Minime ſputator, ſcreator ſum, minime item muccidus*. An ſpuere majus eſt, quam ſcreare, quaſi pus ejicere? *Dentes cavos*, putres & intus exeſos. Horatius Ode 13. lib. 4. *Luridos dentes* dixit. & Epod. 8. *Dentem atrum*. *Ire*, fluere. PASS.

v. 67. ATQUA ANIMAM IN TEGETES PUTREM EXSPIAAAE PATEANAS HOARUIT ALGENTI PERGULA CUATA FOCO] Veterem hanc lectionem Turnebus tuetur lib. 8. Adv. cap. 1., quia pauperes, ait, quibus cella non erat, nec domus, in pergulis habitabant. ſcorta etiam proſtabant in pergulis: Plautus Pſeud. 4, 2. Sic Suetonius Craſſitium libertinum in pergula docuiſſe ſcribit. Hæc Turnebus; quem reprehendit Scaliger, quod putarit, pergulas ædificia publica fuiſſe, aitque, fuiſſe appendices ædificiorum in publicum ſpectantes. ibi artifices opera ſua propoſuiſſe, ut populo innoteſcerent. Juvenalis Sat. 11.

Sed nec ſtructor erit cui cedere debeat omnis
Pergula.

Hic autem ait tuguriolum ſignificare, ut apud Auſonium;

Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis.

Eſt etiam tertium pergulæ genus in opere topiario, vulgo *Une treille*; quod ſub ea tecti pergimus, & inambulamus; ut apud Columellam. Ulpianus quoque L. *Hæres* §. *Proinde. de Judiciis: Tabernulam, pergulam, officinam, horreum conducere*. Interpres Juvenalis in Sat. 11. *Pergula, qua boletaria ponuntur*. *Pergula algenti foco*. ut Virgilius 3. Æneid. *Domus ſanie, dapibuſque cruentis*. Noſter Eleg. 3. ſup. *Pictoque Britannia curru*. Beroaldus male: *Pertica*, exponens de ligno foco impoſito. *Pergula curta algenti foco horruit*; id eſt, Pergula exigua anguſtaque cum horrore aſpexit talem exitum lenæ. ſenſum tribuit pergulæ. Sic Virgilius: *Hæc terra videbit: Flerunt Rhodopeïæ arces*. ſic Janua conqueritur Eleg. 16. l. 1. *Curta pergula*, quamvis exigua, non tamen integra, & ſuis conſtans partibus. ut *Curto equo*, *Curta ſupellex*, & infra hic: *Curta coila amphora*. *Horruit*, ambigue, de conſpectu ipſo horribilis rei, & de frigore; unde, *Tremulus horror*, Eleg. 5. lib. 1. *Algenti foco*, exſtincto, & ubi frigus multum, calor nullus. ſummum indicium egeſtatis ne ignem quidem habere, præſertim in foco, quæ ignis ſedes. vide Catullum Carm. 22. in Furium, ac Tibullum initio Eleg. 1. lib. 1. Martialis Epigramma 66. lib. 8.

Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

ſic vulgo dicimus: *Il n' y a rien ſi froid que l' atre*. Feſtus: *Algeo ex Græco ἀλγῶ, ideſt doleo, ut ſit frigus dolor quidam membrorum rigore collectus*. *Perire algu*, dixit Plautus Rud. vide Nonium in *Algu*. *Exſpirare animam*. *Efflare extremum halitum* dixit Vetus Tragicus apud Ciceronem 2. Tuſc. Virgilius 11. Æneid. *Inter tuta domorum Confixi exſpirant animas*. Sæpius ἁπλῶς dicitur exſpirare, pro mori. *Putrem animam* odioſe dixit, ut eam infra ſues amandaret, quibus anima data pro ſale, ne putreſcant. Cicero 5. de Finib. Sic *corpus annis putrere* dixerunt Attius & Pacuvius apud Nonium in *Putret*. An *animam putrem*, pro halitum putrem? *In tegetes*, ut *In partes fuiſſe*, Eleg. 9. lib. 3. v. ult. *Tegetes* Nævio *ſtrgetes* dicuntur, ut emendo apud Feſtum in *Penem*, & in *Penus*. Tegetes, a tegendo, inquit Nonius. Varro 1. de R. R. *Quæ fiunt de cannabino lino, junco, palma, ſirpo, ut funes, reſtes, tegetes*. vulgo *Nattes, mottelats*. Juvenalis Sat. 6.

Auſa Palatino tegetem præferre cubili.

& Sat. 9.

En aliquid figam, quo ſit mihi tuta ſenectus
A tegete, & baculo.

Ejus Interpres in Sat. 5. *Et tegetis pars*,

pinna-

Exsequiæ fuerunt rari furtiva capilli
Vincula, & immundo pallida mitra situ,
Et

pinnatæ sportæ, aut tegetis de sirpo factæ. Idem in Sat. 6. *Teges. ut matta, supellex cubilis obscœni. Aut forte hoc tegete qua tegitur domus mendicorum, ut tegumenta fornicis.* & in Sat. 7. *Hibernæ tegetis: ædificii frigidi.* Martialis Epigr. 57. lib. 11.

Et teges atque cimex, & nudi sponda grabati.

de egentissima. vide eumdem Epigr. 39. lib. 6. & Epigr. 33. lib. 11. ac Vet. Gloss. in *Teges*. *Paternas*, ita ut hereditaria ei fuerit inopia. Sic Laberius Carcere apud Nonium: *Homo frugi, quod tibi relictum est, miserimonium retines.* Vet. lib. & Beroaldus *patentes*, ut perflabilem casam dicat. Periisse itaque lenam algu & fame, significat Propertius. PASS. *Animam in t. p. exspirare p.* non displicet Gebhardi *exsputare*: ut de anicula contemtissima maxime contemtibilia usurpet verba. Seneca Troad. v. 1169. *Quo meas lacrimas feram? Ubi hanc anilis exspuam leti moram?* & L. 3. de Ira C. 43. *Jam ipsum spiritum exspuimus: interim dum trahimus, dum inter homines sumus, colamus humanitatem.* Idem Phœnissis v. 44. *Tandem spiritum inimicum exspue, Desertor animi, fortis in partem tui.* vide & Herc. Oet. v. 1469. & Ovidium XII. Metam. 256. plura subjiciet Justus Zinzerlingus Promulsf. Crit. C. 14. unde disces, certam esse Gebhardi conjecturam, non arbitrariam. *Pergula curta*. mirifice hic turbant libri, in quibus *pergula curta*, vel *percula*, nonnumquam *pocula*, & *parvula*, *curva* quoque legitur. est autem omnino restituendum, cum Salmasio in Tertulliani Pallium p. 256. & Nic. Heinsio, *tegula curta*. tegulis sive testis ignem sibi petebant homines pauperculi. Auctor Rhetor. ad Herennium L. 4. C. 6. *Si Prometheus, quum mortalibus ignem dividere vellet, ipse a vicinis cum testa ambulans, carbunculos corrogaret, non ridiculus videretur?* hæc autem anicula tam erat egens, ut ne tegulam quidem haberet integram; sed *curta* & confracta uti cogeretur, qualis Antiopes aut Chiones calix apud Martialem. Est etiam illud extremæ egestatis, non habere ignem, & algore exstingui. BROUKH. *Animam exsputare*. probatur & mihi: sed paullo ante *sputa memoravit*. *Tegetes*. Italice, *stuoje*. *Exspuere miseriam ex animo*, dixit Terentius Eun. 3, 1, 16. *Tegula curta*, sic & ego legeram & edideram adolescens. VULP..

v. 69. EXSEQUIÆ FUERANT RARI FURTIVA CAPILLI VINCULA, ET IMMUNDO PALLIDA MITRA SITU] Malim legere, *fuerunt*, ut Eleg. 3. lib. 2.

Hæc tibi contulerunt cælestia munera divi.

vel *fuerant*, pro erant. ut Eleg. 29. lib. 2. *Sed nudi fuerant.* &c. *Vincula capilli rari*, vittæ, quibus capillum, eumque rarum, quia prope calva erat, religabat, eæque vittæ non suæ, sed furto partæ. De vitta dictum ad Eleg. 3. sup. v. 16. Virgilius 7. Æneid.

In vultus se se transformat aniles,
Et frontem obscœnam rugis arat, induit albos
Cum vitta crines.

Rari capilli, ut *Raros acervos* Eleg. 4. sup. vide illic. *Mitra*. vide adnotata de mitra, tegmine capitis muliebris, ad Eleg. 2. sup. *Cinge caput mitrâ*. Addam tamen, esse anicularum proprium illud tegmen etiam interdiu. Ovidius 4. Fast. *Simularat anum, mitraque capillos Presserat.* & 14. Met. *Pictâ redimitus tempora mitrâ Assimulavit anum.* vide & 3. Fast. a versu 667. Virgilius in Copa; nam Priscianus putat ejus esse:

Copa Syrisca caput Grajâ redimita mitellâ.

ubi Scaliger adfert Epigramma Græcum Sidonii Antipatri. *Pallida*, squallida, informis. Lucilius apud Nonium in *Pallorem*, pro vetustate & negligentia:

Lanæ opus omne perit, pallor, tineæ omnia cædunt.

Tibullus in Carmine Libero: *Jacebis inter arva pallidus situ.* ita vet. lib. vulgo, *squallidus*. *Immunda situ;* ut Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 12. *Immunda cera sit alba situ.* & Eleg. 8.

Canescunt turpi tecta relicta situ.

unde notandum, *Pallida*, *alba*, *canescunt* de situ dici. Noster Eleg. 7. lib. 1.

Flebis in æternos surda jacere situ. PASS. *Fuerant*. repone cum Passeratio *fuerunt;*

Et canis in noſtros nimis experrecta dolores,
Quum fallenda meo pollice clauſtra forent.

Sit

nam iſtorum præteritoram credibile eſt ancipitem apud veteres modulationem fuiſſe. vide ſis Oberti Giſanii Conlectanea ad Lucretium, in *Præterita*, in *Erunt*, & Nic. Heinſii Notam ad Ovid. Epiſt. Didûs v. *166*. *Immundo pallida mitra ſitu*. proprie mitra dicitur *pallida*, quæ ex longo ſitu colorem amiſerat, horridumque induerat lurorem. nam mitræ iſtæ croco inficiebantur. Pradentius Pſychomach.

Ut mitra, cæſariem cobibens aurata virilem,
Combibat infuſum croceo religamine uaedum.

BROUKH.

Exſequiæ, κατηχρηστικῶς, pro funeris apparatu. *Furtiva capilli Vincula*. Hoc olim retuleram ad comas adſcititias, quas ideo furtivas poeta vocaverit, quod eas morientibus adoleſcentulis abſcinderent peſſimæ veneficæ, calvo poſtea capiti adaptantes, & calamiſtro torquentes. Teſtis Lucanus l. *6*. v. 562.

Illa genæ florem primævo corpore vulſit,
Illa comam lævâ morienti abſcidit ephebo.

Animadverteram quoque, ad alios etiam uſus adhibitos a ſagis vita functorum capillos. Facete Horatius Sat. 8. lib. 1.

Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno riſuque jocoque videres.

Nunc libenter muto ſententiam: *varus enim capillus*, ipſius vetulæ eſt, non adſcititius. Deinde ornamenta illa & comtus in pauperrimam non conveniunt. *Immundo pallida mitra ſitu*. *una cuffia logora, gialliccia, e muffata*. VULP.

v. 71. ET CANIS IN NOSTROS NIMIS EXPERRECTA DOLORES] Cremabantur cum dominis pretioſiſſima quæque, ut docuimus ad Eleg. 18. lib. 3. Canis autem lenæ fuerat ad cuſtodiam & in deliciis; itaque una cum mitra vittiſque cremata. Tibullus Elegia *6*. lib. 1. de canis excubiis:

Ille ego ſum; nec me jam dicere vera pudebit;
Inſtabat tota cui tua nocte canis.

Idem Eleg. 4. lib. 2.

Hæc fecere malas: hinc clavim janua ſenſit,
Et cœpit cuſtos liminis eſſe canis.

Nimis experrecta in meos dolores; cujus excubiæ mihi triſtes & odioſæ; ut Horatius Ode 16. lib. 3. *Vigilum canum Triſtes excubiæ*. nimis vigil & diligens; quæ mihi numquam dormiebat; ut *Vigilax Suburra*, ubi habitabat Cynthia, Eleg. 7. infra. & Horatius Epodo 5. *Latrent Suburranæ canes*. τὸ *Nimis*, ut Virgilius *6*. Æneid.

Quando omnia vero
Heu nimium de te vates, Miſene, locuta eſt.

Nimis ἀντὶ τῷ male. Noſter Elegia 33. lib. 2. v. 21. *Nimium placata*. Ita, *nimium diligentes*. *Experrecta in dolores noſtros*; ut Ovidius Epiſt. Ariadnæ:

Flamina que in lacrimas officioſa meas.

& 3. Faſt.

Bacche levis, leviorque tuis, quæ tempora cingunt,
Frondibus, in lacrimas cognite Bacche meas.

Experrectus, inquit Feſtus, *a porrigendo ſe* (vulgo male *corrigendo*) *quod fere facimus recentes a ſomno*. *Expergitus*, inquit idem, *ab alio excitatus: Experrectus, qui per ſe vigilare cœpit*. *In noſtros dolores*, meo malo. in me dolentem & miſerum. Elegia 25. lib. 2.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori. P.

Et canis. Conſueverunt veteres, animalia quibus aliquis dum viveret mire delectaretur, circa defuncti rogum trucidare. Plinius junior Epiſt. 2. lib. 4. *Habebat*, inquit, *puer mannulos multos & vinctos, & ſolutos: habebat canes majores minoreſque: habebat luſcinias, pſittacos, merulas: omnes Regulus circa rogum trucidavit. nec dolor erat ille, ſed oſtentatio doloris*. Cæſar lib. 6. de B. G. cap. 19. *Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica & ſumtuoſa; omniaque quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia; ac, paullo ſupra hanc memoriam, ſervi, & clientes, quos ab iis dilectos eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis, una cremabantur*. Vide Homerum lib. 23. Iliad. in funere Patrocli, Lucianum ἐν τῷ περὶ πένθους, & Pitiſcum ad Sueto-

nium

Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo:
Urgeat hanc ſupra vis, caprifice, tua.

Quiſ-

nium in Julio cap. 84. Singulare eſt illud Quintiliani Proœm. lib. 6. Inſt. Orat. filium unicum lugentis: *Tunc igitur optimum fuit, infauſtum opus, & quidquid hoc eſt in me infelicium litterarum, ſuper immaturum funus conſumturio viſcera mea flammis injicere*. Copit ergo Propertius, cariſſimam heræ catellam, ſibi moleſtiſſimam, ſimul cum anu ſcelerata uno atque eodem igne abſumi. VULP.

v. 72. QUUM FALLENDA MEO POLLICE CLATHRA FORENT] Quum legeretur *cultra*, Beroaldus emendavit *clatbra*. Scaligeri liber *culta*; unde legit *cluſtra*, id eſt, clauſtra. emendationem Beroaldi adjuvat illud Eleg. 7. infra:

Et mea nocturnis trita feneſtra dolis.

Clatbra, κλεῖθρα. *treillis*, a κλείω, claudo. unde Plauto in Milite: *Feneſtra clatbrata; treilliſſee*. Horatio in A. P. *Clatbri* dicuntur:

Objectos caveæ valuit ſi frangere clatbros.

Gloſſæ veteres Latino-græcæ: *Clatri*: Καγκέλλοι, οἱ ἐν θυρίσιν ὀβελίσκοι. Cato de R. R. *Bubilia bona, præſepia. Faliſcas clatbratas. Clatbra inter ſe oportet pede diſtare*. Idem cap. 14. *Clatbros in feneſtras*. meminit Columella lib. 9. & lib. 10. In Vet. Epigr. 141. *Fores clatbratæ*. *Fallenda pollice*, furtim reſeranda feneſtra clathrata, clanculum inſertis manibus aperienda, inquit Beroaldus. An *fallenda clauſtra*, id eſt, & janua, & ipſi cuſtodes? ſic *Fallere terga lupo*, Eleg. 5. ſup. De aſtu recludendæ januæ Tibullus, & Plautus Curcul. *Fallere clauſtra*, ut Eleg. 4. ſup. *Prodere porta fidem*. Huc ſpectat illud Trabeæ apud Ciceronem 4. Tuſc. *Adveniens digito impellam januam, fores patebunt*. Terentius Eun. *Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatas*. PASS. Scaliger faciebat *clauſtra*. non male. Catullus Hymenæo Juliæ: *Clauſtra pandite januæ. Virgo adeſt*. Apulejus L. 4. *Tunc itaque ſublimis ille vexillarius noſter Lamachus, ſpectata virtutis ſuæ fiducia, qua clavi immittendæ foramen patebat ſenſim immiſſa manu, clauſtrum evellere geſtiebat*. Virgilius L. 2. Æn.

Incluſos utero Danaos, & pinea furtim
Laxat clauſtra Sinon.

Cicero Orat. 1. contra Rullum C. 7. *Nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonæ, horreum belli, ſub ſignoque clauſtriſque reip. poſitum vectigal ſervare non potuiſſe*. Beroaldus mutaverat in *clatbra*. atque eo ducere videntur unus Regius, in quo *caltra* legitur; unuſque Colbertinus, qui *clara* habet. ſed negat Caper grammaticus *clatra* dici, & *clatros* tantum agnoſcit, in libello de verbis dubiis. BROUKH. Editio princeps, *caltra*. VULP.

v. 73. SIT TUMULUS LENÆ CURTO VETUS AMPHORA COLLO] Sic Eleg. 7. lib. 3. v. 12. *Pro tumulo mare*. & Attius: *Natis ſepulcrum ipſe eſt parens*. Lenam autem ebrioſam vult in amphora condi, ut vinum; quomodo Plautus Curcul. 1, 2. *Statuam vineam* pro aurea lenæ pollicetur, quæ ejus gutturi ſit monimentum. Ibidem: *Quantillum ſitit? Modica eſt, capit quadrantal*. id eſt, amphoram; quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit ſextarios, inquit Feſtus in *Quadrantal*. Et in Pſeud. 1, 2. vocat idem Plautus *anum doliarem*. Amphora autem octava pars modii vini noſtratis, ut docet Budæus de Aſſe. Baifius, 32. *Singulæ amphoræ decem & octo quartarios noſtros capiunt*. & memorat de Bonoſo Imperatore, quum ſe ſuſpendiſſet, dictum fuiſſe: *Non imperatorem, ſed amphoram pendere*. Vopiſcus in Bonoſo. vide Iſidorum lib. 16. cap. 25. *Vetus*, vetuſtate putris, ideoque viliſſima. Eleg. 25. lib. 2.

Et vetus in templo bellica parma vacat.

Martialis de cerdone:

Dentibus antiquas ſolitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetuſque ſolum.

Amphora curto collo. Sic Cato de R. R. cap. 88. dixit *Amphoram defracto collo*. Vet. Gloſſ. *Curtus*, κολοβός, ἢ λιποδέρμος. Collum amphoræ, ut naſos tribuunt & aures. unde *Naſiterna*, & *Diota*. Laërtius in Diogene Κεράμου τράχηλον dixit: urcei collum. *Curto*, anguſto; ut ſupra hic *Pergula curta*, vel imminuta; ut Martialis:

Nec

Quisquis amas, scabris hoc bustum cædite saxis,
Mixtaque cum saxis addite verba mala.

ELI-

Nec curtae Chiones, Antiopesve calix.
Ovidius 2. Fast.

Ara fit, huc ignem curtâ fert rustica testâ.

Martialis Epigr. 40. lib. 3. *Curtâque Ledæ sobriae bibat testâ.* Forma autem amphoræ erat gracilescente collo, ut ex Catone Budæus & Baifius memorant. PASS. Lepidum sepultoræ genus amphora, sed anui bibacissimæ mire conveniens. Habebat præterea vas ejusmodi quamdam urnæ sepulcralis similitudinem. *Curta* c. Lucretius lib. 4. v. 1020.

Pusi sæpe lacum propter, se, & dolia curta
Somno devincti credunt extollere vestem,
Totius humorem saccatum ut corporis fundant. VULP.

v. 74. URGEAT HUNC SUPRA VIS, CAPRIFICE, TUA] Apostrophe ad rem motam, ut Eleg. 18. lib. 1. *Pro quo, divini fontes,* &c. *Caprifice*, quæ arbores solent saxis sepulcrorum innasci. Juvenalis Sat. 10.

Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, tituliquè cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus, ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus.

ubi *Robora* dixit, ut hic, *vis tua*. Horatius Epodo 5. *Sepulcris caprificos erutas.* Martialis Epigr. 2. lib. 10. *Marmora Messalæ findit caprificus.* Persius Sat. 1. μετεωρικῶς: *Rupto jecore exierit caprificus.* Isidorus l. 17. cap. 7. *Caprificus appellata eo quod parietes, quibus innascitur, carpit. Rumpit enim & prodit e latebris quibus concepta est. alii, quod ficus arbor ejus remedio fœcundetur.* De caprifico Plinius lib. 15. cap. 19: & l. 23. cap. 6. scribit, caprifici ramo circumdato taurorum collo, eorum ferociam adeo mitigari, ut immobiles præstet. *Vis tua*, sic *Vis canum* Virgilio 4. Æneid. *Urgeat*, premat incumbens. Lucretius lib. 3.

Urgerive superne obtritum pondere terræ.

Tibullus Eleg. 4. lib. 1. *Infelix urgeat ossa lapis.* Virgilius 2. Georg. *Qui saxo super, atque ingenti pondere testæ Urgerent.* ubi *super*, pro desuper, ut hic. nam incumbebant arbores monimentis, ut notatum ad Eleg. 13. lib. 2. v. 33. PASS. *Urgeat.* terram illi gravem optat. Seneca Hippol. v. 1280. *Istam terra defossam premat, Gravisque telluS impio capiti incubet.* v. ibi Delrius Adv. p. 116. & Com. p. 215. BROUKH. Ita Eleg. ult. hujus libri:

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum. VULP.

v. 75. QUISQUIS AMAS, SCABRIS HOC BUSTUM CÆDITO SAXIS] Turnebus lib. 23. Adv. cap. 6. adfert ad hunc versum illum Maronis:

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.

Scaliger vero adfert Epigramma Græcum Argentarii poetæ, quo docet, a prætereuntibus busta lapidibus peti solita, non odio nocendi, sed ritu quodam venerandi. Sic sororem a fratre Horatio cæsam, & projectam in eo, ubi occubuerat, campo, prætereuntes lapidibus & terra congesta tumularunt; ut proximorum cura destitutum cadaver: Dionysius Halic. lib. 3. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 11.

Quid cinerem saxis, bustaque nostra petis?

Cædite saxis; lapidibus appetito: nam, ut ait Ovidius Nuce:

Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
Publica quum lentam non capit ira moram.

Cicero 3. in Verrem: *Cædere januam saxis, instare ferro.* *Scabris*, asperis. leg. Festus in *Rudus*. Scabrum, asperum, horridum. Virgilius 1. Georg. *Scabra rubigine; Aspera*, inquit Servius. unde *scabies* a corporis asperitate. Vetus poeta apud Ciceronem 3. Tusc. *Barba pædore horrida atque intonsa infuscat pectus illuvie scabrum.* Horatius Ep. 7. lib. 1.

Quem simul aspexit scabrum intonsumque Philippus. PASS.

Livinejus malebat *Cædite*. quod verum est. nam nomina singularia collectiva, ut grammatici vocant, & partitiva, eleganter cum verbo plurali ponuntur. Ovidius L. 1. Art. Amat.

Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes;
Pollicitisque favens vulgus adeste meis.

& Re-

& Remed. Amor. *Vindictæ quisque favete suæ.* BROUKH. *Cædito saxis.* Horatius Sat. 3. libri 2. *Populum si cædere saxis Incipias, servosque tuos.* VULP.

v. 76. MIXTAQUE CUM SAXIS ADDITO VERBA MALA] Aliàs legitur, *Adjice*. Recte; & ad utrumque refertur: nam & lapides & verba jaci dicuntur. *Verba mala*, convicia & imprecationes, ut Eleg. 9. lib. 2. v. 22. Ovidius in Ibin:

Dixerat invito quæ mala verba viro.

Mixta cum saxis, unaque & pariter cum saxis. PASS. *Adjice verba mala*. correctiunculam in superiore versu firmant duo codices Gebhardi, qui hic habent, *addite verba mala*. quod & Livinejus conjecerat. ista autem mala verba valde exhorrescebant veteres, & in sepulcrorum inscriptionibus non raro deprecabantur. BROUKH. Ceterum, exemplum lenæ pessimæ juvenculam meretricem ab unius adolescentis amore deterrentis, & quæstum unde unde facere hortantis, habes apud Plautum Mostell. 1, 3. VULP.

ELEGIA VI.

SAcra facit vates, sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.

Serta

ARGUMENTUM ELEGIÆ VI. LIBRI IV.] Sacrum, & solennes epulas instituit pro Actiaca victoria, quam Augustus Cæsar de M. Antonio, & Cleopatra retulerat; eamque Phœbi auspiciis totam adscribit. VULP.

v. 1. SACRA FACIT VATES, SINT ORA FAVENTIA SACRIS] *Vates*, Musarum sacerdos Eleg. 1. lib. 3. *Facit sacra*, diis operatur, maxime Phœbo. Vates unde, dictum ad Eleg. 1. sup. v. 75. *Sacra facere*, sacrificare, quod & *facere* tantum dicitur. Servius in illud 5. Æneid. *Ore favete omnes: Apto*, inquit, *sermone usus est & sacrificio & ludis: nam in sacris taciturnitas, in ludis necessarius favor est, quem propter plausum futuris spectatoribus dat. Favet autem ore quis etiam per taciturnitatem. Horatius* (Ode 1. lib. 3.) *Favete linguis.* hæc Servius. Festus in *Faventia*: *Faventia bonam ominationem significat: nam præcones* (clamantes) *populum sacrificiis favere jubebant. Favere enim est bona fari; quo veteres poetæ pro silere usi sunt.* Idem Festus in *Pascito*: *Pascito linguam in sacrificiis dicebatur: id est, coërceto; continento; taceto.* Attius Oenomao apud Nonium in *Obscœnum*: *Ominibus faustis augustam adhibeant faventiam, ore obscœna dicta segregent.* Ovidius 1. Fast.

Prospera lux oritur, linguisque animisque favete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

[Tibullus Eleg. 2. lib. 2.

Dicamus bona verba, venit Natalis: ad aras
Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.]

Vide & Senecam de Vita Beata cap. 26. Plura Brissonius collegit in Formulis. *Sint ora faventia*, aut dicant bona verba, aut sileant. εὐφημεῖτε. PASS.

v. 2. ET CADAT ANTE MEOS ICTA JUVENCA FOCOS] *Icta*, percussa malleo, vel securi. malleo, ut apud Suetonium Caligula cap. 32. securi, ut apud Ovidium 7. Met. *Feriuntque securi Colla torosa boum.* & lib. 4. Trist. Eleg. 2.

Candidaque adductâ collum percussa securi
Victima purpureo sanguine tinget humum.

& 4. Fast.

Apta jugo cervix, non est ferienda securi.

Juvenca, an votiva victima ob Augusti reditum? sic Horatius Epist. 3. lib. 1.

Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

an quia mactantur boves albi Phœbo? Horatius Carm. sæcul. ad Phœbum & Dianam: *Quique vos bobus veneratur albis Clarus Anchisæ, Venerisque sanguis.* *Cadat*, immoletur κατ' εὐφημισμόν. Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Agna cadet vobis.* Virgilius 1. Æneid.

Multa tibi ante aras nostrâ cadet hostia dextrâ.

Ovidius 1. Fast.

Idibus alba Jovi grandior agna cadit.

Noster Eleg. 19. lib. 2.

Hædus ubi agrestes corruet ante focos.

& Eleg. 11. infra: *Tibi victima corruet Acron.*

Serta Philiteis certent Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna miniftret aquas.
Coftum molle date, & blandi mihi turis honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

Spar-

Acron. Vide Briffonium in Formul. Si vero non in eam partem corporis decidiffet, quam oportebat; opus erat piaculari facro: Feftus in *Piacularia facra*. *Ante meos focos*, a me excitatas aras: El. fup. v. 64. PASS.

v. 3. CERA PHILETEIS CERTET ROMANA CORYMBIS] Pro *Cera*, Scaliger e conjectura, Serta; fem. gen. ut Eleg. 33. lib. 2. v. 37. *Corona*, inquit, *Romana certet corona Philetea*: *& facra factori στέφανοι καὶ χέρνιβα adhibebant, illam a Phileta, hanc a Callimacho petit*. Sed vet lib. Edra, pro edera. *Cera Romana*; id eft, verfus Romani, inquit Beroaldus. An quia in cera fcriberentur? An *Cera*, imago poetæ cerea? *Certet*. contendat; cum tertio cafu. fic El. 3. lib. 2.

Ut Mæotica nix minio fi certet Hibero.

& Eleg. 14. lib. 1. *Contendere amori*. *Corymbis*; vide adnotata ad Eleg. 30. lib. 2. v. 39. Servius in Ecl. 3. uvas hederarum exponit. Hedera & corymbi ut Bacchi, ita & poetarum funt; ut notatum ad El. 5. l. 2. v. 26. Per corymbos ergo Philetæos denotatur ipfe poeta Philetas, quem cum Callimacho more fuo conjungit. vide Eleg. 1. lib. 3. ibique adnotata. PASS. *Cera Philetæis c. R. c.* libri omnes fcripti *Philippeis* habent. quem errorem feliciter emendavit Antonius Volfcus, minime privandus fua laude: quamquam hanc laureolam fibi vindicavit Philippus Beroaldus. --- pro *Cera* legendum omnino cum Scaligero *Serta*. nam *cera* quidem nullo modo componi poteft cum *corymbis*; *ferta* vero poteft optime. ----- *certent* etiam legitur in noftro primo, non *certet*. quamquam neque hoc damnandum, quum *ferta* feminino genere recte dicatur, & Nofter ita extulerit L. 2. El. 24. [33.] fed licuit, opinor, nonnumquam variare orationem. plene Lucanus L. 10.

Accipiunt fertas narda florente coronas,
Et numquam fugiente rofa.

quinimo & *fertas* dicebant. quod itidem plene extulit Apulejus L. 4. Metam. *In matutino progreffu virginis, victimis & epulis Veneris abfentis numen propitiatur. jamque per plateas commeantem populi frequenter floribus fertis, & folutis adprecantur*. fuper quibus locutionibus confuli poteft Servius ad L. 1. Æn. v. 421. BROUKH.

v. 4. ET CYRENÆAS URNA MINISTRET AQUAS] Studium venamque Callimachi Cyrenæi; ut *Aqua Philetea* Eleg. 3. lib. 3. & *Quamve bibiftis aquam* Eleg. 1. lib. 3. Ergo aquas unde Callimachus bibit, vel quibus facra Mufis fecit. Strabo lib. 17. docet, Cyrenen a Theræis conditam. qui ex Laconica profecti Theram infulam coluerunt, quæ Thera olim Callifta dicebatur; fubjicitque verfus Callimachi:

Καλλίστη προτέρωθε, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρη
Μήτηρ εὔιππυ πατρίδος ἡμετέρης.
Nomine Callifte primum, fed poftmodo Thera
Dicta fuit tellus, nobis origo meæ.

Addit, Cyrenen perhiberi a Batto conditam, quem πρόγονον & proavum fuum vocet Callimachus. Inde a poetis dicitur *Battiades*. Multa illic Strabo de Cyrenis. vide & Plinium lib. 5. cap. 5. & ipfe Callimachus Cyrenæum fe infcribit, fuæque patriæ fæpe aliàs meminit. vide eum in Hymno Apollinis v. 65, 72, & 88. *Urna miniftret*, præbeat, fundat; ut El. 17. lib. 3. v. 38. crater fundit merum. unde *minifter*, οἰνοχόος Catullo. Nofter Eleg. 10. infra:

Terraque non ullas feta miniftrat aquas.

Plautus Amphitr. 2, 2, *Ad aquam præbendam* dixit. *Aquas*, ad facra videlicet; ut notatum fup. ad Eleg. 4. v. 15. PASS.

v. 5. COSTUM MOLLE DATE, ET BLANDI MIHI TURIS HONORES] Coftum & tus conjungit in fuffitionibus facrorum; ut & Ovidius 1. Faft.

Tura nec Eufrates, nec miferat India coftum.

ubi addit & crocum & myrrham. Horatius Ode 1. lib. 3. *Achæmenium coftum* vocat. Plinius lib. 12. H. N. cap. 24. *Odorum cauffâ unguentorumque, & deliciarum, fi pla-*

cet

cet etiam superstitionis gratiâ emantur , quoniam ture supplicamus & costo. Idem lib. 12. cap. 12. Radicem costi fruticis odore ait esse eximio . Inde ergo suffitus . *Molle costum* , vel quod molles & delicati eo utantur ; vel tenerum , ut Eleg. 2. lib. 3. *Mollia serta ;* vel suave , ut Virgilio *Mollis viola* , *Mollia vaccinia* . *Honores :* honos pro munere quod diis honoris caussâ datur . Virgilius 1. Æneid. *Supplex aris imponat honorem* . & 8. Æneid.

Semper honore meo , semper celebrabere donis .

Donatus in Eun. Honos pro munere . Nonius : *Honor , sacrificium , libatio , cultura , observantia* . Ovidius 2. Fast.

Farra deae , micaeque licet salientis honorem
Detis , & in veteres turea grana focos .

Hic honore turis deos colere vult : at eodem ture seipsum vult coli Eleg. 9. l. 3.

Meque deum clament , & mihi tura ferant .

Blandi turis , quod odore suo naribus blanditur . blandum enim & ad auditum refertur , ut *blanda verba* , *blandum carmen* , & ad aspectum , ut *blandis imaginibus* El. 20. lib. 1. & ad odoratum , ut hic , & apud Tibullum Eleg. 3. lib. 3.

Blandaque cum multa tura dedisse prece .

vel *blandi* , quo facile dii persuadentur , & exorantur . ut contra Eleg. 4. sup. v. 25. *Blandis Nymphis* . PASS. C. *m. date* . proprie . est enim *dare* verbum sacrorum : v. Brissonius L. 1. de Formul. p. 25. Ovidius L. 1. Art. Amat.

Expedit esse deos : & , ut expedit , esse putemus .
Dentur in antiquos tura merumque focos .

Virgilius L. 8. Æn.

Una omnes juvenum primi , pauperque senatus
Tura dabant .

ubi vide Servium . Tus vero *blandum* dicitur propter suavissimam odoris fragrantiam . nam est hæc notio vocis in re odorum . Lucretius L. 2.

Sicut amaracini blandum stactaeque liquorem ,
Et nardi florem , nectar qui naribus halant ,
Quum facere instituas .

BROUKH. Hoc Propertii loco *dare* , non est aris imponere , sed præbere , ministrare alicui , ut ille aris imponat . sequitur enim statim *τὸ mihi* . Porro si *blandum* esse dicamus quod mulceat nares deorum , eosque corrumpat , ut etiam injusta concedant , huc facit tota Satyra 2. A. Persii . VULP.

v. 6. TERQUE FOCUM CIRCA LANEUS ORBIS EAT] Aram ambiant vittæ laneæ . Scaliger hic , Quid sit , quæratur , inquit , nam hunc ritum plane ignoro . Beroaldus de laneis coronis interpretatur , quarum usum antiquissimum fuisse , ait Festus , & meritò ridetur a Scaligero . Ego laneum orbem , vittam laneam in orbem circumactam accipio . nam cingebantur , & coronabantur aræ ejusmodi vittis . Virgilius Ecl. 8.

Effer aquam , & molli cinge hæc altaria vitta .

Molli , id est lanea . Sic vittæ laneæ periphrasis apud Statium 8. Thebaid. *Ubi intorto signavit vellere crinem* . (fortasse de diademate .) Templum ipsum Virgilio 4. Æneid.

Velleribus niveis , & festa fronde revinctum .

& 3. Æneid. *Aræ Cæruleis mœstæ vittis* . Ovidius Epist. Didûs laneam vittam commemorat , & Noster Eleg. 6. lib. 3. v. 30. *Orbem* dixit , ut Juvenalis Sat. 10. *Magnæque coronæ Tantum orbem* . De coronatis aris dictum ad illud Eleg. 10. lib. 3. *Coronatae ubi ture piaverit arae* . *Eat circa focum* , circumeat , cingat ; & est anastrophe . Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 12.

Ite triumphales circum mea tempora lauri .

Virgilius 1. Georg.

Terque novas circum felix eat hostia fruges .

Noster conjunctim & recto ordine Eleg. 5. lib. 2.

Cujus non hedera circumiere caput .

Circa autem dixit pro circum , ut infra : *Circa libera signa* , & Eleg. sup. prox. *Circa tua colla* . *Circum , loci est ; Circa , temporis ; Circiter , numeri* : Charisius lib. 2. Virgilius tamen 3. Georg. ἀκύρως : *Lucos Silari circa* . & Horatius : *Circa pectus* , *Circa solum Tiburis* , *Circa jecur* , *Circa undique* . *Ter* , quia ternarius numerus dicatus sacris . v. Virgilium Ecl. 8. PASS. *Circa* . Tullius etiam ita locutus Catilinar. 4. C. 7. *Plenum est forum , plena templa circa forum , pleni omnes aditus hujus loci ac templi* . BROUKH. *Focum circa laneus orbis eat* . Veram censeo explicationem Passeratii . Virgilius Pharmaceutria v. 64. *Molli cinge hæc altaria vitta* . *Focus* in altari fuit . *Vittam mollem* laneam esse , manifestum ex Theocriti Pharmaceutria*:

Στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ .

Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio sint aëre noxæ:
Pura novum vati laurea mollit iter.

Musa,

Tegito, seu *coronato hæc pocula purpureo ovis*, seu *lana flore*. nempe lana mollissima. Hunc Theocriti versum imitatus est Maro. *Mollities*, lanæ χαρακτὴρ. Catullus Carm. *63*.

Læva colum molli lana retinebat amictum.

& paullo post: *Candentis mollia lana Vellera*. Juvenalis quoque Sat. 8. *Euganeâ quantumvis mollior agnâ*. quia scilicet ovis lanigera. VULP.

v. 7. SPARGITE ME LYMPHIS, CARMENQUE RECENTIBUS ARIS TIBIA MYGDONIIS LIBET EBURNA CADIS] περιρραντήριον significat, & lustralem aspersionem ramo lauri. *Spargite me lymphis*, rore levi lustrate. Male igitur Macrobius & Servius censent, sparsionem esse in sacris inferorum; ablutionem in sacris superorum. nam contra Eleg. 3. sup. *Stygio sum sparsa lacu*. Ovidius 4. Fast.

Bis caput intonsum fontanâ spargitur undâ.

& 5. Fast. de mercatore se expiante:

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos.

Et tibia. tibicines adhiberi sacris solitos notissimum ex Horatio, Livio, Virgilio. *Eburna*. Virgilius ebur dixit 2. Georg.

Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Tibia Cadis Mygdoniis, ut Plauto *Hospes Zacyntho*, pro Zacynthius, inquit Scaliger. Phrygia tibia significatur. nam Mygdones, Lydi, & Phryges vicini sunt: Strabo l. 7. & 12. Plinius l. 5. c. 32. *Cadi* urbs Phrygiæ, vel, ut alii volunt, Lydiæ, ut scribit Strabo lib. 12. Scaliger in Catalecta, de pithaulis olim interpretatus erat hunc versum; sed postea sententism mutavit. Beroaldus, *Cadis*, vino exponit, quod vinum diis libaretur: vel emendat *Modis*. utrumque nec recte. Dictum *Tibia Cadis*, ut *Crotalistria Philis* Eleg. 8. infra v. 11. *Libet carmen*, canat in honorem deorum, diis carmen offerat & consecret. Libatum enim dicebant quidquid deo sacraretur & dicaretur, quod ante degustari solebat, vel ad os referri; ut notatum sup. ad illud Elegiæ 4. *Tarpeia dea fontem libavit*. ut Elegia 17. lib. 3.

Libatum fundens in tua sacra merum.

Ovidius 3. Fast. Libare, libamen, & libum a Libero patre deducit; quum sit Græcum λεῖβω. Idem 1. Fast. *Triumphate libasti munera gentis*. id est, dicasti. Ibid.

Seminaris flammis viscera libat ovis.

Id est, dat & dicat. *Tibia libat carmen*. quia ad os refertur tibia a tibicine. *Recentibus aris*, modo a me exstructis. Contra Eleg. 3. sup.

Et crepat ad veteres herba Sabina focos.

vel e recenti gramine, & vivo cæspite. An *Aris*, pro ipsis diis? *Libet carmen aris*, ut Eleg. 10. lib. 3. *Ture piaveris aras*. Pro, *Libet*, aliàs legitur, *Cantat*. sic Ovidius 6. Fast.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis. PASS.

Carmenque r. aris Tibia libet. Vide quid scribat Solinus cap. 11. Polyhistoris de tibiis præcentoriis. Macrobius lib. 2. in Somn. Scip. cap. 3. *Ideo canere cælum etiam Theologi comprobantes, sonos musicos sacrificiis adhibuerunt, qui apud alios lyra vel cithara, apud nonnullos tibiis, aliisve musicis instrumentis fieri solebant*. VULP.

v. 9. ITE PROCUL FRAUDES: ALIO SINT AERE NOXÆ] Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Vos signa, tubæque Ite procul*. Virgilius 6. Æn. *Procul este profani*. Dicebatur & uno verbo, *Exesto*: Festus. arcebantur enim sacris & profani & impii. Callimachus apud Servium editum a Georgio Fabricio: Ἑκάς, ἑκὰς ἔστε βέβηλοι. Idem in Hymno Apollinis: Ἑκάς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός. Ovidius 2. Fast.

Innocui veniant: procul hinc, procul impius esto

Frater, & in partus mater acerba suos.

Fraudes, scelera & scelerati ipsi. Eleg. 22. lib. 2.

Quidve mea de fraude deos insana fatigas?

Eleg. 19. lib. 3.

Nisi, tuas portas fraude reclusit amor.

id est,

Musa, Palatini referamus Apollinis ædem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.

Cæsa-

id est, scelere & proditione. *Noxæ*, damna & culpæ: Servius in 1. Æn. *Unius ob noxam: pro noxiam*, inquit: *nam noxia culpa est, id est peccatum: noxa, pœna*. Idem scribit & Cornelius Fronto. At Festus: *Noxia, damnum, vel apud oratores & poetas etiam culpa. noxa, peccatum, aut pro peccato pœna*. Donatus in Hecyr. *Pro levibus noxiis. id est injuriis, culpis*. Idemque in Eun. docet, Noxam & noxiam permisceri; unde Jurisconsulti, Noxam noxiamque nocere sæpe conjunctim dicunt. Noxa autem & fraus differunt, quia noxa privati delicti, fraus publici. v. Ulpianum L. *Aliud* 131. *de Verb. Sign. Alio acer sint*. Virgilius 1. Æn. dixit *Alio sub cælo*. quod idem *Alio sub Sole*, & Horatius. Sic Ausonius Paullino Epist. 24.

In Medos Arabasque tuos per nubila & atrum
Perge chaos. PASS.

v. 10. PURA NOVUM VATI LAUREA MOLLIT ITER] Sic Eleg. 1. lib. 3.

Opus hoc de monte sororum
Detulit intactâ pagina nostra viâ.

Ibidem:

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos.

& Eleg. 3. lib. 3.

Qua nova muscoso semita facta solo.

Laurea pura, vel casta Phœbi laurus, unde mea tempora cinguntur, quia ab hedera ad laurum, id est, quia ab amoribus & elegis ad bella & epos transeo: vel *Pura*, quæ purgat, & lustrationibus adhibetur; ut *pura vestis, pura arbor, & pura lympha* El. 10. lib. 3. Lustralem esse laurum aqua tinctam scribit Juvenalis Sat. 2.

Cuperent lustrari si qua darentur
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.

Adde Servium p. 414. Ovidius 5. Fast.

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos.

Plinius in fine lib. 15. H. N. ait, unius lauri folia distingui appellatione, vocari enim lauream. Virgilio tamen & Horatio laurea pro lauro arbore. Interdum pro corona. Martialis:

Quæ datur e Dacis laurea, tota tua est.

Eleg. 1. sup. dicitur: *Hirsuta corona Mollit iter*, mollem & facilem reddit viam intactam, [quæ, quod nondum trita, ideo saxis aspera, & scabra.] Sic Cæsar dixit: *Mollire clivum*. Albinovanus: *Mollitos gradus* Consolat. ad Liviam v. 400. & *Molli vis mederi*, Seneca Consolat. ad Helviam cap. 2. PASS. *Pura laurea mollit iter novum*. Gloria, seu *pura laurea*, quam me assecuturum spero carmine adhuc intacto & intentato, minuit difficultatem; & salebras quodammodo tollit poetici hujus itineris. Sic Eleg. pænult. infra:

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires:
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

VULP.

v. 11. MUSA, PALATINI REFERAMUS APOLLINIS ÆDEM] Utitur invocatione, ut in magno opere, & quia dignus vindice nodus. Sic Homerus initio Iliados & Odysseæ, Virgilius 1. 7. & 12. Æneid. Horatius per ludum & jocum Sat. 5. lib. 1.

Nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam, Messique Cicerri, Musa, velim memores.

Referamus, canamus, celebremus. Eleg. 9. lib. 3. *Nec referam Scæas & Pergama. Apollinis ædem*; templum quod Actio Apollini struxit dicavitque in Palatio Augustus. Augustus ipse in Breviario rerum a se gestarum: *Chalcidicum, templumque Apollinis in Palatio cum porticibus*. (feci.) Suetonius in Aug. c. 29. Dio lib. 53. initio, Horatius Ode 31. l. 1. Ep. 3. l. 1. & Carm. Sæcul. Noster El. 1. sup. *Ubi navali stant sacra Palatia Phœbo*. In quibusdam libris alia ab hoc versu incipit Elegia. PASS. Templum Apollinis Actii in Palatio. vide sis Maronem L. 8. Æn. v. 720. & quæ inibi Servius notavit: quæque Asconius Pedianus in Ciceronis Orationem contra C. Antonium & L. Catilinam. Egregius est locus Asconii Pediani in Orat. in toga candida p. 983. In hac æde lychnos pependisse instar arboris mala ferentis, tradit P. Victor Regione X. Palatio. BROUKH. *Palatini Apollinis*. Quum optimi poetæ omnes primam syllabam in *Palatinus*, & *Palatia* corripiant,

Rrr 2 nescio

Cæsaris in nomen ducuntur carmina: Cæsar
Dum canitur, quæso, Juppiter, ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ,

Actia

nescio quid in mentem venerit Petro Angelio Bargæo, poetæ alioqoin celeberrimo doctissimoque, eamdem syllabam in voce *palatia*, producere, libro primo Ixeuticon prope finem:

Huc ades, & quamvis nulla hic palatia,
nullas &c.

Fortasse Bargæus ancipitem existimavit, vel in ea opinione fuit ut putaret, hanc vocem scribendam duplici *l.* Sane Martialis Epigr. 18. lib. 7. ad Fuscum:

Sic fora mirentur, sic te Pallatia laudent.

Apollinis ædem. Α'πολλώνειον Græci vocant. Dio Cassius lib. 53. Τό τι Α'πολλώνειον τό τι ἐν τῷ Παλατίῳ, ἐξεποίησε ϗ καθιέρωσι. loquitur de Augusto. VULP.

v. 12. RES EST, CALLIOPE, DIGNA FAVORE TUO] A suavitate vocis & sermonis nomen habere Calliopem, notatum ad El. 2. lib. 3. v. 16. ubi eam veluti suam Musam agnoscit. ipsa vero Eleg. 3. ejusd. libri hortatur Propertium ad amores scribendos. *Res*, argumentum, materia. *Digna favore tuo*, ope, numine, afflato. Favor numinis, quum adest, & veluti nobis plaudit. nam verbum est ludorum & theatri. Tibullus Eleg. 5. lib. 2. *Phœbe fave.* Noster Eleg. 1. sup. *Roma fave.* PASS. *Res*, ὑπόθεσις. Horatius Epist. ad Pisones v. 40.

Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo;

& v. 38. *materiam* vocat. Interdum *res* πίστεις, & sententias significat. Idem ibid. v. 310.

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:
Verbaque provisam rem non invita sequentur. VULP.

v. 13. CÆSARIS IN NOMEN DICUNTUR CARMINA: CÆSAR DUM CANITUR, QUÆSO, JUPPITER, IPSE VACES] Dum Cæsaris Augusti laudes & res gestæ celebrantur, oro Juppiter ipse vacuus sis, & huic uni vacuas purgatasque aures præbeas. *Nomen*, laudem & famam. Eleg. 4. lib. 1.

Cynthia non illas nomen habere sinat.

Dicuntur carmina, canuntur. Horatius in Carm. sæcul. *Diis, quibus septem placuere colles Dicere carmen.* & alibi sæpe. & sequitur *Canitur.* Sed alii libri, *ducuntur*, deducuntur, tenui stilo scribuntur. ut Eleg. 16. lib. 1. *Novo deduxi carmina versu.* vide illic adnotata. Ducere fabrorum est; ut *Ducere æra*, & *Incudi reddere versus*, Horatius dixit. Aliud est apud eumdem in Arte: *Ducit venditque poema*, prodocit. *Quæso*; Donatus in Andriam: *Quæso modo objurgantis, modo rogantis.* Festus: *Quæso idem rogo. sed & Ennius pro quærere posuit. Juppiter ipse*, ut Eleg. 26. lib. 2.

Intendas navem Juppiter ipse licet.

Vaces. sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca.

Contra Valerius Cato in Diris dixit: *Juppiter, avertas aures.* PASS. *dicuntur carmina*, libri omnes *ducuntur*; quod verum est. dictum, ni fallor, alibi. BROUKH.

v. 15. EST PHŒBI FUGIENS ATHAMANA AD LITORA PORTUS] Τοπογραφία, & in eâ usitata formula. Virgilius 1. Æneid.

Est in secessu longo locus, insula portum
Efficit.

Ovidius 1. Metam. *Est nemus Hæmoniæ.* &c. & 11.

Est sinus Hæmoniæ curvos falcatus in arcus.

Fugiens, recedens, quasi se subtrahens. Noster Eleg. 10. lib. 2. *Si qua extremis tellus se subtrahit oris.* ubi vide adnotata. sic *Scandentes arces* dixit Eleg. 1. sup. *Portus*, inquit Servius, *ubi hiemant naves: statio, ubi ad tempus stant.* Isidorus lib. 14. cap. pænult. *Portus locus est ab accessu ventorum remotus, ubi hibernare naves solent: & portus dictus a deportandis commerciis. hunc veteres a bajulandis mercibus bajas vocabant, illa declinatione a baja, bajae, ut a familia, familias.* Portus in XII. Tabb. pro domo, inquit Festus in *Angiportus.* Donatus in Adelphos: *Domus, vel portus, vel insulas veteres dixerunt. Phœbi.* vide adnotata ad illud Eleg. ult. lib. 2.

Actia

Actia Julææ pelagus monumenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.

Huc

Actia Virgilium custodit litora Phœbi.

Ad Athamano litore, Epirotica. Strabo l. 7. Epiroticos populos facit Athamaoas, ubi etiam describit Actium promontorium. Meminit & lib. 9. duobus locis. At Plinius lib. 4. cap. 2. scribit esse Ætoliæ populos. Apud Ovidium ult. Metam.

Admotis Athamanis aquis accendere lignum Narratur.

vulgo male editum, *Athomontis*: nam ille fons Epiri Plinio. PASS.

v. 16. QUA SINUS IONIÆ MURMURA CONDIT AQUÆ] Qua parte aquam Ionii maris obstrepentem sinus recondit, & silere facit tutam a ventis. Sic Eleg. 4. sup. *Tubicen fera murmura conde*. De Ionio vide adnotata ad El. 11. lib. 3. v. 72. In eo Leucates & Actium. PASS.

v. 17. ACTIA JULÆÆ PELAGUS MONIMENTA CARINÆ, NAUTARUM VOTIS NON OPERAOSA VIA] Festus in *Monimentum*: *Monimentum est quod mortui caussâ ædificatum est, & quidquid ad memoriam alicujus factum est, ut fana, porticus, scripta & carmina.* ut notatum ad Eleg. 2. lib. 3. v. 18. Ergo recte hic *Monimenta* propter templum Apollinis Actii, urbem Nicopolin, Coloniam Actiam, & Actiacos ludos. Appositio, *Pelagus Actio monimento*, & hypallage, pro Actium pelagus; ut Eleg. 16. lib. 2. *Actia æquora*, & Eleg. 15. lib. ejusd. *Actiacum mare*. Nisi forsan legendum sit, *Actium Juleæ*, &c. *Pelagus*, proprie altum. πέλαγος enim quasi πήλαγος, quod sit τῆλε τῆς γῆς, procul a terra. Virgilius 5. Æneid.

Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Apparent terræ, maria undique, & undique cœlum.

Lucretius lib. 5. & 6. *Pelage* dixit neutro genere, & numero multitudinis. Valerius Flaccus lib. 1. pelagum masculino genere, ut vulgum. Interdum pro aquarum copia in fluminibus. Virgilius 1. Æneid. de Timavo: *Pelago premit arva sonanti*. id est, ingenti copia. Isidorus lib. 13. cap. 16. *Pelagus est latitudo maris sine litore & portu*. *Carinæ Juleæ*, *ratis Augustæ*, ut loquitur infra v. 23. & *Augusti puppis* v. 29. & *Julio rostro* v. 54. Semper rem Romanam in laudem Juliæ familiæ ad Cæsarem referunt, ut Eleg. 1. sup.

Felix terra tuos cepit, Iule, deos.

Ovidius 4. Fast.

Assaracique nurus dicta est, ut scilicet olim Magnus Juleæ Cæsar haberet avos.

& 5. Fast.

Et tot Juleæ nobilitatis avos.

Lucanus: *Phrygiique Penates Gentis Iuleæ*. id est Juliæ, quia Julia gens ab Iulo: Virgilius 1. Æneid. *Via non operosa*, portu scilicet nunc munito ab Augusto, non difficilis; quia nunc eo facile perveniunt nautæ, & optato portu fruuntur; quom olim contra fieret. unde Virgilius 3. Æneid.

Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Sic *Operosa antra* Eleg. 2. lib. 3. Ovid. 3. A. A. *Operosi signo Myronis*. Horatius Ode 1. lib. 3. *Divitias operosiores*. & Ode 11. lib. ejusd. *Operosa Minervæ studium*. & Ode 2. lib. 4. *Operosa carmina*. Albinovanus ad Liviam:

Facta ducis vivent, operosaque gloria rerum.

Operosa vatis, ut Eleg. 9. infra, *Operosa comis*. Vota suscipere solent nautæ in tempestate, quæ postea in litore solvunt: Virgilius 1. Georg. & 12. Æneid. Mare autem ab Augusto pacatum; unde vota & omina fausta in eum nautarum; ut notatum ad finem Elegiæ 11. lib. 3.

At tu sive petes portus, seu navita linques,
Cæsaris in tota sis memor Ionio. PASS.

Nautarum votis n. o. v. Sententia est: Adeo tranquillum ibi pelagus jacet, ut nautæ necesse non habeant plurima vota suscipere pro itineris felicitate. Ita Catullus Carm. 4. de phaselo: *Neque ulla vota litoralibus diis Sibi esse facta, quum veniret a mare Novissimo hunc ad usque limpidum lacum*. Eodem pacto summus poeta Dantes Inferni Cantu 28. v. 89.

Poi farò sì, ch' al vento di Focara
Non farà lor mestier voto, nè preco.

A quo Ludovicus Areostus Cantu 44. R. F.

I remi all' acqua, e dier le vele al Noto,
E fu

Huc mundi coïere manus. ſtetit æquore moles
Pinea, nec remis æqua favebat avis.
Altera claſſis erat tenero damnata Quirino,
Pilaque feminca turpiter apta manu.

Hinc

E fu lor sì ſereno il tempo, e chiaro,
Che non vi biſognò prego, nè voto,
Tanto che 'n porto di Marſilia entraro.

Huc pertinent quodammodo illa Taciti de Moribus German. cap. ult. *Securi adverſus homines, ſecuri adverſus deos, rem difficillimam aſſecuti ſunt, ut illis ne voto quidem opus ſit*. VULP.

v. 19. HUC MUNDI COIERE MANUS. STETIT ÆQUORE MOLES PINEA, NEC REMIS ÆQUA FAVEBAT AVIS] De hac re vide Dionem lib. 50. Virgilium 8. Æneid. & Plutarchum in Antonio. *Manus mundi*, orbis totius copiæ, ut Eleg. 20. lib. 1. *Manus heroum*. *Coïere*, convenere; ut Eleg. 7. lib. 3.

Pætus ut occideret, tot coïere mala.

Stetit. Stare, ad pugnam paratum eſſe, ut Eleg. 4. ſup.

Stabant Romana pila Sabina foro.

Virgilius 2. Georg.

Quum longo cohortes
Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto.

& 11. Æneid. *Stetimus tela aſpera contra*. Inde *Statarius miles* Livio lib. 9. Aliter dixit Ovidius 3. Metam. *Stetit æquore puppis*, immobilis manſit. *Moles pinea*, claſſis vaſta, & immenſa magnitudine. Virgilius 8. Æneid. de ea mole:

Pelago credas innare revulſas
Cycladas, & montes concurrere montibus altos.

Moles, inquit Feſtus, *pro magnitudine poni fere ſolet*. *Pinea moles*, quia pinus aptiſſima navigationi. unde ſæpe a poetis pro navi ponitur. ſic Eleg. 22. lib. 3.

In ſaxum prora pinus adacta nova.

Nec avis æqua favebat remis; non erant æqua auſpicia, & æque fauſta utrique claſſi. *Avis*, pro auſpicio, ut Eleg. 1. ſup. *Inceptis dextero cantet avis*. & Eleg. 5. ſup.

Concordique toro peſſima ſemper avis.

Favebat, unde fauſtum omen & auſpicium dicitur. *Remis*, navigationi, claſſi naviganti. Virgilius 8. Æneid. hac de re:

Totum ſpumare reductis
Convulſum remis, roſtriſque tridentibus æquor.

Contos etiam commemoravit Elegia 11. lib. 3.

Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.

Diræ, aves ſunt obſcœnæ Virgilio, quas adfuiſſe illi certamini ait lib. 8. Æneid.

Sævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, triſteſque ex æthere Diræ.

PASS.

Stetit æquore moles Pinea. intellige de claſſe Antonii & Cleopatræ: nam Auguſti naves multo minus ſpatioſæ erant. Florus L. 4. C. 11. *A ſenis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus atque tabulatis allevatæ, caſtellorum & urbium ſpecie, non ſine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur. Quæ quidem ipſa moles exitio fuit*. ille gemitus maris, & labor ventorum, quos in aliquo declamatore vix ferremus, neſcio cur tantopere placere potuerint eminentiſſimo Guidoni Cardinali Bentivolo, ut etiam voluerit imitari. ſic enim ſcribit parte ſecunda Hiſtor. Belgic. L. 4. *Con tal' ordine ſi diſpoſe l' armata. Veniva con tardo moto, quando anche portava le vele piene: e quaſi pareva che gemeſſero l' onde, e ſi ſtancaſſero i venti nel reggerne il peſo*. tantum judicii deliquium miror, imo indignor, in viro aliàs judicioſiſſimo. melius hæc & ſanius ſuo ipſe ore excuſſiſſet. BROUKH. *Mundi manus*. exercitus toto orbe collecti. VULP.

v. 21. ALTERA CLASSIS ERAT TEUCRO DAMNATA QUIRINO] Notandum *Altera* ſemel poſitum. Sic & Virgilius Ecl. 3.

Biſque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

Altera claſſis, Antonii ſcilicet. Servius in 1. Æneid. *Pallaſne exurere claſſem Argivum*. *Claſſis ἀπὸ τῶν κάλων. unde & calones, qui ligna, & fuſtes, & καλοποδια portant*. Olim multitudinem hominum claſſem vocabant; deinde ita vocarunt navium multitudinem: Feſtus in *Claſſis*, in *Claſſici*, & in *Procincta*.

Fabius

Fabius lib. 1. cap. 10. a calando deducit. Servius ad illud, *Immittit habenas*, plura de verbo Classis, & proprie ait Classes equitum esse; & quia olim equites stipendium dabant in naves, inde illis inditum classis nomen. *Damnata Quirino Teucro*, quæ addicta jam & adjudicata Augusto. Virgilius 4. Æneid. *Stygioque caput damnaverat Orco*. Statius 3. Silv. in Lacrimis Etrusci: *Magno gens est damnata triumpho*. & 6. Theb. de rogo: *Damnatus flammæ torus*. Martialis Epigr. 26. lib. 10. *Ausonio frustra promissa Quirino*. id est, duci. Octavianus primo Quirinus dictus est; postea Cæsar; postremo Augustus. id testatur Suetonius, & in Georgicis Virgilius ostendit, quum ait, *Victorisque arma Quirini*. vide Servium in illud 1. Æneid. *Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt*. Dio lib. 53. scribit, Augustum vehementer Romuli nomen appetiisse, sed Augusti assumsisse ad vitandam affectati regni suspicionem. Suetonius in August. cap. 7. *Quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem urbis*. Idem ait Florus in fine historiæ suæ. Errat Beroaldus, qui *Teneum Quirinum* M. Antonium interpretatur. *Teucro Quirino*, ut Virg. 1. Æn. *Pulcro Trojanus origine Cæsar*. Pass. In MSS. est *teucro Quirino*: unde Beroaldus bono judicio fecit *tenero*. eumdem errorem observavi in antiquo codice Virgilii, aliàs valde boni commatis, quem ego beneficio P. Francii, viri præstantissimi, contendi olim cum vulgatis. locus est L. 11. Æn. ubi de Metabo & Camilla:

Hic natam in dumis, interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.

membranæ habent *teucris labris*. cujus vitii medicina quum nemini non sit in promtu, frustra plura dixero. *tener Quirinus* (hoc etiam Beroaldus monuerat) est mollis atque effeminatus in Cleopatræ sinu Antonius. pari ratione C. Julium Cæsarem Catullus infamaverat Carm. 26. *Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?* & Syllam Salustius vocat *sævum istum Romulum*, apud Servium ad Eclog. 3. Ænean rex Iarbas *Parin*, Æn. L. 4. Domitianum Juvenalis *calvum Neronem* nominat Sat. 4. & hæc quidem tria posteriora infamiam secum trahebant ex morum atque ingenii similitudine. usitatius autem homines degeneres, aut publice inutiles, aut generi suo ignominiosos, celebri aliquo viri clari ac fortis nomine traducebant. Sic L. Pisonem, qui vitiis suis lutulentis, & popinæ ac ganeæ, amorem philosophiæ Epicureæ prætexebat, *Epicurum* vocat Cicero, Orat. in eum C. 16. quem multo fuisse frugalissimum non vana est opinio: *Confer nunc, Epicure noster, ex hara producte, non ex schola, confer, si audes, absentiam tuam cum mea*. deinde *Paullum*, ibidem: *Appellatus est hic vulturius illius provinciæ, si diis placet, imperator. Ne tum quidem, Paulle noster, tabellas Romam cum laurea mittere audebas?* rationem exponit Asconius Pedianus: *Confido vos intelligere, L. Paullum hunc significari, qui fuit pater naturalis Africani posterioris, quique de Macedonia, atque ultimo eius de rege triumphavit. Macedoniam autem Piso, in quem hæc oratio est, obtinuit: propter quod PAULLUM eum appellat: irridens eum, quod ibi se non prospere gessit*. postrema ista, quod obiter monere liceat, leviter corrupta videntur, & scribendum, *ibi rem non prospere gessit*. sic M. Antonium, obsidendarum urbium non prudentissimum, *novum Hannibalem*, Philipp. 13. C. 11. *Veneficam audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia invenit? quem ita obsides, nove Hannibal, aut si quis acutior imperator fuit, ut te ipse obsideas, neque te istinc, si cupias, possis explicare*. Cæsarem Octavianum, exercitum contra se ducentem pro optimatibus, M. Antonius in edictis suis *Spartacum* appellabat, referente Tullio Philip. 3. C. 8. ipsum vicissim Antonium Tullius Philipp. 4. C. 6. *Est igitur, Quirites, populo Romano victori omnium gentium omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco. nam, quod se similem esse Catilinæ gloriari solet, scelere par est illi, industria inferior*. Philipp. 13. C. 10. *O Spartace! quem enim te potius appellem? cujus propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina*. Catilinam deinde ipse se fore dicit orator, si verus esset rumor ab hominibus sceleratis confictus, velle eum post victoriam Mutinensem cum fascibus descendere. Philipp. 14. C. 5. *In aliquem credo hoc gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse consultum, non in eum, qui, ne quid tale in republica fieri posset, effecerit. an ut ego, qui Catilinam hæc molientem sustulerim, everterim, afflixerim, ipse exstiterem repente Catilina?* Non potest ferri eorum hominum stupor,

Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriæ vincere docta suæ.

Tan-

por, qui hunc *Teucrum* (si diis placet) *Quirinum* volunt esse Octavianum Augustum, & *damnatam* classem exponunt, addictam jam & adjudicatam Quirino Teucro. nemo ita loqui potest, qui quidem Latine volet loqui. & convincere eos debuerat ipse Propertius L. 2. Elegia 13. (16.)

Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
Actia damnatis æquora militibus.

nam Antonius bello Perusino totius Senatûs suffragiis judicatus fuit hostis. - - - - BROUKH. De *tenero Quirino*, qui sit M. Antonius, lubens in sagacissimi Broukhusii sententiam pedibus eo. non tamen ei concesserim, hanc lectionem Beroaldo deberi, quam scilicet exhibet princeps omnium Editio A. 1472. antiquior Beroaldi Commentario. neque, *damnare aliquem alicui*, minus Latinam φράσιν esse affirmaverim, quum, præter Virgilium 4. Æneid. & Horatium Ode 3. l. 3. sic diserte locutus fuerit Seneca Rhetor Controv. 17. *Reus damnatus est legi, periit fornici.* & Silius Italicus lib. 4. v. 228.

Ibant in Martem terræ dominantis alumni,
Damnati superis, nec jam reditura juventus.

Omitto, hanc locutionem Latinis Jurisconsultis familiarem fuisse. dicebant enim, *alteri condemnare, creditori condemnare*, ut notum vel ex Justiniani Instit. lib. 4. titulo de Actionibus. VULP.

v. 22. PILAQUE FEMINEA TURPITER APTA MANU] Cum dedecore: non enim arma Romana feminam decent. Tibullus Carm. 2. lib. 4. *Turpiter arma cadant.* Horatius Epist. ad Pisones: *Turpiter atrum Desinit in piscem mulier formosa. Apta*, pro aptata. Virgilius 4. Æneid.

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

vide Nonium in *Aptum*, colligatum, connexum. Festus in *Apex*. Aptus convenienter alicui junctus. *Manu* vero, pro manui. Sed alii libri *Acta*, pro adacta, vibrata, emissa. Virgilius 7. Æneid.

Actaque multo
Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo.

Feminea manu, propter Cleopatram. An etiam propter spadones, & milites Romanos *feminæ emancipatos*, ut ait Horatius Epodo 9? Vetus poeta apud Ciceronem 2. Tusc. *Sed feminea vir feminea interimor manu.* PASS.

v. 23. HINC AUGUSTA RATIS PLENIS JOVIS OMINE VELIS] Altera ex parte navis Augusti. De Augusti nomine Dio l. 53. Ovidius 2. Fast. Suetonius in Aug. c. 7. & Festus in *Augustus*. *Augusta ratis*, ut Ovidius 1. Fast. *Postibus Augustis*. &c. *Plenis Jovis omine velis*, quum vela agerentur vento secundo, & felici auspicio. Juppiter enim ventus est. Catullus Carm. 4. *Sive utrumque Juppiter Simul secundus incidisset in pedem.* Sic Virgilius 1. Æneid.

Neptunus ventis implevit vela secundis.

Jovis omen, augurium a Jove missum, ut aquila, vel lævum fulmen. & Augures, interpretes Jovis. mox omen flammæ commemorat. Juppiter autem ab Augusto stabat, ut Anubis deus Ægyptius a Cleopatra. Eleg. 11. lib. 3.

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin.

Omen faustæ navigationis est quum vento secundo implentur vela, ut hic, & apud Statium initio 2. Achill. *Dubiis pleno dedit omina velo.* PASS. Antonius contra adverso cælo & pelago usus est. id colligimus ex verbis Apollinis ad Cæsarem infra v. 47.

Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari. VULP.

v. 24. SIGNAQUE JAM PATRIÆ VINCERE DOCTA SUÆ] De signis vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 95. & 96. *Docta*, assueta. sic *docta falce* Eleg. 19. lib. 2. Sæpius autem vicisse denotat, & quasi usu peritam esse. Eleg. 11. infra:

Urbis, virtutisque parens sit vincere suevit.

Patriæ suæ, perinde ac non sibi, sed suis civibus, & imperii dignitati victoriam quæreret. Sic Vetus Inscriptio in Epistolia Plinii:

Hic

Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus:
Armorum radiis picta tremebat aqua.

Quum

Hic situs est Rictus, pulso qui Vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed patriæ.

& Cicero pro M. Marcello ait, Cæsarem *satis sibi, satis gloriæ vixisse, at patriæ parum*. PASS. *Signaque j. patriæ v. d. s.* Jam adsueta & vetus victoriarum de perduellibus, qui sub signis Romanis bellum inferebant Reipublicæ. Antonium intellige, bello Mutinensi & deinde Perusino profligatum; Cassium & Brutum cæsos; exutum trecentarum quinquaginta navium classe Sex. Pompejum. certe C. Cæsar adolescens in ipsis motuum Antonianorum initiis solus stitit rempublicam labentem. vide Ciceronem Philipp. 5. C. 8. at ille latro quatuor legiones Romanas sub signis habebat, non contemnendam manum. deinde etiam sex, ut videre est ex mandatis Antonii ad senatum missis ead. Philipp. 8. C. 8. *Signa patriæ* paullo clarius expressit Lucanus L. 1.

Infestis obvia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

pessime hic Passeratius. BROUKH.

v. 25. TANDEM ACIES GEMINOS NEREUS LUNARAT IN ARCUS] Post longam moram; vel quia avidis pugnæ omnis mora longa, vel quia cunctabantur confligere. *Nereus lunarat acies*; quasi deus ipse marinus acies marinas instruat. De Nereo Eleg. 7. l. 3.

O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ.

& Hesiodus in Theogonia. *Lunarat*, curvarat in speciem & formam arcûs, instar Lunæ κερατοειδῆς, & semiplenæ. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 1.

Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum.

Vetus Poeta apud Ciceronem in Lucullo: *Intendit crinitus Apollo Arcum auratum, lunat nixus*. De acie lunari Ælianus in Tacticis p. 267. & seq. Sic hodie Turcæ classes instruunt. sic *Delphinus lunatâ caudâ* apud Senecam Oedipo. Lucanus lib. 3. in pugna navali Massiliensium, & Cæsarianorum:

Lunata fronte recedunt
Ordine contentæ gemino crevisse Liburnæ.

Lunare in arcum, ut Virgilius 3. Æneid.

Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum.

in arcûs similitudinem, inquit Servius. Sallustius de Ponto: *Speciem efficit Scythici arcûs*. Ovidius 11. Metam.

Est sinus Hæmoniæ curvos falcatus in arcus.

Ideo apud Plautum Curcul. incurva senectute lena vocatur *arcus*. *Geminos* propter utramque classem. PASS. *Aciem* habet Groninganus, nostri duo, unus Colbertinus. BROUKH. Editio princeps: *nervis lunarat in arcus*; quod corruptum ex *Nereus*. *Nereus lunarat*, nihil aliud est, quam mari medio curvabantur geminæ classes, quod *Nerea* interdum vocant poetæ. Nero Cæsar apud Persium Sat. 1. v. 94.

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Rem graphice describit Silius Italicus l. 14. a versu 366. qui fortasse ad Propertium mentem adhibuit:

Ac jam diffusus vacua bellator in unda
Cornibus ambierat patulos ad prælia fluctus,
Navali claudens humentem indagine campum.
At simili curvata sinu diversa vehebat
Classis, & artabat lunato cærula gyro.

cærula, mare cæruleum. VULP.

v. 26. ARMORUM ET RADIIS PICTA TREMEBAT AQUA] In qua varii colores videbantur: & ex opinione *picta*; ut sup. *Fugiens portus*; nam aqua pingi non potest. unde proverbium: Εἰς ὕδωρ γράφειν, *in aqua scribere*. Sed e mari, ut e speculo, reddebatur varius armorum fulgor. Virgilius 8. Æneid. de hac pugna:

Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea.

videlicet ob auri armorum fulgorem. *Tremebat*, repercussu luminis vibrabat. Idem eod. libro dixit, *aquæ tremulum lumen*, & lib. 7. *Splendet tremulo sub lumine pontus*. Ennius Menalippa apud Macrobium:

Lumine sic tremulo terra, & cava cærula candent.

Catullus Carm. 63.

Tum tremuli salis adversas procurrere in undas.

Pass. Eleganter, & tamquam in re præsente. pariter L. Attius Epinausimache, apud Nonium; *Ab classe ad urbem tendunt,*

Quum Phœbus linquens ſtantem ſe vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos)

Adſti-

neque quiſquam poteſt Fulgentium armûm armatus ardorem obtui. Papinius L. 2. Theb.

Flammeus æratis Lunæ tremor errat in armis.

Ceterum τὸ & in huc ipſu Noſtri verſiculo non agnoſcunt meliores libri: etiam ii quibus uſus olim Gebhardus. venuſtius ſane abeſt ac rotundius. BROUKH.

v. 27. QUUM PHŒBUS LINQUENS STANTEM SE VINDICE DELON] Sic Horatius Ode 19. lib. 1. *Venus Cyprum deſeruit*. Catullus: *Perge linquere Theſpiæ Rupis Aonias ſpecus*. Virgilius 4. Æneid.

Qualis ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit: ac Delon maternam inviſit Apollo.

Nam Apollo, inquit Servius, *ſex menſibus hibernis Pataræ, ſex æſtivis in Delo reſponſa dabat*. *Stantem*, immutam. *Sedere* dixit Ovidius ult. Metam. *Tempuſque fuit quo navit in undis, Nunc ſedet Ortygie*. quia & ſtare & ſedere quietis eſt. Seneca Herc. Fur. de Apolline & Diana: *Quibuſque natis mobilis tellus ſtetit*. unde ἄπτερος dicitur Callimacho Hymno in Delum v. 11. Ovidius Epiſt. Cydippes:

Inque meis oculis candida Delos erat.
Quam procul ut vidi, Quid me fugis, inſula, dixi?
Laberis in magno numquid, ut ante, mari?

Se vindice, ſe velut aſſertore, quia eam ab errore vindicavit & liberavit, tamquam ab aliqua ſervitute. Feſtus: *Vindex ab eo quod vindicat, quo minus is qui prehenſus eſt ab aliquo teneatur*. Ciceroni 2. de Legib. *Vindex, ulter*. Boethius in Topica vindicem putat eſſe in XII. Tabb. qui nunc procurator dicitur, quod alterius cauſſam vindicandam ſuſcepiſſet: ſed errat. Etenim qui ſiſti judicio, judicatumve ſolvi pro alio ſatiſdabat, is vindex. Noſter infra: *Quæ nunc te vindice freta*. Ovidius 3. Faſt.

Protinus invadunt Numidæ ſine vindice regnum,

id eſt, defenſore. Suetonius Nerone c. 41. *Vindicem poſcere*, ambigue. *Vindicta*, ἀφαίρεσις, ἐξαίρεσις. vindicare, ἀφελεῖν, ἐξελεῖν, ἐξαιρεῖν Soloni. PASS. *Stantem ſe vindice Delon*. Statius L. 7. Theb. (eſt autem Bacchi ad Jovem oratio)

potuit Latonia frater
Saxa (nec invideo) defigere Delon, & imis
Commendare fretis.

Lutatius: *Apollinem dicit, qui Delon inſulam in honorem materni partus ſtabilem fecit*. Sed cui non dictus Hylas? tu e plurimis Servium conſulito in L. 3. Æn. v. 73. BROUKH. *Phœbus linquens Delon*. ubi æſtivis menſibus degebat: Servius in 4. Æneid. Auguſtus vero M. Antonium vicit apud Actium æſtate jam præcipiti, nempe ad diem IV. Nonas Septembris anno ab U. C. 723. Iccirco Suetonius in Aug. cap. 17. tradit, eum victorem *ab Actio Samum in hiberna ſe recepiſſe*. *Stantem ſe vindice Delon*. Id tamen Seneca in Agamemnone v. 363. Dianæ potiſſimum tribuit, non Apollini. VULP.

v. 28. (NAM TULIT IRATOS MOBILIS UNA NOTOS)] Sola inſularum vagata eſt per mare. perpeſſa eſt ſævitiam ventorum. *Tulit Notos*. ita Virgilius: *Ventos perpeſſus & imbres*. *Iratos*, ſævientes. Contra Virgilius 6. Æneid. *Ne ſævi, magna ſacerdos*. ne iraſcare. Horatius Ode 3. lib. 1. dixit *Rabiem Noti*. Virgilius 3. Æneid. de hac inſula:

Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereidum matri & Neptuno Ægæo,
Quam pius Arcitenens oras & litora circum
Errantem Mycone celſa Gyaroque revinxit,
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.

Thucydides lib. 2. Delon ait bello Peloponeſiaco intremuiſſe, quum antea ſemper immota fuiſſet. vide & Apollodorum lib. 1. & Pauſaniam in Laconicis. Item Plinium lib. 4. cap. 12. Strabonem lib. 10. & Ciceronem 3. Verrina. PASS. *Mobilis una*. quid ego audio? una igitur ac ſola Delus mobilis fuit, ventiſque huc illuc agitata fluctuavit? nullæ præter Delon inſulæ? atqui multas tales facta catalogo enumerat Seneca L. 3. Quæſt. Nat. cap. 25. & Plinius L. 2. C. 95. multo etiam plures Claudius Dauſquejus in *Terra & Aqua*. librorum

ſcri-

Adſtitit Auguſti puppim ſuper; & nova flamma
Luxit in obliquam ter ſinuata facem.

Non

ſcriptorum lectio eſt *mobilis unda :* quam, male corruptam, pejus deinde habuit Antonii Volſci ſiniſtrum acumen. ita enim ille in Commentario: UNDA. *emenda* una: *nam una Delos paſſa eſt ventorum injuriam.* -- in τῷ *unda*, latet vera lectio, quæ eſt *ante*. fundum hujus mutationis do tibi Maronem L. 3. Æn.

Quam prius Arcitenens oras & litora circum
Errantem Gyara celſa Myconoque revinxit,
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.

ecce, *prius* iſtud exprimit noſtrum *ante*. Seneca Agamemn. v. 370. vocat PRIUS *errantem Cyclada ventis*. Dices, apud Virgilium vulgo legi *pius Arcitenens*. fateor; ſed vulgo. nam & ego in antiquis membranis *prius* inveni; & in multis aliis invenit Jo. Pierius Valerianus; & ipſe denique Servius ſua ætate conſueviſſe ita legi liquido teſtatur. libro quoque 3. Æn. idem vitium fuit, jam inde ab aliquot ſæculis, hoc verſu:

Multaque præterea vatum prædicta priorum.

nam & iſtic *piorum* interpolaverant, eodem Servio teſte. juvat etiam nos verſus Ovidii Epiſt. Cydippes:

Laberis in magno numquid, ut ANTE, mari?

ad eamdem Delum. & poeta vetus (Petronium faciunt) in collectione Pithœana: *Delos, jam ſtabili revincta terrâ*, Olim *purpureo mari natabat*, *Et mota levis hinc & inde vento Ibat fluctibus inquieta ſummis*. vide Callimachum Hymn. in Delum v. 190. BROUKH. Ovidius lib. 6. Metam. v. 190. ubi de Latona gemellipara:

Hoſpita tu terris erras, ego, dixit, in undis,
Inſtabilemque locum Delos dedit. VULP.

v. 29. ADSTITIT AUGUSTI PUPPEM SUPER: ET NOVA FLAMMA LUXIT, IN OBLIQUAM TER SINUATA FACEM] Quia ſcilicet in puppi dii, ac tutelæ navium. ideo inquit: *Adſtitit ſuper puppem*. Perſius: *Et una Ingentes de puppe dei*. Ovidius 4. Faſt.

Picta coloribus uſtis
Cæleſtum matrem concava puppis habet.

Fortaſſe illic ſculptus, aut pictus fuit Apollo, cujus filius haberi volebat Auguſtus, ejuſque ornatu gaudebat. Suetonius in Aug. cap. 70. & 94. Horatius Ode 2. lib. 1. Virgilius 8. Æneid.

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Deſuper.

Quod ait *Linquens Delon adſtitit*; ſummæ celeritatis eſt. ita Virgilius 1. Æneid.

Volat ille per æthera magnum
Remigio alarum; ac Libyæ citus adſtitit oris.

& 4. Æneid. *Devolat, & ſupra caput adſtitit*. *Et nova flamma*; inſolita, & lucidior aſſueto. Aliter Eleg. 4. ſup. *Flammis accubuiſſe novis*. Lætum vero flammæ omen ſubito emicantis, ut Eleg. 4. ſup.

Luxerit & totâ flamma ſecunda domo.

ubi vide adnotata. Sic Livius de Servio Tullio: *Dormienti caput ardere viſum oſtentum futuri regni*. & Ovidius 6. Faſt. de eodem:

Signa dedit genitor tunc quum caput igne coruſco
Contigit, inque comis flammeus arſit apex.

τὸ *Ter* iterandum; & *Ter luxit*, & *Ter ſinuata*, curvata, & quaſi falcata in obliquæ facis ſpeciem. Eſt enim ſinuare, velut in ſinus inflectere. Virgilius 2. Æneid. *Sinuatque immenſa volumine terga*. Ovidius 2. Metam. in fine: *Tremulæ ſinuantur flamine veſtes*. *Sinuata in facem*, dictum ut ſup. *Lunarat in arcus*. Sinus ille & obliquitas ob formam utriuſque aciei lunatæ; vultque eam flammam velut ducem fuiſſe ad pugnam. ſic 2. Æneid. *Stella facem ducens*, ſignum & oſtentum fauſtæ profectionis Æneæ. PASS. *Adſtitit Auguſti puppem ſuper*. Magnam celeritatem in diis ſuis agnoſcunt poetæ. Valerius Flaccus L. 3. v. 83. *Martius exſilit aſtris Currus*. Idem L. 4. v. 355. *Juno --- Æthere deſiluit*. Ibidem v. 682. *Hic Juno præcepſque ex æthere Pallas Inſiliunt pariter ſcopulos*. Papinius L. 9. Theb. v. 678.

Lapſa per auras
Vertice Dircæi velox Latonia montis
Adſtitit.

 cete-

Non ille attulerat crines in colla ſolutos,
Aut teſtudineæ carmen inerme lyræ:
Sed quali adſpexit Pelopejum Agamemnona vultu,
Egeſſitque avidis Dorica caſtra rogis:

Aut

ceterum *puppim* habent noſtri libri cum Groningano, non *puppem*. Baoukh. Sic & Editio princeps. Vulp.

v. 31. Non ille attuleaat crines in colla solutos] Non venerat cum crinibus paſſis & fluentibus; ut Eleg. 7. lib. 3.

Attulimus longas in freta veſtra manus.

Cicero pro Quintio: *Adferre gratiam in judicium.* Laberius: *Quid in ſcenam adfera? Decorem formæ? an dignitatem corporis? Crines ſolutos in colla.* per colla fluentes comas, quales fert pacatus. Tibullus de Phœbo Eleg. 4. lib. 3.

Intonſi crines longa cervice fluebant.

Noſter Eleg. 3. lib. 2. *Comæ per lævia colla fluentes.* Martialis Epigr. 121. lib. 1. *Molleſque flagellent Colla comæ.* Pass.

v. 32. Aut testudineæ carmen inerme lyræ] Carmen lyræ, pro lyra canora. Eleg. 1. l. 2. *Lyræ carmen digitis percuſſit eburnis.* *Inerme*, molle, nec aptum armis & bello. unde *Imbelles lyra* infra v. 36. Ovidius in Ibin:

Omne fuit Muſæ carmen inerme meæ.

Teſtudinea, vel eburnæ, ut Juvenalis Sat. 6. *Teſtudineo conopeo*: aut quia e teſtudine primum facta lyra a Mercurio: Homerida in Hymno Mercurii. hinc *teſtudo*, pro lyra Eleg. ult. lib. 2. *Facit carmen docta teſtudine.* Sententia eſt: Non illuc venerat ut amores caneret, ſed ut bella gereret. Eſt autem quoddam carmen non inerme, ut Epos, quod Horatius *Forte* vocat, & *Iambus*: Horatius Epiſt. ad Piſones:

Archilochum proprio rabies armavit Iambo. Pass.

v. 33. Sed quali aspexit Pelopejum Agamemnona vultu] Nempe acri, truci, torvo. Vultus & oculi iræ indices. Ovidius 3. Metam.

Aſpicit hunc Pentheus oculis quos ira tremendos
Fecerat.

Horatius Ode 2. lib. 1. *Acer & Mauri peditis cruentum Vultus in hoſtem.* & Ode 3. lib. 3. *Vultus inſtantis tyranni.* Apud Homerum tamen tantum dicitur χωόμενος κῆρ Apollo, iratus cor, Iliad. α. quia repudiatus ejus ſacerdos Chryſes ab Agamemnone. *Pelopejum, tertium Pelopis heredem*, ut ait Catullus Carm. 63. v. 346. Sic El. 19. l. 3.

Infamis ſtupro ſtat Pelopeja domus. Pass.

v. 34. Egessitque avidis Doaica castra aogis] Noſter Eleg. 18. lib. 3. de hac re:

Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridæ magno cum ſtetit alter amor.

Egeſſit caſtra, exhauſit, exinanivit. Perſius Sat. 5.

Jam cras heſternum conſumſimus, ecce aliud cras
Egerit hos annos: & ſemper paullum erit ultra.

Egerere pecuniam ex ærario, clam auferre & furari: Livius lib. 39. Idem lib. 5. *Aſportatæ, egeſtæque opes.* & *egeſtio ruderum* Suetonio in Nerone cap. 38. Inde *Egeria Nympha, quæ conceptam alvum egereret*: Feſtus. Ergo Caſtra egerere, eſt milites ipſos efferre ad rogos & funera extra caſtra. *Dorica caſtra*, claſſis Græcorum, ut notatum ex Servio & Nonio ad illud El. 8. lib. 2.

Fervere & Hectorea Dorica caſtra face.

Rogis, vel tertio caſu, vel ſexto. *Egeſſit rogis*, extulit ad rogos; vel evacuavit & exhauſit funeribus. *Rogis avidis*, inſatiabilibus, quia ignis natura voraciſſima. Ovidius lib. 3. Amor. de morte Tibulli:

Effugiunt avidos carmina ſola rogos.

Horatius Ode 4. lib. 3. *Hinc avidus ſtetit Vulcanus.* Noſter Eleg. 28. l. 2. *Has omnes ignis avarus habet.* Apollo peſtem caſtris Græcorum immiſit, qua primum canes & jumenta, deinde homines acervatim interierunt. Homerus Iliad. 1. Quod autem ad rogos attinet: Αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί. Semper autem pyræ mortuorum incendebantur frequentes. Pass. Exhauſit Græcorum exercitum crebris funeribus. Statius L. 1. Theb.

Tumu-

Aut qualis flexos ſolvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait, O longa mundi ſervator ab Alba
Auguſte, Hectoreis cognite major avis:

Vince

Tumulisque carentia regum .
Funera, & egeſtat alternis mortibus urbes .
Sed hoc jam video Gebhardo monitum . BROUKH. Sagittis Apollo , ſeu peſtilentiâ , plurimos Achivorum interfecit , quod Chryſen ſacerdotem ejus , contumeliis affeciſſent . *Egeſſit D. caſtra vogis* , acervos cadaverum fecit . Varrn apud Nonium in *Spiſſum* : *Naſcimur ſpiſſius quam emerimur . Vix duo homines* (mas nimirum & femina) *decem menſibus edolatum unum reddunt puerum : contra una peſtilentia , hoſtica acies , puncto temporis immanes acervos facit* . VULP.

v. 35. AUT QUALIS FLEXOS SOLVIT PYTHONA PER ORBES SERPENTEM , IMBELLES QUEM TIMUERE LYRÆ] *Solvit* , confixit , & mortuum porrexit , atque explicuit : ſtravit & fudit . Lucanus lib. 5. *Rudibus Pæan Pythona ſagittis Explicuit* . Statius 1. Theb. de eodem :

Cyrrhæique dedit centum per jugera campi
Vix tandem explicitum .

Ovidius 1. Metam.

Qui modo peſtifero tot jugera ventre prementem
Stravimus innumeris tumidum Pythona ſagittis .

Salvi nexos ſerpentis dixit Virgilius quoque 3. Georg.

Cui medii nexus , extremæque agmina caudæ
Solvuntur , tardaſque trahit ſinus ultimus orbes .

Solvi , pro mori ſæpe dicitur , ut notavi ad illud Eleg. 9. lib. 2.

Figite certantes , atque hanc mihi ſolvite vitam .

Rutilius Itinerario :

Nunc indignemur , mortalia corpora ſolvi :
Cernimus exemplis oppida poſſe mori .

Apollo dicitur ab Orpheo in Hymnis Πυθοκτόνος . Is Python vocatur *Typhaon* in Hymno Apollinis apud Homerum : *Delphin* Dionyſio de Situ Orbis : unde urbs Delphi ; & apud Tibullum Eleg. 3. lib. 2. mixto utroque nomine ; *Delphica Pytho* . vide Apollodorum lib. 1. & Plinium lib. 34. H. N. cap. 4. Pauſanias vero in Phocicis , & Strabo lib. 9. latronem fuiſſe narrant cognomento Draconem . *Per orbes* , adactis telis trans volumina ſinuoſa . *Orbes* de voluminibus ſerpentum , Statius 1. Theb. & Virgilius 3. Georg. Idem 2. Georg.

Nec rapit immenſos orbes per humum , neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis .

Κύκλα vocat Apollonius Rhodius : Virgilius 5. Æneid. & gyros .

Septem ingens gyros , ſeptena volumina traxit .

Flexos , obliquos , tortos . Virgilius 12. Æneid.

Haud minus Æneas tortos legit obvius orbes .

Imbelles lyræ . lyricen ipſe , & citharœdus Apollo . Eleg. 3. ſup. v. 24. PASS. *Imbelles lyræ* , bello contrariæ , paci aptæ , & ipſo actu præferentes . Horatius pariter *Imbellem citharam & lyram* vocat . & *Tarentum imbelle* Epiſt. 7. lib. 1. urbem ſcilicet deliciis factam & quieti . Sic Valerio Flacco L. 5. *imbellis* dicitur olea , i. e. pacem portans . BROUKH. Pythonem timuit Phœbi lyra , non arcus . VULP.

v. 37. MOX AIT , O LONGA MUNDI SERVATOR AB ALBA AUGUSTE , HECTOREIS COGNITE MAJOR AVIS] Sic affatur Cæſarem Phœbus : O vindex orbis terrarum , cujus virtus clarior ſpectata , quam avorum tuorum de gente Hectorea . *Auguſte mundi ſervator : Rerum cuſtos* Horatio dicitur Ode ult. lib. 4. Idem Ode 5. ejuſd. lib. *Optimæ Romulæ Cuſtos gentis* . *Auguſte ab Alba* , dictum ut Eleg. 9. lib. 3. *Etruſco de ſanguine regum* . Cicero : *Philoſophi a Platone* . Virgilius 1. Æneid.

Implevitque mero pateram , quam Belus , & omnes
A Belo ſoliti .

Noſter Eleg. 11. infra : *Acron Cenina ductor ab arce* . & Eleg. 10. infra : *Raptor ab antro Caci* .

Vince mari, jam terra tua est: tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.

Solve

Cacus. *Auguste ab Alba;* ab origine Albanorum regum, unde gens Julia. nam illic Ascanius Julus regnavit. De Alba dictum ad Eleg. 1. sup. v. 35. *Longa vocata*, inquit Livius lib. 1. *a situ porrectæ in dorso urbis*. Λευκὴ μακρὰ vertit Græce Dionysius lib. 1. *Cognite major*, ut Catullus Carm. 60. *Vos unis senibus bona Cognita bene femina*. Noster Eleg. 11. lib. 1. *Perspectâ mihi cognita famâ*. Vide laudes Augusti 6. Æn. ab eo versu:

Hic vir hic est tibi quem promitti sæpius audis.

Hectoreis avis. sic Eleg. 1. lib. 2.

Cæsaris in Phrygios condere nomen avos. PASS.

Longa m. f. ab Alba. venusta locutio, neque infrequens optimis scriptoribus. notat autem originem generis, non locum, unde aliquis venerit. Virgilius L. 7. Æneid. *Tyrrhenis ab orit Mezentius*. ibi Servius: *Oriundo Tuscus, non qui nunc de Tuscia venit, quem antea pulsum a civibus constat*. atque ita capiendus Seneca Hippol. v. 753. *Et tu thyrsigera Liber ab India*. nam Bacchum apud se & natum & educatum Indi gloriabantur. vide Melam L. 3. C. 7. male Senecæ verba trahunt interpretes ad expeditionem Indicam Bacchi Thebani. Ba. Eadem orationis figura Virgilius 3. Georg. *Pastor ab Amphryso*. & 1. Ecl. *Nostris ab ovilibus agnus*. Valerius Flaccus lib. 1. v. 549. *Pastor ab Ida*. Ovidius lib. 3. Trist. Elegia 12.

Rarus ab Italia tantum mare navita transit.

id est, Italus, ut recte interpretatur Weitzius ad Valerium Flaccum. Lucretius in fine lib. 4. *Ceres ab Iaccho*. Livius quoque lib. 1. *Turnus Herdonius ab Aricia*. Idem lib. 4. *L. Tarquinium incolam ab Tarquiniis*. & lib. 43. *Aputeum Macedonem a Beræa*. Denique Florus lib. 1. cap. 12. *Assidui autem & anniversarii hostes ab Etruria Vejentes*. VULP.

v. 39. VINCE MARI, JAM TERRA TUA EST. TIBI MILITAT ARCUS] Bene ominantis Imperatori. Plautus Mercat. 2, 4. *Vale, vince, & me serva*. Cicero Epist. 26. lib. 10. ad famil. *Vince igitur, & vale*. & Epist. 25. lib. 11. *Vince, & vale*. Augustus tamen ante rem male gesserat. ideoque in eum jactati hi versiculi:

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam:

Suetonius in ejus Vita. *Terra tua est*. Horatius Epodo 9. *Terrâ marique victus hostis*. *Tibi militat arcus;* tuâ ego caussâ arcum meum contendi. Virgilius 8. Æneid.

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo Desuper.

Tibi militat. ut sup. *Signa docta vincere patria*. Horatius Epodo 1. *Libenter hoc & omne militabitur Bellum in tuæ spem gratiæ*. An *arcus*, pro sagittario, ut lyra, pro citharœdo superius? PASS.

v. 40. ET FAVET EX HUMERIS HOC ONUS OMNE MEIS] *Onus* vocat gravem telis pharetram; quod infra, *Pharetræ pondus*. Sic Horatius Ode 22. lib. 1. *Gravidâ sagittis pharetrâ*. *Onus ex humeris;* ut Virgilius 4. Æneid. *Cui pharetra ex humero*. Horatius Ode 21. lib. 1. *Insignemque pharetra, Fraternaque humerum lyra*. Arcus etiam ipse ex humeris pendebat. Virgilius 1. Æneid.

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix.

[Idem lib. 10.

Corytique leves humeris, & letifer arcus.

& lib. 11.

Aureus ex humero sonat arcus, & arma Dianæ.]

Livius Andronicus in Inone:

Pressaque jam gravidâ crepitent tibi terga pharetrâ.

Favet tibi, tibi studet: nam favere est studiorum & partium, sive in bello, sive in theatro & circo; ut diximus ad versum 1. hujus Elegiæ. PASS. *Hoc onus ex humeris meis*. vide quid attulerim ad Tibullum Eleg. 6. lib. 2. v. 2. VULP.

v. 41.

Solve metu patriam, quæ nunc te vindice freta
  Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
  Ire Palatinas non bene vidit aves.

Et

V. 41. SOLVA METU PATRIAM, QUÆ NUNC TA VINDICA FAETA IMPOSUIT PRORÆ PUALICA VOTA TUÆ] Libera metu hujus belli patriam; de quo dictum ad Elegiam 11. libri 3.

Septem urbe alta jugis, tota quæ præsidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.

Solvere, liberare. ut Eleg. 21. lib. 3.

Ut me longa gravi solvat amore via.

Virgilius 2. Æneid. *Solvit se Teucria luctu.* & 1. Æneid. *Solvite corde metum.* Cicero 1. de Nat. Deor. *Soluti terroribus ab Epicuro.* Idem: *Solvi religione, scelere, somno.* *Te vindice:* asseruisti enim libertatem adversus dominationem Cleopatræ. *Freta*, nixa, fulta, fidens. Eleg. 8. lib. 1. *Queis ego fretus amo.* *Imposuit vota proræ*, in prora collocavit. Ovidius 5. Fast.

Exsul ab Arcadia Latias Evander in agros
Venerat, impositos attuleratque deos.

Aliter Eleg. 19. lib. 2.

Jam nunc me sacra Dianæ
Suscipere, & Veneri ponere vota juvat.

Vota publica. Sic Ovidius lib. 2. Trist. Eleg. 1.

Et pia tura dedi pro te, cumque omnibus unus
Ipse quoque adjuvi publica vota meis.

Vovemus aut publice, aut privatim. Publice, ut magistratus, vel populus universus, ut hic: privatim, ut Propertius ipse El. 26. lib. 2. De his votis publicis vide Virgilium 8. Æneid. v. 714. & v. 678. Ergo vota imposita cum diis navi ejus. Appulejus lib. 11. *Hujus alvei felicis carbasus litteras votum ingestans progerebat. Ecce litteræ votum instaurabant de novi commeatus prospera navigatione.* Hic votum in carbaso & velo navis. quomodo ergo vota in prora? quia & in prora velum, quod mendicum dicitur: Festus in *Mendicum*. Scaliger hic notat, in prora fuisse tutelam navis. vota autem in genibus deorum insculpebantur, & inscribebantur. unde Juvenalis dixit Sat. 10. *Genua incerare deorum.* & Appulejus in Apologia: *Votum in femore statuæ assignare.* PASS.

V. 43. QUAM NISI DAFENDES, MUAOAUM ROMULUS AUGUA IRE PALATINAS NON AENE VIDIT AVES] Ovidius 5. Fast. agens de signis a Parthis ademtis:

Isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Cæsaris Ausoniæ protegerentur opes.

Horatius Ode pænult. lib. 4. *O tutela præsens Italiæ, dominæque Romæ.* *Augur murorum Romulus*; qui scilicet muros & urbem auspicato condidit. Cicero 1. de Divinat. *Romulus non solum auspicato urbem condidit; sed etiam optimus augur fuit.* *Augur* cum secundo casu. sic Horatius Ode 17. lib. 3. *Aquæ augur cornix.* sic Noster Eleg. 17. lib. 3. *Virtutis poeta.* & Eleg. 17. lib. 2. *Horum ego sum vates.* *Augur*, inquit Festus, *ab avibus gerendoque dictus, quia per eum avium gestus edicitur; sive ab avium garritu, unde augurium.* De augurum munere, & potestate Cicero 2. de Legib. *Non bene vidit.* vidisse se putavit, falso: vel sponte ementitus est. Dilogia: *Bene vidit; bene ire.* *Vidit.* Id augures Avem specere dicebant. Varro 5. de L. L. Inde *Auspicium*, & *Spectionem habere* dicuntur augures: Festus in *Spectio*, & Cicero 2. Philipp. *Aves Palatinas.* Romulus enim captando augurio Palatinum collem, Remus Aventinum insederat, eaque templa ceperant. Livius l. 1. Dionysius l. 1. Plutarchus in Romulo. At Ennius apud Ciceronem 1. de Divinat. in Aventino sedisse Romulum scribit:

At Romulu' pulcher in alto
Quærit Aventino servans genus altivolantum.

Vide Ovidium, arbitrum honorarium, 4. Fast. a v. 811. *Aves*, vultures: *Ter quatuor corpora sancta avium* Ennius vocat apud Ciceronem 1. de Divinat. Ovidius 5. Fast.

Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Regna Palatinæ prima dedistis aves.

Ire,

Et nimium remis audent, proh turpe, Latinis
Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari.

Quod-

Ire, volare. Virgilius: *It fama per urbes*, id est, volat. PASS. *Murorum Romulus augur*. *auctor* est in uno Regio. sed præpollet vulgata. --- Romulus autem hic *murorum augur* dicitur eadem ratione, qua paullo post Apollo se ipse vocat *temporis auctorem*. BROUKH.

v. 45. ET NIMIUM REMIS AUDENT PROPE TURPE LATINIS, PRINCIPE TE, FLUCTUS REGIA VELA PATI] Vel nimium fluctus (Ionii) audent; vel, nimium prope (Italiam); quod Cicero pro Lege Manilia, & in Verrem de navibus prædonum turpe Pop. Rom. fuisse ait. Alii interjectionis vicem legunt, *Prô*, sive *proh turpe*. *Turpe Latinis remis*, navibus Romanis, ut sup. *Nec remis æqua favebat avis*. *Audent pati*; non verentur id pati quod illis turpe & flagitiosum est. non id eos pudet. vel suscipiunt facinus. Horatius Ode 3. lib. 1. *Audax omnia perpeti*. Vel *Audent*, possunt. sic Terentius Adelphis: *Non audebam*, pro, *non poteram*, inquit Donatus. Plautus Pseud. 1, 1. *Nihilne me adjuvare audes?* id est, vis, potes, & 5, 2. *Non audes mihi gratiam facere argenti?* Inde *Sodes*, si audes, id est, si vis, & placet. *Pati vela regia*, ferre, & sustinere classem Cleopatræ regio spiritu. & nimis remis Latinis & navibus Romanis turpe, quod classis Ægyptia tam prope naviget. Sensum tribuit fluctibus, ut Xerxes, qui eos flagris cædi jussit. Sic Virgilius 1. Georg.

Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas.

& Noster Eleg. 1. lib. 2. *Nilum debilem captivis aquis* dixit. Remos autem velis opponit, ut Horatius Ode 37. lib. 1. *Cæsar ab Italia volantem* (velo) *Remis adurgens*. *Regia vela*. Velum navis Cleopatræ purpureum fuisse scribit Plinius lib. 19. cap. 1. *Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit*. Hoc fuit imperatoriæ navis insigne. Purpureum velum, *Regium*, ut, *Purpurei tyranni*, Horatio. *Principe te*. Ovidius 2. Fast.

Tu (Romule) domini nomen, principis ille (Augustus) tenes.

Horatius Ode 2. lib. 1. *Hic ames dici pater atque princeps*. & Ode 21. lib. 1. *A populo, & principe Cæsare*. Idem Epist. 1. lib. 2.

Et formidatam Parthis te principe Romam.

Princeps, primus captus; ut *deinceps*, proxime captus: Festus in *Deincipem*. male Isidorus, quod primum capiat. PASS.

v. 47. NEC TE, QUOD CLASSIS CENTENIS REMIGET ALIS, TERREAT: INVITO LABITUR ILLA MARI.] Nec te vehementius commoveat, quod Antonii & Cleopatræ navis centum remis, ut alis, impulsa feratur. Scaliger Titium reprehendit, quod hic *Centenas alas*, centum vela exponat. nam non dicitur velis remigare, licet *Remigium alarum* dixerit Virgilius 1. & 6. Æneid. & Sophocles πτεροῖς ἐρέσσει; *Alis remigat*, pro, volat. Ovidius 5. Metam.

Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis.

volat enim navis ut velis, sic & remis. Remigare autem classis dicitur; ut Ciceroni pro Flacco, & Plinio lib. 16. c. 19. *Navigare*. Significat autem πεντηκοντόρους, naves quinquagenis utrimque remis aptas. cujusmodi apud Virgilium 10. Æneid. *Centenaque arbore fluctum Verberat adsurgens*. vel *Classis centenis alis*; id est, velis; ut *Remiget*, per se stet. vide ad illud 4. El. sup. *Lucus hederosa antra*. *Labitur*, natat. Sic Eleg. 20. lib. 1. *Labentem ratem*. *Invito mari*: Eleg. 17. l. 1. *Invito gurgite*. Ovidius Epist. Laodamiæ:

Hoc quoque, quod venti prohibent exire carinas,
Me moves: invitis ire paratis aquis. P.

Invito mari. Seneca Agamemn. v. 172. *Non est soluta prospero classis deo*. BROUKH. *Classis centenis remiget alis*. πλοίων πτέρυγες, navium alæ, memorantur Isaiæ c. 18. apud LXX. Τὸ τελευταῖον τῆς κώπης, *extremam partem remi*, πτερὰ, ἢ ταρσοὺς, *alas*, *aut palmulas*, vocari docet Pollux lib. 1. cap. 9. VULP.

v. 49.

Quodque vehunt proræ Centauros saxa minantes:
Tigna cava, & pictos experiere metus.

v. 49. QUODQUE VEHUNT PRORÆ CENTAURICA SAXA MINANTES: TIGNA CAVA, ET PICTOS EXPERIERE METUS] Beroaldus ait Centauream pugnam cum Lapithis illic pictam, in qua saxis ingentibus res gereretur. Sane *Centauri* etiam naves a forma dictæ, ut apud Virgilium 5. Æneid. & *Scylla*, *Chimæra*, *Pristis*. hodieque ingentem navem suam Veneti *Bucentaurum* appellant. Maxime saxa in proris, quia illic pugnatur. De saxis Centauricis Ovidius 12. Metam. ubi Charaxus Centaurus,

Inque humeros limen tellure revulsum
Tollit, onus plaustri. quod ne permittat in hostem,
Ipsa facit gravitas: socium quoque saxea moles Oppressit.

Ibid. *Saxum quoque monte revulsum Mittere conatur*. Notæ Centaurorum vires. unde Aristophanes in Ranis: Τίς τὴν θύραν ἐπάταξεν ὡς κενταυρικῶς; *Quis ostium pulsovit ita Centaurice?* vehementer & valide. Vide proverbium, *Centaurice*. *Minantes*, ad terrorem compositæ. Noster Eleg. 7. lib. 3. *Argivum pœna minantis aquæ*. *Experiere*, senties, & re ipsa cognosces. Eleg. 22. lib. 2. *Sæpe est experta puella*. & experiri sæpe cum malo & periculo conjunctum. *Cava tigna*, minus metuenda, quam solida, & est periphrasis navium. Virgilius 3. Æneid. *Vastumque cava trabe currimus æquor*. & 1. Georg. *Cavat arbore lintres*. Ibid.

Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas.

Pictos metus, cassas formidines, ut *nebulas in pariete pictas* dixit Ausonius. Dii, homines, belluæ in navibus pingebantur. Statius 8. Theb. *Inscriptaque deos qui navigat alno*. Horatius Ode 15. lib. 1. *Nil pictis timidus navita puppibus Fidit*. Appulejus 4. Florid. sub finem: *Navem bonam, bene intrinsecus compactam, & extrinsecus eleganter depictam*. Ovidius 4. Fast.

Picta coloribus ustis
Cælestum matrem concava puppis habet.

Idem lib. 1. Trist. Eleg. 3. *Pictos verberat unda deos*. Virgilius 4. Georg. de phaselis Ægyptiorum:

Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.

Picti metus, inanes & falsi; quibus opponuntur *veri*. Horatius Ode 37. lib. 1. *Redegit in veros timores Cæsar*. [de hoc ipso Actiaco prœlio.] Statius 10. Thebaid.

Falleris heu, verosque metus, pater optime, nescis. PASS.

Q. v. p. Centaurica saxa minantes. videtur Noster, per enallagen numeri, loqui de nave regia, quæ habuerit pictum in prora Centaurum, ingens saxum minantem, quales olim isti semiferi steterant contra Lapithas. inde colligo, legendum esse, *Centauros saxa minantes*. quod, ni fallor, etiam Guyeto placebat. juvat nos Poeta princeps L. 10. Æn.

Filius æquales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquæ, saxumque undis immane minatus
Arduus, & longâ sulcat maria alta carinâ.

hanc imaginem Noster contemtim *pictos metus* vocat versu sequente: ac si omnis ab Antonio terror constiterit intra minacem apparatum. est apud Maronem in eodem libro etiam altera imago, quæ huc facit:

Æneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.

vulgata lectio si recta esset, certe proræ omnino dici deberent *minaces*, non *minantes*. BROUKH. *Quodque*. *Quod* hic usurpatur pro *quamvis*, *etsi*. Eleg. 1. lib. 3. pariter:

Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis, &c.
At Musæ comites.

Ovidius quoque lib. 7. Metam.

Pace deæ, quod sit tetro spectabilis ore,
Quod teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis quod alatur aquis, ego Procrin amabam,
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.

Et in Carmine Libero Epigr. 5. *Quod sim ligneus, ut vides, Priapus, Et falx lignea, ... Prendam te tamen*. *Vehunt proræ*

Frangit, & attollit vires in milite caussa:
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

Tem-

Centauros f. m. Horatius Epodo 1. memorat *alta navium propugnacula*, scilicet Antonianarum, cum quibus *Liburnæ* Cæsaris agilea & expeditæ pugnam erant commissuræ. Lege Ovidium 12. Metam. ubi pugnam Centaurorum cum Lapithis copiose describit. monstra illa liminibus januarum, aris, quercubus a stirpe divulsis, rupium fragminibus in adversarios utuntur. Valerius Flaccus lib. 1. Argon. v. 337. de eodem certamine:

Quum signifera cratere minantem
Non leviore Pholum manus hæc compescuit auro.

De παρασήμῳ navium vide Nic. Heinsium ad Ovid. Eleg. 10. lib. 1. Tristium v. 1. *Tigna cava*. πυργούχων, seu tignorum, quæ turres in navibus sustinerent, mentio apud Pollucem lib. 1. cap. 9. *Pictos metus*. quasi puerorum terricula: & locutio sapit adagium. Lucillius egregie apud Lactantium de falsa religione cap. 22.

Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere, & esse homines; & sic isti omnia ficta
Vera putant: credunt signis cor inesse ahenis.
Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Navis picturam diligenter admodum persequitur Valerius Flaccus l. 1. a versu 129. VULP.

v. 51. FRANGIT, ET ATTOLLIT VIRES IN MILITE CAUSSA] *Caussa*, jus partium. Cicero lib. 7. ad Attic. Epist. 3. *Caussam solam ea caussa non habet; ceteris rebus abundat.* & lib. 4. ad famil. Epist. 7. *Non enim iis rebus pugnabamus quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, caussa; quibus superiores eramus: sed lacertis & viribus, quibus pares non eramus.* & Epist. ult. lib. 5. *Quamvis multum intersit inter eorum caussas qui dimicant.* A foro ad bellum translatum, ut *Partes*. Cicero ubique. Ovidius in eamdem sententiam lib. 1. A. A.

Vincuntur caussa Parthi: vincantur & armis.

& Epist. Laodamiæ:

Irruat: & caussa quem vincit, vincat & armis.

Idem 5. Fast.

Statque favor caussa pro meliore tuus.

verba sunt Augusti ad Martem. Frangit vires caussa mala, quia ignavos & timidos reddit; sibi enim diffidunt. Sic Eleg. 14. lib. 1.

Illa potest magnas heroum infringere vires.

Virgilius 2. Æneid. *Fractæ vires, aversa deæ mens*. *Attollit*, jacentes excitat, auget, confirmat. Virgilius 4. Æneid.

Punica se quantis attollet gloria rebus!

Attolluntur proprie jacentes. Virgilius 5. Æneid. *Ab humo miserans attollit amicum*. PASS. *Frangit, & attollit v. i. m. caussa*. Ovidius 8. Metam. v. 58. verbis Scyllæ:

Justa gerit certe pro nata bella perempta,
In caussaque valet, caussamque tuentibus armis.

Huc facit pulcherrimus Ciceronis locus Orat. 2. in Catilinam, ubi hortatur Quirites ad ejus exercitum opprimendum: *Si, inquam, his rebus omissis, ipsas caussas, quæ inter se confligunt, contendere velimus; ex eo ipso, quam valde illi jaceant intelligere possumus.* legesis reliqua. T. Livius pariter lib. 45. in Orat. Rhodiorum: *Certe quidem vos estis, Romani, qui ideo felicia esse bella vestra, quia justa sint, præ vobis fertis; nec tam exitu eorum, quod vincatis, quam principiis, quod non sine caussa suscipiatis, gloriamini.* Dio Cassius lib. 52. Δεῖ δὲ ὡς δικαίως πᾶσαν ἡμᾶς πρόνοιαν ποιεῖσθαι. μετὰ μὲν γὰρ τούτου καὶ ἡ παρὰ τῶν ὅπλων ἰσχὺς εὔελπίς ἐστιν· ἄνευ δ' ἐκείνου βέβαιον οὐδὲν κἂν παραυτίκα τις κατορθώσῃ τι, ἔχει. Justinus lib. 19. cap. 1. *Sed Afrorum sicuti caussa justior, ita & fortuna superior fuit.* Accinit Salvianus lib. 7. de Gubernat. Dei cap. 7. *Sed ideo ille infirmissimis hostibus cuncta tradidit, ut ostenderet scilicet non vires valere, sed caussam.* Sophocles Oedipo Coloneo v. 931. Τοῖς τοι δικαίοις χὠ βραχὺς νικᾷ μέγαν. *In caussa justa etiam parvus vincit magnum.* Herodianus lib. 6. cap. 9. in Oratione Alexandri: Τὸ δὲ τοὺς ἀδικοῦντας ἀποσείσασθαι, ἔν τε τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως ἔχει τὸ θαρράλεον, καὶ ἐκ τοῦ μὴ ἀδικεῖν, ἀλλ' ἀμύνασθαι, ὑπάρχει τὸ εὔελπι. *Qui propulsat injuriam, confidentior ea conscientia*

Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.

Dixe-

tia fit , atque ex justitia spem bonam mutuatur . Isocrates in Archidamo : Ἐγὼ δὲ μεγίστην ἡγοῦμαι συμμαχίαν εἶναι ϗ βεβαιοτάτην , τὸ τὰ δίκαια πράττειν . *Ego vero in nullis sociis plus esse præsidii & constantiæ puto, quam in justis actionibus* . Adde Ludovicum Areostum Cantu 38.

E ragion tanta è dalla nostra parte ,
Che vincerà s' avesse incontra Marte .

Manilius tamen contra lib. 4. Astronom. v. 96.

Nec Fortuna probat caussas , sequiturque merentes ,
Sed vaga per cunctos nullo discrimine fertur .

Attollit vires . T. Livius lib. 7. *Fortuna utriusque populi & extollere animos , & minuere potuit* . VULP.

v. 52. QUÆ NISI JUSTA SUBEST , EXCUTIT ARMA PUDOR] *Justa* , caussa , & *bona* dicitur . Cicero Epist. pænult. lib. 7. ad Attic. *Rem miseram ! malas caussas semper obtinuit , in optima concidit* . *Subest caussa* . Ovidius 4. Fast.

Non pudet herbosum , dixi , posuisse maretum
In dominæ mensis? an sua caussa subest?

Cicero sæpe ita loquitur , præsertim Offic. 1. & 5. de Fin. *Excutit arma pudor ;* mens conscia turpitudinis, sive *conscius rubor* , ut ait Catullus , cogit arma abjicere : efficit ut arma delapsa e manibus cadant . Sic Tibullus Eleg. ult. lib. 2.

Excutiunt clausæ fortia verba fores .

Cicero : *Ista nobis studia de manibus excutiuntur* . Virgilius 9. Æneid. *Excussi manibus radii* . *Tibi turpiter arma cadant* , dixit Tibullus Carm. 2. lib. 4. PASS. *Caussa* , *Quæ nisi justa subest* . Ita Cicero lib. 1. de Officiis cap. 12. *Quum vero de imperio decertatur , belloque quæritur gloria , caussas omnino subesse tamen oportet easdem , quas dixi paullo ante justas caussas esse bellorum* . VULP.

v. 53. TEMPUS ADEST : COMMITTE RATES : EGO TEMPORIS AUCTOR DUCAM LAURIGERA JULIA ROSTRA MANU] Sic Virgilius 5. Æneid. *Jamque dies , ni fallor , adest* . & 12. Æneid. *Nunc tempus adest* , εὐκαιρία . *Committe rates* , jube naves congredi & confligere . de verbo committendi dictum sup. ad illud El. 4. *Commissas acies* . *Auctor temporis* . Origo , & fons , & parens ævi : nam Sol , qui & Apollo , annum & diem efficit . Virgilius 2. Georg.

Idcirco certis dimensum partibus annum
Per duodena regit mundi Sol aureus astra .

Ovidius 4. Metam.

Ille ego sum , dixit , qui longum metior annum .

Ibid. *Auctor lucis* . *Ducam manu ;* dux ero ad victoriam certam & facilem . Ducere manu , est χειραγωγεῖν . Cicero lib. 1. de Nat. Deor. *Qui res abditas sic tractet ut manu ducat* . vulgo *doceat* . sed Turnebus emendavit . Lucretius lib. 2.

Nec contra pugnant in promtu credita quæ sint :
Sed magis ipsa manu ducunt , & credere cogunt .

Julia rostra , vocat *Juleam carinam* , & *Augustam ratem* supra . Rostratis autem Liburnis usus Augustus . id Horatius testatur Ode 37. lib. 1. & Epodo 1. Noster El. 11. lib. 3.

Baridos & contis rostra Liburna sequi .

Rostra , ἔμβολοι . nostri a forma , *esperons* , ab asperitate . *Embolum navis* dixit Petronius Græco verbo . *Laurigera manu* , victrici ; quia lauri ramum gerunt triumphantes . Phœbus autem lauriger . Martialis Epigr. 29. lib. 9.

Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi .

Phœbus ipse apud Ovidium 1. Metam.

Semper habebunt
Te comæ , te citharæ , te nostræ , laure , pharetræ .

Julia , quia Augustus in avunculi Julii Cæsaris familiam & nomen adoptione transierat . PASS. *Ego temporis auctor* . Cur non potius opportunitatis , quam diei & anni ? Sic Ovidius Remed. Amor.

Temporis ars medicina fere est : data tempore prosunt ,
Et data non apto tempore vina nocent .

Temporis , εὐκαιρίας . Idem Epist. Phædræ :

Tempore abest , aberitque diu Neptunius heros .

Dixerat, & pharetræ pondus consumit in arcus.
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phœbi, dat femina pœnas.
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.

At

Noster Eleg. ult. infra :

Consule quo facto, tempore rapta ferat.

id est, commodùm, opportune. VULP.

v. 55. DIXERAT, ET PHARETRÆ PONDUS CONSUMIT IN ARCUS] Omnes sagittas in arcus impendit, aut unam instar omnium; quia dicturus est :

Uno decem vicit missa sagitta rates.

Consumit in arcus, sagittas omnes arcui deinceps imposuit, ut nulla superesset. Sic Virgilius 7. Æneid.

Absumtæ in Teucros vires cælique marisque.

& 3. Georg.

Sed tota in dulces consument ubera natos.

Cæsar 1. de Bello Civili : *Consumtis omnibus telis*. Noster Eleg. 16. lib. 2. *Consumto munere*. & Eleg. 32. lib. 2. *Nox consumta lusu*. Terentius Andria 1, 1. *Si quid consilii habet, consumet nunc*. Horatius Sat. 4. lib. 2.

Nequaquam satis in re una consumere curam.

Cicero : *Consumere diem, operam, studium, vim suam, otium in aliqua, vel in aliquem*. Enallage numerorum *Arcus*, pro arcum. PASS. Grandius hoc & sonorius, quam si dixisset *in arcum*. Ita locuti Statius, & Valerius Flaccus. ----- est & *consumendi* verbum non sine insigni energia. Cicero, Orat. pro Cn. Plancio C. 30. *Sic mecum semper egisti, ut mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Cn. Plancii honorem consumerem*. BROUKH. *Pharetræ p. c. i. a.* Huc pertinet locus Macrobii lib. 1. Saturn. cap. 17. *Quum ludi Romæ Apollini celebrarentur, ex vaticinio Marcii vatis carmineque Sibyllino, repentino hostis adventu plebs ad arma excitata occurrit hosti; eoque tempore nubes sagittarum in adversos visa ferri & hostem fugavit, & victores Romanos ad spectacula dei sospitalis reduxit*. VULP.

v. 56. PROXIMA POST ARCUS CÆSARIS HASTA FUIT] Hastam Cæsari tribuit, ut Homerus Achilli : Virgilius Æneæ & Turno; sive quod hasta signum imperii est, sive quod virtutis indicium; unde ea viri fortes donabantur. Olim pro sceptro fuit. Turnebus lib. 22. Adv. cap. 12. *Proxima post*, secundum sagittam Phœbi emissa hasta Augusti. Plautus Captiv. 2, 1. *Secundum patrem tu es pater proximus*. Cicero 1. Offic. *Qui præfectus classis proximus post Lysandrum fuit*. & in Catone : *Fratre suo consore, qui proximus ante me fuerat*. PASS. Ingeniosa est & capitalis Nic. Heinsii emendatio, Not. in Ovid. L. 2. Fast. v. 751. *Cæsaris hasta furit*. proprium in pugnis verbum est *furere*. Virgilius L. 7. Æn.

Pars pedes ire parat campis : pars arduus altis
Pulverulentus equis furit : omnes arma requirunt.

& alibi. sic etiam Valerius Flaccus non semel. BROUKH. INGENIOSÆ hujusmodi & frequentes conjecturæ totos paullatim nobis mutant auctores. Nihil est movendum sine vetustis codd; non enim quæritur, quid scribere aliquis potuerit, vel debuerit, sed quid vere scripserit. VULP.

v. 57. VINCIT ROMA FIDE PHŒBI, DAT FEMINA PŒNAS] *Vincit Roma*, pro qua stabat Cæsar. *Fide*, ope & auxilio : Donatus in Andriam 4, 2. *Dii vostram fidem*. Virgilius 10. Æneid. *Tyrrhenamve fidem*. id est, auxilium Etruscorum. Catullus Carm. 34. *Dianæ sumus in fide Puellæ, & pueri integri*. id est, tutela & numine. *Femina*, contemtim de Cleopatra. sic Eleg. 11. libri 3.

Et famulos inter femina trita suos.

Dat pœnas, luit supplicium morte, quam ipsa sibi conscivit. Eleg. 5. lib. 2. *Dabis mihi, perfida, pœnas*. Eodem sensu, *Persolvere pœnas* Virgilius 9. Æneid. & Catullus Carm. ult. *Dare supplicium*. PASS. *Vincit Roma fide Phœbi* : transitio admodum artificiosa. de prœlio nihil : statim ad victoriam. duxit autem hunc colorem a summo magistro L. 4. Æn.

Dixerat, atque illam media inter talia ferro
Conlapsam aspiciunt comites, ensemque cruore

Spu-

At pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus; en nostri sanguinis ista fides.

Pro-

Spumantem, sparsasque manus.

& observarunt istic artificium Servius ac Donatus. recte vero Noster victoriam adscribit numini ita pollicito, atque ab Augusti partibus stanti tamquam a caussa meliore: Cicero Catilin. 2. C. 11. *In hujusmodi certamine ac prælio, nonne etiam si hominum studia deficiant, dii ipsi immortales cogent ab his præclarissimis virtutibus tot & tanta vitia superari?* BROUKH.

v. 58. SCEPTRA PER IONIAS FRACTA VEHUNTUR AQUAS] Fractum imperium & regnum, cujus insigne sceptrum. Sic El. 11. lib. 3.

Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures?

Sceptra, pro regnis, ut fasces & secures pro magistratibus. Virgilius 1. Æneid. *Tu sceptra, Jovemque Concilias.* & *Sic nos in sceptra reponis?* & 3. Æneid.

Conjugis Æacidum, Pyrrhi sceptrisque potitum.

Vehuntur, feruntur, fluitant, natant. ut Eleg. 25. lib. 2.

Quum sæpe in portu fracta carina natet.

Per aquas Ionias, fluctus Ionios. Quum fugit Cleopatra, tunc fractæ ejus opes & regna. PASS. Huc quodammodo pertinet quod scribit Florus lib. 4. cap. 11. *Nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quam post victoriam. Quippe immensa classe naufragio belli facto, tota mari ferebatur e Arabumque & Sabæorum, & mille aliarum gentium Asiæ spolia, purpuram, aurumque in ripam assidue mota ventis maria revomebant.* VULP.

v. 59. AT PATER IDALIO MIRATUS CÆSAR AB ASTRO] C. Julius Cæsar dictator, Octaviani avunculus natura, pater adoptione. Suetonius in Aug. cap. 4. *Atius Balbus Juliam sororem Cæsaris duxit, matrem Atiæ, ex qua & Octavio genitus Augustus.* Ergo ei Cæsar natura major avunculus. De ejus adoptione idem Suetonius cap. 83. Ovidius 4. Fast. initio, & ult. Metam. Ambigue autem *Pater*; genitor, & deus, quia omnes dii patres dicuntur. *Miratus*, spectans cum admiratione virtutem, & felicitatem filii. *Ab astro Idalio*, ab ipso cælo, ubi stellatus est. ut adnotatum ad El. 18. lib. 3.

Et qua
Cæsar ab humano cessit in astra via.

Horatius Ode 12. lib. 1. *Micat inter omnes Julium sidus.* *Idalio*, Dionæo, Venerio. Idalia, sive Idalium, urbs insulæ Cypri. vide adnotata ad illud Catulli Carm. 63.

Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum.

Plinius lib. 5. H. N. c. 31. PASS. Virgilius Ecl. 9.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

ipsius Augusti verba super hoc negotio Plinius nobis servavit L. 2. C. 25. *Iis ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies in regione cæli quæ sub septemtrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus e terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit, Cæsaris animam inter deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est.* quæ secutus Suetonius Jul. C. 88. *In deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed & persuasione vulgi. siquidem ludis, quos primo ei consecratos heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam esse Cæsaris in cælum recepti, & hac de caussa simulacro ejus in vertice additur stella.* paria Servius habet ad L. 8. Æneid. v. 681. ubi pro *per triduum* emendari debet *per septem dies*; ut ex Plinio jam vidimus, ac Suetonio. Bæbii Macri locum valde insignem videre debes apud eumdem doctissimum grammaticum ad Eclog. 9. v. 47. ubi similiter de aurea stella super caput Julii posita. talis annulus apud Gorlæum conspicitur, Dactylioth. n. 3. ibidem quoque exhibetur, in gemma cyanea, columna cum insidente aquila & duabus hinc inde stellis, adscripto IVLIVS CAESAR. hanc occiso Cæsari plebs Romana posuerat, commemorante Suetonio C. 85. *Solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit,*

Prosequitur cantu Triton, omnesque marinæ
Plauserunt circa libera signa deæ.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum jusso non moritura die.

Dii

statuit , scripsitque , *PARENTI PATRIAE* . *Apud eam longo tempore sacrificare , vota suscipere , controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere perseveravit* . ea columna est n. 135. tertius annulus , qui est apud eumdem Gorlæum n. 157. aquilam habet fulmen pedibus tenentem , cum stella ante rostrum . & a cervice IVLIVS . in nummis etiam frequens est Cæsaris caput cum adjuncta stella . BROUKH.

v. 60. SUM DEUS : EST NOSTRI SANGUINIS ISTA FIDES] Ovidius 3. Fast. a versu 855. non semel Cæsarem appellat *deum* . Aliter amator Plautinus Curcul. 1 , 3. & Terentius Hecyra 5 , 4. Præclarus autem deus qui se tum primùm deum esse intellexerit. *Sanguinis* , stirpis divinæ , generis . ut Horatius : *Regius sanguis* . Virgilius : *Sanguis meus* . Ovidius 4. Fast.

Intumuit Juno , raptum quod pellice natum
Educet : (Ino) at sanguis ille sororis erat .

id est, filius. Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Quidquid agit , sanguis est tamen illa tuus .

Fides , certum indicium , argumentum , probatio . Eleg. 1. sup. v. 80. PASS. *Et nostri sanguinis ista fides* . fortius eriges sententiam , si legeris , quo modo sane legendum arbitror , & in Pall. invenisse testatur Gebhardus , *en , nostri sanguinis ista fides* . elegantem hanc locutionem vidit & secutus est nobilis poeta Valerius Flaccus L. 1. Argonaut. v. 383.

Hic vates , Phœbique fides non vana parentis
Mopsus . &c.

BROUKH. *Sum deus , & nostri sanguinis i. f.* Horatius Ode 2. lib. 4. *Seu deos , regesque canit deorum Sanguinem* . *Fides* . Græci rhetores argumenta & signa quibus aliquid evincitur , πίστεις appellant . VULP.

v. 61. PROSEQUITUR CANTU TRITON , OMNESQUE MARINÆ PLAUSERUNT CIRCA LIBERA SIGNA DEÆ] Velut gratulabundus victorem comitatur Triton cum clangore tubæ , & omnes Nereides faustos sonos crepuere : Eleg. 10. l. 3. Plausum autem datum victori intelligit , de quo Eleg. 3. lib. 3.

Ad vulgi plausus sæpe resistere equos .

& Eleg. 4. libri ejusdem :

Mi sat erit media plaudere posse via .

Triton ; is Neptuni & Amphitrites filius . Hyginus p. 1. Hesiodus Theog. 191. Apollodorus lib. 1. Virgilius 1. 5. & 6. Æn. Servius in 1. Æneid. Neptuni & Salaciæ filium facit . vide etiam Ovidium 1. & 2. Metam. & in Epistola Didûs. De ejus forma Pausanias Bœoticis. Plinius lib. 9. H. N. cap. 5. visum ait Tritonem & auditum concha canentem in quodam specu . Alludit autem Propertius ad tubicines triumphorum , de quibus Plutarchus in Paullo Æmilio . *Prosequitur* ; Agrœtius : *Consequimus studia ; obsequimur officio ; persequimur injuria ; prosequimur ordine ; assequimus vota* . Hor. Ode 5. l. 4. *Te multa prece , te prosequitur mero , Diffuso pateris* . Virg. 6. Æn. *Prosequitur lacrimis* . Cicero de Harusp. responsis : *Plausu prosequi* . Idem ubique de honore qui tribuitur discedenti . Prosequendi officium , *Prosequium* dicebatur : Festus . *Omnes deæ marinæ* : Eleg. 17. lib. 1. *Formosa Doride natæ* . *Plauserunt circa signa* , quia in orbem ludunt Nereides , earumque chorus dicitur Virgilio 10. Æneid. & Statio 3. Silv. in Propemptico Metii Celeris . *Libera signa* , & victricia & defensa vindice Cæsare . contra , *Captiva signa Crassi* . *Libera signa* ; exercitus liberos ; ut Eleg. 30. lib. 2. *Libera colla* . Minabatur autem Pop. Rom. servitutem Cleopatra . Eleg. 11. lib. 3. PASS.

v. 63. ILLA PETIT NILUM CYMBA MALE NIXA FUGACI] τὸ *Illa* δεικτικῶς Cleopatra . sic Eleg. 6. lib. 3.

Improba non victa me moribus illa , sed herbis .

Petit Nilum , in Nili recessus fugit . El. 11. lib. 3.

Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili .

Vir-

Dii melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias?

Actius

Virgilius 8. Æneid.

Contra autem magno mærentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium latebrosaque flumina victos.

Seneca Octavia: *Superatus acie puppibus Nilum petit Fugæ paratis.* agit de Antonio. *Male nixa cymbâ;* non bene freta, quia parum in cymba præsidii. sic Virgilius 2. Æneid. *Male fida statio*, & *Male numen amicum*. & 1. Georg. *Cumulosque ruit male pinguis arena*. Ovidius 3. Fast.

Græcia facundum, sed male forte genus.

Nixa cymbâ. ut Eleg. 11. lib. 1. *Remis confisa minutis Cymba*. ut Eleg. 13. lib. 2. *Mors nixa tero*. *Cymbâ fugaci*, vel in qua ipsa fugax erat, vel celeri. Horatius Ode 37. lib. 1. utrumque complexus est, quum eam cum columbis comparavit, & ab Italia volantem dixit: nec cymbam dixit, ut Noster, sed navim tantum: *Vix una sospes navis ab ignibus*. Vide Plutarchum in Antonio, Dionem sub finem lib. 50. Florus lib. 4. cap. 11. *Prima dux fugæ regina cum aurea puppi, veloque purpureo se in altum dedit*. Virgilius 8. Æneid. de hac fuga:

Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare. &c.

Pass. *Illa petit Nilum*. abstinet prudens a nomine Cleopatræ, tamquam obscœno, & exsecrabili. Vulp.

v. 64. Hoc unum jusso non moritura die] Id tantum defuit Augusti triumpho: & in hac una re fortis Cleopatra, quod sibi necem conscivit; de qua Eleg. 11. lib. 3. Sic Virgilius 11. Æneid. *In rebus defuit unum*. τὸ *Moritura* iterandum: Moritura, sed hoc unum, (erit) non moritura jusso die. *Jusso die*, ipsa jussa, ut Servius in 10. Æneid. *Cesserunt æquore jusso*, ipsi jussi; estque usurpatum participium: nam jubeor non dicimus. Hæc ille, & errat. Ovidius 3. Met. *Jusso me advertite terra*. quam jussi. Noster Eleg. 1. sup.

Gutta quoque ex oculis non, nisi jussa, cadet.

Moritur die jusso captivus, qui tum jubetur mori quum victori libet; auditque illud Virgilii, *Morere*. Sic 3. Æneid. *Jussa mori* (captiva Pulyxena.) Captivi autem in carcere necabantur: Plutarchus in Mario, & Albinovanus ad Liviam. Pass.

v. 65. Dii melius! quantus mulier foret una triumphus] Proverbialis sermo averruncantium aliquid a se & depellentium. Virgilius, Cicero, Plautus. Ovidius Epist. Briseidos:

Cumque mea patria laus tua victa jacet?
Dii melius!

& alibi sæpe. *Mulier una quantus triumphus?* [exiguus nempe, ac triumphanti pudendus.] dixit tamen Eleg. 11. lib. 3.

Accepere tua Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris.

Sed de imagine tantum Cleopatræ loquitur. *Quantus*, εἰρωνικῶς: de parta e muliere victoria, Eleg. 8. lib. 2. ad illud: *Ista mihi mors est inhonesta futura*. & Eleg. 21. lib. 2. v. 9. & 10. Vopiscus in Aureliano de Zenobia: *Sed Aurelianus indignum existimans mulierem interimi, occisis plerisque, quibus auctoribus illa bellum moverat, paraverat, gesserat, triumpho mulierem reservavit, ut Pop. Rom. oculis esset ostentui*. *Mulier una*, ut Virgilius 4. Æneid.

Una dolo divûm si femina victa duorum est.

Noster sup. hic: *Det femina pœnas*. Pass. *Dii melius*. formula deprecandi atque averruncandi res malas. Noster hic in voto usurpat. quod notandum: neque memini alibi mihi lectum. Broukh. *Quantus m. f. u. triumphus?* Turpe nimirum tanto principi, ac simul populo Romano futurum fuerat, duci mulierem in triumphum, per easdem vias, quas Jugurtha Numidiæ rex, acerrimus hostis Romanorum, bellica virtute maxime insignis, captivus antea calcaverat. *Mulier una*. contemtim hoc dicit, quasi una de multis, de infinito muliercularum grege. Ita Catullus Carm. 21. *Unus caprimulgus, aut fossor Rursus videtur*. ad quem locum vide quæ olim attulimus. Vulp.

v. 66. Ductus erat per quas ante Jugurtha vias] Duci, captivitatis & servitu-

Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
Victor, & ad placidos exuit arma choros.

Can-

vitutis, ut Eleg. 15. lib. 3. *Tibi gloria Dirce ducitur*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Mens bona ducetur manibus post terga revinctis.

Horatius Ode 12. lib. 2. *Ductaque per vias Regum colla minantium*. & Ode 2. lib. 4. *Trahet feroces Per sacrum clivum merita decorus Fronde Sicambros*. *Per vias*. Viam Sacram intelligit, de qua Eleg. 1. lib. 3.

Actiaque in Sacra currere rostra Via.

De Jugurtha capto & triumphato, El. 5. lib. 3.

Consule cum Mario capto Jugurtha sedet.

Cornelius Severus in nece Ciceronis apud Senecam:

Inque triumphato ludibria cuncta Jugurtha Obstarrant.

Ante, olim; ut Eleg. 8. lib. 1.

Et quas Elis opes ante pararat equis.

An ante currum? *Erat*, pro, fuit. enallage temporum. PASS. Florus Epitome Liviana lib. 67. *In triumpho C. Marii ductus ante currum ejus Jugurtha cum duobus filiis, & in carcere necatus est*. VULP.

v. 67. ACTIUS HINC TRAXIT PHŒBUS MONUMENTA, QUOD EJUS UNA DECEM VICIT MISSA SAGITTA RATES] Sic Eleg. 11. infra:

Hinc Feretri dicta est ara superba Jovis.

Actius Phœbus. El. 11. lib. 3. v. 69. *Leucadius* dicitur. Apollonius lib. 1. Νηὸν αὐτόθι βωμὸν ἐπακτίῳ Ἀπόλλωνος, Ἀκτίῳ, Ἐμβασίῳ τ' ἐπώνυμον· *Exstruxerunt ibi aram Epactii, sive litoralis Apollinis, Actii Embasiique cognominem*. *Traxit monumenta*, celebritatem nominis & famam. vide versum 17. sup. hic. Ita Cicero, *Trahere cognomen & nomen*. *Una sagitta*. at dixit v. 55. sup. *Pharetræ pondus*. *Vicit decem rates*. De decem ratibus ictu sagittæ victis nihil Plutarchus in Antonio, nec Dio lib. 50. Virgilius hoc tantum 8. Æneid.

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo

Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,

Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi. PASS.

Una sagitta vicit decem rates: pluribus igitur Phœbi sagittis victa est tota classis; naves enim partium Antonii plurimæ fuerunt. Bene igitur poeta superius: *Pharetræ pondus consumit in arcus*. VULP.

v. 69. BELLA SATIS CECINI: CITHARAM JAM POSCIT APOLLO VICTOR, ET AD PLACIDOS EXUIT ARMA CHOROS] Lyram vult sibi dari, ut Pæana & epinicia canat positis armis: unam *imbelles lyras* dixit sup. v. 36. Cithara pacis, arcus belli. Horatius Ode 10. lib. 2. *Quondam cithara tacentem Suscitat Musam, neque semper arcum Tendit Apollo*. Apud Suetonium in Nerone cap. 39.

Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus;

Noster erit Pæan, ille Hecatebeletes.

Victor, quia victoriæ dux; & dixit supra:

Ducam laurigeri Julia rostra meam.

Exuit arma, deposuit arma; ἀλληγορικῶς; quia non amplius bella canenda sunt, inquit Beroaldus, sed ludicra. Ego: exuit iram & studium belli. nam arma sua numquam exuit, si credimus Horatio & Euripidi. Horatius Ode 4. l. 3. *Numquam humeris positurus arcum*. Euripides in Alcestide: Σύνηθες ἀεὶ ταῦτα (τόξα) βαστάζειν ἐμοί. Loquitur Apollo. *Ad choros placidos*; vel ut ipse choros ducat, ut solet cum Musis: Virgilius 4. Æneid. *Instauratque choros*: vel ut saltantibus canat citharâ. *Placidi chori*, quia sunt pacis & otii: vel ad discrimen Pyrrhicæ, in qua saltabant armati. *Ad choros*: Sic Albinovanus ad Liviam: *Tamen ille vedrmsus ad ignes*. PASS. *Citharam j. p. Apollo Victor*. expressit Seneca Agamemn. v. 322. *Arcus victor pace relata, Phœbe, relaxa; Humeroque graves levibus telis Pone pharetras; resonetque manu Pulsa citata Vocale chelys*. BROUKH.

v. 71.

Candida nunc molli ſubeant convivia luco,
  Blanditæque fluant per mea colla roſæ.
Vinaque fundantur prælis eliſa Falernis,
  Terque lavet noſtras ſpica Ciliſſa comas.

Inge-

v. 71. CANDIDA NUNC MOLLI SUBEANT CONVIVIA LUCO] Sic Horat. Ode 37. l. 1. de hac victoria: *Nunc eſt bibendum, nunc pede libero Pulſanda tellus*. *Candida convivia*, læta & felicia, ut Eleg. 1. ſup. *Date candida cives Omina*. vel quia albati ſollennes epulas celebrabant. Horatius Sat. 2. lib. 2.

Ille repotia, natales, alioſve dierum
Feſtos albatus celebret.

Et *convivia*, pro convivia ipſis, ut ſup. *lyra*; & *hoſpitium*, & *conjugium*, pro hoſpite, & conjuge. *Subeant luco*, ſuccedant in lucum; ut Eleg. 14. lib. 1. *Subire toro*. Ponitur & cum quarto caſu, ut Eleg. 4. ſup. v. 27. *Subit Capitolia*. *Molli*, molli fronde veſtito, & herba molli ſtrato; ut Eleg. 3. lib. 3.

Mollia ſunt parvis prata terenda rotis.

In lucis autem ſacrificia fiebant. Horatius Ode 4. lib. 1. *Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis*. Aut quia æſtate umbram captabant. Virgilius in Daphnide:

Ante focum, ſi frigus erit: ſi meſſis, in umbra.

Ad fana erant luci. An lucum Eſquilinum intelligit, de quo Varro 4. de L. L.? P. *Subeant*. ſorte *ſubeam*. v. Ovid. IV. Faſt. 353. BROUKH.

v. 72. BLANDITÆQUE FLUANT PER MEA COLLA ROSÆ] Sic Scaliger legit & citat locum Plinii ex cap. 2. lib. 25. & Tibulli Eleg. 4. lib. 1. *Blanditæ*, participium pro nomine, blandæ ſcilicet. Plinius lib. 10. cap. 23. *Hanc principio blandita peregrinatione avide profectam, pœnitentia in volatu cum labore ſcilicet ſubit*. *Blanditæ*, ſuaves & odoris aſpectuſque jucundi; ut ſup. lite *Blanditurie honores*. & ſup. El. 4. *Tacentes aquas*. & Eleg. 2. ſup. *Properanti falce*. & El. 17. lib. 3. *Laxatis corymbis*, pro laxis, & *Hiante calamo*, pro hiulco. Sic Verrius apud Priſcianum lib. 8.

Blanditusque labor molli curabitur arte.

Fluant roſæ per colla, ex collo pendeant vagæ & ſolutæ. Ovidius 2. Faſt.

Ecce merum regis fuſis per colla coronis
Inveniunt poſito pervigilare mero.

De roſis & ſertis conviviorum vide adnotata ad illud Eleg. 5. lib. 3.

Et caput in verna ſemper habere roſa.

Horatius Sat. 3. lib. 2.

Potus ut ille
Dicitur e collo furtim carpſiſſe coronas.

Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

Et capite & collo mollia ſerta gerat.

In veteribus marmoribus convivæ capite, collo, brachiis coronas geſtant. *Fluant*, ut Eleg. 3. lib. 2. *Comæ per colla fluentes*. An *fluant*, affluant? PASS.

v. 73. VINAQUE FUNDANTUR PRÆLIS ELISA FALERNIS] Expreſſa premendo; tum enim eliduntur uvæ. Horatius Sat. 3. l. 2.

Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis
Unus ubi effugit, matri denarrat ut ingens
Bellua cognatos eliſerit.

ubi *Preſſis*, & *Eliſerit* idem. Elidimus, vel ſtringendo manu, vel premendo pede. vide Nonium in *Elidere*. Cicero 1. Tuſc. *Elidere nervos virtutis*. & 3. Tuſc. *Elidere fibras ſtirpium*. Per præla autem Falerna, vinum quoque Falernum intelligit. ut Horatius Ode 20. lib. 1. *Cæcubum, & prælo domitam Caleno Tu bibes uvam*. *Prœla*, inquit Servius in 2. Georg. *trabes ſunt quibus uva jam calcata premitur*. vide Catonem de R. R. cap. 18. de prælo & torculari. *Fundantur*, e cado in cyathos nempe. PASS. Sic Horatius Ode 7. lib. 2. *Funde capacibus Unguenta de conchis*. VULP.

v. 74. TERQUE LAVET NOSTRAS SPICA CILISSA COMAS] Turnebus lib. 8. Adv. cap. 2. quoſdam ait exiſtimare, ſpicas croci in radice eſſe, quia eorum quæ bulboſa radice conſtant, in nucleos dividua, nuclei, ſpicæ vocantur. Ipſe fila illa croci longa croceaque eſſe ſpicam credit. Beroaldus per ſpicam Ciliſſam nardum & nardinum unguentum intelligit, quia ſpica nardi dicatur, & nardus in Cilicia naſcatur auctore Dioſcoride. At Scaliger ſpicam Ciliſſam

bul-

Ingenium potis irritat Musa poetis.
Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros,
Cepheam hic Meroën fuscaque regna canat.

Hic

bulbum croci interpretatur, ut spicam nardi ait esse bulbum nardi Indicæ. ubi multa de hac re. An crocino unguento vult comam perfundi? de quo Eleg. 10. lib. 3.

Et crocino nares myrrheus ungat onyx.

Lucanus lib. 3. loquens de Indis: *Tingentes croceo medicamine crinem*. Quid *Spica*, adnotatum ad Eleg. 2. v. 14. *Cilissa*, ut Libyssa, Phœnissa, Threïssa. Martialis lib. de Spectac.

Et Cilicas nimbis hic maduere suis.

Cilicium crocum optimum. Plinius lib. 21. H. N. cap. 6. *Prima nobilitas Cilicio, & ibi in Coryco monte*. Croco autem utebantur in sacris. Ovidius 1. Fast.

Tura nec Euphrates, nec miserat India costum;
Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Miserat, nempe ad sacra. Idem in Ibin:

Nam neque, quot flores Sicula nascantur in Hybla,
Quotque ferat, dicam, spica Cilissa crocos.

& 5. Fast.

Et fovet accensis spica Cilissa focis.

Vide Junium Proverb. 96. Centur. 6. *Lavet tonsas*. *Perfundat crines*; ut Eleg. 2. lib. 1. v. 3. *Ter*; vide adnotata ad v. 3. supra. PASS.

v. 75. INGENIUM POTIS IRRITET MUSA POETIS] Excitet, exacuat, acrius reddat. Suetonius Nerone cap. 39. *Ne fatendo dolorem irritaret ingenia*. Horatius Epist. ad Pisones;

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

id est movent. Sic Ovidio, *irritare flammas*; & Ciceroni, *cupiditatem & licentiam*. Dictum a canibus quæ *Irrire* dicuntur, quia r r r sonant: Nonius & Donatus. Lucillius:

Irritata canes quod, homo quam, planius dicit.

Pro, *Irritet*, Scaliger legit *Irritat*, ut sit [illegible]. *Ingenium*, quo valent: Cicero pro Murena. Noster Eleg. 30. lib. 2.

Nam sine te nostrum non valet ingenium.

Potis poetis. Sic Horatius Epist. 19. l. 1.

Ennius ipse pater nunquam, nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda.

ubi plurima in hanc sententiam. Martialis Epigr. 7. lib. 11. *Possum nil ego sobrius: bibenti Succurrunt mihi quindecim poetæ*. Verior hæc lectio, *Potis*; & sic correxit Scaliger, quum antea legeretur, *Positis*; quod si retines, dictum ut Eleg. 3. lib. 1.

Subjecto leviter positam tentare lacerto.

& Eleg. ult. lib. 2.

Me juvet hesternis positum languere corollis.

PASS.

Editio prima, *potiss.* VULP.

v. 76. BACCHE, SOLES PHŒBO FERTILIS ESSE TUO] Apollinis & poetarum ingenium fœcundare. sic Horatius Epist. 5. lib. 1.

Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 2.

Fertile pectus habes, interque Helicona colentes
Uberius nulli provenit ista seges.

Translatio est a fœcunditate vitis ad fœcunditatem ingenii. *Tuo*, fratri, familiari, & consorti. Nam & Apollo & Musæ in comitatu Bacchi; & sacra iis communia in Parnasso. Tibullus Eleg. 4. lib. 3.

Salve cura deum; casto nam rite poetæ
Phœbusque & Bacchus Pieridesque favent.

Præterea Liber & Sol idem Macrobio. *Tuo*, vide adnotata ad El. 3. sup. v. 1. & 2. P.

v. 77. ILLE PALUDOSOS MEMORET SERVIRE SICAMBROS] Referendum ad superius, *Poetis*. ut Eleg. 1. lib. 3. *Ille cui fusus memorator Homerus*. Male Beroaldus: *Vicissim*, inquit, *Bacchus & Apollo memorent victorias Augusti*. *Sicambros*, Germaniæ populos: de quibus Strabo lib. 4. Albinovanus ad Liviam:

Ille genus Suevos acre indomitasque Sicambros
Contudit, inque fugam barbara terga dedit.

Ibidem:

Nec

Hic referat sero confessum fœdere Parthum:
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.

Nec tibi deletos poteris narrare Sicambros.
De iis & Horatius Ode 2. lib. 4. & pænult. In deditionem accepti ductu Tiberii: Dio lib. 55. Tacitus 2. Annal. & ibi Lipsius, a quo Sugambri vocantur: Suetonius in Augusto cap. 21. *Paludosos*: sic Strabo lib. 4. Menapios Sicambris proximos ait paludes incolere. *Palus*, inquit Varro 4. de L. L. *paullulum aquæ in altitudinem, & palam latius diffusæ*. *Servire*, victus & deditos esse. Ita Horatius Ode 8. lib. 3. *Servit Hispanæ vetus hostis oræ Cantaber sera domitus catena*. Cicero pro lege Manilia, Sallustius in Ep. Mithridatis. PASS. *Paludosos Sicambros*. Ut fere omnis Germania priscis temporibus. testatur id Pomponius Mela lib. 3. cap. 3. Sidonius Apollinaris Epist. 1. lib. 4. *Quæ si quis deportaret philosophaturus, aut ad paludicolas Sicambros, aut ad Caucasigenas Alanos, aut ad equimulgas Gelonos*, &c. *Servire*: Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 14. vocat Sicambros triumphatam gentem:

Atque aliquam pro me laudat nunc ille Sicambram.
Culta triumphatæ munere gentis eris. V.

v. 78. CEPHEAM HIC MEROEN FUSCAQUE REGNA CANAT] De Meroë, insularum quas Nilus efficit maxima, & capite regni Æthiopici, Strabo lib. 1. & 17. Plinius lib. 2. cap. 73. Est & oppidum ejusdem nominis: Plinius lib. 6. cap. 29. meminit & lib. 2. cap. 75. Dicta Meroë a Cambysis matre: Diodorus. Ovidius 4. Fast.

Hinc Libs, hinc Meroë, siccaque terra subest.

Ausonius Epist. 19. in Meroën anum:

Et tu sic Meroë, non quod sis atra colore
Ut quæ Niliaca nascitur in Meroë.

Cephēam, in qua Cepheus pater Andromedæ regnavit, de quo Eleg. 3. lib. 1. versu 3. & 4. *Cephēam*, ut Eleg. 3. lib. 1. *Orphēæ lyræ*. *Fusca regna*, ut Eleg. ult. infra: *Fuscæ deus aulæ*, Pluto. Intelligit autem Ægyptum, Æthiopiam, Indiam. Eleg. 33. lib. 2. *Fuscis Ægyptus alumnis*. ubi vide adnotata. Sic *Nocticolor* Memnon: Nævius apud A. Gellium. Cornelius Fronto: *Fusco album opponitur; nigro candidum*. Festus: *Aquilus color est fuscus & subniger; qui albi & nigri particeps*. *Brun*, *Bazané*. Sed sæpe pro nigro. Terentius Scaurus de Orthographia: *Furvos dicimus, quos antiqui fuscos*. Virgilius Ecl. 10.

Quid tum si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt, & vaccinia nigra. P.

v. 79. HIC REFERAT SERO CONFESSUM FŒDERE PARTHUM] *Confessum*, victum, fatentem se peccasse & veniam petentem, supplicem. Ovidius in Epicedio Tibulli: *Ignoscite fasso*; quia confessis sæpe ignoscitur. Statius 9. Theb. *Posuique trementem Ante tuos confessa pedes*. Atalanta fassa & veniam petens, quod Parthenopæum peperisset. Ovidius 5. Metam.

Confessasque manus, obliquaque brachia tendens,
Vincis, ait, Perseu.

Paterculus: *Dalmatia rebellis ad certam confessionem redacta est imperii*. Apud Jurisconsultos in Dig. titulus est, *De confessis* 2. lib. 42. Sunt qui putent, *Confessum* hic dici pro confosso, quia in omnibus est libris antiquis: quod Turnebus & Lambinus mutarunt. sic legitur in Bacchid. Plauti 4, 8. *Faciam te confossiorem soricina nænia*. Nænia intestinum sonat: Festus in *Nenia* in litura, & Arnobius. *Sero fœdere*, seris conditionibus pacis. Suetonius in Aug. cap. 17. *Antonium quidem seras conditiones pacis tentantem ad mortem compulit*. Noster Eleg. 4. lib. 3.

Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis.
Assuescent Latio Partha trophæa Jovi.

Horatius Ode 8. lib. 3. *Cantaber sera domitus catena*. Idem hac de re Epist. 12. l. 1. ubi confessum & supplicem designat Parthorum regem: *Jus imperiumque Phraates Cæsaris accepit genibus minor*. PASS.

v. 80. REDDAT SIGNA REMI, MOX DABIT IPSE SUA] Vide adnotata hac de re ad illud Eleg. 5. lib. 3.

Vos quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

Reddat signa Remi, restituat ademta Crassis signa Romana. vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 9. Ovidius lib. 2. Trist.

Sive aliquid pharetris Auguſtus parcet Eois,
Differat in pueros iſta tropæa ſuos.

Gau-

Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus
Parthus eques, timidâ captaque ſigna manu.

Ibidem:

Tu veniam Partho ſuperato ſæpe dediſti.

Mox dabit ipſe ſua. Tradet Auguſto ſua ſigna, ut victus victori ſolet. Sic Eleg. 11. infra:

Hic ſpolia ex humeris auſus ſperare Quirini
Ipſe dedit. PASS. Parthi ſigna reddiderunt A. V. 733. hinc exiſtimare licet de tempore, quo ſcripta fuit hæc Elegia. v. Florus 4, 12, 63. Horatius I. Epiſt. 18. v. 56. BROUKH.

v. 81. SIVE ALIQUID PHARETRIS AUGUSTUS PARCET EOIS] Nonnihil remittet & abſtinebit pharetratis populis Orientis. Terentius Adelph. 4, 2. *Venit poſt inſanient. nihil pepercit. non puduiſſe verberare hominem ſenem!* Parcere cum quarto & tertio caſu. Virgilius 10. Æneid. *Talenta Natis parce tuis*. A. Gellius lib. 16. cap. 19. *Vitam ſibi ut parcerent oraviſſe*. *Eois pharetris*, ut ſup. hic *Lyræ*, pro citharœdo: El. 12. l. 3. *Meda ſagitta*, pro pharetra decoris Medis. Populi autem Orientis calamis bella conficiebant: Plinius lib. 16. cap. 36. PASS.

v. 82. DIFFERAT IN PUEROS ISTA TROPHÆA SUOS] Eam laudem & ad liberos & nepotes pervenire ſinat. *Iſta trophæa*, victorias de Parthis & Indis. vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 3. v. 8. *In pueros*. Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 2.

Et qui Cæſareo juvenes ſub nomine creſcunt,
Perpetuo terras ut domus iſta regat.

& lib. 4. Pontic. Eleg. 9. de Cæſaris domo:

Ne deſit pars ulla domûs, ſtat uterque nepotum;
Hic aviæ lateri proximus, ille patris.

vide Suetonium in Auguſto cap. 63. 64. & 65. Ovidium quoque 1. A. A. *Pueri*, pro liberis; ut Eleg. 15. lib. 3. *Tu reddis pueris matrem*. PASS. Miro lepore dictum. Decet enim patres gloriæ filiorum proſpicere, & quodammodo vires ſuas temperare, ne ipſi totum victoriarum cumulum exhauriant, nihil interea præclari facinoris ſanguini ſuo reſervantes. Quamobrem legimus apud Plutarchum in Apophthegm. Alexandrum auditis Philippi patris victoriis, ex imo pectore ſuſpiria ſolitum ducere, atque his verbis impatientis animi fervorem oſtendere: Quid jam Alexandro agendum ſupereſt, quum omnia Philippus illi præripiat? Claudianus de 4. Conſ. Honorii v. 374.

Fertur Pellæus, Eoum
Qui domuit Porum, quum proſpera ſæpe Philippi
Audiret, lætos inter fleviſſe ſodales,
Nil ſibi vincendum patris virtute relinqui.

& v. 385. *Sed prælia differ In juvenem*. Egregie Plinius Panegyr. Trajani cap. 8. de Nervæ mitiſſimi principis adverſus filium pietate: *Hactenus ille: parcius fortaſſe quam decuit optimum principem, ſed non parcius quam optimum patrem; qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentiſſimi fecit, quod delibaſſe quædam, ſeu potius demonſtraſſe contentus, largam ac prope intactam benefaciendi materiam filio reſervavit*. Huc pertinent illa Senecæ patris Controv. 8. l. 1. *Ut pluribus juvenibus pateat ad virtutem aditus, non debere omnium occaſionem fortiter faciendi ab uno occupari*. Invidiſſe Auguſtum gloriæ liberorum, ſuſpicati ſunt nonnulli. Corn. Tacitus lib. 1. Annal. cap. 11. *Quæ cuncta ſua manu perſcripſerat Auguſtus: addideratque conſilium coërcendi intra terminos imperii. incertum metu, an per invidiam*. De ſententia diximus: jam locutionem illuſtremus, quam diligentiſſimus Paſſeratius intactam reliquit. Differre aliquem, vel aliquid in tempus aliud, eleganter dixerunt veteres. Cicero Epiſt. 12. lib. 2. *Sin autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar*. Salluſtius Hiſtor. l. 3. in Orat. Licinii: *Differunt vos in adventum Cn. Pompeii*. L. Florus lib. 4. cap. 12. κατ' ἔλλειψιν: *Sic tunc Dacia non victa, ſed ſummota, atque dilata eſt*. Horatius Sat. 10. lib. 1. de Lucillio:

Si foret hoc noſtrum fato dilatus in ævum,
Detereret ſibi multa.

Ovidius Remed. Amor. v. 93.

Sed propera, nec te venturas differ in horas.

Valerius Flaccus lib. 4. Argon. v. 62.

In

Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
  Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
  Injiciat radios in mea vina dies.

ELE-

In quem alium Alciden, in quæ jam tempora differs
Caucasium, trux magne, senem?

Juvenalis vero Sat. 4. v. 68. pro *dilatum*, *servatum* dixit:

Et tua servatum consume in secula rhombum.

Ita locuti sunt & Græci. Epictetus Enchiridii cap. 48. Ποῖον οὖν ἔτι διδάσκαλον προσδοκᾷς, ἵνα εἰς ἐκεῖνον ὑπερθῇς τὴν ἐπανόρθωσιν ποιῆσαι τὴν σεαυτοῦ; *Qualem igitur adhuc doctorem exspectas, ut in adventum ejus differas tui correctionem instituere?* Ibidem: Εἰς ποῖον ἔτι χρόνον ἀναβάλλῃ, τὸ τῶν βελτίστων ἀξιοῦν σεαυτόν; *In quod ergo tempus differs, optimis te ipsum dignari?* VULP.

v. 83. GAUDE, CRASSE, NIGRAS SI QUID SAPIS INTER ARENAS] Ovidius 6. Fast.

Crassus ad Euphraten aquilas natumque suosque
Perdidit, & leto est ultimus ipse datus.
Parthe, quid exsultas? dixit dea, signa remittes:
Quique necem Crassi vindicet, ultor erit.

Idem 1. A. A.

Parthe dabis pœnas, Crassi gaudete sepulti,
Signaque barbaricas non bene passa manus.

Noster Eleg. 10. lib. 2. v. 13. & 14.

Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.

vide ibi adnotata. *Gaude*, ut Eleg. 8. l. 3. *Gaude, quod nulla est æque formosa.* Plautus Captiv. 4, 1. *Gaude. H. Quid ego gaudeam? E. Quia impero. Si quid sapis*; si quis adhuc Manibus tuis sensus est. *Sapere*, sentire. ut Eleg. 13. lib. 2.

Non nihil ad verum conscia terra sapit.

Eodem sensu Albinovanus ad Liviam:

Hæc sentit Drusus, si quid modo sentit in umbra.

Seneca Octavia: *Tristes questus, nate, exaudi, Si quis remanet sensus in umbris. Nigras arenas*, arenosos campos Assyriæ, de quibus Plutarchus in Crasso, & Antonio; & in quibus occubuit Crassus. Addidit *nigras*, quia sunt & flavæ, sive fulvæ arenæ. Virgilius 4. Georg. *Nigramque alte subjectat arenam*. & 4. Georg.

Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ.

Sic *Ater pulvis* Horatio dicitur. PASS. *Crasse*. De Crassi exitio vide M. Tullium l. 2. de Divinat. *Si quid sapis*: Justinus lib. 16. cap. 1. verbis Demetrii exercitum alloquentis: *Quamobrem etiam Philippum, Alexandrumque, si quis manium sensus est, non interfectores suos, ac stirpis suæ, sed ultores eorum Macedoniæ regnum tenere malle.* VULP.

v. 84. IRE PER EUPHRATEN AD TUA BUSTA LICET] Liberum iter est ad sepulcrum tuum, ut tibi justa solvantur. *Licet*, quia cesserunt Armenia Parthi & Mesopotamia: Suetonius in Aug. cap. 21. *Ire*; unde *iter ad sepulcrum*, de quo Cicero pro Sex. Roscio, & Paullus L. *Servitutes*. §. *Servitus itineris*. D. *de Servitut. Busta*: tamen Crassi nulla fuerunt, quod sciam. Lucanus: *Crasso quærente sepulcrum*; nam caput ei, & dextra abscissa, & delata ad regem Parthorum: Dio, Plutarchus, Appianus, qui de bustis nihil. PASS.

v. 85. SIC NOCTEM PATERA, SIC DUCAM CARMINE, DONEC INJICIAT RADIOS IN MEA VINA DIES] *Sic*, pro, igitur; vel lente & hilare. Eleg. 10. lib. 3.

Natalisque tui sic peragemus iter.

vel *sic*, pro, omnino. Eleg. 12. lib. 3.

Errorisque sui sic flevisse modum.

Ducam noctem, producam & consumam, traducam, transigam. Eleg. 10. lib. 3. de Natali Amicæ: *Noxque inter pocula currat*. Eleg. 4. lib. 1. *Ducere hoc vitæ*. Eleg. 14. lib. ejusd. *Totum ducit amore diem*. & Elegia 23. lib. 3. *Blandis ducitur hora dolis*. Sic Eleg. 14. lib. 1. *Trahit quietem*. Horatius: *Tendere noctem*. *Patera, carmine*, vino & cantu in victoriam Augusti. Horatius Epodo 13. *Omne malum vino cantuque levato*. *Patera*, qua libet ipsi Augusto & Apollini. & hic pro vino. Virgilius 7. Æneid.

Nunc

Nunc pateras libate Jovi. *Pateræ*, inquit Varro 4. de L. L. *quod pateant*. *Hisce etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ caussa, quum magistri fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando de eis, hoc poculo magistratus dat deo vinum*. Festus in *Paterane* & in *Inferium*; Isidorus lib. 10. cap. 5. Macrobius lib. 5. Saturn. cap. 21. Ausonius:

Turibula & pateræ, quæ tertia vasa deûm, lanx.

Diei injiciat radios, vibret ut sagittas. Ut Soli, sic & Diei sua tela sunt, & radii. Lucretius lib. 1.

Non radii Solis, neque lucida tela diei.

Et Plauto: *Alius dies, alius Sol*. *In vina mea*, prælis elisa Falernis: vel in pateras; ut Virgilius: *Et vina coronant*. Plautus Menæchm. 1, 2. *Mihi, tibi, atque illi jubebo jam apparari prandium: Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus*. id est, Luciferum, ut recte exponit Turnebus lib. 18. Adv. cap. 14. Horatius Ode 2. lib. 3. ad amphoram: *Te .. vivæ producent lucernæ Dum rediens fuget astra Phœbus*. Idem Ode 8. lib. 3. *Sume Mæcenas cyathos amici Sospitis centum, & vigiles lucernas Profer in lucem*. Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Illam sæpe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem.

Ovidius Eleg. 8. lib. 1. de anu bibacissima:

Nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

Martialis Epigr. 85. lib. 1.

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.
PASS.

Sic noctem patera, sic ducam carmine. Seneca Thyeste v. 468. *Bacchoque nox ducenda pervigili datur*. Eadem ratio compositorum, *educere, producere, perducere*. Valerius Flaccus lib. 1. Argon. v. 250.

Hanc vero, o socii, venientem in litore læti
Dulcibus alloquiis ludoque educite noctem.

vide ibi Petrum Burmannum. Claudianus pariter Epith. Palladii & Celerinæ, v. 96. dixit, *Noctem ducere ludo*. Martialis Epigr. 89. lib. 2.

Quod nimio gaudes noctem producere vino.

Seneca lib. 4. Nat. Quæst. cap. ult. *Prandia cœnis usque in lucem perductis ingesta sunt*. Dicebant etiam *protrahere, extrahere, exigere*. Suetonius in Julio cap. 52. *Dilexit maxime Cleopatram, cum qua & convivia in primam lucem sæpe protraxit*. Valerius Flaccus lib. 1. v. 277.

Thracius hic noctem dulci testudine vates
Extrahit.

Noster Eleg. 10. lib. 3.

Quum fuerit multis exacta trientibus hora.

Denique Ludovicus Areostus, veteres imitatus, Cantu 29. *Producendo quella notte in gioco*. Variavit Silius Italicus lib. 11. v. 42. *Ortu convivia Solis Deprensa*. Sic ducere diem. Seneca Epist. 58. in calce: *Est præterea materia quæ ducere diem possit*. VULP.

ARGU-

ELEGIA VII.

SUnt aliquid manes: letum non omnia finit:
Luridaque evictos effugit umbra rogos.

Cyn-

ARGUMENTUM ELEGIÆ VII. LIBRI IV.] Ait, sibi dormienti Cynthiæ jam demortuæ imaginem apparuisse, conquestamque, quod poeta ejus funus negligenter curasset, & quod parum pius erga mulieris memoriam videretur: variis denique mandatis relictis, sub Solis adventum, ad Elysios, unde pedem tulerat, revertisse. VULP.

v. 1. SUNT ALIQUID MANES: LETUM NON OMNIA FINIT] Sic Eleg. ult. lib. 2.

Nec si post Stygias aliquid restaverit undas.

Ovidius 6. Metam. in fabula Terei:

Si tamen hæc superi cernunt, si numina divûm
Sunt aliquid.

Manes sunt aliquid. Sic Achilles Iliad. 23. visus in somnis videre umbram Patrocli, ac cum ea sermonem serere; quia evanescente exclamat:

Ω πόποι, ἦ ῥά τίς ἐστι καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι
Ψυχὴ καὶ εἴδωλον.

Est aliquid, est certe Plutonis in ædibus umbra, Eorum Propertius opinionem improbat qui nihil esse manes contendunt, sed meram fabulam; ut Horatius, *Fabulæque manes:* Persius, *Manes & fabula fies*. Noster Eleg. 5. lib. 3.

An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud ultra quam rogus esse potest?

Ovidius 15. Metam.

Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis?

Juvenalis Sat. 2.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Callimachus in Epigrammate, lib. 3. Anthologiæ:

Ω Χαρίδα τί τὰ νέρθε; πολὺ σκότος· αἱ δ' ἄνοδοι, τί;
Ψεῦδος. ὁ δὲ Πλούτων; μῦθος. ἀπωλόμεθα.

O Charida, quidnam est infra? tenebræ. reditus quid? Nugæ. quid Pluto? fabula. concidimus. videndus Cæsar apud Sallustium in Bello Catilin. Cicero Tusc. 1. & in Catil. & pro Cluentio, Seneca Troad. choro 4. & Plinius lib. 7. H. N. cap. 55. *Letum non omnia finit*, non cuncta simul cum corpore intereunt. bene *Letum;* quod a leo, id est, deleo Priscianus deducit, quasi mors cuncta deleat. unde Horatius Epist. 16. lib. 1. *Mors ultima linea rerum est*. Cicero Epist. 4. lib. 6. ad famil. *Præsertim quum id impendeat in quo non modo dolor nullus, sed etiam finis doloris futurus sit*. & Epist. 22. lib. ejusd. *Mors omnium rerum extremum:* Demosthenes Περὶ στεφάνου: Πέρας μὲν γὰρ ἐστιν ἅπασιν ἀνθρώποις τοῦ βίου θάνατος. Statius 8. Thebaid. de Plutone: *O cunctis finitor maxime rerum*. Denique Aristoteles lib. 3. Ethic. falsa opinione imbutus, ideo morte nihil esse horribilius ait, quia sit extremum omnium rerum; nihilque postea neque boni, neque mali. PASS. Noster hic multa de Homero mutuatus est, L. 23. Iliad. prope ab initio, ubi Patrocli anima de nocte apparet Achilli dormienti. singula conferre, non otiosæ voluptatis fuerit legenti, & diligentius æstimanti. utrumque secutus est, sed generose ac suo more, nobilissimus & vir & poeta Balthasar Castilionius in prosopopœja Luduvici Pici Mirandulani, digna auctore Elegia. BROUKH. *Sunt aliquid manes*. Ita Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 12. *Omina sunt aliquid*. VULP.

v. 2. LURIDAQUE EVICTOS EFFUGIT UMBRA ROGOS] *Umbra lurida. Pallida imago* Virgilio, *Simulacra modis pallentia miris*. Festus: *Luridi supra modum pallidi*. Isidorus lib. 10. *Luridus a loro, pallidus, quod ejusmodi habeant cutem*. (quasi loro ictus, & luridus factus.) Eleg. ult. infra:

Obserat umbrosos lurida porta rogos.

Tibullus: *Orcus luridus*, & Horatius Ode 4. lib. 3.

Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Murmur ad extremæ nuper humata viæ:

lib. 3. Idem *Luridi dentes*, Ode 13. lib. 4. & *Ossa pelle amicta lurida*, Epodo 17. Ovidius 1. Metam. *Lurida aconita*. *Effugit rogos*, evolat ex igne rogi. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 8.

Effugiunt avidos carmina sola rogos.

& alibi non semel. Albinovanus ad Liviam:

Facta ducis vivent, operosaque gloria rerum.
Hæc manet, hæc avidos effugit una rogos.

Rogos evictos: domitos, quia non potuere umbram exurere. Virgilius 4. Æneid. *Evicta dolore*, & *Evicta lacrimis*. Aliud est *Evincere* Jurisconsultis. Sed alii libri *Exstructos*, vel *Evinctos*. Ex utraque lectione leg. *Exstinctos*, vel *Exstructos*. Pass. *Lurida*. vim vocis pulcre expressit Lucretius L. 4.

Lurida præterea fiunt quæcumque tuentur
Arquati: quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt simulacris obvia rerum;
Multaque sunt oculis in eorum denique mixta,
Quæ contage sua palloribus omnia pingant.

Apulejus L. 1. Metam. *Ecce Socratem contubernalem conspicio. humi sedebat, scissili palliastro semiamictus, pæne alius lurore, ac misera macie deformatus.* ab eo pallore ac macie larvarum quæsivit jocum vetus poeta in Priapeis: *Uvis aridior puella passis, Ad me nocte solet venire, & adfert Pallorem maciemque larvalem.* Vulgata lectio *Lucidus*; qui error Venetam etiam anni 1475. editionem jam insedit. *Evictos*. auctor Herculis in Oeta v. 1967. *Manes semel Umbrasque vidi: quidquid in nobis tui Mortale fuerat, ignis evictus tulit.* *evicti rogi*, plane victi, exstincti, mortui. Virgilius L. 2. Æneid.

Vulneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit. - - - Valerius Flaccus L. 2.
Ilicet arrectæ mentes, evictaque matrum
Corda facit Veneris gemitus repit. BrouKh.

v. 3. Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro] Argumentum Plautinum: Verum, nam ita feci. *τὸ visa*, est insomnii, ut notavi ad Eleg. 26. lib. 2. v. 1. *Incumbere*, imminere & inniti; ut Virgilianus *Damon Incumbens tereti sic cœpit olivæ*. Ovidius 5. Fast.

Umbra cruenta Remi visa est adsistere lecto.

Idem lib. 3. Fast.

Nox erat, ante torum visa est adstare sororis
Squallenti Dido sanguinolenta comâ.

& 11. Metam.

Luridus, exanimi similis, sine vestibus ullis
Conjugis ante torum miseræ stetit. Pass.

Visa est. nimirum, in somnis. Plautus Mostell. 2, 2, 61. TRAN. *Ait illum hoc pacto sibi dixisse mortuum.* THEUR. *In somnis.* TRAN. *mirum quin vigilanti diceret, Qui abhinc sexaginta annos occisus foret.* Cicero 1. Tusc. ita de antiquis hominibus: *Ratione & caussas rerum non tenebant: visis quibusdam sæpe movebantur, hisque maxime nocturnis, ut viderentur ii qui vita excesserant, vivere.* Locus est insignis Sex. Empirici lib. 9. adversus Mathematicos §. 19. Δημόκριτος εἴδωλά τινά φησιν ἐμπελάζειν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τούτων τὰ μὲν εἶναι ἀγαθοποιὰ, τὰ δὲ κακοποιά· ἔνθεν καὶ εὔχεται εὐλόγων τυχεῖν εἰδώλων. εἶναι δὲ ταῦτα μεγάλα καὶ ὑπερμεγέθη, καὶ δύσφθαρτα μὲν, οὐκ ἄφθαρτα δὲ, προσημαίνειν δὲ τὰ μέλλοντα τοῖς ἀνθρώποις, θεωρούμενα, καὶ φωνὰς ἀφιέντα. *Democritus autem ait, quædam simulacra appropinquare hominibus. & ex iis alia quidem esse benefica, alia vero malefica. Hinc etiam optat ut bona sibi simulacra occurrant. ea autem esse magna & ingentia, non esse tamen interitui non obnoxia. Significare autem hominibus futura, esseque adspectabilia, & vocem emittere.* Idem ferme narrat Alexander ab Alexandro l. 2. Dierum Genialium cap. 9. accidisse familiari cuidam suo, gravioris ingenii, & præstantis doctrinæ viro, quum exsequias amici celebrasset, & mox fatigatus cubitum se recepisset. *Quumque*, ait, *solus degeret, & adhuc vigilans foret, fert repente amici nuper defuncti imaginem summo pallore & macie, ac eo ferme habitu oris, quali illum quum ægrotaret, dimiserat, ad se accessisse. quem quum fuisset intuitus, & præ timore nec animo nec mente satis constaret, quisnam esset, interrogavit. Ille autem, quum nihil respondisset, exutis, ut videbatur, vestibus, in eodem quo ipse jacebat lectulo, se collocavit, ac*

prope

Quum mihi somnus ab exsequiis penderet amaris,
Et quererer lecti frigida regna mei.

Eos-

prope accessit, quasi cum amplexibus petiturus foret. Lege sis reliqua. Venustam hujusmodi fabellam (historiam enim non ausim dicere) recitat Phlegon Trallianus cap. 1. libelli ἀκεφάλου, Περὶ θαυμασίων. Alia similis occurrit apud Lucianum in Philopseude; alia item apud Plinium Epist. 27. lib. 7. *Mox visa est incumbere fulcro*. Statius lib. 2. Theb. v. 121. de Laïo fato functo:

Ramos ac vellera fronti
Deripuit, confessus avum, dirique nepotis
Incubuit stratis.

Homerus lib. 2. Iliad. v. 20. de Somnio a Jove misso ad Agamemnonem: Στῆ δ᾽ ἄρ ὑπὲρ κεφαλῆς. *Stetit supra caput*. Et Franciscus Petrarcha, Musarum deliciæ. (*nella Canzone* 47.) ubi fingit, Lauram demortuam sibi apparere:

Quando il soave mio fido conforto,
Per dar riposo alla mia vita stanca,
Ponsi del letto in su la sponda manca. V.

v. 4. MARMOR AD EXTREMÆ NUPER HUMATA VIÆ] Mendosa est lectio *Marmor*, quam etiam de conjectura Lipsius reponebat lib. 3. Var. cap. 17. nam neque marmoreus ei tumulus, neque ad marmor humata, sed sub marmore diceretur. legendum *Ad murmur extremæ viæ*. id est, in ipsa ripa fluvii Anienis. infra:

Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.

Murmur fluvii; qui *vagus sonitus* Eleg. 15. lib. 3.

Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis.

& Eleg. 6. sup.

Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ.

Horatius Epist. 10. lib. 1. *Aqua ..... per pronum trepidat cum murmure rivum*. Statius in Genethliaco Lucani: *Ripis murmurantis Hebri*. Præceps autem ruit Anio, ut dictum ad Eleg. 16. lib. 3. v. 4. Vet. lib. *Margine*: *Margine in extrema nuper humata via*. id est, ripa. An *ad marmor*, pilam aut columnam, & lapidem quo milliare signabatur? *Extrema via* fluvius ipse est in quem via desinit. Ulpianus L. 3. *De locis & itineribus publicis*, Tit. 7. lib. 43. *Viæ militares exitum in mare, aut in urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent*. *Humata*, pro sepulta: nam cremata fuerat. Eleg. 11. lib. 2. versu ultimo. PASS. Sepulta fuit Cynthia viâ Tiburtinâ, quod in fine Elegiæ habebimus, ad ripam fluminis Anienis murmurantis & cum fragore labentis. Inscriptio vetus in ponte Salario super Anienem:

CALCAMVS. RAPIDAS. SVBIE-
CTI. GVRGITIS. VNDAS
ET. LICET. IRATAE. CER-
NERE. MVRMVR. AQVAE

decore & venuste ea vox aquis datur. Virgilius lib. 10. Æn.

Spumea semifero sub pectore murmurat unda.

pulcre Hier. Fracastorius (nam & illum jure optimo veteribus accensemus) Syphil. L. 1.

Ereptum Musarum e dulcibus ulnis
Te miserum ante diem crudeli funere, MARCE
ANTONI, *ætatis primo sub flore cadentem*
Vidimus extrema positum Benacide ripa,
Quam media inter saxa sonans Sarca abluit undâ. BROUKH.

v. 5. QUUM MIHI AB EXSEQUIIS SOMNUS PENDERET AMORIS] Quum a funere amicæ meæ dubius & incertus mihi adesset somnus. Eleg. 4. sup. *Incerto permisit brachia somno*. unde *suspensi* dicuntur. Virgilius 4. Æneid. *Quæ me suspensam insomnia terrent?* Terentius Adelph. 2, 4. *Animus tibi pendet*. & Heaut. 4, 4. *Pendebit animi*. Cicero pro Flacco & 2. de Leg. *Pendere spe & exspectatione*. *Ab exsequiis*. unde somnium secutum, quia visa vigilantibus videntur in somnis: Cicero 6. de Rep. Sic ab exsequiis Remi ipsius umbra apparet Faustulo & Laurentiæ apud Ovidium 5. Fast. *Amoris*, amicæ meæ. vide Eleg. 13. lib. 1. v. 2. PASS. Primus Livinejus reduxit lectionem veram, quæ est *amaris*. dicitur sane *amarum* bonis scriptoribus, quidquid est adversum animo ac sensibus, obviis passim exemplis. Alium etiam verborum ordinem, numero magis artificioso magisque adeo Propertiano, servant alter Colbertinus & noster secundus:

Cum mihi somnus ab exsequiis penderet amoris.

id

Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethæus triverat ora liquor.

Spi-

id quum durum atque insolens caderet ad aures hominum hujus musicæ imperitorum, trajectis vocibus has salebras (sic ipsis visum) emollierunt, ignari quantum facinus facerent. tam verum est illud J. C. Scaligeri, PAUCIS mortalibus datas esse aures poeticas. BROUKH. Sed nec ipse Scaliger ex eorum paucorum numero fuit. Editio omnium princeps consentit cum Colbertino, & secundo Broukhusii. VULP.

v. 6. ET QUERERER LECTI FRIGIDA REGNA MEI] Quum lamentarer me solum relictum jacere, & algere torum. quomodo *Algere torum* sup. dixit Eleg. 5. Plautus Amphitr. 1, 3. *Prius abis, quam lectus, ubi concubuisti, concaluit locus*. Ovidius Ep. Penelopes:

Non ego deserta jacuissem frigida lecto.

Regna lecti. vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 10. PASS. *Regna lecti*. Huic locutioni & sententiæ facem lucent versus 9. 10. 11. 12. 13. 14. Elegiæ 14. lib. 1. *Lecti frigida regna*. Sic Virgilius lib. 4. Georg. v. 104.

Contemnuntque favos, & frigida tecta relinquunt. VULP.

v. 7. EOSDEM HABUIT SECUM, QUIBUS EST ELATA, CAPILLOS] *Fulvam comam*, Eleg. 2. lib. 2. v. 5. *Quibus est elata*, subaudi Cum. ut Eleg. 4. sup. v. 3. *Elata*, domo ad sepulcrum. Cicero 3. de Nat. Deor. *Q. Maximus filium extulit consularem*, & pro Domo sua, *Funere elatam rempublicam*. vide adnotata ad Eleg. 15. lib. 1. v. 21. PASS. *Eosdem*. in sex libris *Hosdem* reperitur. quæ scriptura Lipsio quondam familiaris, & vera ac vetus æstimata. aliis potius placet, esse crasin; qualis illa Virgilii L. 12. Æn.

Quas & Tartaream Nox intempesta Megæram
Uno eodemque tulit partu.

sic & pater Ennius, apud Ciceronem L. 1. de Offic. C. 12.

Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorumdem me libertati parcere certum est.

v. Merula ad Ennium p. 379. BROUKH. *Hosdem*, editio princeps. Par episynalœphe in illo versiculo Eleg. 4. lib. 3.

Hac eadem rursus, Lygdame, curre via.

L. Accius apud Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 7.

Eumque diem celebrant: per agros urbesque fere omnes
Exercent epulas læti.

Lucillius:

Uni se atque eidem studio omnes dedere & arti.

Idem:

Virtus, quærenda rei finem scire modumque.

Manilius lib. 3. Astron. v. 557.

Et modo deest aliud, modo adest, vicibusque recedit.

A Græcorum licentia hoc videtur manasse. Hesiodus Theogonia v. 44.

Θεῶν γένος αἰδοῖον πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ.

Theognis:

Θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον. VULP.

v. 8. EOSDEM OCULOS: LATERI VESTIS ADUSTA FUIT] Sumtum ab Homero lib. 23. Iliad. v. 65. & seqq. *Eosdem oculos*, nigros nempe, ut est Eleg. 12. lib. 2. v. 23. Atqui claudebantur oculi mortuis; sed & iisdem in rogo patefiebant, ut notatum ad Eleg. 13. lib. 2. v. 17. *Vestis*, ostrina tunica, vel toga candida, de quibus El. 29. lib. 2. & Eleg. 10. lib. 3. De more vestium cremandarum in rogo Virgilius 6. Æneid. Statius 6. Thebaid. Suetonius in Cæsare. *Fuit lateri*; quod *Ad latus esse* Eleg. 14. lib. 3. Eleg. vero 23. lib. 3.

Vulgari buxo sordida cera fuit.

Virgilius 12. Æneid.

Postquam habilis lateri clypeus, loricaque tergo est.

Silius lib. 6.

Devexum lateri pendet Tuder. PASS.

v. 9. ET SOLITUM DIGITO BERYLLON ADEDERAT IGNIS] Virgilius 4. Georg. *Sæpe favos ignotus adedit Stellio*. Alii libri *Abdederat*. sic Corn. Tacitus lib. 15. Annal.

Exor-

Spirantisque animos,. & vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:

Per-

Exorta vis locustarum abederat quidquid erat herbidum aut frondosum. Auratus, obederat, legendum putat. *Ambederat*, dixit Virgilius 3. Æneid.

Ambesas subigat malis consumere mensas.

& 5. Æneid. *Flammisque ambesa reponunt Robora navigiis*. Dicebant etiam *edere*, & *peredere*, & *ignem edacem*. Martius apud Varronem 6. de L. L.

Corpora Grajorum mærebant mandier igni.

Beryllon: lege Plinium lib. ult. H. N. c. 5. Isidorum lib. 16. cap. 7. Interpres Juvenalis in illud Sat. 5. *Inæquales berylloe*, *Phialae*, inquit, *ex gemmis*. Mæcenas apud Isidorum in funere Horatii: *Lugent, o mea vita, te smaragdus: Beryllus quoque*. Albinovanus de morte Mæcenatis:

Vincit vulgares vincit beryllus arenas.

Et Augustus apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 4. Mæcenatem vocat *Beryllum Porsenæ*. Cum gemmis autem suis mortui cremabantur. Statius 6. Thebaid. *Crepitant gemmæ, atque immane liquescit Argentum*; in rogo scilicet. Infra: *Hyacinthos Injicere*. De gemmis Cynthiæ Eleg. 6. lib. 3.

Ornabat niveas nullane gemma manus?

[Et Eleg. 16. lib. 2.] *Solitum digito*, assuetum digito. ut Eleg. 3. lib. 2. *Solitus ponto*. Seneca Epist. 84. *Solita ebrietas facere*. Ita sæpe Corn. Tacitus. Veteres & Græci & Romani anulos gestabant in digito sinistræ manus qui minimo est proximus, quia nervus tenuissimus ab eo digito ad cor pervenit. A. Gellius lib. 10. cap. 10. PASS. *Adederat*. Petronius:

Quod summum formæ decus est, cecidere capilli,
Vernantesque comas tristis adedit hieme.

Cicero pro P. Quintio C. 12. *Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia, sic dissolutus fuisset, ut fuit Sex. Nævius?* BROUKH. Adde Ovidium 1. Amor. Eleg. 15. *Etiam quum me supremus adederit ignis, Vivam*. VULP.

v. 10. SUMMAQUE LETHÆUS TRIVERAT ORA LIQUOR] Aqua fluvii Lethes; quia mortui, ut Virgilius ait 6. Æneid.

Securos latices, & longa oblivia potant.

ubi multa de Lethæo fluvio. *Liquor Lethæus*, ut *Liquor Martius* Eleg. 1. lib. 3. hic *Lethæus*, pro Stygio, ut infra: *Lethæa ad stagna*. *Triverat*, paullatim minuerat sæpe bibendo; quia & silex liquore teritur. sic Virgilius Ecl. 2.

Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.

Ora summa, primorem oris partem, id est, labra ipsa sæpe ea rigando & alluendo. Virgilius 1. Æneid.

Primaque libato summo tenus attigit ore.

& 3. Georg. *Rescindere summum Ulceris os*. ubi ridiculus Servius, qui de osse, non de ore interpretatur. Sic Græci ἄκρῳ δακτύλῳ, summo digito. & ἄκρῳ ποδί: Plato in Lachete. PASS. Lethæam aquam Cynthia non deglutiverat, ne scilicet Propertium amatorem suum penitus oblivisceretur: sed summis tantum labellis, tamquam invita & coacta, sæpius degustaverat. Horatius contra Epodo 14. *Mollis inertia cur tantam diffuderit imis Oblivionem sensibus, Pocula Lethæos ut si ducentia somnos Arente fauce traxerim, Candide Mæcenas, occidis sæpe rogando*. VULP.

v. 11. SPIRANTISQUE ANIMOS, ET VOCEM MISIT: AT ILLI POLLICIBUS FRAGILES INCREPUERE MANUS] Animose & iracunde locuta est, ut viva & spirans solebat. sic *Spirantis*, secundus casus erit. *Animose*, mavult Palmerius. 190. 1. Alii libri, *Spirantesque animos*; id est, spiritus animosos & feroces. Contra Eleg. 21. lib. 2. *Si tam facilis spiraret Cynthia nobis*. Sic Homerus Iliad. 3. Μένεα πνείοντες. De animis & iracundia Cynthiæ Eleg. 5. sup.

His animos nostra dum versat Acanthis amica.

& Eleg. 5. lib. 2.

Parce tuis animis, vita, nocere tibi.

Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. *Spiritus coactus ac stridens*, iræ indicium & gestus irati. *Misit vocem*. Horatius Epist. ad Pisones: *Nescit vox missa reverti*. & Epodo 5. *Misit Thyesteas preces*. Catullus Carm. 63.

Nec missas audire queunt, nec reddere voces.

Lucanus ad Pisonem:

Quum tua mæstos

Descensura reos vocem facundia misit.

Ac illi. vide Eleg. 4. sup. v. 15. *Manus fragiles*, & graciles & exiles, quales sunt umbrarum tenuium & exilium, quas *falsas palmas* vocat Eleg. 19. lib. 1. *Fragiles* etiam similem fragori sonum edentes. Lucretius lib. 6.

Et fragiles sonitus chartarum commeditatur.

Sic *fragiles lauros*, *fragiles calamos*, *fragiles aquas* dixerunt Virgilius & Ovidius. *Increpuere manus pollicibus*: manus usque ad articulorum crepitum strinxit. *Increpare* cum sexto casu. Ovidius in extremo Fast.

Annuit Alcides, increpuitque lyra.

Virgilius 12. Æneid. *Sanguineus Mavors clypeo increpat*. & 1. Georg.

Corvorum increpuit densis exercitus alis.

De hoc autem more Petronius: *Retexit superbum pallio caput, & manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis, Quænam est, inquit, hæc audacia? aut ubi & fabulas antecessura latrocinia didicistis?* Scaliger putat esse gestum componentium se ad dicendum: Sed Dousa in Petronium indicium esse, ait, commoti vehementius animi. Seneca lib. 3. de Ira cap. 4. *Adjice articulorum crepitum, quum se ipsæ manus frangunt, & pulsatum sæpius pectus, anhelitus crebros, tractosque altius gemitus*. & l. 2. cap. 1. *Articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus*. Pro Scaligero stat Appulejus lib. 2. A. A. *Et instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis, ceteros eminus porrigens, & infesto pollice clementer subrigens, infit Telephron*. Fulgentius Placiades de Continentia Virgiliana: *Itaque compositus in dicendi modum erectis in rotam duobus digitis, tertium pollicem comprimens ita verba exorsus est*. Citat utrumque locum Scaliger, & addit alterum e Petronio. & eo gestu, ait, pingi episcopos, qui olim sic populum alloquebantur; nunc tantum benedicunt. Turnebus lib. 29. Adv. cap. 30. ostendit, loco nutûs aut vocis, sonum digiti fuisse. An huc pertinet illud Tibulli Elegia 2. lib. 1.

Et vocet ad digiti me taciturus sonum?

Velius Longus de Orthographia: *Nam & digitorum sono pueros ad respondendum ciemus*. Pers. *Spirantisque animos, & vocem misit*. Hoc totum irridet Cicero Tusc. 1. *Has tamen imagines* (mortuorum) *loqui volunt: quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium, laterum, pulmonum vi & figura potest*. *Vocem misit*. Idem pro Cluentio: *Ita diu jactata ista res est, ut hodierno die primum veritas vocem contra invidiam, his judicibus freta, miserit*. & lib. 1. de Divinat. *In rebus turbidis veridicæ voces ex occulto missæ esse dicuntur*. Argumentum Amphitr. Plautinæ: *Donec cum tonitru voce missa ex æthere Adulterum se Juppiter confessus est*. Lucretius lib. 3. v. 944. *Si vocem rerum natura repente Mittat*. Albinovanus ad Liviam v. 352.

Nec vox missa potest principis ore tegi.

Livius l. 4. Hist. in Orat. Canuleji: *Quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur*. Seneca Consol. ad Marciam cap. 13. de Pulvillo pontifice: *Idem tamen, ut rediit demum, & implevit oculos, & aliquas voces flebiles misit*. Juvenalis Sat. 13. v. 113.

Audis

Juppiter hæc, nec labra moves, quum mittere vocem

Debueras vel marmoreus, vel aheneus?

Emittere vocem etiam dicebant. Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Ipse deus somno domitos emittere vocem

Jussit.

Livius lib. 1. verba Sex. Tarquinii Lucretiæ pudicitiam adorti: *Moriere, si emiseris vocem*. Græcos adjiciam similiter locutos. Homerus l. 12. Odysseæ de Sirenibus v. 192. Ὣς φάσαν, ἱεῖσαι ὄπα κάλλιμον. Hesiodus Theogon. v. 10. de Musis: περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι. Demosthenes Olynthiaca 1. sub ipsum initium: Ὁ μὲν ἂν παρὼν καιρὸς φωνὴν ἀφιείς. Sex. Empiricus adv. Matem. lib. 9. εἴδωλα φωνὰς ἀφιέντα. *Sibila misit*, de serpente dixit Ovidius lib. 3. Metam. *Pollicibus f. i. m.* Huc fortasse pertinent verba S. Hieronymi Epist. ad Rusticum Monachum, ubi de Grunnio quodam: *Testudineo incedebat ad eloquendum gradu, & per intervalla quædam vix pauca verba carpebat, ut eum putares singultire, non proloqui; & tamen quum mensâ positâ, librorum exposuisset struem, adducto supercilio, contractis naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum provocans*. Favet locus insignis Quintiliani lib. 11. Inst. Orat.

cap.

Perfide, nec cuiquam melior ſperande puellæ,
  In te jam vires ſomnus habere poteſt?
Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburæ,
  Et mea nocturnis trita feneſtra dolis?

Per

cap. 3. *In hac cunctatione ſunt quædam non indecentes, ut appellant ſcenici, moræ, caput mulcere, manum intueri, infringere articulos, ſimulare conatum, ſuſpiratione ſollicitudinem fateri, aut quod quemque magis decet: eaque diutius ſi judex nondum intendet animum.* Has recitatorum & oratorum delicias Itali dicerent, *attucci*, *lezi*, *ſmorfie*, *ſmancerie*. VULP.

v. 13. PERFIDE, NEC CUIQUAM MELIOR SPERANDE PUELLÆ] Amatorium convicium. Catullus Carm. 63.

Sicciue me patriis abductam, perfide, ab aris,
Perfide, deſerta liquiſti in litore, Theſeu?

Noſter Eleg. 5. lib. 2. *Dabis mihi, perfida, pœnas*. Non ſperande melior, de quo ſpes nulla ut fidelior exſiſtas vel amicæ, vel feminæ. *Melior*, fidelior; quia fide bonus vir æſtimatur. Sic Eleg. 19. lib. 3. *Bona litora nautis*, fida ſcilicet. *Nec ſperande*; perditum hominem notat, & deſperatum, ut Cicero vocat in Catilinam, & Piſonem, & alibi. PASS. Eodem flexu Auctor Culicis v. 144.

Perfide multis
Perfide Demophoon, & nunc deflende puellis.

Tibullus vero Eleg. ult. lib. 3.

Perfida, nec merita nobis inimica merenti.
Perfida, ſed quamvis perfida, cara tamen. VULP.

v. 14. IN TE JAM VIRES SOMNUS HABERE POTEST?] Tu ne potes cedere ſomno, & ſuccumbere? quia ὕπνος πανδαμάτωρ. Sic Virgilius 4. Æneid.

Nate dea, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?

Homerus Iliad. 23.

Εὕδεις; αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ Ἀχιλλεῦ;

Habere vires, ut Eleg. 11. infra: *Dat gloria vires*. *Jam*, tam cito; ut Eleg. 31. l. 2.

Triſtia jam redeunt iterum ſolemnia nobis. PASS.

v. 15. JAMNE TIBI EXCIDERANT VIGILANTIS FURTA SUBURRÆ?] Melius: *Exciderunt*; quomodo legendum cenſui etiam Eleg. pænult. lib. 3.

Exciderunt ſurdo tot mea vota Jovi.

Excidere, quod Virgilius plane 1. Æneid. *Exciderant animo*. & eodem ſenſu Ecl. 1. *Labatur pectore vultus*. Contra *tenere memoria*. nam ea theſaurus. Ergo *exciderunt*, oblitus es. *Furta*, furtivi amores & concubitus. ut Eleg. 30. lib. 2. v. 28. *Suburra*. Publ. Victor in 2. regione: *Luparia in Suburra*. & in 3. reg. *Suburræ caput*. Fabius lib. 1. cap. 13. *Suburra quum tribus literis notatur, c tertiam oſtendit*. (Suc. id eſt, Succurra.) Varro 4. de L. L. *Subura, quod ſub antiqua urbe fuerit: vel potius a pago Sucuſano: & Succuſanus pagus, quod ſuccurrat Carinis*. Vetus Horatii Interpres ad illud Sat. 6. lib. 1. *Veſpertinumque pererro Sæpe forum: Aut Suburra major*, inquit, *in qua res furtivæ veſperi vendebantur; aut minus frequens forum*. [Ibi proſtabant ſcorta.] Martialis Epigr. 66. lib. 6. *Famæ non nimium bonæ puellam, Quales in media ſedent Suburra, Vendebat modo præco Gellianus*. Et in Catalectis:

Nota Suburranas inter Teletuſa puellas.

Feſtus in *Suburra* ex Verrio idem quod Varro, quia ſolita eſſet ſuccurrere Eſquiliis. At Propertius Eſquiliis habitabat, ut ait Eleg. 23. lib. 3. Inde *Suburrana tribus* Varroni, & Feſto ibid. *Vigilantis*, quia illic pervigilabant meretrices: vel propter nocturnas rixas, de quibus Eleg. 8. infra; vel ob canum excubias & latratus: Horatius Epodo 5. *Latrent Suburranæ canes*. Alii libri, *Vigilacis*. Auſonius Ephem. *Jam ſtrepit nidis vigilax hirundo*. Columella lib. 7. R. R. cap. 12. de villicis: *Maxime autem debent in cuſtodia vigilaces conſpici, nec erronei, ſed aſſidui, & circumſpecti magis quam temerarii*. & Cajus J. C. L. *Si quid*. *De Ædilitio edicto*, ſemel atque iterum *vigilacem*

Per quam demiſſo quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!
Sæpe Venus trivio commiſſa, & pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia noſtra vias.

Fœde-

locem ſervum dixit. Pass. Meliores libri, *vigilacit furto*. optime. *furti* vox, ut in bello, ita quoque in re amoris valde propria eſt & ſignans. *vigilacit* jam erat a Scaligero vindicatum. Broukh. *Vigilacit*, diſerte in Editione principe. Ovidius l. 2. Metam. v. 779. in deſcriptione Invidiæ:

Nec fruitur ſomno, vigilacibus excita curis.

ſi proba eſt lectio Heinſii. Eadem figura Petronius in Fragmento Traguriano: *Et quid ſi non abſtinax fuiſſet?* pro abſtinens. Vulp.

v. 16. Et mea nocturnis trita feneſtra dolis] Ovidius lib. 2. A. A.

At tu per præceps tecto delabere aperto:
Det quoque furtivas alta feneſtra vias.

vide adnotata ad Eleg. 20. lib. 2. v. 29. *Trita*, frequenti uſu pæne conſumta. Eleg. 11. lib. 3.

Atque inter famulos femina trita ſuos.

Nocturnis dolis. unde *inſidiari ſomno maritorum* dixit Cicero. Eleg. 9. lib. 2.

Nocturno ſolvens texta diurna dolo.

Ovidius 6. Faſt.

Nocte domum parvâ ſolita eſt intrare feneſtrâ. Pass.

v. 17. Per quam demiſſo quoties tibi fune pependi] In tuam gratiam quoties commiſi me periculo cadendi ex fune apto! Eleg. 8. infra:

Spectaclum ipſa ſedens primo temone pependit.

Tibi, in tuæ ſpem gratiæ: ut Eleg. 1. ſup. *Roma fave, tibi ſurgit opus*. *Demiſſo fune*: Virgilius 2. Æneid.

Cavo ſe robore promunt
Tiſandrus, Sthenelusque duces, & dirus Ulixes
Demiſſum lapſi per funem.

Lucretius extremo lib. 2.

Mortalia ſæcla ſuperne
Aurea de cælo demiſit funis in arva.

Horatius Epiſt. ad Piſones:

Si quis curet opem ferre, & demittere funem.

Petronius Arbiter: *Per funem lapſi deſcendimus in ſcapham*. D. Paulus Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 11. in fine: *Per feneſtram in ſporta demiſſus ſuper murum, & ſic effugi manus ejus*. Pass. Adde Livium lib. 8. *M. Fabius, captivus Romanus, quum per negligentiam cuſtodum feſto die vinculis ruptis, per murum inter opera Romanorum, religata ad pinnam muri reſte, ſuſpenſus manibus ſe demiſiſſet*, &c. Vulp.

v. 18. Alterna veniens in tua colla manu] Sic Ovidius 11. Metam. *Amplexus in virginis ire marinæ*. *Veniens in colla*, ruens in amplexus tuos. ut Eleg. 8. infra: *Redeunt in collo parentum*. Afranius Privigno apud Nonium in *Frigit*: *Occaſione capta* (vulgo *certa*) *mulier involat in collum*. Sic *venire in honorem* Eleg. 24. lib. 2. *Alterna manu*, ut faciunt qui per funem deſcendunt. Eleg. 15. lib. 2. *Vario amplexu mutamus brachia*. Pass.

v. 19. Sæpe Venus trivio commixta est pectore mixto] Noſter Eleg. 14. libri 3. *In triviis ad latus eſſe ſuæ*. ubi & adnotatum, quid trivium. Catullus: *In quadriviis & angiportis*. Idem: *Omnes puſilli & ſemitarii mœchi*. *Commixta Venus*, juncta. nam *jungere Venerem* Tibullo & Ovidio idem eſt quod miſceri in amore, & periphraſis concubitûs. *Commixtæ lupæ* dixit Catullus Epigr. 97. qui locus a doctis tentatur fruſtra. Virgilius 2. Georg.

Et omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

(Æther mixtus terræ.) & 7. Æn. *Mixta deo mulier*. Cicero 2. de Nat. Deor. *Commiſcendorum corporum miræ libidines*. Sic μιγῆναι Græcis. Homerus Iliad. I. & 7.

Μήποτε τῆς εὐνῆς ἐπιβήμεναι, ἠδὲ μιγῆναι.

& Odyſſ. α. Πατ ἰδίοισι μιγεῖσα. Heſiodus. Theocritus paſſim. *Mixto pectore*; *Conduplicato*, Plautus. Ita Eleg. 20. lib. 3.

Forſitan ille alio pectus amore terit.

ſic infra hic, *Miſceri oſſa*, & Eleg. 14. lib. 3. *Mixta*, *Commixta*, δὶς τὸ αὐτό. ut

Eleg.

Fœderis heu taciti, cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.

At

Eleg. 1. sup. *Rata carmina vero*. PASS. *Venus trivio commixta*. bene Groninganus *commissa*; quod & Modio notatum Novantiq. Epist. 18. elegans tralatio ab arena ad Veneris bella incruenta. quid sit *committere* in ludis veterum, pauci hodie ignorant. itaque miror exstitisse quibus hoc legitimum non videbatur. -- colorem hinc duxit Papinius L. 5. Theb.

Cui connubialia vincla,
Aut thalami secretus honos? quod conjuge pectus
Intepuit?

BROUKH. *Venus trivio commissa*. Hoc ita extulit Nonnus Panopolita lib. 16. Dionys. v. 341.

Καὶ τελέσας φιλότητα καὶ εἰνοδίης πόθον εὐνῆς
Ἀφράστω Διόνυσος ἀνέπτυρο πέδιλον.

ubi εἰνοδίη εὐνὴ est *compitalis concubitus*, seu *Venus trivio commissa*. VULP.

v. 20. FECERUNT TEPIDAS PALLIA NOSTRA VIAS] Vesticontubernium significat, ut Eleg. 4. lib. 1.

Et qua
Gaudia sub tacita ducere veste libet.

vide Ovidium Eleg. 4. lib. 1. Amor. *Pallia* hic indita loco stragularum vestium. Eleg. 3. sup.

Tum queror in toto non sidere pallia lecto.

Palliati autem tunc plerique Romani, corruptis moribus, & crepidati. *Fecerunt tepidas*, tepefecerunt, ut Eleg. 12. lib. 1. *Facere moram* v. 2. & Eleg. 30. lib. 2. *Facere turpia ora* v. 18. *Tepidas vias*, ut Eleg. 16. lib. 1.

Tristis & in tepido limine somnus erit.

Augustus apud Suetonium cap. 71. *Lusimus per singulos dies, forumque aleatorium calfecimus*. *Via* ergo χαμαιευνὴ & χαμαιευνεῖον. PASS. Sic apud Theocritum Idyllio 27. v. 52. puella, Daphnin pastorem alloquens:

Βάλλεις εἰς ἀμάραν με, καὶ εἵματα καλὰ μιαίνεις.

Daphnis vero respondet:

Ἀλλ' ὑπὸ σὰς πέπλως ἁπαλὸν νάκος ἠνίδε βάλλω.

Huc pertinet quod Athenæus lib. 13. narrat de Sophocle pullipremone: Ὁ μὲν οὖν παῖς τὸ ἴδιον ἱμάτιον ἐπὶ τῇ πόᾳ ὑπέστρωσεν. Statim post hunc versum collocat Scaliger distichum illud: *Nec crepuit* &c. quæ μετάθεσις contra fidem codicum novas tenebras offundit sententiæ satis obscuræ. VULP.

v. 21. FŒDERIS HEU TACITI, CUJUS FALLACIA VERBA NON AUDITURI DIRIPUERE NOTI] Interjectio loco verbi, *Heu fœderis*; pro, pudet pigetque, ac pœnitet fœderis tacite & occulte inter nos icti. Scaliger: σχετλιαστικῶς. cum genitivo Græco more. Οἴμοι τῶν σπονδῶν. Plautus: *Dii immortales, mercimonii lepidissimi!* *Tacitum fœdus*, occultum, translatione ab auribus ad oculos, & contra. sic Eleg. 21. lib. 3.

Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.

Noti, venti. Eleg. 6. sup. v. 8. *Iratos Notos*. *Non audituri*: sic Ovidius 5. Fast.

Falsove citavi
Non audituri numina vana Jovis.

& 2. Metam.

Non auditurum miseras Phaëthonta querelas.

Noster Eleg. 33. lib. 2. *Non audis, & verba sinis mea ludere*. Venti autem audire interdum putabantur, & ad deos perferre preces. Virgilius Ecl. 3.

Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures.

Contra Noster Eleg. 8. lib. 1.

Neve inimica meas elevet aura preces.

Diripuere verba, discerpsere, nubibus irrita donavere. Catullus Carm. 63.

Quæ cuncta aërii discerpunt irrita venti.

Virgilius 9. Æneid.

Multa patri mandata dabat portanda: sed auræ
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.

Vide proverbia: *Ventis loqui*, & *Ventis tradere*. *Verba fallacia*, vana & inania. vide adnotata ad Eleg. 20. lib. 3. v. 5. PASS. *Fœderis heu taciti*. Propertius hic ἑλληνίζει, ut solitus. Lucianus Cataplo, sive Tyranno: Οἴμοι τῶν κτημάτων, οἴμοι τῶν ἀγρῶν. Cebes in Tabula: Ὢ καλῶν ἔργων, ἔφην ἐγὼ, καὶ καλλίστης νίκης. Euripides in Helena v. 682. Οἴμοι ἐμῶν δεινῶν, λέκτρων, καὶ κρηνῶν.

At mihi non oculos quiſquam inclinavit hiantes.
  Unum impetraſſem te revocante diem.
Nec crepuit fiſſa me propter arundine cuſtos,
  Læſit & abjectum tegula curta caput.

Deni-

νῶι. Nonnus Panopolita lib. 16. Dionyſiac. v. 354.

Ωι μοι παρθενίης, τλὼ ἤρπασεν ἴνιοι ὕδωρ.
Ωι μοι παρθενίης. VULP.

v. 23. AT MIHI NON OCULOS QUISQUAM INCLINAVIT EUNTES] Nemo ſupremum illud mihi præſtitit officium eunti & obeunti, ut oculos inclinaret, id eſt, inflecteret, deprimeret & clauderet. ut Eleg. 1. lib. 2. *Poſcentes ſomnus declinat ocellos.* Morientibus claudebantur oculi, & rurſus patefiebant in rogo, inquit Plinius lib. 7. De hoc more dicetur ad Eleg. ult. infra. Ut hic, *Inclinare oculos*, ſic Horatius *Inclinare meridiem* dixit, quia dies vergit ad occaſum. & eſt ruinæ verbum. Virgilius 12. Æneid. *In te domus inclinata recumbit.* Altera lectio, *Inclamavit.* Feſtus in *Ingens: Inclamare, valde clamare;* aliàs increpare, inquit idem. Solebant autem conclamari mortui. vide adnotata ad illud Eleg. 17. lib. 1.

Illa meum extremo clamaſſet pulvere nomen.

Inclamavit oculos, me ipſam, cujus oculi maxime formoſi; & quia primi oculi in homine moriuntur: Plinius lib. 7. *Oculos euntes*, recedentes & cavos. Ovidius in Epicedio Tibulli: *fugientes* vocat. vel *euntis*, ſecundo caſu, abeuntis mei, & obeuntis; hoc modo, *Quo abis? redi, redi.* Eleg. 27. lib. 2. *Clamare & revocare* in ea re conjungit. PASS. *euntis* habent omnes libri. in multis quoque *inclamavit* reperitur. ſed rectius Regii, Groninganus, noſter ſecundus, & primæ editiones *inclinavit* habent. non poſſum non adſentiri Viris ſummis Caſp. Barthio, & Nic. Heinſio, qui bono cum judicio reſtituerunt ſinguli,

At mihi non oculos quiſquam inclinavit hiantes.

Illum ſis conſule Animad. ad Stat. Papin. L. 8. Theb. v. 653. hunc vero Not. in Ovid. L. 7. Metam. v. 155. Quæ alia multa huc attulerunt homines docti firmandæ lectioni vulgatæ, ſi verum amamus, multum extra oleas ſpatiantur, nec quidquam ad Bacchum. de *conclamatione* ſcimus quod ſatis ſit: nunc vero de *inclamatione oculorum* docendi eramus. BROUKH. *Non oculos quiſquam inclinavit.* palpebras demiſit, quæ ſunt partes oculorum. Editio tamen omnium vetuſtiſſima, *inclamavit*, VULP.

v. 24. UNUM IMPETRASSEM TE REVOCANTE DIEM] Exoraſſem Plutonem, ut unum ſaltem diem me apud ſuperos eſſe pateretur. *Impetrare*, proprie perficere. Plautus Pœn. *Incipere multo eſt, quam impetrare facilius.* Alludit autem ad eos qui bona cum venia Parcarum redierunt ab inferis, de quibus Hyginus Fab. 251. Noſter Eleg. 19. lib. 1. *Illic Phylacides*, de Proteſilao, quem Hyginus Fab. 103. tres horas impetraſſe ſcribit, quibus cum Laodamia loqueretur. unde Auſonius in Cupidine cruci affixo:

Præreptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas vivi functique mariti.

vide & Statium in Genethliaco Lucani. Neſcio quid ſimile narrant de Siſypho. *Te revocante*, clamante ut ab ipſo inferorum limine, & cymba Charontis redirem. Noſter Eleg. 13. lib. 2.

Sed fruſtra mutos revocabis, Cynthia, manes.

Lucretius lib. 3. de veternoſo:

Unde neque exaudit voces, neque noſcere vultus
Illorum potis eſt, ad vitam qui revocantes
Circumſtant lacrimis rorantes ora, genaſque.
PASS.

Notus mos revocandi ad vitam moribundos. Quintilianus Declam. 8. *Dum frigentia membra continuis oſculis & ſpiritu trepidæ matris animamus, dum labentes oculi ad noſtras exclamationes noſtroſque planctus admiſſo paulorim luce laxantur.* BROUKH. Hic locus Quintiliani Broukhuſium docere ſatis poterat, quid ſit *inclamare oculos.* VULP.

v. 25. NEC CREPUIT FIXA ME PROPTER ARUNDINE CUSTOS] Beroaldus cuſtodem cadaveris intelligit (de quo Appulejus lib. 2. A. A.) qui fiſtula inſonare ſoleret, ut excita-

citatior esset ad vigiliam. Scaliger, *Janitor*, inquit, *a te insidiis vulneratus non est ob amores nostros*. Mihi videtur custodem, id est, Cynthiæ invisum janitorem (ut Horatius loquitur) innuere, qui vapulare in ejus funere debuerit, ut in funere C. Marii vulneratus Scævula; & ut hostium sanguine mos parentandi fuit. *Crepuit*, vapulavit cum crepitu plagarum. Cicero 7. Verr. *Inter dolorem, crepitumque plagarum*. Virgilius 5. Æneid. *Duro crepitant sub verbere malæ*. *Arundine fissa*, baculo infracto, & simul fissu; ut Virgilius 9. Æneid.

Frangitur & fisso transit præcordia ligno.

ubi etiam legitur *fixo*, ut hic legit Scaliger *Arundine fixa*, id est, missa & hærente sagitta. *Arundo* quoque *fixa* dicitur Horatio, licet alio sensu, Sat. 8. lib. 1. Douza in Petronium arundinem hic virgam ostiarii interpretatur. Petronius: *At non servus publicus tam languide agit, sed rapiam cauponi arundinem subtus lectum mittis*. Idem: *Arundinem ab ostio rapuit, iterumque nihil respondentem mulcavit. at nisi primo ictu arundo quassata verberantis impetum minuisset, forsitan etiam brachia mea caputque fregisset*. Seneca lib. de Constantia Sapientis C. 14. *Contumeliam vocant ostiarii difficultatem - - - - - - - ille pusilli animi est qui sibi placet quod ostiario libere respondit, quod virgam ejus fregit: quod ad dominum accessit, & petiit ostium*. PASS. Regii *fissa*, quod & in aliis libris alii invenerunt. admodum mirifice exponunt hunc versum interpretes. - - - - - Torrentius cepit de sepulcri custode in funere tenujure, quum apud lautiores tubæ ac cornua usurparentur, Comment. in Horat. L. 1. Sat. 6. v. 44. & sic fere Livinejus. - - - - Horum nihil verum est. solus Janus Douza, æternus Pindi Batavici honos, vidit hic agi de virga ostiarii, L. 2. Præcid. pro Petron. C. 4. quam negat Cynthia Propertium suum, præ animi impotentia ac fervore, in cella pendentem arripuisse, eaque ipsa invisi janitoris caput ac lumbos liberaliter dedolasse. - - - - - - BROUKH. Scaliger vult intelligi vulneratum janitorem ex insidiis ab amante. Sed quid est, quæso, ex insidiis ostiarium ferire? num jaculis arundineis januam petere, quæ cratibus ligni transmittis imprudentem servulum configant? *Arcus* quidem *oppositis foribus minaces* Horatius commemorat Ode 26. lib. 3. verum hoc est aggredi aperta vi, non insidiis. Ego vero in Douzæ explicatione conquiescerem, nisi orta esset ex transpositione Scaligeri: qua factum est, ut hoc distichum ad Propertium ipsum pertineret, quum omnino ad Cynthiæ cadaver spectare debeat. Fateor, locum obscurum esse: nihilominus vel Beroaldo, vel Torrentio, potius quam aliis, assensus fuerim. Obiter hic animadverto, virgam & clavim insignia janitoris fuisse. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 9. *Sed apud nos Janum omnibus præesse januis nomen ostendit, quod simile Θυραῖῳ. nam & cum clavi ac virga figuratur: quasi omnium & portarum custos, & rector viarum*. VULP.

v. 26. LÆSIT ET OBJECTUM TEGULA CURTA CAPUT] *Tegula curta*. mutila & fracta, ut Eleg. 1. sup. *Curta equo*. Scaliger exponit: *Tegula e tectis nostris (a Properti) in caput tuum missa non est*. Qua de re Plautus in Amphitr. & Ausonius in Parentalibus. Melius tamen Beroaldus, queri Cynthiam, ait, sibi, seu cadaveri suo, pro molli pulvillo duram tegulam eamque mutilam & fractam suppositam fuisse. De collocatione cadaveris dictum ad illud Eleg. 17. lib. 1.

Molliter & tenera poneret ossa rosa.

Virgilius 11. Æneid.

Ipse caput nivei fultum Pallantis, & ora
Ut vidit.

de mortuo collocato. *Tegula curta*: Ovidius 6. Fast.

Suppositum cineri panem focus ipse parabat,
Strataque erat tepido tegula quassa solo.

Sisenna lib. 3. Hist. apud Nonium in *Imbrices*: *Dissipatis imbricum fragminibus, & testis tegularum*. Isidorus l. 15. cap. 8. *Tegulæ, quod tegant ædes; & Imbrices, quod accipiant imbres*. *Læsit*, vulneravit; ut Elegia 4. sup. *Ne faciem læderet hasta Tati*. *Objectum caput*, expositum ictibus & plagis. Eleg. 27. lib. 2. per hypallagen: *Objectum capiti esse tumultum*. Virgilius 2. Æneid. *Caput objectura periclis*. Cicero pro Domo sua: *Objicere caput suum ferro*. Sed vetus liber, *Abjectum*, quasi durius collocatum & contemtum; ut Ciceroni 1. Tusc. *Abjicere inhumatum*. PASS. De testis & tegulis desuper in homines importunos dejectis capiendus Lucilii locus L. 27. quem Nonius servavit in *Dejicere*: *Has e fenestris in caput Deiciam, qui prope ad ostium adspiraverint*. videtur sermo vel janitoris, vel aniculæ lenæ, scortillum custodientis. Juven. Sat. 3.

Denique quis nostro furvum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere; at illud
Jussisses, lectum lentius ire meum.

Cur

Quod spatium tectis sublimibus ! unde cerebrum
Testa ferit , quotice rimosa & curta fenestris
Vasa cadunt ,

Insignem locum ex Conlectaneis Atei Capitonis, huc pertinentem, vide apud Gellium L. 4. C. 14. BROUKH. *Tegula curta*. quibus injuriis obnoxii fuerunt miseri adolescentes. Pyrrhus quoque post ingentes clades a Romanis acceptas *in Graciam regressus, dum Argos oppugnat , ictu tegulæ prostratus est :* Sextus Aurelius Victor. Ego vero libri veteris lectionem, *Abjectum*, lubens accipio : nec Bronkhusii, in alia omnia euntis, reverentia me deterret , quominus Beroaldi explicationem probem. VULP.

v. 27. DENIQUE QUIS NOSTRO CURVUM TE FUNERE VIDIT?] τὸ *Denique* stomachantis, ut tandem & demum, estque properantis ad finem dictorum ; ut ait Donatus , *a denicando, quia perimit sententiam & postremum est. unde dicti dies Denicales*, *Curvum*, demisso capite incedentem, ut mœsti solent & lugentes . Eleg. 14. lib. 2. *Demissus supplex cervicibus ibam*. Persius Sat. 1.

Verum nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querelâ,

Aliter , *Curva anus* dicitur Eleg. 18. l. 2. An, *furvum*, legendum? *Funere*. subaudi, In, ut sup. hic v. 16. *Trivio*, pro in trivio. PASS. *Curvum*, fortasse in cadaver amicæ procumbentem. VULP.

v. 28. ATRAM QUIS LACRIMIS INCALUISSE TOGAM?] *Lugubria* vocat Eleg. ult. infra. Ab atra veste , *Atrati :* Cicero in Vatinium. Noster Eleg. 5. lib. 2.

Salis & atratis lnuerit orbis equis.

Varro 3. de Vita Pop. Rom. apud Nonium in *Anthracinus*, niger : *Propinquæ adulescentulæ , & adulescentuli etiam , anthracinis ; proxime amiculo nigello, capilla demisso sequerentur luctum*. Ovidius 4. Metam. *Pullos & luctibus aptos sinus* . Quod Plutarchus in Problematis scribit, de albatis matronis in funere, id post factum est . *Incaluisse lacrimis* , factam tepidam . Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Et simulacra deûm lacrimas fudisse tepentes .

Aliàs legitur, *Immaduisse*. Ennius Telamone apud Nonium in *Squallam ; Strata terræ lavere lacrimis vestem squallam & sordidam* . PASS. Omnes libri constanter habent *incaluisse*, etiam editiones antiquæ ; quod indicat affectum multo ardentiorem . --- nihil in Homero frequentius quam lacrimæ calidæ. vide Ælianum L. 14. Var. Hist. C. 22. Galli quoque hodie in dolore magno dicunt, *pleurer à chaudes larmes*. BROUKH.

v. 29. SI PIGUIT PORTAS ULTRA PROCEDERE ; AT ILLUD JUSSISSES , LECTUM LENTIUS IRE MEUM] Si grave fuit egredi urbe, & funus usque ad sepulcrum comitari, saltem , & quod minimum est , jubere debueras eos qui lectum , meque in eo compositam ferebant , spissius ingredi , vel ut me diutius in urbe defleres , & postremum aspiceres ; vel , ut ego mollius incedere consueta (Eleg. 12. lib. 2.) gestarer sine succussu. *Pudere, verecundiæ : pigere , pœnitentiæ*, inquit Nonius. Immo hic est inertiæ , & fugæ laboris ac molestiæ . Varro Parmenone ibid. *Piget currere , & una sequi*. Martialis :

Verum ut te videam , duo millia non piget ire :
Ut te non videam , quattuor ire piget .

Festus : *Pigere , interdum pro tardari , interdum pro pœnitere poni solet* . Eleg. 1. sup. *Verba pigenda*, pro pœnitenda . Donatus in Adelph. *Pudet , dedecoris : piget , damni & doloris* . *Procedere ultra portas :* Eleg. 20. lib. 1. *Processerat ultra Quærere aquam* . *Procedere & prodire* exsequiarum est, & comitatûs pompæ . Terentius Andr. 1, 1. *Egomet quoque ejus causâ in funus prodeo* . mox : *Funus interim procedit* . In urbe autem non sepeliebantur : iccirco dicebantur *efferri* . M. Tullius lib. 2. de Legib. ait fuisse in XII. Tabb. *In urbe ne sepelito : neve urito* . ideo

men-

Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?

Hoc

mentio portarum. & ita collocabatur funus in limine, ut pedes portam urbis spectarent. Persius Sat. 3. *In portam rigidas calces extendit.* Plautus: *Cupit te videre ardentem extra portam Metiam.* Ita Syracusis ad portas extra urbem sepulcra. vide Ciceronem 1. Tusc. & 2. de Fin. Statium quoque lib. 5. Silv. in Abascantii pietate. *At*, pro saltem. ut Eleg. 2. lib. 3. *At Musæ comites.* *Illuc*, usque ad portas, vel ad sepulcrum. *Jussisses*, pro jubere debueras. Ovidius l. 2. Amor. Eleg. 16.

Juvenum comites jussissent ire puellas,
Si suis in longas terra secanda vias.

Virgilius 8. Æneid. *At tu dictis, Albane, maneres.* Terentius Andria: *Prædiceres.* Cicero pro Sextio: *Restitisset, repugnasset, mortem pugnans oppetisset.* Vide & Plautum Pseud. 1, 3. *Ire lentius:* Pacuvius Niptris apud Ciceronem 2. Tusc. *Pedetentim ire, & sedato nisu, (id est, gradu) ne succussu arripiat maior dolor.* Lectus autem feralis significatur, de quo Eleg. 13. lib. 2.

Nec sit in Attalico mors mea nixa toro. PASS.

Portae ultra p. Quamobrem Tiberius, fictæ moderationi serviens, *populum edicto monuit, ne, ut quondam nimiis studiis funus Divi Julii turbassent; ita Augustum in foro potius, quam in campo Martis sede destinata cremari vellent.* ita Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium. VULP.

v. 31. CUR VENTOS NON IPSE ROGIS, INGRATE, PETISTI?] Vetus mos usque ab Homero Iliad. ψ. in funere Patrocli. locum Homeri adnotat Scaliger. citat & Herodianum, neque profert verba. Plutarchus in Sylla sub finem, fortunæ Syllæ adscribit, quod impendente pluvia jam ab initio diei, quum hora nona elatus esset Sylla, & impositus pyræ, subito coortus ventus pyram incenderit, & jam consumto corpore, magna cœperit pluvia, quæ noctem perpetem duravit. Venti etiam ad alias res vocabantur. Virgilius 3. Æneid. *Italiam cursu petitis, ventisque vocatis.* Lucretius lib. 5.

Ac prece quæsit
Ventorum pavidus paces, animasque secundas.

Ventos petere, adire, alloqui, adorare. Attius Tereo apud Nonium in *Famulanter*, & in *Assare*: *Deum Cadmæa natum Semela assare, & famulanter pete.* Ovidius 2. Fast.

Sævit adhuc, canamque petit Saturnia Tethyn,
Mænaliam tactis ne lavet Arcton aquis.

Ingrate; sup. *Perfide.* vide Eleg. 20. lib. 2. v. 26. Ridiculus hic Beroaldus, quum ait, Cur non optasti ut venti flarent, ignemque restinguerent? Mira ratio restinguendi incendii; oleo ita exstingueretur. P. Illustrarunt hunc morem Scaliger ac Passeratius; & ante utrumque Bernardinus Realinus Var. Annot. C. 10. ceterum noster secundus ventum habet. quod tamen non debet attendi. dixit autem *ventos*, ut tanto acrius perstringeret sordes amatoris ingrati: neque enim istæ preces sine pollicitatione sacrificii. v. Homer. XXIII. Iliad. 193. BROUKH. Locum Homeri sic interpretatur Eobanus Hessus:

Postquam omnem non posse pyram comprendere flammas
Senserat Æacides, procul astans voce vocabat
Horriferum Boream, Zephyrumque immane sonantem.
Sacra vovens, auroque effundens vina precatur
Inspirent animas igni, flammasque cierent.

Propterea nihil deterius contra pietatem admitti potuisset, quam ventos ideo vocare, ut ardentem rogum exstinguerent; ut putabat Beroaldus. Ceterum locus Herodiani, quem Scaliger innuit, est lib. 4. c. 14. de Antonino Caracalla. Hic scilicet in funere Festi libertorum omnium carissimi φιάλην λαβὼν, σπένδων τε τοῖς ἀνέμοις εὔχετο. Ad quæ verba miror cur apposita fuerit in editione Oxoniensi A. 1699. nota hujusmodi: *Ita Augustus Circio, ne Galliam vastaret, sacrum fecit; Calabri Iapygi, Apuli vento Atabulo*, &c. v. ALEX. ab Alex. lib. 3. cap. 22. & ideo Antoninus ut ventos haberet secundos. *Rogis.* Diogenes Laërtius in Prooemio scribit, Magos, Persarum sapientes, ἀνόσιον ἡγεῖσθαι πυρὶ θάπτειν, *nefas arbitrari igne mortuos funerari.* Quod & Christiani veteres abominati sunt: Minucius

Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, & fracto busta piare cado?

Lygda-

Felix in Octavio: *Exsecrantur rogos, & damnant ignium sepulturas*. Hic mos, de quo Propertius, apud Romanos erat *eo tempore quo igni dari honor mortuis habebatur*, ut loquitur Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 7. VULP.

v. 32. CUR NARDO FLAMMÆ NON OLUERE MEÆ?] Flammæ rogi mei cur non odoribus, & unguentis persusæ? de quibus Elegia 13. lib. 2. v. 23. & 30. & Eleg. 16. lib. 3. v. 23. *Olere*, cum sexto casu. Plautus Amphitr. 1, 1. ambigue: *M. Olet homo quidam malo suo. S. hei nequom obolui*. Ovidius Epist. Sapphûs:

Non Arabo noster rore capillus olet.

De nardo frutice & nardino unguento, quod & *foliosum* dicitur, Plinius lib. 12. cap. 12. & lib. 13. cap. 1. Horatius Ode 11. lib. 2. item Epodo 5. & 13. Tibullus Eleg. 2. lib. 2.

Illius puro distillent tempora nardo.

Isidorus lib. 17. *Flamma olnere nardo*, ut Eleg. 10. infra:

Putris odorato luxerat igne rosa.

Vel mea flamma, ego cremata; ut mea vita, ætas, gloria, mors. PASS.

v. 33. HOC ETIAM GRAVE ERAT, NULLA MERCEDE HYACINTHOS INJICERE, ET FRACTO BUSTA PIARE CADO?] *Erat*, pro fuit: nam dixit, *Piguit*. sic Eleg. 4. sup.

Hac, virgo, officiis dos erat apta tuis.

Hyacinthus, gemma, quæ nomen apud nos retinet: Plinius lib. 37. cap. 9. Beroaldus hic flores interpretatur, non gemmas: sed errat. *Nulla mercede*, nullo pretio, viles; ut Eleg. 10. lib. 2. *Vilia tura*. Ita Ciceroni, *Homo nullo numero*, & contra *summo loco*. Sic Eleg. 4. sup. *Lucus hederoso antro*. *Merces* a merendo & ære: Varro 4. de L. L. *Injicere*. Terentius Andr. 1, 1. *Quæ se se voluit in ignem injicere, prohibui*. *Piare busta*, placare manes. Ovidius 5. Fast.

Compositique nepos busta piabat avi.

quod Virgilius 6. Æneid. *Ossa piabunt*. sic rogos, manes, umbras, & ossa conjunxit Eleg. 8. lib. 2. *Cado fracto*, effuso mero; nam respergebatur vino rogus. Inde *Vinum respersum*, quia in sacris novemdialibus sepulcrum spargebatur: Festus in *Respersum*. Homerus Iliad. ψ. in funere Patrocli:

Πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσατ' αἴθοπι οἴνῳ.

Virgilius 6. Æneid.

Relliquias vino, & bibulam lavêre favillam.

Tibullus Eleg. 2. lib. 3.

Et primum annoso spargent (ossa) collecta Lyæo.

Fracto cado, quia cadus vas fictile, & fragile. Ovidius 12. Metam.

Et primâ pocula pugnâ
Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes.

Nonius: *Cadi quibus vina conduntur*. Isidorus lib. 16. cap. 25. *Cadus Græca amphora, continens urnas tres*. Budæus 5. de Asse cadum, & metretam idem esse probat, Græcamque utramque vocem, & congiorum decem. vide illic plura. Servius in illud 6. Æneid. - *Congesta cremantur Turea dona, dapes, fuso crateres olivo: Inferiis sacrificantes etiam vasa in ignem mittebant: unde ait Crateres*. quod etiam Statius 6. Thebaid. in Archemori sepultura commemorat. PASS. Grave tibi fuit, inquit Cynthia, hyacinthos meos in rogum meum injicere, ut cremarentur mecum. atpote quorum pretium, id si fecisses, periisset tibi, nullo inde ad te emolumento redituro. hic est verus sensus τῷ *mercede*. Horatius L. 1. Ode 27. *Cessat voluntas? non alia bibam Mercede*. Lucanus L. 6. ubi Erichtho saga umbram suscitat militis interfecti:

Dic, inquit Thessala, magna,
Quod jubeo, mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi præstabimus ævo
Artibus Æmoniis: tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio tum carmine silvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.

hæc erat merces misero iterum reviviscendi. BROUKH. *Fracto busta piare cado*. Relliquias rogo detractas vino irrigare: vel rogum ipsum ardentem, cadavere jam exusto, restinguere. Ad quem ritum nonnulli trahunt

hos

Lygdamus uratur, candeſcat lamina vernæ.
(Senſi ego, quum inſidiis pallida vina bibi.)

Aut

hos Catulli verſiculos e Carm. 27. *Inger mi calices amariores, Ut lex Poſtumiæ jubet magiſtræ.* quod videlicet iia rogus eſſet reſtinguendus. Et propterea bibax illa Poſtumia malebat optimum vinum intra pectoris ſui penetrale recondere, quam inani officio perdere. *Fracto cado.* fortaſſe vinculis tantum cadi ſolutis, cortice dimoto, & ſigillo fracto. Tibullus Eleg. 1. lib. 2. *Chio ſolvite vincla cado.* Horatius Ode 8. lib. 3. *Hic dies, anno redeunte, feſtus Corticem adſtrictum pice dimovebit Amphoræ, fumum bibere inſtitutæ Conſule Tullo.* Aliud eſt illud Ariſtophanis, a Daniele Heinſio laudatum, de Cratino:

Ὠχρασιάσας (οὐ γὰρ ἐξηνέγκετο)
Ἰδὼν πίθον κατεγνυμένον οἴνου πλέων.

Miſere pallere cœpit (ferre enim hoc non potuit) Frangi quum videret vino plenum dolium. VULP.

v. 35. LYGDAMUS URATUR, CANDESCAT LAMINA VERNÆ] Significat Cynthia, Lygdamum veneno inſidiatum eſſe vitæ ſuæ: [propterea torqueri ac puniri jubet.] De Lygdamo Eleg. 6. lib. 3. & Eleg. 8. infra. *Candeſcat lamina vernæ*, ad vernam cruciandum. Ignes & ardentes laminæ quæſtionum ſunt ac tormentorum. Cicero Topicis: *In igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere.* Juvenalis Sat. 14.

Quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.

vide plura de hac re adnotata ad El. 1. l. 1. v. 27. *Lamina*; metallum eſt latum, quod poſtea deducitur varios in uſus. noſtri lamam vocant. ἐλασμός. Plautus Aſin. 3, 2. *Adverſus ſtimulos, laminas, cruces.* Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. (de patientia) *Rupit verbera, fidiculas laxavit, ſolvit eculeum, laminas extinxit.* Horatius Epiſt. 15. lib. 1.

Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos.

Cicero 7. Verr. *Quid quum ignes, candentesque laminæ, ceterique cruciatus admovebantur?* Lucretius lib. 3.

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ.

Vernas, inquit Nonius, appellabant eos qui vere ſacro fuerant nati, & habebantur pro maledicto. Feſtus: *Vernæ qui in villis vere nati, quod tempus, duce natura, fœtura eſt.* Ibidem ait, dictos Romanos vernas, quaſi ibidem natos. Paullus ad eum locum: *Vernæ, qui ex ancillis civium Romanorum vere nati.* Vernaculum, ac domi natum: Varro 9. de L. L. PASS. Hoc & ſequens diſtichum Scaliger loco movit, & poſt verſum 46. inferius collocavit. Voluit autem verba eſſe novæ amicæ Propertii, crudeliſſime debacchantis in ſervos Cynthiæ fideles; quæ verba Cynthia ipſa proferat μιμητικῶς. Par eſſet illud Juvenalis 6. Sat. *Pone crucem ſervo.* VULP.

v. 36. SENSI EGO, QUUM INSIDIIS PALLIDA VINA BIBI] Animadverti, ſed ſero. Sentire damni eſt, ut Eleg. 5. lib. 1. *Sentire furores. Inſidiis:* ſubaudi ex, ut Eleg. ult. lib. 3. *Ab inſidiis, Cynthia, flere ſoles.* Virgilius Ecl. 3. *Excipere inſidiis.* quod 3. Æneid. *Excipere incautum.* Sic A. Gellius lib. 12. cap. 7. *Exceptum inſidiis accidere*, veneno. Scaliger χοὰς & inferium vinum ſignificari putat, quod umbris mortuorum fundebatur, per *Pallida vina*, ſed mihi non probat. Immo *Vina pallida*, quibus pallida venena, & lurida mixta ſunt aconita. Sic Tibullus Eleg. 8. lib. 1. *Te pallentibus herbis Devovit anus.* Virgilius 4. Æneid.

Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni.

Noſter Eleg. 27. lib. 2.

Neu ſubeant labris pocula nigra tuis.
PASS.

De vino inferio intelligit Scaliger. rectius opinor de veneno Cynthiæ dato Paſſeratius; & Martinus de Roa L. 6. Singular. C. 8. BROUKH. *Inſidiis.* Lucillius apud Servium Petri Danielis: *Improviſo, inſidiiſque.* loquitur de aucupe. Cicero ad Atticum: *Marcellinum inſidiis interfectum eſt.* quod notavit Stephanus Doletus in Commentariis Linguæ Latinæ. Salluſtius B. Jugurth. c. 7. *Ubi videt, neque per vim, neque inſidiis opprimi poſſe hominem tam acceptum popularibus.* VULP.

v. 37.

Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.
Dicet damnatas ignea testa manus.

Quæ

v. 37. AUT NOMAS ARCANAS TOLLAT VERSUTA SALIVAS] Puto legendum, *At*, pro autem. *Nomas*, a patria; ut *Mysie*, *Syra*, *Lesbia*, *Geta*, *Davue*, *Lydne*. Auctor Moreti: *Afra genus*. Plinius lib. 7. H. N. cap. 2. in Africa familias ait fuisse fascinantium laudatione ipsa. *Versuta*, versipellis & saga, doctaque *nocturno fallere terga lupo*. Festus: *Versuti dicuntur, quorum mentes crebra ad malitiam vertuntur*. At Noster magicas artes, *fallaciam* vocavit Eleg. 1. l. 1. Cicero 3. de Nat. Deor. *Versutos eos appello quorum mens celeriter versatur*. Ibid. *Malitia est versuta & fallax ratio nocendi*. *Tollat*, removeat, auferat, adimat mihi, quia nocent etiam mortuæ; vel tibi, o Properti. ut Eleg. 3. lib. 2.

Differtur, nunquam tollitur ullus amor.

Beroaldus exponit, *Manifestet*, quia legit *Prodat*; & ita vet. lib. ejus. Scaliger: *Aut crucietur*, inquit, *Lygdamus: aut tollat salivas lustrales saga illa quam Lygdamus consulit*. Salivis ad expiationem utebantur. Vide Persium Sat. 2. Plinius lib. 28. H. N. cap. 2. *Alius, saliva post aurem digito relata, sollicitudinem animi propitiat*. Idem l. 2. cap. 2. Certorum hominum salivam in Hellesponto, ait, serpentum ictibus mederi. & Varronis verba ea de re Priscianus refert apud Muretum lib. 2. Var. Lect. cap. 2. Multa mira idem Plinius de saliva commemorat lib. 28. cap. 4. Beroaldus salivas venenatas mixtas vino intelligit. Ego amoris poculum propinatum Propertio, quia sequitur: *Auratâ cyclade signat humum*, videlicet, ut pellex. *Arcanas*, magicas: nam sacra magica arcana Horatio Epodo 5. quia in solitudine fiunt, & ab iis omnes arcentur. Ita *arcana taberna* Eleg. 8. infra. Si Festum audimus, arcanus sermo dicitur vel ab arce; vel a sacrificio quod in arce fiebat, maxime remoto a notitia vulgari; vel ab arca, in qua quæ clausa sunt, tuta manent. cujus ipsius origo ab arcendo pendet. Nonius: *Arcanum, secretum & absconditum, quia quæ in arcis sunt, celata sunt, & abscondita*. PASS. *Nomas*, Afra venefica, quam consulit Lygdamus de meo capite. Nomades Numidiæ populi, teste Plinio lib. 5. H. N. cap. 3. *Massylam sacerdotem*, magicis artibus instructissimam, Virgilius commemorat lib. 4. Æneid. v. 483. Fuit autem Massyla oppidum mediterraneum Cyrenaicæ regionis in Africa, prope Berenicen. VULP.

v. 38. DICET DAMNATAS IGNEA TESTA MANUS] *Testa ignea*, candens frustum vasis fictilis, ut sup. *Candescat lamina*. Aliud est Virgilio 1. Georg. *Testa ardente*; nempe lucerna fictili accensa. Auctor Rhetor. ad Herennium lib. 4. *Testam, quæ sibi petat ignem, non reliquit*. Ovidius 2. Fast.

Ara fit: huc ignem curvâ fert rustica testâ.

Testa, pro vase fictili, Horatius sæpe, & Noster pro urna posuit Eleg. 13. lib. 2. v. 32. A testa, testudo, quia testâ tectum hoc animal. *Testa* & *Testu* dixere veteres, quo utroque verbo idem significatur, quia Græci sine distinctione ὄστρακον dicunt tam amphoræ, quam testudinis. vide Charisium lib. 1. Inde *Testatim*, id est minutim: Pomponius apud Nonium. Horatius Satyr. 4. lib. 2. pro murice & ostreis:

Sed non omne mare est generosa fertile testæ.

Ignea, pro ignita; ut Horatius, *Ignea æstas*, & *Ignea chimæra*. *Dicet manus damnatas*, fateri coget, ejus manibus sceleratis mixtum mihi venenum; aut tibi, o Properti, poculum amoris. Sic Eleg. 20. lib. 1.

Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Cicero pro Cœlio: *Ne ipsa ejiciat vocem domus*. *Dicet*, dicere faciet. Ovidius 5. Fast.

Contemnunt spinam, cum cecidere rosæ.

id est, contemni faciunt. vel subauditur, *homines*. [Juvenalis Sat. 10. *Mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula*. id est, fateri cogit.] Scaliger legit: *Ducet*, filatim liquefaciet, ut fit in pingui, quod igni remittitur. *Damnatas manus*, sceleratas: sceleratæ & veneficæ; ut *humeros pios* Eleg. 1. sup. v. 44. Petronius: *Et attulissem mihi damnatas manus, si non inimici victoria invidissem*. Turnebus lib. 8. Adv. cap. 2. *Sensum*, inquit, *horum versuum puto esse; Quæstionem habe de Lygdamo, aut de*

Noma-

Quæ modo per viles inſpecta eſt publica noctes,
  Hæc nunc aurata cyclade ſignat humum.
Et graviora rependit iniquis penſa quaſillis,
  Garrula de facie ſi qua locuta mea eſt.

Noſtra-

Nameſe, quæ te amatorio veneficio nunc delinivit. ea ſi arcanas ſuas removerit ſalivas, quas clam ad incantandam mentem tuam cibo immixtas tuo adhibet, & igneâ teſtâ uratur, de ſcelere veneficii perpetrati confitebitur. Pass. Ad hoc ſupplicii genus videtur Propertius animum adhibuiſſe, quum ita Eleg. 17. lib. 2. μιμφοτικῶς:

Mentiri noctem, promiſſis ducere amantem,
  Hoc erit infectas ſanguine habere manus. V.

v. 39. Quæ modo per viles inspecta est publica noctes, Hæc nunc aurata cyclade signat humum] *Inſpecta eſt*, ut ſciretur an placeret emtori. nam inſpiciuntur merces & res venales. Horatius Sat. 2. lib. 1.

Regibus hic mos eſt, ubi equos mercantur, apertos
Inſpiciunt.

id eſt, nudos videre omnino volunt. Ergo, nuda proſtitit. Suetonius Othone c. 6. *Deinde liberto adeſſe architectos nuntiante, quod ſignum convenerat, quaſi venalem domum inſpecturus, abſceſſit.* Sic, *Inſpicere prædia*, L. *Si poſt inſpectum. De per. & com. Inſpicere domum* Ciceroni Epiſt. 15. lib. 9. ad famil. & *hortos* Epiſt. 1. & 28. lib. 13. & Plauto *Inſpicere ædes, & ſpectare*, Moſtell. act. 3. ſc. 2. & 3. *Publica*; ut Plautus Bacchid. 4, 8. *Quæ corpus publicat vulgo ſuum.* Idem Curcul. 1, 1. μιμφοτικῶς: *Nemo ire quemquam publicâ prohibet viâ.* & in Amphitr. *Corpus vulgavit ſuum.* Seneca Epiſt. 89. (Quæritur) *In his* (Didymi Grammatici quatuor millibus librorum) *an Sappho fuerit publica.* Hinc *Vulgaris uxor*, & *Corpus in vulgum dare*. *Per noctes viles*, pro, noctibus vilibus. ſic *Per arma*, Eleg. 9. lib. 3. & *per artem, per ſcelus, per dolum*. Vel noctium tempore; ut Horatius *Per dies feſtos*. ſic per tempus omne, per ævum, per ſæcula. Virgilius 2. Æneid. *Per noctem obſcurus in ulva Delitui*. *Noctes viles*, quæ parvo emuntur, quibus opponitur *nox pretioſa* Eleg. 13. lib. 3. Sic Eleg. 24.

Quare ne tibi ſit mirum me quærere viles.

id eſt, quadrantarias, quæ Plauto in Pœnulo ſcorta diobolaria. Triplex contemtus, & quod *publica*, & quod *inſpecta*, & quod *per viles noctes*. *Signat humum*, ſignum ſui relinquit humi, & cycladis veſtigia. Horatius Epiſt. ad Piſon.

Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum.

Ovidius 11. Metam. eodem ſenſu quo Propertius:

Verrit humum Tyrio ſaturatâ murice pallâ.

Cyclade. Cyclas genus veſtis muliebris, ſic a formâ dicta & rotunditate. Servius in illud 1. Æneid.

Et circumtextum croceo velamen acantho;

Cycladem, inquit, *ſignificat*. *Aurata*, auro intertexta. Virgilius 8. Æneid. *Chlamydemque auro dedit intertextam.* Alexander Severus Imperator apud Lampridium matronas regias ait contentas eſſe cyclade, quæ ſex unciis auri plus non haberet. Pass. *Inſpecta eſt*. *Inſpici* meretricum erat, quæ proſtabant venales, aut etiam ſub lenonis imperio conducticiæ. Acriter M. Seneca Controv. 2. lib. 1. in virginem a piratis captam, & poſtea quum reverſa eſſet ſacerdotium petentem: *Nuda in litore ſtetit ad faſtidium emtoris: omnes partes corporis & inſpectæ & contrectatæ ſunt.* *A. cyclade ſignat humum.* pulverem verrit ſyrmate matronali. Vulp.

v. 41. Et graviora rependit iniquis pensa quasillis] Contra Ovidius Epiſt. Deïaniræ:

Æquaque formoſæ penſa rependis heræ.

Rependis, reddis cum pondere. *Graviora penſa*. Tibullus Eleg. 3. lib. 1. *Gravibus penſis affixa puella*. Noſter Eleg. 15. lib. 3. *Famulam penſis oneravit iniquis*. ubi vide adnotata. *Quaſillis*, vaſis vimineis aptis lanificio. dicitur & *qualus* Horatio Ode 12. lib. 3. Tibullus Carm. 10. lib. 4. *Preſſum quaſillo ſcortum.* Inde Petronius: *Convocat omnes quaſillarias, familiæque ſordidiſſimam*

par-

Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula sentit anus.

Cædi-

partem. Legendus Festus in *Calathos*, & *Talassionem*; Isidorus lib. 19. cap. 29. Servius in illud Ecl. 2. *Lilia pleuis Ecce ferunt Nymphæ calathis*. Sane calathus Græcum est: nam Latine quasillum, vel qualum dicitur. Cicero Philipp. 3. *At vero hujus domi inter quasilla pendebatur aurum*. id est, inter scorta pensis affixa. Virgilius 2. Georg. *Spisso vimine qualos, Colaque prælorum*. Cato & Columella *quala* vocant, unde & *quasillos* & *quasilla* dicimus, ut a palo paxillus; a paulo, pausillus, vel pauxillus. PASS. Dominæ olim ancillis quasillariis (erat id vilissimum genus mancipiorum) opus lanificii diurnum æqua lance dispensabant: quod exacto die absolutum repetebaot, ad eamdem trutinam revocantes. At si forte infelices muliercu-læ aliquid peccavissent, pensa usitatis graviora conficere cogebantur. Juvenalis Sat. 2. v. 54.

Vos lanam trabitis, calathisque peracta refertis
Vellera,

Idem Sat. 6. v. 475. hujusmodi ancillam vocat *librariam*, a penso videlicet librando. Ut vero Propertius *quasillos iniquos*; ita *modium iniquum* dixit Aquinas poeta Sat. 14. v. 126.

Servorum ventres modio castigat iniquo.

Ita Persius Sat. 1. v. 129.

Seque aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas.

Hinc *ancillæ lanipendæ*; quas graphice describit Homerus lib. 12. Iliad. v. 433. V.

v. 42. GARRULA DE FACIE SI QUA LOCUTA MEA EST] Infra, eodem sensu:

Nec morem laudate nimis. collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.

Garrula, nimium loquax, cum suo damno; quia præstiterat tacuisse. Ovidius de Tantalo: *Hoc illi garrula lingua dedit*. Garrire avium proprie est. *Locuta de facie mea est*: me dixit ipsâ formosiorem; & est eclipsis. subauditur enim, ei, ut Eleg. 10. lib. 2.

Deiu quo primum oculos cepisti veste Properti,
Indue.

subauditur, eam. *Facie mea*; vide El. 4. sup. v. 26. PASS. Non dixit quidem me ipsâ formosiorem; ut male Passeratius: sed laudavit tantummodo. Tibullus Elegia 6. lib. 1.

Et mihi sint duræ leges, laudare nec ullam
Possim, quin oculos appetat illa meos. V.

v. 43. NOSTRAQUE QUOD PETALE TULIT AD MONIMENTA COROLLAS] Serta tulit ad sepulcrum ex more, de quo dictum ad El. 16. lib. 3. v. 24. In quæstionibus Hadriani Imperatoris, & responsis Epicteti: *Cur coronantur mortui? Quia defuncti sunt vitæ certamine*. In Vet. Epigr. p. 35. *Coronis inlatis, signisque unctis*. *Petale*, πέταλον, folium; vel lamina, sive bractea. πέταλοι, vituli, & πεταλίζειν, germinare. aptum nomen corollas ferenti. Servius: a Phyllide φύλλα dicta folia, quæ ante Petala dicebantur. *Monimenta*. enallage numerorum. Eleg. 6. sup. v. 17. PASS. *coronas* habent omnes libri, cum editionibus primis. lapis antiquus apud Janum Jacobum Boissardum: QVOTIENS. QVIS. EORVM. SVIS. CORONAS. PONENT istud *coronare* in eodem negotio legitur apud Gruterum DLX. 5. & MLXXXI. 1. τὸ *corollas* primum comparuit in exemplaribus Aldinis. quod tamen ipsum non est malum. & habuit fortasse ille idoneos libros, quos auctores sequeretur. Sed nos, quamvis in re pusilla, veterem lectionem malumus revocare. Ba.

v. 44. CODICIS IMMUNDI VINCULA SENTIT ANUS] Adstricta est & alligata codici. *Anus*. παλαιός ab ætate, ut infra v. 73. *In tremulis annis*. unde dicta Anus est apud Festum in *Anus*. *Sentit*, patitur. vide v. 36. sup. hic. *Vincula codicis*, ut Eleg. 5. sup. *Capilli vincula*. Turnebus lib. 23. Adv. cap. 20. πεντεσύριγγον ξύλον, robur, vel codex vel cippus, cui manus & pedes inserebantur, caputque: & a robore diversum scribit, quum id sit ligneus stipes, quem alligati servi trahebant, cuique insidebant vincti, qualis solet adnecti simius. Juvenalis Sat. 2.

Horrida quale facit residens in codice pellex.

ubi Interpres: *Magno odio habetur apud uxorem ea quæ domino miscetur. Ergo hanc insequens gravioribus pœnis domina, catena vin-*

ctam

Cæditur & Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meæ conflavit imaginis aurum,
Ardenti e nostro dotem habitura rogo.

Non

ftam infigit coditi, atque ita jubet facere pensa. Alii, inquit ibidem Turnebus, putant idem esse quod Cicero de Lacedæmoniis dixit, *In robore accumbere*. Alii distinguunt, ut robur sit carceris, codex privatarum ædium. Plautus Pœnul. 5, 3. *Quot ego jam detrudam ad molas. Inde porro ad puteum, atque ad robustum codicem*. *Codex*, vulgo, *un billot*. Seneca de Brevitate vitæ, Claudium eum qui primus Romanis persuasit navem conscendere, Caudicem cognominatum scribit, quia caudex sit plurium tabularum contextus. Inde *Caudicariæ naves*, Festo: & *Codicariæ* Varroni apud Nonium. Isidorus lib. 7. cap. 5. *Codex* (in vitibus) *quasi condex, ut Clodius pro Claudo*. Idem lib. 6. *Codex, multorum librorum est: liber, unius voluminis. Immundi*, tætri, horridi, situ & squallore obsiti; ut Eleg. 5. sup. v. 45. *Immundo situ*. PASS. Exposuit primus Janus Parrhasius Epist. 12. BROUKH.

v. 45. CÆDITUR ET LALAGE TORTIS SUSPENSA CAPILLIS] Lalage nomen est puellæ apud Horatium Ode 22. lib. 1. Ode 5. lib. 2. λαλαγὴ, vox, sonus, & λαλαγήτης, nugator, παρὰ τὸ λαλεῖν. *Cæditur suspensa*, pendens verberatur. Sic apud Plautum Amphitr. 1, 1. & Asin. & Capt. sæpe. In Pseud. 1, 5. *Pendeans gestores linguis, auditores auribus*. Terentius Phorm. *Ego plectar pendens*. Idem Eun. *Tu jam pendebis*. *Tortis capillis*. Non ad formam solum, sed etiam ad pœnam dati mulieribus capilli; quibus rapiantur, alligentur, suspendantur. Ovidius 15. Metam.

Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis.

Plautus Menæchm. 5, 2. *Capillo de curru decipis*. & apud Propertium Eleg. 15. l. 3. Dirce trahitur religata crinibus. *Tortis*, implexis in modum funis: vide Pausaniam p. 475. unde *Funem torquere*; Eleg. 3. sup. Sic Seneca Troad. *Quum ferox læva manu* (ita lego) *Coma reflectens regium torta caput Alto nefandum vulneri ferrum abdidit*. Aliter Martialis de Spectac.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

[nempe crispis ob nimiam siccitatem regionis & calorem.] Errat Beroaldus, qui exponit, Lalagen per capillum trahi. quo enim istuc foret, *Cæditur suspensa?* PASS.

v. 46. PER NOMEN QUONIAM EST AUSA ROGARE MEUM] Orare te, vel illam, per Cynthiam. Sic Eleg. 8. infra: *Geniumque meum prostratus adorat*. *Per nomen*, ut Eleg. 5. lib. 1. *Per dominæ Junonis conscia jura*. *Nomen*, ut Eleg. 17. lib. 1.

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen.

PASS.

v. 47. TE PATIENTE MEÆ CONFLAVIT IMAGINIS AURUM] Flando liquefecit imaginem meam auream, ut in aliam mutaret formam. Virgilius 1. Georg.

Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

Suetonius Aug. cap. 52. *Conflare statuas argenteas*. Plinius lib. 7. H. N. cap. 56. artem eam vocat *Conflaturam*, quam ait a Cadmo repertam. *Conflare*, Χωνεύειν. *Imaginis aurum*, ut Eleg. 1. sup. *Tunc animi venere Deci*. id est, Decius animosus. El. 4. sup. *Cubile regni*, regium. Eleg. 20. lib. 2. *Error Herculis*, Hercules errans. De more ejusmodi imagines servandi Statius lib. 2. Silv. in Genethl. Lucani: *Et solatia vana subministrat Vultus, qui simili notatus auro Stratis prænitet, incubatque somno*. Idem 3. Silv. in Lacrimis Etrusci: *Fulvum vultus imitabitur aurum*. ubi plura de cultu imaginum. Legendus idem lib. 5. Silv. in Abascantii pietate. Juvenalis Sat. 11.

Perituram arcessere summam
Lancibus oppositis, vel matris imagine fracta.

Ubi Interpres: *Argentum vendet, aut matris imaginem, si in auro picta est, aut in argento*. Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 6.

Non tamen insector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
Tergeminumque canem: sic mihi molle sonet:

Me

Effigiemque meam fulvo complexus in auro. (anuli.)
vide & Senecam Consol. ad Marciam cap. a. *Te patiente*; te & sciente & sinente; quum prohibere posses. Culpâ autem caret, qui scit, sed prohibere non potest. L. *Culpa*, *de Reg. jur.* Catullus Carm. a9. *Quis hoc potest videre? quis potest pati? Cinæde Romule, hæc videbis & feres?* Terentius Adelph. *Eho, scis, & patere?* Cicero l. 13. ad Attic. Epist. 26. *Cur pateris? inquam. mala enim ita dicere quam cur committis?* Unde *Admittere*, id est, pati fieri. Donatus. Pass. *M. conflavit imaginis aurum*. Seneca lib. de Constantia Sapientis: *Cœlestia humanas manus effugiunt, & ab his qui templa diruunt, aut simulacra conflant, nihil divinitati nocetur.* Vulp.

v. 48. Parthenie ex nostro dotem habitura rogo] De Parthenie vide adnotata infra hic v. 74. Alii libri habent, *Ardenti*, pro Parthenie, recte. sic Tibullus Eleg. 4. lib. a. *Ardentem flebitur ante rogum.* Scaliger legit *Ardeat ex nostro.* Alludit autem ad proverbium: *E flamma cibum petere*: Terentii Eun. Catullus Carm. 59. *Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis Vidistis ipsa rapere de rogo cœnam.* Ovidius in Ibin:

Et qui debuerat subitas extinguere flammas,
Is prædam medio raptor ab igne petit.

Invidiose ergo & sordide, *Dotem e rogo*; quia ei debebatur illa imago aurea, ut pretiosissima quæque cremari solebant; qua de re dictum ad Eleg. 5. sup. Pass. Aliud est apud Ovidium a3. Metam. v. 523. de Polyxena:

At (puto) funeribus dotabere, regia virgo.

Dotem habitura erat nova Propertii amica ex ardenti Cynthiæ rogo, quod ejus favillâ adhuc tepente, spolia ipsius & mundus muliebris in ornatum pellicis paullatim concedebant. Vulp.

v. 49. Non tamen insactor, quamvis mereare, Paoperti] Non te exagito, non tibi insulto. ut Eleg. 8. lib. 2.

Exagitet nostros manes, sectetur & umbras.

A. Gellius tamen lib. a. cap. 9. *Non modo hanc non sectatur, sed etiam insectatur.* Plautus Captiv. *Hostis insectatus est patrem & matrem.* Ibid. *Vos insectabit lapidibus.* Horatius Epist. 1. lib. a.

Non equidem insector, damnandaque carmina Livi
Esse reor.

& Sat. 7. lib. a.

Tu quum sis quod ego, & fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior.

id est, objurges. *Mereare.* dignus sis increpatione. Eleg. 8. lib. 1. *Quocumque modo de me, perjura, mereris.* Pass.

v. 50. Longa mea in liaris regna fuerr tuis] Regnavi diu & principatum tenui in versibus tuis. Eleg. ult. lib. 3.

Quinque tibi potui servire fideliter annos.

Regna. vide quæ adnotavi ad Eleg. 1. sup. v. 10. Scitum illud Socratis apud Laërtium in vita Aristotelis, τὸ κάλλος (esse) ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα: & Carneadis, ἀδορυφόρητον βασιλείαν. *In libris*, versibus. infra hic v. 77. Tres libros commemorat Eleg. 13. lib. a. Pass.

v. 51. Juro ego fatorum nulli revocabile carmen] *Jure carmen & per carmen*. ut Eleg. 15. lib. 1. *Hos tu jurabas.* & El. 20. lib. a. *Ossa tibi juro per matris.* *Carmen fatorum*, fata ipsa, quæ cani dicuntur, & quæ hexametris etiam versibus continebantur. Catullus Carm. 63. de Parcis:

Talia divino fuderunt carmine fata.

Tibullus Eleg. 5. lib. a. de Sibylla:

Abdita quæ senis fata canit pedibus.

Jura carmen fatorum. Virgilius: *Fata per Æneæ juro.* *Carmen fatorum*, ut sup. v. 47. *Imaginis aurum.* Vet. lib. *Stamen*; ut Horatius dixit: *Sororum Fila trium patiuntur atra.* *Revocabile nulli*, quod revocare & irritum

ritum

ritum facere nemo poteſt. revocantur enim quæ redire jubentur, ut præterita: at fata porro ſemper pergunt. Horatius Epiſt. 18. lib. 1.

Et ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum.

Cicero lib. 1. ad Q. fratrem Epiſt. 2. *Iracundus ſcripſeram, & revocare cupiebam*. Sed editio Beroaldi habet *Revolubile*, quod magis placet; nam *volvere* Parcarum eſt; ut 1. Æneid. *Sic volvere Parcas*. Ibid.

Longius & volvens fatorum arcana movebo.

& 3. Æneid. *Sic fata deûm rex Sortitur, volvitque vices*. Inde & Atropos dicta. PASS. Hanc lectionem confirmant illa Tibulli L. 1. Eleg. 8. (7.)

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli diſſoluenda deo.

Papinius quoque L. 7. Theb. *Immites ſcis nulla revolvere Parcas Stamina*. Idem 6. Theb. vocat *inexorabile penſum*. Joſephus Iſcanus L. 6. v. 661.

Venerat extremi revoluto ſtamine penſi
Fatorum promiſſa dies.

In Senecæ Hercule furente, v. 559. ubi nunc legitur, *Evincat utinam jura fera Stygis, Parcarumque colos non revocabiles;* poteſt ut olim fuerit *colos non revolubiles*. BROUKH. F. *nulli revocabile carmen*. Scriptoribus optimis, Livio cum primis, *carmen* eſt formula quædam legis, pœnam delinquentibus prænuntians. Lib. 1. *Lex horrendi carminis hæc erat: Duumviri perduellionem judicent*, &c. Idem lib. 10. *Jurare cogebatur quodam carmine in exſecrationem capitis, & ſtirpis compoſito*. Cicero etiam lib. 2. de Legib. *Diſcebamus enim pueri duodecim* (i. e. XII. Tabulas) *ut carmen neceſſarium: quas jam nemo diſcit*. De Parcis Ovidius 8. Metam. v. 455. in Fab. Meleagri: *Quo poſtquam carmine dicto Exceſſere deæ*, &c. Idem lib. 5. Triſt. Eleg. 3.

An dominæ fati quidquid cecinere ſorores,
Omne ſub arbitrio deſinit eſſe Dei?

Horatius Carm. Sæc. *Voſque veraces ceciniſſe Parcæ Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum Terminus ſervat*. Quamobrem poetæ *canere* pro *minari* nonnumquam uſurpant. Tibullus Eleg. 6. lib. 1. de ſacerdote Bellonæ:

Et canit eventus quos dea magna monet.
Parcite, quam cuſtodit Amor, violare puellam,
Ne pigeat magno poſt didiciſſe malo.
Attigerit, labentur opes, &c.

Propertius vero Eleg. ult. lib. 3.

Hæc tibi fatales cecinit mea pagina diras:
Eventum formæ diſce timere tuæ.

Interdum *carmen* eſt narratio quælibet. Ovidius lib. 6. Metam. v. 581. in Fab. Philomelæ:

Evolvit veſtes ſævi matrona tyranni,
Germanæque ſuæ carmen miſerabile legit.

VULP.

v. 52. TERGEMINUSQUE CANIS SIC MIHI MOLLE SONET] Vide adnotata de Cerbero ad v. 23. & 45. Elegiæ 5. lib. 3. *Tergeminus canis*, ut *Tergeminus Geryon*, *Septemgeminus Nilus*, *Centumgeminus Briareus*. ubi geminus pro ſimplici. *Sic*. ut *Juro* eſt affirmantis, ita *ſic* optantis. Eleg. 3. ſup.

Tua ſic domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes haſta ſequatur equos.

Molle ſonet, leniter allatret. De hac veterum ſuperſtitione vide notata ad Eleg. 5. ſup. v. 3. & 4. *Molle ſonet*, ut Ovidius 6. Faſt. *Ad ripas lene ſonantis aquæ*. Sic Statius Epicedio in Patrem lib. 5. Silv. *Acclivis tumulo quo molle quieſcis*. & 1. Theb. *Qua molle ſedens in plano Cithæron Porrigitur*, & 6. Theb. *Non ſibi molle ruenti, Hippomedon*. Perſius Sat. 3.

Candida vicini ſubriſit molle puella.

Similia ſunt, *Vana tumere*, *Acerba tueri*, *Horrendum intonare* Virgilii: *Turbidum lætari* Horatii: *Querulum ſpirare*, *Acerbum tuſſire*, *Blandum prurire* Martialis. PASS. *Tergeminuſque canis*. dixerat verſu ſuperiore *Jura ego* &c. ideo amplector correctionem Nic. Heinſii, legentis *Tergeminumque canem*. *ſic mihi molle ſonet*. immanem illum Orci janitorem ſupra modum horrebant veteres illi. qui tamen remittere aliquid nonnumquam de ſuo furore, & gratiam facere credebatur Manibus piorum. vide Senecam Herc. fur. v. 793. ubi pugna Alcidæ cum Cerbero, Statium L. 2. Silv. 1. item L. 5. Silv. 1. & 3. Martialem L. 5. Epigr. 35. Apulejum L. 6. Metam. denique priſcis illis nulla meritorum parte minorem M. Antonium Flaminium, tenerrimi oris poetam, Carm. L. 4. Epigr. de Hyella mortua, quod incipit: *Quum miſera ante diem*. BROUKH.

Me ſervaſſe fidem. ſi fallo, vipera noſtris
  Sibilet in tumulis, & ſuper oſſa cubet.
Nam gemina eſt ſedes turpem ſortita per amnem,
  Turbaque diverſa remigat omnis aqua.

Una

v. 53. ME SERVASSE FIDEM. SI FALLO, VIPERA NOSTRIS SIBILET IN TUMULIS, ET SUPER OSSA CUBET] Contra ſæpe arguit Cynthiam perfidiæ. *Servaſſe fidem*, fidelem tibi fuiſſe. Virgilius 2. Æneid. *Servataque ſerves Troja fidem*. & 4. Æneid. *Non ſervata fides*. *Si fallo*, ſi mentior. Eleg. 15. lib. 1. *Jurabas, ſi quid mentita fuiſſes*. Formula eſt, *Si ſciens fallo*, de qua vide adnotata ad Eleg. 20. lib. 2. v. 16. Ovidius 5. Faſt.

Sive ego te feci teſtem, falſove citavi
  Non audituri numina vana Jovis:
Sive deum prudens alium, divamve fefelli.

Vipera ſibilet in tumulis. Imprecatio, ut Eleg. 5. ſup. v. 1. *Spinis obducat terra ſepulcrum*. Bene *Vipera in tumulis*: nam, ut Plinius lib. 8. H. N. cap. 39. *Serpentium viperæ ſola terrâ dicitur condi, ceteræ arborum, aut ſaxorum cavis*. Horatius Epodo 16. *Nec intumeſcit alta viperis humus*. Contra tamen Ariſtoteles l. 8. Hiſt. Animal. c. 5. *Viperam ſub petris condi, terrâ ceteras ſerpentes*. De Viperis Plinius H. N. lib. 10. c. 62. *Sibilet*; nam ſibilus ſerpentium eſt. Eleg. 8. infra:

Jejuni ſerpentis honos quum pabula poſcit
  Annua, & ex ima ſibila torquet humo.

Et ſuper oſſa cubet. Sic Virgilius 6. Æneid. de Cerbero:

Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento. P. *Si fallo*. Eleg. ult. infra:

Si fallo, pœna ſororum
  Infelix humeros urgeat urna meos. VULP.

v. 55. NAM GEMINA EST SEDES TURPEM SORTITA PER AMNEM, TURBAQUE DIVERSA REMIGAT OMNIS AQUA] Duplex habitatio, & via, piorum, & impiorum, de qua Cicero 1. Tuſc. Plato in Phædone, & in Gorgia, & Salluſtius in Catilina. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Sed me, quod facilis tenero ſum ſemper Amori,
  Ipſa Venus campos ducet in Elyſios, &c.

mox vero:

At Scelerata jacet Sedes in nocte profundâ
  Abdita, quam circum flumina nigra ſonant.

Lege Lactantium lib. 6. Div. Inſt. cap. 3. & 4. *Nam*, pro autem, ut Eleg. 1. ſup. v. 139. τὸ *Gemina*, aut refertur ad *Turba*: Turba gemina eſt ſortita ſedes, ut El. 3. lib. 3.

Diverſaque novem ſortitæ rura puellæ:

vel legendum *Geminas*: Turba ſortita eſt geminas ſedes, & nacta. vel ſi retinemus *Gemina ſedes ſortita*, erit, ſorte data. παθητικῶς. ut Virgilius 6. Æneid.

Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes.

Sed longe alio ſenſu Eleg. ult. infra: *Sortita pila*, παθητικῶς, ſorte educta. Non rejicienda tamen altera lectio:

Nam gemina eſt ſedes turpem partita per amnem.

id eſt, diviſa medio, & interjecto Acheronte. *Partita* παθητικῶς, ut Eleg. 9. infra:

Per tria partitos qui dabat ora ſonos.

Confirmat hanc lectionem Horatius Ode 13. lib. 2. *Quam pene furvæ regna Proſerpinæ, Et judicantem vidimus Æacum, Sedeſque diſcretas piorum!* & Virgilius 6. Æneid.

Hic locus eſt partes ubi ſe via findit in ambas.

Per turpem amnem. Acherontem ſignificat, aut Cocytum, aut Styga, ubi informis limus. Virgilius 6. Æneid. de Acheronte:

Turbidus hic cœno, vaſtaque voragine gurges.

Turpis amnis. Contra Eleg. 20. l. 2. *Formoſis incumbens neſcius undis*. *Turba*, multitudo umbrarum, ut ſæpe Virgilius 6. Æneid. Horatius quoque Ode 10. lib. 1. *Virgaque coërces Aurea turbam*. quem & *nigrum gregem* idem vocat. Albinovanus ad Liviam:

Fata manent omnes, omnes exſpectat avarus
  Portitor, & turbæ non ſatis una ratis.

Remi-

Una Clytæmneſtræ ſtuprum vehit, unaque Creſſæ
  Portat mentitæ lignea monſtra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaſelo,
  Mulcet ubi Elyſias aura beata roſas:

Qua

Remigat, remorum ducit forte vices, ut Noſter loquitur Eleg. 22. lib. 3. Aliter Eleg. 6. ſup. *Claſſe remigat*. De remigatione animarum vide Eleg. 27. lib. 2.

Jam licet & Stygia ſedeat ſub arundine remex.

Diverſâ aquâ, per quam in diverſas ſedes ìtur. Sic Cato apud Salluſtium in Catil. *Diverſo itinere malos a bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidoloſa habere*. Diverſum proprie de via, ut divertere, diverticulum, & divortium. etiam de aquis dicitur, ut hìc. PASS. *quæſita per annem* noſtri libri habent, & Groninganus, cum Borrichiano. quæ lectio non eſt inſuper habenda: quum *ſedes quærere* pure dicatur ac Romane. - - - - De gemina ſede inferorum pulchre Sophocles:

Avarus Orcus ſemitas binas habet,
Unam bonis, ſed alteram partam malis.

Turbaque d. r. a. a. navigat eſt in omnibus membranis. tamen *remigat* habent primæ editiones, nondum paſſæ correctorum malas manus. ego ſane hoc malim præ illo: nam ipſe animæ ſedebant ad remos: Charon autem clavum regebat, & velis miniſtrabat. v. Virgilium L. 6. Æneid. item eximium lapidem in præſtantiſſimo Inſcriptionum Gruteri corpore, MCXXIII. 7. plura Lucianus in Dialogis mortuorum. BROUKH. *Gemina eſt ſedes*. Quidni dicamus, *geminam ſedem*, eſſe duas rates, ubi ſedeant animæ remigantes, unam quæ impios, alteram quæ pios vehat ad loca deſtinata? ut ſtatim ſequenti verſu. VULP.

v. 57. UNA CLYTÆMNESTRÆ STUPRUM VEHIT, ALTERA CRESSÆ PORTAT MENTITÆ LIGNEA MONSTRA BOVIS] Una, inquit, aqua vehit Clytæmneſtram impudicam & ſtupratam, altera Paſiphaën. *Stuprum Clytæmneſtræ*, ut *Libido Martis* Eleg. 32. l. 2. v. 33. & ſup. *Imaginis aurum*. De Clytæmneſtra vide Eleg. 19. lib. 3. v. 19. & 20. *Altera*. editio Beroaldi: *Atraque*. *Atra monſtra*, tætra & fœda. An atra aqua ipſa? Aliàs legitur & *Albaque*; ut alba vacca albo tauro jungeretur. *Portat*; ſic El. 18. lib. 3.

Huc animæ portent corpus inane tuæ.

Bovis mentitæ lignea monſtra. hypallage & enallage numerorum, pro portat ſtuprum monſtri lignei, mentiti bovem; quia ſimulacro ligneo vaccæ incluſa Paſiphaë a Dædalo. *Mentiri bovem*, ut Eleg. 18. lib. 2.

Quæ mentita ſuas vertit inepta comas.

Virgilius Ecl. 4.

Nec varios diſcet mentiri lana colores.

Hæc fabula explicata eſt ad Eleg. 19. lib. 3. v. 11. PASS. Iſtud *altera* huc irrepſit e diſticho ſequente. viri docti quum viderent ſententiam pravo talo fultam claudicare; ſuppoſuerunt pars *atraque*, pars *albaque*; & medicinâ intempeſtivâ perfecerunt ut ne plaga haberet melius. legendum omnino cum Livinejo *unaque Creſſæ*. eadem cymba portat Clytæmneſtram, eademque Paſiphaën vehit. nihil ſimplicius, nihil verius. neque encliticon *que* fruſtra additur: nam ſic oſtendit poeta, plures alias adulteras eâdem iſta via deportari. quem particulæ uſum bene obſervavit doctiſſimus Servius ad L. 8. Æn.

Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam.

dicendo, inquit, ET *oſtendit multa alia eſſe depicta*. BROUKH.

v. 59. ECCE CORONATO PARS ALTERA VECTA PHASELO] *τὸ Ecce* in re inopinata & mira. ut Eleg. pænult. lib. 3.

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ.

ſed illic de appulſu navis, at hìc de ipſa profectione. Virgilius 4. Æneid.

Undique convenere, vocat jam carbaſus auras,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

De phaſelo vide adnotata ad Eleg. 21. lib. 3. v. 20. & *Honoratæ aquæ* dicuntur Eleg. ult. infra, per quas piæ animæ vehuntur. PASS. *pars altera parta phaſelo*. *vecta* unus Regius; unus Colbertinus; Groninganus; noſter ſecundus. neque aliter editiones

ſince-

Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

Andro-

sinceriores. BROUKH. De vehiculis mortuorum mentio apud Platonem in Phædone p. 113. Edit. Serrani tomo 1. VULP.

v. 60. MULCET UBI ELYSIAS AURA BEATA ROSAS] Leniter afflat lenis & secundus Zephyri flatus, vel aura beatorum camporum. nam *mulcere*, mollire & lenire. unde *Mulciber* a molliendo ferro, inquit Festus. Catullus Epithalam. *Flos, quem mulcent auræ*. Ovidius 1. Metam.

Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

Servius in illud 8. Æneid.

Assuetæ ripis volucres, & fluminis alveo
Æthera mulcebant cantu.

id est, lenibant, inquit. *corporalia sunt elementa, & non mulcetur nisi quod corporale est*. *Rosas Elysias*, quæ sunt in campis Elysiis, ubi ver æternum. Tibullus Eleg. 3. lib. 1. de hac re:

Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

Servius in illud 5. Æneid. *Sed amœna piorum Concilia, Elysiumque colo: Elysium est*, inquit, *ubi piorum animæ habitant post corporis animæque discretionem. unde & interitus dicitur eos inter animam & corpus veniens. Ergo Elysium ἀπὸ τῆς λύσεως*. Quod secundum poetas in medio inferorum est, suis felicitatibus plenum: ut *Solemque suum, sua sidera norunt*. Secundum philosophos Elysium est insulæ fortunatæ, quas ajunt inclytas esse Homeri carminibus; quarum descriptionem Pius commentator dicit esse sublatam. Secundum theologos, circa lunarem orbem, ubi jam aër purior est. unde ait ipse Virgilius, *Aëris in campis*. Horum camporum mentio apud Homerum Odyss. lib. 4. Vide Plutarchum in Sertorio, & in Consolat. ad Apollonium, ex Pindaro, ubi rosarum & florum mentio: Horatium quoque Epodo 16. Strabo initio l. 1. ex illis Homeri versibus Elysium campum, & fortunatas insulas ad Hispaniam locat. PASS.

v. 61. QUA NUMEROSA FIDES, QUA QUÆ ATTUA UNDA CYBELLES] Turnebus lib. 23. Adv. cap. 7. Lipsius lib. 2. Antiq. Lect. cap. 20. & Palmerius agnoscunt hanc lectionem:

Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybelles.

Fides numerosa; aut enallage numerorum, pro fides numerosæ, & chordæ canoræ; aut *fides*, fidis; pro lyra. M. Tullius in Arateis: *Cedit clara fides Cyllenia*. Ovidius 5. Fast. de Mercurio:

Inventor curvæ, furibus apte, fidis.

Id est, lyræ. ita a Columella dicitur, a Plinio & A. Gellio *fidicula*. Cicero 2. de Nat. Deor. *Quid? si platani fidiculas ferrent numerose sonantes, idem scilicet censeres, in platanis inesse musicam?* Lege:

Si platani fidiclas ferrent numerosa sonantes.

Sic Priscianus lib. 3. f. 292. p. 2. Festus: *Fides genus citharæ, quod tantum inter se chordæ ejus, quantum inter homines fides, concordent. cujus diminutivum fidicula est*. Agrœtius: *Fides, de fidelitate dicitur: fidis, de chorda. Numerosa fides, quæ eloquitur numeris septem discrimina vocum*, & numerose sonat. Virgilius 10. Æneid.

Cui carmina semper,
Et citharæ cordi, numerosque intendere nervis.

Cicero 2. de Orat. *Numerosum in sonis & vocibus dicitur quod habet quasdam impressiones, & quod metiri possumus intervallis imparibus*. Ibid. *Numerosa oratio*, & *Numerose cadere*. Nostri *Cadentias* vocant. *Numerosus*, εὔρυθμος. Numerosa oratio, ῥυθμικὸς λόγος. De modis & numeris vide adnotata ad El. 22. lib. 2. *Seu varios incinit ore modos*. *Æra rotunda Cybelles*, Turnebus loco ante dicto interpretatur cymbala, quæ ærea fuisse Virgilius docet, quum ait 4. Georg.

Tinnitusque cie, & Matris quate cymbala circum.

Vide adnotata ad Eleg. 17. lib. 3. v. 34. & 35. *Rutunda*. vetus scriptura, ut in Varrone lib. 2. de R. R. cap. 7. Semirotunda erant cymbala & similia foliis cotyledonis herbæ, ut ex Scribonio Largo refert Turnebus. An legendum, *Æra recurva Cybelles?* id est, cornua æris flexi, vel tibia adunca. P. Nu-

Andromedeque, & Hypermneſtre ſine fraude maritæ
Narrant hiſtoriæ pectora nota ſuæ.

Hæc

Numeroſa fides . Ovidius Epiſt. Oenones :

Me fide conſpicuus Trojæ munitor amavit .

nimirum Apollo κιθαριστὴς præſtantiſſimus . Eidem Ovidio lib. 4. Triſt. Eleg. ultima *Horatius numeroſus* dicitur, quia *Romanæ fidicen lyræ* , ut ipſe de ſe ait Ode 3. l. 4. VULP.

v. 62. MITRATISQUE SONANT LYDIA PLECTRA CHORIS] Cybele & Bacchus juncti ; ut Eleg. 17. lib. 3. *Lydia plectra* , lyræ cum harmonia Lydia. Legendus Ariſtoteles l. 8. Politic. de muſica Lydia flebili & querula . item Plato lib. 3. de Rep. & Athenæus lib. 14. ex Heraclide Pontico . Appulejus lib. 1. Florid. de Antigenida tibicine : *Seu tu velles Æolium ſimplex ; ſeu Aſium varium ; ſeu Lydium querulum ; ſeu Phrygium religioſum ; ſeu Dorium bellicoſum* . Apud Lucianum in Harmonide , Phrygiæ harmoniæ τὸ ἔνθεον, id eſt , animorum divina concitatio tribuitur : Lydiæ τὸ βακχικὸν : Doriæ τὸ σεμνὸν : Ionicæ τὸ γλαφυρὸν . *Sonant plectra choris* ; percuſſis fidibus ſonum excitant . Horatius Ode 13. lib. 2. *Et te ſonantem plenius aureo , Alcæe , plectro* . *Sonant choris* cum tertio caſu . Varro apud Nonium : *Tibi tympana , Mater deûm , tonimus* . *Mitratis* : nam chori Lydorum , & Phrygum , & Bacchantium mitrati . De mitra vide ad Eleg. 2. ſup. v. 31. PASS.

v. 63. ANDROMEDEQUE , ET HYPERMNESTRE SINE FRAUDE MARITÆ NARRANT HISTORIÆ PECTORA NOTA SUÆ] De Andromede v. Eleg. 3. lib. 1. v. 3. & 4. *Hypermneſtre* . Alii libri . *Hypermneſtra* , ut *a* ſit δίχρονον , quomodo Eleg. 14. lib. 2.

Nec ſic Electra , ſalvum quum aſpexit Oreſtem .

Fabula eſt Eleg. 1. lib. 2. v. 67. De eadem Apollodorus copioſiſſime lib. 2. Fuit & alia Hypermneſtra Theſtii filia eidem Apollodoro , & Hygino : ſed nihil ad hanc . *Maritæ* . Mariti & Maritæ , ut Viri & Viræ , Feſto in *Quirquetulanæ* . ſic Pueri & Pueræ . Horatius Epodo 8. *Nec ſit marita quæ rotundioribus Onuſta baccis ambulet* . Catullus Carm. 66.

Poſtquam eſt porrecto facta marita ſene .

Ovidius 2. Faſt. in comparatione Romuli & Auguſti :

Tu rapis , hic caſtas duce te jubet eſſe maritas .

Sine fraude , ſine culpa , pudice . Eleg. 20. lib. 2.

Quidve mea de fraude deos inſana fatigat?

& Eleg. 6. lib. 3.

Iram , non fraudes eſſe in amore meo .

Aliter Horatius in Carm. ſæcul. *Per ardentem ſine fraude Trojam* . Veteres etiam *Se fraude* , & *ſe frude* dixerunt : In Vet. Inſcr. *Narrant* . de illis heroidum narrationibus Eleg. 28. lib. 2.

Narrabit Semele , quo ſit formoſa periclo .

Pectora nota ſuæ hiſtoriæ . hypallage , pro , hiſtoriam notam pectoribus ſuis , id eſt , ſibi . Sic Plautus Amphitr. *Scio illud quam doluerit cordi meo* . Ennius : *Quem credidit eſſe meum cor* . Virgilius Ecl. 1.

Quam noſtro illius labatur pectore vultus .

Noſter Eleg. 1. lib. 1. *Non ſani pectoris auxilia* . Liber Scaligeri , *Corpora* . quod probat . at aliud eſt corpus hiſtoriæ , ut Ciceroni dicitur *Corpus orationis* , & *Corpus defenſionis* . *Hiſtoriam ſuam* , ſuos caſus , & quæ ſibi contigerunt vivis ; ſuas lacrimas . Sic Eleg. 22. lib. 3.

Famam , Roma , tuæ non pudet hiſtoriæ .

id eſt , rerum a te geſtarum . PASS. *Hypermneſtre* . noſtri , & Groninganus , ſemper ſcribunt *Hypermneſtre* , de cujus ſcripturæ ratione alibi dictum eſt . *Hypermneſtre* ſcribit etiam vetus Horatii interpres Helenius Acro ad L. 3. Od. 11. & Servius ad L. 7. Æn. v. 631. ex Caſſio Hemina . *hiſtoriæ corpora nota ſuæ* . hæc eſt lectio Scaligeri , cujus liber *pectora* habebat . ſane *pectora* eſt in Regg. Colbert. Groningano , ac noſtris . Livincjus malebat *pignora* , quod & Schotto placuit L. 2. Obſerv. C. 57. mihi videtur ſana eſſe membranarum ſcriptura . *pectora hiſtoriæ ſuæ nota* ſunt affectus ſui , ſui mariti , celebres illi & toto orbe noti . Hæc de Lynceo ſuo narrat , illa de ſuo Perſeo . certe *pectus* ea notione non infrequens eſt bonis ſcriptoribus . Virgilius L. 2. Æneid. *Juvenes*

Hæc ſua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida ſaxa manus.
Narrat Hypermneſtre magnum auſas eſſe ſorores:
In ſcelus hoc animum non valuiſſe ſuum.

Sic

nos fortiſſima fruſtra Pectora. Martialis L. 9. Epigr. 15.

Hunc, quem cœna tibi, quem menſa paravit amicum,
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?

BROUKH. Editio princeps, *Hypermeſtra*; & mox, *pectora*. Si legamus *corpora*, ut Scaligero placet, ſignificare poterit ſummam geſtorum ſuorum. *Corpus* pro ſumma doctrinæ dixit Lactantius lib. 7. cap. 7. quod in calce ejuſdem capitis *ſummam* appellavit. Σῶμα πίςεως, *corpus probationis* dixit Ariſtoteles 1. Rhetoric. cap. 1. In Epiſtola Senatûs Populique Abderitani ad Hippocratem legimus: Ἑλλάς ὅλη ἐςαι σῷ φυλάξαι σῶμα σοφίης. Fortaſſe legendum pudenti ac minima mutatione:

Narrat et hiſtoriæ corpora nota ſua.

id eſt, pulchritudinem corporum ſuorum hiſtoriis pervulgatam. Confirmant hanc meam conjecturam verba Corn. Nepotis initio Vitæ Pelopidæ: *Pelopidas Thebanus, magis hiſtoricis, quam vulgo notus.* VULP.

v. 65. HÆC SUA MATERNIS QUERITUR LIVERE CATENIS BRACHIA, NEC MERITAS FRIGIDA SAXA MANUS] τὸ *Hæc* debuit ex uſu ſermonis ad verbum proximius referri, ſcilicet *Hypermneſtre*: ſed refertur ad remotius, *Andromedæ*. vide adnotata ad El. 14. lib. 3. v. 18. *Maternis catenis*, quas mater Caſſiope potius meruerat. Eleg. 22. lib. 3.

Non hic Andromedæ reſonant pro matre catenæ.

Livere brachia, plumbeum colorem ducere. Sic Horatius Ode 8. lib. 1. *Neque jam livida geſtat armis Brachia.* Albinovanus ad Liviam:

Aſpiciam regum liventia colla catenis

Sua maternis. ita lib. M. & Palmer. & Lipſ. e conjectura l. 2. Antiq. Lect. c. 20. Aliàs legebatur: *Hæc ſumma æternis.* *Nec*, diſſolvendum in Et non, ut Eleg. 5. ſup.

Qui verſus, Coæ dederis nec munera veſtis.

Nec meritas frigida ſaxa manus, indignas quæ ad rupem frigidam adſtringerentur. Eleg. 15. lib. 3.

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.

Frigida ſaxa, ut Eleg. 18. lib. 1. *Frigida rupes.* *Duras cautes* vocat Eleg. 3. l. 1. & Ovidius 4. Metam. PASS. Lipſii & Scaligeri divinationem firmat bonus ille codex Groninganus, in quo plane ita perſcriptum eſt. & merito recepit Gebhardus. *catenas maternas* Noſter vocat, in quas fuerat incluſa filia propter impotentiam linguæ maternæ, atque ita matris temeritati debitas. quo ferme modo Tullius loquitur, Orat. pro Domo ſua C. 52. *Qui aut nihil dixit, aut, ſi fecit, omnino pœnam hanc maternæ temeritatis tulit, ut mutam in delicto perſonam nomenque præberet.* Cæſar Germanicus in Caſſiopea:

Ipſa horrida vultu,
Sic tendit palmas ceu ſit planctura relictam
Andromedam, meritæ non juſta piacula matris.

- - - Hujus naturæ epitheta gaudent uſu quodam ſingulari, & ſic quaſi in utramque partem ponuntur. ita *Sus Theſeïs* Virgilio in Ciri dicitur ſus illa Cromyonia a Theſeo occiſa. Sic *Leo Herculeus*, ille apud Nemeam victus ab Hercule, deinde a Junone in cælum relatus, Senecæ Thyeſt. v. 856. *Noſtrum vulnus*, quod a nobis inlatum eſt. Virgilius L. 12. Æn.

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

& ſimilia plurima. BROUKH. *Queritur livere catenis Brachia.* Livoris hujus in Andromede pulcre mentionem facit Achilles Tatius lib. 3. de Amor. Clitoph. & Leucip. Αἱ μὲν ὠλέναι τῆς κόρης ἔληγον ἐς τὸ λευκὸν, εἰς τὸ πελιδνὸν μεταβάλλοι, οἱ δὲ νεκροῖς ἀποθνήσκειν οἱ δάκτυλοι. i. e. *Brachiorum autem puellæ candor ad livorem vergebat, & digiti mori videbantur.* VULP.

v. 67. NARRAT HYPERMNESTRE MAGNUM AUSAS ESSE SORORES: IN SCELUS HOC ANIMUM NON VALUISSE SUUM] τὸ *Magnum* poteſt

Sic mortis lacrimis vitæ ſolamur amores.
  Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus, ſi forte moveris,
  Si te non totum Doridos herba tenet.

Nutrix

poteſt per ſe ſtare, ut Eleg. 15. lib. 2. *Qui nunc magnum ſpiramus amantes*. Sed ἀπὸ κοινοῦ referendum ad *Scelus*, quod ſequitur. *Auſas magnum ſcelus*; ut Virgilius 6. Æneid.

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.

Auſas, & perfeciſſe. ut Eleg. 28. lib. 2.

Palladis aut oculos auſa negare bonos.

Ovidius lib. 1. A. A.

Quæque parare necem miſeris patruelibus auſæ Belides.

De eo Danaidum ſcelere Horatius Ode 11. lib. 3. *Non valuiſſe animum in ſcelus*; ei ſceleri parem non fuiſſe, non eam vim animo fuiſſe, non fuiſſe animum tam durum. Horatius loco prænotato: *Ego illis mollior*. *Valere in ſcelus*, ut Eleg. 7. lib. 3. ſed alio ſenſu:

In mare tui ſoli non valuere doli.

Cicero: *Valet hoc in omnem partem*. PASS. Vulgo traditur ſolam ex iſtis quinquaginta ſororibus Hypermneſtram, ſervaſſe maritum ſuum Lynceum. Verum Euſtathius in Comment. ad Dionyſii Perieg. v. 805. hujus gloriæ conſortem facit Bebrycam, alteram ſororem, a cujus nomine Bebrycia terra dicta eſt. tamen una Hypermneſtre famam accepit tam nobilis facti, & quidem magna mercede, pro numine poſteris culta una cum Lynceo marito. v. Hyginum Fab. 68. Statuarum Hypermneſtræ & Lynceo erectarum meminit in Phocicis Pauſanias. *In ſcelus h. animum non valuiſſe ſ.* Papinius L. 5. Theb. *Ecquo vos in cædes animum promittis?* BROUKH. *Magnum auſas e. ſ.* De Hypermneſtra vide Pauſaniam in Corinthiacis cap. 19. qui Belidum facinus appellat τόλμημα. VULP.

v. 69. SIC MORTIS LACRIMIS VITÆ SANAMUS AMORES] Ad eum modum medemur vulneribus amoris quæ in vita accepimus; & pro medicina ejus mali ſunt lacrimæ. ut Eleg. 10. lib. 1.

Et poſſum alterius curas ſanare recentes.

Sanamus; id eſt, ſanare conamur: non enim ſanantur amores. Alii libri, *Solamur*: id eſt, levamus, minuimus. Virgilius 4. Georg.

Ipſe cava ſolans ægrum teſtudine amorem.

Lacrimis, querelis & flebili narratione. ut Eleg. 1. ſup.

Incipe tu lacrimis æquus adeſſe novis.

Ibid. *Accerſit lacrimis cantus*. *Mortis*, mortuorum Manium, ut Eleg. 13. lib. 2. *More meo*, pro ego mortuus. Virgilius 6. Æn. *Curæ non ipſa in morte relinquunt*. vide totum locum a verſu 440. Noſter Eleg. 19. lib. 1.

Trajicit & fati litora magnus amor.

Sic animæ infantum flentes apud inferos: Virgilius 6. Æneidos; & Anchiſæ: *Effuſæque genis lacrimæ*. vide Auſonium in Cupidine crucifixo. PASS. Noli dubitare quin legendum ſit *ſolamur*, verbo poetis in hac re proprio ac ſolenni. Virgilius Ecl. 6.

Et fortunatam, ſi numquam armenta fuiſſent,
Paſiphaen nivei ſolatur amore juvenci.

& L. 10. Æn. *Mæſtum Muſâ ſolatur amorem*. Ipſe Tullius ita loquitur Interrogat. in Vatinium C. 11. C. *Antonius hac una re miſeriam ſuam conſolatur*. BROUKH.

v. 70. CELO EGO PERFIDIÆ CRIMINA MULTA TUÆ] Diſſimulo, & ſilentio tego. Eleg. 13. lib. 1.

Et quæ deinde meus celat, omitte, pudor.

Crimina perfidiæ, ut *Crimen deſidiæ*, El. 12. lib. 1. *Crimina cæli*, Eleg. 28. lib. 2. Cicero ad Attic. *Ingrati animi crimen horreo*. Addidit *multa*; quia Noſter ſæpe mutabat aliò amores: Eleg. 3. lib. 1. *Parva crimina* vocat Eleg. 32. lib. 2. v. 30. PASS.

v. 71. SED TIBI NUNC MANDATA DAMUS, SI FORTE MOVERIS] τὸ *Sed*, pro autem. Eleg. 2. ſup.

Caſſibus impoſitis venor; ſed arundine ſumtâ
Faunus plumoſo ſum deus aucupio.

Mandata damus, te oramus, & hæc tuæ fidei peragenda committimus. De mandatis dictum ad Eleg. 3. ſup. v. 1. Inter abſen-

Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.

Deli-

tes sunt mandata, & absens erat Cynthia. Sic Eleg. 7. lib. 3.

Flent tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Quum moribundo niger clauderet ora liquor.

Si forte moveris, tangeris curâ mei. El. 22. lib. 3.

Et desiderio, Tulle, movere meo. PASS.

v. 72. SI TE NON TOTUM CHLORIDOS HERBA TENET] Veneficia ejus meæ pellicia, vel sagæ quam pellex consuluit, ut mibi te omnino abalienaret, & ad amorem sui traduceret. *Herba*, ut Eleg. 5. sup.

Quippe & Collinas ad fossam moverit herbas.

Circaeum gramen dixit Eleg. 1. lib. 2. v. 53. *Chloridos*, Beroaldus alteram lectionem, *Colchidos*, commentus est. *Chloris*, Nympha quæ Latinis *Flora*. *Tenet*, te cepit. vide Eleg. 5. sup. v. 38. & Eleg. 20. lib. 2. v. 20. *Te totum*; ut nullam partem tori vindicare possim. Eleg. 11. lib. 1.

Ecquis in externo restat amore locus? PASS. Volscus, Beroaldus, ac Thom. Demsterus hoc loco substituerunt *Colchidos*. eos fortasse decepit Pedonis Albinovani recens lectio, qui, ubi meminisset recocti a Medea Æsonis, exclamat:

His te, Mæcenas, juvenescere posse decebat.

Hæc utinam nobis Colchidos herba foret,

emendassent itaque rectius *Doridos*, quod in nostro primo legitur, & in Groningano. *Doridis* nomen ancillulis dabatur, & meretriculis. Petronius: *Jam mutum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracili vinculum positus, Parium marmor exstinxerat. itaque tunc primum Dorida vetus amator contemsi.* Juvenalis Sat. 3.

An melior, quum Thaida sustinet, aut quum
Uxorem comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo?

Vetus marmor apud Boissardum:
AELIAE. DIVAE. AVG. LIB. DORIDI.
ET. ATIMETO FECIT. MEROPE
aliud apud Gruterum: IVLIAE. DORIDI.
SEX. RESTIANVS. CLV. IVSTVS.
CONIVGI. CARISSIMAE. BROUKH.

v. 73. NUTRIX IN TREMULIS NE QUID DESIDERET ANNIS PARTHENIE: PATUIT, NEC TIBI AVARA FUIT] πάθης ab ætate senecta. *Parthenio*, non a virginitate; quæ enim virginitas in nutrice, & anu? sed a patria, & Parthenio monte, ut *Nonas* sup. Fuit quoque Virgilii nutrix Parthenie, ut ait Servius, quem vide. *Parthenius* item *vates* dictus ipse Virgilius. *Ne quid desiderit*; ne qua re egeat: desiderium enim absentium est, ac triste, ut carendi verbum. Tibullus Panegyr. ad Messalam: *Nunc desiderium superest*. ubi vide adnotata. *Patuit*, vel aperto vultu & animo erga te fuit, ut contra Cicero Epist. pænult. lib. 14. ad Attic. *Nosti virum, quam tectus*. de Cornelio Balbo. Idem pro Murena de Catilina: *Ut fuit semper apertissimus*: vel *patuit*, fecit ipsa, ut tibi janua mea pateret, te benigne admisit. Alii libri, *Potuit*, potens domi meæ fuit, & gratiâ multum valuit. Sic Antonius Hircio & Cæsari, *Si domi possit*. & M. Cicero: *Poterit, mihi crede*. An *potuit* (avara esse) nec avara tibi fuit: non exegit a te pecuniam ut intromitteret? ut Ovidius 2. Metam.

Proque ministerio magni sibi ponderis aurum
Postulat.

Aglauros ut intromittat Mercurium. Vide Plautum Trucul. Legitur & *Amaro*, ut Eleg. 23. lib. 2.

Cernere uti possis vultum custodis amari.

ubi etiam legitur, *Avari*. *Tibi*. Afranius Epist. apud Nonium in *Triste*, *Iratum: Jactabit se se; jactet, mibi erit tristior*. [Tibullus Carm. 4. lib. 4.

Nil opus est fletu. lacrimis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.] PASS.

Patuit. tralatio a locis amicis, ad quæ accessus est nobis & facilis semper & tutus. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 65. *Jam omnes provincias, jam omnia regna, jam omnes liberas civitates, jam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus Romanis ista defensione præcluseris.* L. 13. ad famil. Epist. 29. *In omni genere & bo-*

Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab uſu,
Ne ſpeculum dominæ porrigat illa novæ.
Et quoſcumque meo feciſti nomine verſus,
Ure mihi. laudes deſine habere meas.

Pelle

& bonorum & laborum meorum, & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis præſto fuit, & patuit & temporibus & fortunæ meæ. Philipp. 13. C. 15. *Non igitur ſentis, huic tantæ orbem terræ patere: te, extra munitiones tuas veſtigium ubi imprimas non habere?* Ovidius L. 11. Metam. v. 283.

Mediæ quoque commoda plebi
Noſtra patent, Peleu; nec inhoſpita regna tenemus.

Cicero II. de Offic. 26. *Deinde augeatur* [res familiaris] *ratione, diligentia, parſimonia: nec libidini potius luxuriæque, quam liberalitati & beneficentiæ pateat.* BROUKH. *In tremulis annis*; tribuit tempori quod eſt perſonæ. Ita Eleg. 9. lib. 2. *Si forte pios eduximus annos.* & Tibullus Eleg. 4. lib. 1. *Stultos dies* dixit, pro juvenili ætate quam quis exegerit nullâ datâ operâ voluptati. VULP.

v. 75. DELICIÆQUE MEÆ LATRIS, CUI NOMEN AB USU EST] Catullus Epigr. 32. *Amabo, mea dulcis Hypſitilla, Meæ deliciæ, mei lepores.* id eſt, mel meum & voluptas. vide not. ad v. 74. Eleg. ult. lib. 2. Scaliger: *In vet. inſcript. Servi & ancillulæ delicium vocantur. Abra* etiam dicebatur ejuſmodi ancilla. Item, *Favea.* Vet. Gloſſ. *Faves*, παιδίσκη. *Faveus*, παῖς. Hæc ille, & inquit, Juvenalem Abram intelligere quum ait, *Et flavam cui det mandata puellam. Latris ab uſu*, id eſt, a miniſterio ſic dicta, παρὰ τὸ λατρεύειν, τοῦτ᾽ ἐστὶ δουλεύειν. unde & *latrones* dicti. ὁ λάτρης, ου, ſervus: ἡ λάτρις, ιος, ſerva, ancilla. *Uſus*, miniſterium, ut Eleg. 2. ſup.

Qui me tam dociles potuiſti fundere in uſus.

unde *utilis* ſervus, frugi. Lucillius lib. 22. apud Donatum in Phormionem:

Servu' nec infidus domino, nec inutili' cuiquam
Lucilli columella hic ſitu' Metrophanes.

Apud Donatum legitur: *Hic ſitus eſt Tubero.* ſed Martialis Epigr. 91. lib. 11. habet *Metrophanes.* PASS. *Deliciæque meæ Latris.* crebrum hoc apud veteres. Ita Lapis Romanus in magno corpore Gruteri, DCLXIII. 5. alter itidem Romæ, DCLXI. 13. & alius apud Montfaucon T. 2. Diar. Ital. p. 110. ſed & plura paſſim talia reperire eſt, etiam extra inſcriptiones. *Cui nomen ab uſu eſt.* deleatur *eſt* iſtud inficetum, ſæpe intruſum a librariis ubi minime oportebat. BROUKH.

v. 76. NE SPECULUM DOMINÆ PORRIGAT ILLA NOVÆ] Miniſterium certum ancillæ, porrigere ſpeculum dominæ formam ſuam contemplari volenti. Plautus Moſtell. 1, 3. PHIL. *Cedo mihi ſpeculum, & cum ornamentis arculam actutum, Scapha.* Ovidius lib. 2. A. A.

Nec tibi turpe puta (quamvis ſit turpe, placebit)
Ingenua ſpeculum ſuſtinuiſſe manu.

Juvenalis Sat. 2.

Ille tenet ſpeculum, pathici geſtamen Othonis.

Erant autem & quæ ſpeculum deabus tenerent in pompa, ut ex Senecæ Epiſtolis, & libro de Superſtitione apud D. Auguſtinum, & lib. 11. Metam. Appuleji docet Lipſius lib. 2. Electorum cap. 18. *Porrigat*, præbeat, offerat. ut Eleg. 1. ſup.

Mi folia ex hederâ porrige, Bacche, tua.

Porrigere ſtipem elephanto: Macrobius. *Porrigere manum* (accipiendo argento) Plautus Pſeud. τὸ *illa* vacat. Eleg. 29. lib. 2.

Mane erat, & volui ſi ſola quieſceret illa
Viſere: at in lecto Cynthia ſola fuit.

& Eleg. 15. lib. 3.

Illa rudes animos per noctes conſcia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinus datis.

Dominæ novæ, Chloridi, vel Nomadi. Ovidius 5. Faſt.

Omnia quæ dominos ſunt habitura novos.

Plautus Captiv. 2, 2. *Vult te novus herus veteri domino operam dare.* PASS.

v. 77. ET QUOSCUMQUE MEO FECISTI NOMINE VERSUS, URE MIHI. LAUDES DESINE HABERE MEAS] Eleg. ult. lib. 2.

Pelle hederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
 Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
 Et numquam Herculeo numine pallet ebur,

Hoc

Cynthia quin etiam versu laudata Properti. ubi vide adnotata. *Fecisti versus;* nam facere, ποιεῖν, unde ποιηταὶ dicti. *Ure mihi*, cremato in honorem meum; ignibus dato, Eleg. 18. lib. 3. ubi de illo more: & Elegia 5. sup. *Desine habere*, ne diutius retineto quod meum est, & reposco ad flammas rogi mei. Sic apud Jurisconsultos, *Desinere possidere*, *Desinere abesse*, *Desinere habere restituendi facultatem*. *Laudes meas*, præconia meæ formæ, & ingenii, versibus mandata. PASS.

v. 79. PELLE HEDERAM TUMULO, MIHI QUÆ PUGNANTE CORYMBO MOLLIA CONTORTIS ALLIGAT OSSA COMIS] Contra Elegia 4. sup.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum.

Turnebus lib. 23. Adv. cap. 6. ad hunc versum notat: *E tumulis eorum quos habebant caros, dumos & sentes excidere & purgare solebant. Propertius: Pelle hederam tumulo.* *Pelle*, amove. Eleg. 1. lib. 2. *A medio pectore pelles avem*. Virgilius 2. Æneid. *Lacrimas dilectæ pelle Creusæ*, Non inepte legeretur etiam *Velle*, a vello, exstirpo. Hedera autem omnia illigat. Catullus Carm. 60. *Ut tenax hedera hac & hac Arborem implicat errans.* ubi vide adnotata. Plinius lib. 16. H. N. cap. 34. scribit, *Non solum arboribus, sed etiam muris noxiam esse hederam, licet eos amplecti non possit, ut amplectitur arbores, quas amplexu necat, fugit ac strangulat.* Idem ibidem: *Hedera inimica arbori, satisque omnibus: sepulcraque ac muros rumpit.* *Alligat ossa.* An *Ora*, quia sequitur, *comis?* sic Eleg. 15. lib. 3.

Molliaque immites fixit in ora manus.

vel *Ossa mollia*, mollis puellæ. ut Eleg. 5. sup.

Turpia jejuno terreat ossa sono.

turpis vetulæ. vel *Ossa*, cadaver & cineres, ut ubique. Martialis Epigr. 35. lib. 5.

Mollia nec rigidus cæspes tegat ossa; nec illi,
Terra, gravis fueris: non fuit illa tibi.

Sic *Molle caput* Eleg. 3. sup. v. 46. *Mihi*, iterandum; & *Mihi pugnante*, & *Mihi alligat*. *Pugnante mihi corymbo*, racemis & uvis hederæ mihi inimicis & infestis: nam ab hostibus alligantur victi. *Mihi pugnante*, ut Eleg. 10. l. 1. *Pugnare puellæ*. Pugnans pro infesto; ut Horatius: *Mea cum pugnat sententia secum*. *Comis contortis*. Si legimus *ora*, id erit implexis hederâ crinibus. ut sup. *Tortis suspensa capillis*. Aut erit διὰ τὸ αὐτό. *Hedera pugnante corymbo, contortis comis*; implicitis foliis & frondibus & ramulis. Comæ arborum, herbarum, florum. Eleg. 16. lib. 3.

Me tegat arboreâ devia terra comâ.

Corymbo, *comis*: geminus ablativus, ut Elegia 3. lib. 3.

Lymphisque a fonte petitis
Ora Philetæâ nostra rigavit aquâ.

vel est ἀσύνδετον. PASS.

v. 81. RAMOSIS ANIO QUA POMIFER INCUBAT ARVIS] De Aniene vide adnotata ad Eleg. 16. lib. 3. v. 4. *Pomifer Anio*, ut *Apidanus herbosus* Eleg. 3. l. 1. v. 6. Ovidius 1. Metam. *Populifer Sperchius*. & l. 3. Amor. Eleg. 5.

Nec te prætereo, qui per cava saxa volutus
Tiburis Argei spumifer arva rigat.

ubi, ex hoc Propertii loco, videri possit legendum, *Pomifer*. Sane ille locus pomariis abundabat. Horatius Ode 7. l. 1. *Et Præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda Mobilibus pomaria rivis*. Idem Sat. 4. lib. 2.

Picenis cedunt pomis Tiburtia succo.

Strabo lib. 5. Tiburtina in regione miram fructuum ait esse copiam. *Incubat arvis*, desuper ruit in arva, & ea premit aquis suis. de ejus fluminis situ vide adnotata ad Eleg. 16. lib. 3. v. 4. Sic sup. hic versu 3. *Incumbere fulcro*. Virgilius 1. Æneid. *Ponto nox incubat atra*. & 3. Georg. *Defossoque incubat auro*. Sic *incubare ovis* dicuntur gallinæ. *Incubat Anio*. Fluvii cubantes & reclinati pingebantur. *Arvum* ab arando, inquit Varro 4. de L. L. Nævius & Pacu-

Pacuvius *Arvas* feminino genere dixere apud Nonium. Festus: *Arvum dicimus agrum necdum satum.* Varro 1. R. R. *Arvum dicimus quod aratum, necdum satum est.* Servius ad initium Georg. ex Varrone: *Aut arvus est ager; id est, sationalis: aut consitus, id est, aptus arboribus: aut pascuus, qui herbis tantum & animalibus vacat: aut floreus, in quo sunt horti, apibus congruentes & floribus.* Ergo dicitur Arva (terra:) Arvus (ager:) & Arvum. PASS. Versus sonorus & magnificus, quique rem ipsam pulcre præpingit; sed nonnihil corruptus. pro *Ramosis* scribi omnino debet *Pomosis*. Junius Columella ejus mihi correctionis fundus est, L. 10.

Et Turni lacus, & pomosi Tiburis arva.

Tibullus L. 1. Eleg. 1.

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis.

Pedo Albinovanus in obitum Mæcenatis, sive is poeta alius fuit a Pedone:

Maluit umbrosam quercum, Nymphasque canentes,
Paucaque pomosi jugera certa soli.

ramosa arva quis veterum dixerit, quæro qui me doceat. quamquam Persii istud non ignoro,

Diducit trepidas ramosa in compita mentes.

sed & res ibi alia est, & alia metaphoræ forma, quæ nihil huc facit. deinde pro *pomifer* legendum opinor *spumifer*, ita volente ipsius amnis natura, per saxa & præcipitia voluti. Horatius L. 1. Ode 7. *Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda Mobilibus pomaria rivis.* Acro: *præceps*] *per devexa cadens, & rapidus.* Statius L. 1. Silv. 3.

Ipse Anien (miranda fides) infraque superque
Saxeus hic tumidam rabiem spumosaque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopisci
Pieriosque dies, & avenates carmina somnos.

Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 6.

Nec te prætereo, qui per cava saxa volutans
Tiburis Argei spumifer arva rigas.

quamquam ibi *pomifer* legunt Passeratius & Nic. Heinsius. quod profecto factum non oportuit. est enim argumentum Elegiæ, maximos quosque & rapidissimos fluvios succubuisse amori, neque ipsis quidquam profuisse quod vehementes fluerent ac rapaces. in iis numerat poeta Inachum, Alpheum, Asopum, Acheloum, & Nilum: quibus addit comitem Anienem. cujus epitheton *pomifer* (si tamen verum est) isto quidem loco valde est debile, neque multum ad rem facit, BROUKH. Emendationem Broukhusiii, ut verissimam & ingeniosam, laudat Richardus Bentlejus ad Oden 7. lib. 1. Horatii; nec tamen accedit eidem Broukhusio, qui *spumifer* receptam olim lectionem apud Ovidium Amor. III. Eleg. 6. frustra tuetur. *Quippe (ipsa verba recito) inconcinnum ubique duplex epithetum; hic autem eo magis, quod eodem fere recidit utrumque* per cava saxa volutans & spumifer. *Proclive erat restituisse literam A. a sequente absorptam:*

Tiburis Argei pomifera arva rigas.

Silius lib. IV. 224. de eadem re:

Quosque sub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant Anienicolæ Catilli.

Nec verearis elisionem vocalis in posteriore parte Pentametri: etsi plerumque id caveat Ovidius. Sic Fast. II, 216.

Silvaque montanas occulere apta feras.

Et alibi non semel. VULP.

v. 82. ET NUMQUAM HERCULEO NUMINE PALLET EBUR] Numquam sordet & squallet, candoremque suum semper retinet, quia ita visum Herculi. *Pallet*, ut Eleg. 5. sup. *Pallida mitra situ.* ubi vide adnotata. Martialis Epigr. 28. lib. 8.

Et Tiburtino monte quod albet ebur.

Silius Italicus: *Tiburis aura Pascit ebur.* De ebore Plinius lib. 8. H. N. cap. 3. & Pausanias Eliacis. Delectabatur Tibure Cynthia, ut intelligimus ex Eleg. 32. lib. 2. & Eleg. 16. lib. 3. Erat autem Herculi sacrum Tibur. vide adnotata ad Eleg. 32. lib. 2. v. 5. *Numine Herculeo*, ut Eleg. 1. lib. 3.

Troja bis Oetæi numine capta dei. PASS.

Ubi ebur numquam fit luteo colore, neque flavescit. hæc est elegans notio τῶ *pallet*, super qua videndus Gifanius Ind. Lucret. in *Luridus*. antiqui ebur ostro tinguebant, ne palleret. Ovidius L. 2. Amor. El. 5.

Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Mæonis Assyrium femina tinxit ebur.

Virgilius L. 12. Æn.

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur.

Clau-

Hoc carmen media dignum me ſcribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:

Hic

Claudianus L. 1. de raptu Proſerpinæ:

Non ſic decus ordet eburnum
Lydia Mæonio quod femina tinxerit oſtro.

Tibure vero ajunt ebur ſemper candidum manere, neque umquam palleſcere, beneficio aëris, & erumpentis auræ ex calidis & ſulphureis Albulis, ipſoque Aniene. Silius L. 12.

Quale micot, ſemperque novum eſt, quod Tiburis aura
Poſcit ebur.

Noſter numini Herculeo imputare maluit, quia Herculi ſacrum Tibur. jocum non inconcinnum hinc quæſivit Martialis L. 4. Epigr. 62.

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri condido credit ibi.

& L. 7. Epigr. 12.

Dum Tiburtinis albeſcere ſolibus audit
Antiqui dentis fuſca Lycoris ebur,
Venit in Herculeos colles. quid Tiburis alti
Aura volet! parvo tempore nigra redit.

BROUKH.

v. 83. HOC CARMEN MEDIA DIGNUM ME SCRIBE COLUMNA, SED BREVE, QUOD CURRENS VECTOR AB URBE LEGAT] Eleg. 23. lib. 3.

I puer, atque aliquá citus hæc propone columná,
Et dominum Eſquiliis ſcribe habitare tuum.

Sed hic *Scribe*, eſt incide. ut Eleg. 18. lib. 1.

Scribitur & veſtris Cynthia corticibus.

Auſonius:

Frontibus & ſcriptis hoc monimenta jubent.

Scribe columná, quod Horatius; *Sepulcro ſcalpt. Columnæ dictæ quod culmina ſuſtineant:* Feſtus. *Mediá columná*, ut manifeſtæ ſint litteræ & minore negotio legi poſſint. In ſepulcris vero columellæ conſtructionem operis ſuſtinebant. Eleg. 1. lib. 3.

Ne mea contemto lapis indicet oſſa ſepulcro.

Cicero 2. de Legib. *Ne columnam quis in ſepulcro violet, dejiciat, frangat.* Ibid. *Columellam ſuper terra tumulum in ſepulcro ſtatui.* & 5. Tuſc. de ſepulcro Archimedis: *Animadverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat ſphæra, & figura cylindri.* Vide proverbium, *Odium novercale*, ubi Epigramma Callimachi citatur in privignum columellam novercæ coronantem, quem illapſa ea obtriverit. Columna & pila lapidea quæ imponebatur monimentis, στήλη dicitur Græcis, ut ibid. apud Callimachum. *Hoc carmen*, epitaphium. Sic Tibullus Eleg. 2. lib. 3. vocat *Carmina*, duorum verſuum epitaphium:

Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic ſitus eſt: dolor huic & cura Neæræ
Conjugis ereptæ cauſſa perire fuit.

Diſticha frequentia in epitaphiis; ut notatum ad Eleg. 13. lib. 2. v. 35. *Dignum me*, quod formam, & mores meos aureos deceat; ut Eleg. 13. lib. 1. *Jove digna*. *Sed breve*, pro, atque id breve, ut El. 10. infra v. 14.

Hic ſpolia ex humeris auſus ſperare Quirini,
Ipſe dedit, ſed non ſanguine ſicca ſuo.

Breve carmen ergo dixit, ut Elegia 1. libri 2.

Et breve in exiguo marmore nomen ero.

M. Tullius lib. 2. de Leg. plus quatuor heroicis verſibus negat conſtare epitaphium oportere. Ovidius 3. Faſt.

Compoſitaſque cinis, tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipſa reliquit, erat:
Præbuit Æneas & cauſſam mortis, & enſem:
Ipſa ſuá Dido concidit uſa manu.

Vector currens ab urbe, qui Romá veniens naviget, & properet Tibur per Anienem vectus. *Vector* & qui vehit, ut *Sileni vector aſellus*: & qui vehitur, ut Virgilius Ecl. 4. *Cedet & ipſe mari vector*. Cicero 7. Philipp. *Gubernatores in magnis tempeſtatibus a vectoribus admoneri ſolent*. *Currens* autem, quia in monimentorum inſcriptionibus paulliſper adſtare jubentur viatores. Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 3.

Quoſ-

Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra.
Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
Quum pia venerunt somnia, pondus habent.

Nocte

Quosque legat versus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis:
Hic ego qui jaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio perii Naso poeta meo.

Currens, properans, ut nautæ solent. Elegia 8. lib. 1. *Nautae ragitare citatae*: vel navigans; ut Eleg. 14. lib. 1. *Currere linteo*. *Urbe*, Roma. Eleg. 4. sup. *Lusus in Urbe*. & *Urbi festus erat*. ubique. P. *Quod e. vector a. u. legat*. Contra Lucianus in Timone: ὥσπερ τινὰ στήλην παλαιοῦ νεκροῦ ὑπτίαν, ὑπὸ τοῦ χρόνου ἀνατετραμμένην, παρέρχονται, μηδὲ ἀναγνόντες. *Vector*. Cajus J. C. lib. 4. Digest. tit. 9. Lege 5. *Nauta accipit mercedem ut trajiciat vectores*. Vulp.

v. 85. Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra] Formula celeberrima: *Hic jacet*. Eleg. 13. lib. 2. *Qui nunc jacet horrida pulvis*. Simonides apud Strabonem lib. 8.

Ὦ ξεῖν' ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
Κείμεθα τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις,

Aurea Cynthia, formosissima, præstantissima formâ, ut *Aurea secula*. Virgilius 1. Æn. *Aulæis jam se regina superbis Aurea composuit spondâ*. Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Ivar aurea vincit anus*. Horatius Ode 2. lib. 4. *Animique mores Aureos*. Catullus Carm. 60. *Transfer amine sum bona Limen aureolos pedes*. *Tiburtius*. vet. lib. *Tiburnini*, a Tiburnus. Dicitur autem Tibur & Tiburtinus. Horatius, *Tiburte via*, & *Tiburtia poma*: Virgilius, *Tiburtia mœnia*. Statius 1. Silv. Tiburtinum Manlii. Tibure delectata fuerat, ut jam adnotatum sup. *Terrâ*. An *hac terra?* An *hic jacet?* An *Hâc jacet*; ut Eleg. 11. lib. 1.

Qua jacet Herculeis semita litoribus. Pass.

v. 86. Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ] *Anio*, fluvius, Anien; & *Anienus*, deus ipse fluvii: ut *Tiberinus*. Statius 1. Silv. in Tiburtino Manlii:

Illis ipse antris Anienus fonte relicto
Nocte sub arcana glaucos exutus amictus.

Cicero apud Nonium in *Torquem* dixit Anienum, pro Anienem. *Laus accessit tua ripa*; aucta est tua ripa honore novo & famâ, quia illic sepulta Cynthia, cujus magna sepulcri futura fama. Quum ait, *Accessit*, alios illic sepultos significat; Cynthiæ autem sepulcrum fore auctarium gloriæ. Horatius in Arte:

Tantum de medio sumtis accedit honoris.

Cicero pro Murena: *Accessit his tot virtutibus doctrina*. Sæpe in deteriorem partem ponitur. Alludit vero ad morem de quo Virgilius 6. Æneid. agens de Manibus heroum:

Lucis habitamus opacis,
Riparumque toros, & prata recentia rivis
Incolimus.

Appulejus lib. 1. Metam. *Defletum pro tempore comitem misellum arenosa humo in amnis vicinia sempiterna contexi*. supra: Ad murmur extremæ aquæ humata est Cynthia. Sic Cicero 2. de Leg. C. Marii reliquias sitas ad Anienem ait a L. Sylla dissipatas. Pass. *Aniene*. vide ad Cicer. III. de Offic. 31. extr. Broukh. *Accessit ripa l. A. t.* Virgilius initio 7. Æneid.

Tu quoque litoribus nostris, Æneïa nutrix,
Æternam moriens famam, Cajeta, dedisti.

Vulp.

v. 87. Nec tu sperne piis venientia somnia portis] Cave contemnas & eleves fidem somniorum. nam valde somniis movebatur Cynthia, ut apparet ex Eleg. 3. lib. 1. Eleg. 29. lib. 2. & Eleg. 6. lib. 3. Vide Plutarchum in Sylla. & contra, Tibullum Eleg. 4. lib. 3. *Venientia piis portis*, emissa per portas pias, per quas pia & bona somnia Manes ad cælum mittunt. Statius 5. Silv. Epicedio in patrem in fine:

Inde tamen veniat melior quo porta malignum
Cornea vincit ebur.

Malignum, ut *Mala somnia* Tibullo Eleg. ult. lib. 2. & *Crudelia somnia*, Eleg. 4. lib. 3.

Nocte vagæ ferimur. Nox clausas liberat umbras,
Errat & abjecta Cerberus ipse sera.

Luce

lib. 3. Contra hic *Pia somnia*. Pium sæpe dicitur de rebus multis; ut Eleg. 1. sup. *Pia versu*, & *Pia saxa*; & Eleg. 7. lib. 3. *Piæ terræ*. Tibullo, *Pia tura*. Ovidio, *Pius ignis*. De portis cornea & eburnea Virgilius 6. Æneid. & illic Servius, & Macrobius ex Porphyrio, cap. 3. Commentarii prioris in Somnium Scipionis. Homerus quoque lib. 19. Odyss. ubi Penelope suum narrat somnium Ulixi ignoto. Horatius Ode 27. lib. 3. *Ludit imago Vana, quæ portâ fugiens eburnâ Somnium ducit*. Pass. Recte, & ex disciplina antiquæ oneirocritices. neque enim improbis hominibus contingere credebant veritatem somniorum. vide Lutatium ad illud L. 5. Theb. Statii: NEC IMAGO QUIETIS VANA MEAE. Broukh. Quod nonnulli huc afferunt de geminis somni portis apud Maronem, minus placet. Piæ portæ Propertio sunt illæ per quas justorum umbris ad Elysios aditum patere, credebant veteres. Omnino legendus Valerius Flaccus in calce libri 1. Argonaut. ubi copiose illas describit. Vulp.

v. 88. Quum pia venerunt somnia, pondus habent] Quum pia somnia se se obtulerunt dormienti, gravia, firma, & rata sunt. *Pia somnia*, ut Eleg. 4. sup.

Fac veniat oculis umbra benigna meis.

Pondus habent, ut Eleg. 25. lib. 2. *Nulla diu femina pondus habet*. & Eleg. 7. lib. 3.

Verbaque duxisset pondus habere mea.

Ovidius 9. Metam. in fabula Byblidis:

Quid mihi significant ergo mea visa? quod autem
Somnia pondus habent? an habent & somnia pondus? Pass.

Pia somnia. Hæc Persius 2. Sat. vocat *pituitâ purgatissima*. Vulp.

v. 89. Nocte vagæ ferimur. Nox clausas liberat umbras] Erramus, volitamus temere huc & illuc. Virgilius 6. Æneid. *Sic tota passim regione vagantur Aëris in campis*. necesse est enim vagari, & errare in tenebris. Noster Eleg. 29. lib. 2. *Quum potus nocte vagarer*. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 6.

Nec mora venit Amor: non umbras nocte vagantes,
Non timeo strictas in mea fata manus.

Ferimur, ruimus. Eleg. 4. sup.

Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscissa fertur aperta sinu.

Virgilius 2. Æneid. *Ferimur per opaca locorum*. Charisius lib. 2. *Nocte vagari, non noctu: Sisenna lib. 13. Milesiarum*. Inde *Noctivagus* Attio & Virgilio. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 3.

Inter Sauromatas Romana vagabitur umbras.

Nox liberat umbras clausas. emittit e custodia animas interdiu clausas. Pass. Omnem hunc locum commode illustravit Mart. Antonius Delrius Comment. in Senecæ Herc. Fur. v. 123. alioqui mero quoque meridie vagabantur manes, sed noxii illi & mali. vide Papinium L. 11. Theb. & L. 4. priorem locum Neapolitanus iste expressit de Valerio Flacco L. 4. v. 255. ubi certamen Amyci cum Polluce. nisi quod Valeriani manes ideo emittuntur, ut cædis suæ solatium capiant ex cæde Amyci propinqua: alter, more suo, atrocitatem quæsivit ac diritatem majorem. Broukh. *Nocte vagæ ferimur*, &c. Contra Ovidianus ille Argus juvencam sibi commissam

Luce sinit pasci: quum Sol tellure sub alta est,
Claudit, & indigno circumdat vincula collo.

1. Metam. v. 630. Vulp.

v. 90. Errat et abjecta Cerberus ipse sera] De Cerbero Eleg. 5. sup. v. 3. sic Eleg. ult. infra:

Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras,
Et jaceat tacitâ lapsa catena serâ.

Veterum ergo sera exemtilis fuit, nec affixa januæ, ut nostræ sunt seræ, nisi eæ quæ catenatæ dicuntur; Gallice *Cadenats*. Ovidius 1. Fast.

Ut populo pateant reditus ad bella profectis,
Tota patet demtâ janua nostra serâ.

Ibidem:

Et jam contigerant portam, Saturnia cujus
Demserat oppositas insidiosa seras.

Idem

Luce jubent leges Lethæa ad ſtagna reverti.
Nos vehimur: vectum nauta recenſet onus.

Nunc

Idem lib. 1. Amor. Eleg. 6.

Tempora noctis eunt, excute poſte ſeram.

Petronius : *Dum loquimur, ſera ſuâ ſponte delapſa cecidit, recluſæque ſubito fores admiſerunt intrantem.* Sera eſt claoſtrum januæ, ioqoit Donatus in Eunuchum. Varro ſub finem lib. 6. de L. L. *Reſerare, a ſerace dictum, id eſt aperire: unde Seræ, quibus remotis fores panduntur.* Eadem ferme Nonius. Feſtus in *Adſerere: Seræ appellantur quia foribus admatæ apponuntur. deſinæ poſtibus, quemadmodum ea quæ terræ inſeruntur.* Leg. idem in *Reſerare* (in litura.) PASS.

v. 91. LUCE JUBENT LEGES LETHÆA AD STAGNA REVERTI] Luce, ab ipſa noctis meridie. unde Anchiſes apud Virgilium 5. Æneid.

Jamque vale. torquet medios Nox humida curſus,
Et me ſævus equis Oriens afflavit anhelis.

Quia lux umbris inimica, pereuntque umbræ Solis adventu, inquit illic Servius. *Leges*, fatorum & inferorom. Eleg. ult. infra:

Quum ſemel infernas intrarunt funera leges,

Noſter Eleg. 27. lib. 2.

Conceſſum nulla lege redibit iter.

Κρόνιοι νόμοι Callimacho εἰς λῦτρα, v. 100. *Jubent*, quia legis eſt jobere, aot vetare, aut permittere. Cicero 1. de Leg. *Lex eſt recta ratio in jubendo aut vetando.* De Lethæo fluvio ſup. hic:

Summaque Lethæus triverat ora liquor.

Utrobique Lethæum pro Stygio poſoit, ut & Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Nudus Lethæa cogerer ire rate.

quod Noſter *Stygia arundine* Eleg. 27. l. 2. nam ad Lethæom fluvium animæ non veniont niſi poſt annos mille. Virgilius 6. Æneid.

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno.

quæ ſumſit Virgilios ex Platonis Phædone. *Stagna Lethæa*; ut Virgilius 4. Georg. *Terque fragor ſtagnis auditus Avernis.* quia aquæ illæ pigræ & languidæ. Horatius: *Viſendus ater flumine languida Cocytus errans.* Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Me vocet in vaſtas amnes nigramque paludem
Dives in ignava lucidus Orcus aqua.

Virgilius 6. Æneid. *Cocyti ſtagna alta vides.* PASS. Adventaote Aurora nocturni lemures diffugere putabantur, quod proximi Solis radios perferre non poſſent. Vide Philoſtratum lib. 4. de vita Apollonii, ubi Achilles Apollonio apparet. item Æoeam Gazæum in Dialogo de Reſurrectione mortuorum, haud ſemel. Ex hac veterum opinione Petrarcha (*nel Sonetto 299.*) de umbra Lauræ qoam ſibi appareotem fingit:

Poichè il dì chiaro par che la percota,
Tornaſi al Ciel; che ſa tutte le vie. V.

v. 92. NOS VEHIMUR : VECTUM NAUTA RECENSET ONUS] Ego & ceteræ umbræ trajicimur, & portamor. Eleg. 18. lib. 3.

Et tu nauta piæ hominum qui trajicis umbras,
Huc animæ portent corpus inane tuæ.

Albinovanus ad Liviam:

Supprime jam lacrimas; non eſt revocabilis iſtic
Quem ſemel umbriferâ navita lintre tulit.

Id eſt, Charon. *Recenſet onus*, init umbrarum numerum, & eas recognoſcit, ne qua forte deſit. Virgilius 4. Georg.

Conſedit ſcopulo medius, numerumque recenſet.

& 6. Æoeid. *Omnemque ſuorum Forte recenſebat numerum. Recenſere captivos*, & *Recenſere exercitum*, Livii lib. 26. Apud A. Gellium lib. 17. cap. 10. *Recenſere*, eſt retractare & corrigere. Inde *Recenſio & Recenſus populi*, Suetooio in Cæſ. cap. 41. & *Recenſiti*. Inde recenſere, ſigillatim uumerare. Ovidius Epiſt. Deïaniræ:

I nunc, tolle animos, & fortia facta recenſe.

Onus, vectores. Onus de mercibus quæ mari portantur; unde oneris averſi actio Juriſconſultis in Tit. *Locati ad L. Rhod. de jactu, & de exerc. act.* unde & *naves onerariæ*. PASS.

Nunc te possideant aliæ: mox sola tenebo.
Mecum eris, & mixtis ossibus ossa teram.
Hæc postquam querula mecum sub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

ELE-

v. 93. NUNC TE POSSIDEANT ALIÆ: MOX SOLA TENEBO] *Nunc*, dum fata sinunt. *Te possideant*, sibi habeant, utantur, fruantur; ut Eleg. 18. lib. 2. *Possidet aura nemus*; ut habere & haberi. nam, ut ait Ælius Gallus apud Festum: *Possessio est usus rei, non res ipsa*. Theophilus definit *Possidere*, *Ψυχῇ τῦ δεσπόζοντος κατέχειν*. *tenere* vero dicitur qui rei corporaliter incumbit, licet non possideat. L. 9. *de rei vindic.* Sed ad factum sæpe a Jurisconsultis refertur. unde ab illis duplex statuitur possessio, Naturalis & Civilis. Naturalis est facti, Civilis, juris. *Possideant aliæ*, puta Nomas & Chloris sup. & Eleg. 9. infra, Phyllis & Teïa; & Eleg. 15. lib. 3. Lycinna. PASS. De verbo *Possidendi*, ac *Tenendi* lege Epist. 87. lib. 4. M. Antonii Mureti. VULP.

v. 94. MECUM ERIS, ET MIXTIS OSSIBUS OSSA TERAM] Amatorie, *Mecum eris*: nam *Esse cum muliere* dicebant. Varro 5. de L. L. *Violavit virginem, pro vitiavit, dicebant æque. eadem modestia potius, cum muliere fuisse, quam concubuisse dicebant*. Plautus Amphitr. 2, 2. *Quid ego tibi deliqui, si cui nupta sum, secum fui?* In vet. Inscriptione apud Cyprianum a Popma Interpretem Sallustii: 759. *Si non respondes, non respondebit desiderium tui, per quod ipsa mecum semper es*. *Ossa teram*, arcte premam. ut El. 20. l. 3. *Ille alio pectus amore terit*. nam quæ atteruntur, premi & jungi necesse est. *Mixtis ossibus*. Ovidius 11. Metam.

Si non urna tamen, junget nos littera: si non
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.

Albinovanus ad Liviam:

Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa.

Suetonius in Domitiano cap. 17. *Reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque Juliæ filiæ Titi, quam & ipsa educaverat, commiscuit*. Vetus Inscriptio Romæ apud Brissonium in Formulis p. 750. *Ossa mea in aram mixta cum filiæ* (scilicet Ossibus) *una requiescunt, hoc solatium mecum scie*. & 797. *Cineres admisceri meos jussi*, (patris & matris cineribus) *ut quibus vita conjunctus fuerim, in ultimo postea fato veniente, forem conjunctior, pulvere meo pulveri eorum admixto*. vide plura hac de re adnotata ad Elegiam 8. lib. 2. v. 23. PASS. Summi amoris affectus illa cinerum atque ossium mixtura. Ovidius L. 3. A. A.

Accipe me, Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias: in medios desiluitque rogos.

Valerius Flaccus lib. 5. v. 60.

Quod tamen externis unum solamen in oris
Restat, ait, caræ humus hæc non dividet umbras,
Ossaque nec tumulo, nec separe conteget urna;
Sed simul: ut junctis venistis in æquora fatis.
Haud mora: reliquias socii, defletaque miscent
Nomina.

Lege verba Thisbes morituræ, apud Nasonem L. 4. Metam. v. 151. ------ plura Kirchmannus dabit L. 3. Funer. C. 14. exscriptus ab Alardo ad modo producta Valerii Flacci carmina. BROUKH. Ovidius Epist. Medeæ:

Nostraque adhærerent ossibus ossa tuis.

Propertius ipse Eleg. 8. lib. 2. de Hæmone Antigones amatore:

Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ.

Martialis Epigr. 117. lib. 1.

Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro:
Hoc erit Antullæ mixtus uterque parens.

Antiquissimus hic mos, & ab heroicis usque temporibus, uti ex Homero cognoscimus, qui Odyss. lib. 24. v. 76.

Ἐν τῷ τοι κεῖται λεύκ' ὀστέα, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ,
Μίγδα δὲ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.

& Iliad. 23. v. 91. *ὀστέα νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι*. VULP.

v. 95. HÆC POSTQUAM QUERULA MECUM SUB VOCE PEREGIT] His verbis finem imposuit.

fuit. *Agere*, orare, dicere. ut agere causfas; peragere, perorare. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2.

Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca.

& 3. Fast.

Et peragit tales, arbore nixa, sonos.

Horatius Sat. 10. lib. 1.

Et quum

Dura tibi peragenda rei sit caussa Petilli.

Idem Sat. 4. lib. 2.

Utpote res tenues tenui sermone peractas.

id est, scriptas & dictas. *Peregit mecum*, ut dicitur Agere cum aliquo, alloqui, & tractare, & expostulare, & orare. vide adnotata ad illud Eleg. ult. infra: *Caussa perorata est*. *Peragere reum*, est damnare. vide Lexicon Brissonii. Virgilius 5. Æn.

Post ubi confecti cursus, & dona peregit.

id est, omnia tribuit. *Sub*, abundat. sic Eleg. 28. lib. 2.

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi.

Eleg. 3. sup.

Sub matutino cocta jacere Noto.

Ovidius 3. Fast.

Effuge, ne dubita, mœstum, soror, effuge tectum.

Sub verbum querulas impulit aura fores.

Subest autem verbis querimonia. ideo dixit, *Sub voce querula*, simul mœsta & irata. nam Cynthiam querulam inducit Eleg. 6. lib. 3.

Rettulit & querulo jurgia nostra sono.

Eleg. 8. lib. 1.

Et queritur nullos esse relicta deos.

sic Ovidius 5. Fast.

Umbra cruenta Remi visa est adsistere lecto,

Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

PASS.

Omnes omnium libri, cum editionibus primis, *sub lite*. quod verum erat, nec debuit mutari. prima labes ab editione Beroaldina est. auctor Culicis; ad Danaidas:

Otia quærentes frustra sub lite puellæ

Ite, quibus tædas accendit tristis Erinnys.

neque frustra hanc litem Noster *querulam* vocat. sunt enim & aliæ lites amantium, haud sane querulæ. supra Eleg. 5.

Semper habe morsus circa tua colla recentes,

Litibus alternis quos putet esse datos.

vide Horatium L. 1. Ode 13. BROUKH.

Sub voce. ita editio princeps omnium, ante Beroaldum. VULP.

v. 96. INTER COMPLEXUS EXCIDIT UMBRA MEOS] Seneca Troad. v. 460. *Fallax per ipsos umbra complexus abit*. Lucanus lib. 3.

Sic fata refugit

Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.

Ovidius 5. Fast. de umbra Remi:

Mandantem amplecti cupiunt, & brachia tendunt.

Ludicra prensantes effugit umbra manus.

Virgilius 6. Æneid.

Ter, frustra comprensa, manus effugit imago.

Omnes ab Homero Iliad. 23. a versu 99. PASS.

ELEGIA VIII.

DIsce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Quum vicina novis turba cucurrit agris.

Lanu-

AAGUMENTUM ELEGIÆ VIII. LIBRI IV.] De Cynthia Lanovium profecta, ubi templum Junonis, & Draco quidam sacer: deque illius profectionis caussis quum veris, tum simulatis. Narrat etiam, qoomodo a Cynthia in externo amore deprensus fuerit, ac probe multatus.

v. 1. DISCE, QUID ESQUILIAS HAC NOCTE FUGARIT AQUOSAS] Accipe cur Esquiliæ ipsæ fugeriot, sois sedibus convulsæ nocte præterita. *Quid fugavit Esquilias*; cur nemo remanserit Esqoiliis. *Esquilias*, pro ipsis incolis, ot Roma, Italia Ciceroni. Sic Eleg. 22. lib. 1. *Geryonæ stabula*. El. 4. sup. *Mons remissus*. Domus Propertii fuit in Esquilina urbis regione: Eleg. 23. lib. 3.

Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

Aquosas, udas. Horatius pariter Ode 20. lib. 3. *Aquosa Raptus ab Ida*; quam Homerus vocat πολυπίδακα. Aliter sup. Eleg. 5. *Aquosa crystallus*, & Eleg. 16. lib. 2. *Aquosus Orion*. *Fugarit*, vacuas reddiderit actis in fugam incolis, quasi locus ipse fugam arripuerit. Eleg. 22. lib. 3.

Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes.

Cicero 3. Philipp. *Moveri sedibus suis huic urbi melius est, atque in alias, si fieri posset, terras demigrare*. Et in Pisonem: *Mihi ipsa Roma prope convulsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum procedere visa est*. *Hac nocte*, superiore scilicet. Contra Virgilius Ecl. 1.

Hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte.

PASS. *Hac nocte*. *Præterita nocte*, dixit Elegia 14. lib. 2. *Hesterna nocte*, Eleg. 29. lib. ejusd. VULP.

v. 2. QUUM VICINA MEIS TURBA CUCURRIT AGRIS] Vet. lib. Scaligeri:

Quum vicina novis arva cucurrit agris.

unde legit: *Quum vicina novis aura cucurrit agris*. *Et per novos agros Esquilias intelligit, qua eo tempore colebantur, sublato communi sepulcro plebejorum. Horatius:* (Sat. 8. l. 1.) *Nunc licet Esquilis habitare salubribus. Mecænas etiam ibi concessis ab Augusto aliquot jugeribus cœpit hortos colere, qui ab eo Mecænatiani dicti*. Hæc Scaliger, qui *Auram*, strepitum interpretatur, qoi verberavit aures viciniæ, ut Eleg. 10. lib. 3. legit:

Publica vicinæ perstrepat aura viæ.

Ego veterem lectionem retineo, & expono, Frequentia vicinorum se se effudit ad spectaculum Lanovini anguis, & *Cucurrit meis agris*, per meos agros, & prædia Lanuvina. quia Eleg. prox. dicet:

Lanuvii ad portas hei mihi solus eram. P.

Recte Scaliger τὸ *novis* reduxit, quod agnoscunt omnes libri: quamquam nec istud *meis* recens est, quum in primis editionibus legatur. Poeta verò *novos* vocat agroa Esquilinos, a Mæcenate tum primum ad culturam & habitationem redactos. Horatius L. 1. Sat. 8. *novos hortos* dicit quos Noster *agros* appellat. istic autem domum suam habebat noster Aorelius, ut videre est L. 3. Eleg. 22. (23.) deinde *turba* legi debet, non *aura*, quod in nollo libro reperitur. *vicina turba* recte dicuntur vicini de nocte exciti, & festinanter procorrentes ad ædes poetæ, restincturi, ut quidem putabaot, incendium repente coortum. ignis enim Romæ quamvis formidatus, tamen valde frequeos. testes Martialis, Juvenalis, Tacitus. hinc illa turba & confusio nocturna, uti mox videbimus. pessime Passeratius hæc cepit de prædiis Propertii Lanuvinis. Sed erat aliquid dicendum, ne Scaligero non adversaretur. BROUKH. Minus recte hanc Elegiam, qua lepidior vix ulla occurrit, in duas olim dissecuerunt viri eruditi: quarum alteri priocipium esset inde:

Phyl-

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis,
Hic ubi tam raræ non perit hora moræ.

Qua

Phyllis Aventinæ quædam eſt vicina Dianæ. Hîc enim mentio fit de habitatoribus Eſquilinis, nocturnæ rixæ ſtrepitu excitatis, cujus cauſſam ſe narraturum lectori poeta ſtatim pollicetur; nec ante narrat, quam & Cynthiæ profectionem Lanuvium, & obiter Draconis hiſtoriam retulerit. Tandem verſu 59. poſtquam jocoſæ tragœdiæ ſummam diligenter exſecutus eſt, ſubjungit:

Lumina ſopitos turbant elata Quirites,
Omnis & inſana ſemita nocte ſonat.
Illas direptiſque comis, tunicisque ſolutis
Excipit obſcuræ prima taberna viæ.

quæ verſui 59. examuſſim reſpondent,

Turpis in arcana ſonuit quum rixa taberna.

ut nemini jam dubium eſſe poſſit, poſteriora illa cum ſuperioribus continuari oportere. Ceterum Editio princeps A. 1472. longe ante Scaligerum, veram exhibet lectionem:

Cum vicina novie turba cucurrit agris.

VULP.

V. 3. LANUVIUM ANNOSI VATUS AST TUTELA DAACONIS] Strabo lib. 5. Lanuvium municipium Romanum locat in dextra viæ Appiæ, imminens Ariciæ. De Lanuvii & Lavinii differentia lege ſcholia Sigonii in Livii lib. 8. Dionyſius lib. 5. ubi deſcribit & recenſet populos Latii qui conjurarunt in Populum Romanum, Lanuvinos & Lavinienſes diverſos nominat. meminit Livius lib. 6. non procul ab initio, Noſter Eleg. prox. Horatius Ode 27. lib. 3. Cicero 1. de Divinat. ubi loquitur de Roſcio in cunis circumplicato ſerpentis amplexu. Idem 2. de Divinat. in Selonio, qui eſt campus agri Lanuvini, vim magnam anguium fuiſſe ſcribit, adeo ut ad focum nidulari ſolerent. Ovidius 6. Faſt. verbis Junonis:

Et populus Laurens, Lanuviumque meum.

ubi perperam legitur *Laviniumque*. Turnebus lib. 8. Adv. cap. 2. adfert ad hunc verſum id ex Plutarchi Parallelis: Ἡ δ' Ἑστία ἐλαύνουσα δάμαλιν ὑπέβαλεν, καὶ αὐτὴν ἐκόμισεν εἰς Λανούιον, καὶ ἱέρειαν τοῦ σεβομένου παρ' αὐτοῖς δράκοντος ἀπέδειξεν. *Sed Veſta miſerata eam* (filiam Metelli, quam pater immolare parabat Veſtæ ad eam placandam, & ventum ſecundum impetrandum) *juvencam ſuppoſuit, & ipſam tranſtulit ornatam Lanuvium, & ſacerdotem Draconis qui apud illos colitur, conſtituit.* Meminit præterea Lanuvii Cicero in Rullum, pro Milone, & pro Muræna, ubi vocat *Antiquiſſimum municipium & ornatiſſimum*; ut hîc, *Vetus tutela*. *Tutela*, pro eo qui eſt in alterius fide, & quem is tuetur. Sic pueri & puellæ, qui Dianæ erant in fide, ut loquitur Catullus Carm. 34. ab Horatio vocantur Oda 6. lib. 4. *Deliæ tutela deæ*. Ovidius quoque lib. 1. Triſt. Eleg. 9.

Eſt mihi, ſitque precor, flavæ tutela Minervæ
Navis.

Sic dicitur *Cuſtodia*, pro iis qui cuſtodiuntur, apud Juriſconſultos & Suetonium. Aliàs tutela eſt ipſe qui tuetur. vide Elegiam 4. ſup. v. 69. *Vetus tutela*, quia Draco ipſe quum annoſus ſit, & ſit Genius Lanuvii, ipſum Lanuvium vetus eſt. Donatus in Prologo in Andriam: *Vetus plerumque refertur ad laudem*. *Annoſus*, ab annorum multitudine; ut *Ærosſa Cyprus, herboſus, frondoſus*, &c. Sic *Annoſa quercus* Virgilio 4. Æneid. Noſter Eleg. 25. lib. 2. *Annoſus miles*. PASS. *Lanuvium*. Quomodo ſcribenda ſit hæc vox, vide Claudium Dauſquejum ad L. 13. Silii Italici v. 359. qui ita rem ſuam agit, ut non immerito exſcripſiſſe Sigonii Scholia in L. 8. T. Livii videri poſſit. ſed tutemet arbitraberis. Antonius Mancinellus contendit ſcribendum eſſe *Lanivium*, & producit lapidem antiquum, qui ſua tempeſtate in eo ipſo oppido viſebatur, in quo ſcriptum erat S. P. Q. LANIVINVS: Comment. in Horat. L. 3. Ode 27. immemor elementa I & V in lapidibus quaſi promiſcua haberi, & commutari frequcutiſſime inter ſemet. etiam apud Gruterum, CCCLXXXI. 1. legitur CVR. RP. LANIVINOR. Sed hæc non ſunt tanti, ut immorari debeamus. *Vetus eſt tutela Draconis*. res eſt apud Ælianum L. 11. Hiſt. Anim. cap. 16. ubi tamen perperam *Lavinium* legitur pro Lanuvio. quod ab

alis

aliis pridem eſt notatum . & Lanuvii quidem erant Junonis Sifpitæ facra , non confundenda cum facris publicis deûm Penatiom populi Romani , quæ fiebant Lavinii , auctore Aſconio Pediano in Orationem pro M. Scauro. BROUKH. *Vetus eſt tutela Draconis* . Non quod Lanuvini Draconem toerentur , fed magis quod Draco tueri Lanuvinos ptnaretur . Sic in Libero Carmine , Epigr. 77. *Eſt tutela Rhodos beata Solis* . Ælianus diſertiſſime rem totam explicat lib. 11. Hiſt. Anim. cap. 16. Locum integrum afferam , ut eum vertit Conradus Geſneros : *Ceterum in Lavinio facer eſt lucus , magnus & opacus , juxtaque ipſum ædes Junonis Argolidis . In eodem luco latibulum eſt amplum ac profundum , Draconis cubile . In lucum quotannis virgines certis diebus ingrediuntur , quæ mazam geſtant manibus , oculos faſciis devinctæ . Eunt recta ad latibulum divinus quidam ſpiritus deducit . Progrediuntur illæ ſenſim ac pedetentim ſine offenſione , ac ſi detectis oculis viderent . Quod ſi virgines fuerint , cibos tamquam puros , & deo grata animanti convenientes , admittit Draco : ſin minus , non attingit , corruptas eſſe intelligens , & divinans . Formicæ vero hanc relictam ab illo mazam , minutatim confractam ut levius ferant , e luco exportant , expurgandi gratia loci . Hoc quum fit , ab indigenis animadvertitur , & quæ ingreſſæ fuerint judicantur , examinanturque ; & cujus pudicitiam eſſe violatam conſtiterit , pœnâ legibus conſtitutâ plectitur* . Conjicit Scaliger ex hoc Æliani loco , Laviniom & Lanuvium fono quidem vocis diſcrepare ; fed re unum & idem eſſe oppidum . Sane in codd. Valerii Maximi lib. 1. cap. 6. legitur : *Quum Lavinii ſacrificium facere vellet :* fed in quibuſdam , *Quum Lanuvii* . fortaſſe quod una urbs duplici nomine gauderet , nec librarii ſe magnum flagitium committere arbitrarentur hac mutatione . Ceterom ſimile quid Græci narrabant de Trophonio vaticinatore : vide Lucianum in Dialogis mortuorum . Neque longe abeunt qoæ ſcribit Achilles Tatios lib. 8. ſui operis amatorii , ubi de fiſtula Panos . Tutelam porro , ſeu regionis numen , ſeu deniqoe Genium , forma ſerpentis effingere ſolebant veteres : Iſidorus lib. 12. Originum cap. 4. Virgilius lib. 5. Æneid. poſt ambitioſam anguis deſcriptionem , demum ſubjungit :

Incertus Geniumne loci , famulumne parentis
Eſſe putet .

Maronis veſtigia legit Statius l. 5. Theb. v. 505.

Interea campis , nemoris ſacer horror Achæi ,
Terrigena erigitur ſerpens , tractuque ſoluto
Immanem ſe ſe vehit , at poſt terga relinquit .

Et paucis interjectis :

Inachio ſanctum dixere Tonanti
Agricolæ , cui cura loci , & ſilveſtribus aris
Pauper honos .

Perſius Sat. 1.

Pinge duos angues . pueri , ſacer eſt locus , extra
Mejite .

vide ejus Interpretes , ac Thomam Demſterum Paralip. in caput 14. lib. 2. Antiq. Roman. Joannis Roſini . De Lanuvinis , florentibus quondam Latii populis , librum peculiarem ſcripſit atque edidit JOSEPHUS ROCCUS VULPIUS , e Societate JESU , frater meus cariſſimus , acerba morte mihi præreptus Romæ ; ubi triginta quinque & amplios annos , magna cum probitatis & ingenii laude , commoratos fuerat ; V. Kal. Octobris Anno MDCCXLVI. non levi bonis omnibus ſui deſiderio relicto . Is liber , octavus eſt Latii Veteris Profani ; quod opus inchoatum a Viro doctiſſimo *Petro Marcellino Corradino* , S. R. E. Cardinali , idem frater meus juſſo ejus poſtea continuavit & abſolvit ; daturus etiam , ſi per longiorem vitam ei licuiſſet , Vetus Latium Sacrum , qood jampridem promiſerat . Examinator fuit Epiſcoporum (ut appellant) in Aula Romana ; integer , candidus , optimis artibus deditus , laborioſus , non ſibi uni commodus , viris principibus gratus , memoria dignus ; quem pietatis & honoris cauſſâ nomino . In eo libro de Lanuvinis , plura ſunt ad hunc Draconem , de quo Propertius , pertinentia . VULP.

v. 4. HIC UBI TARTAREÆ NON PERIT HORA MORÆ] τὸ *Tartareæ* eſt conjectura , & error Beroaldi , qoi deſcenſom illic eſſe ad Tartara ſomniat , nec ullam eſſe horam quin animæ illac deſcendant . Antea legebatur , *Tam raræ* , id eſt , rariſſimæ , ut Elegia 3. lib. 3.

Parvaque tam magnis admoram fontibus ora .

Turnebos lib. 8. Adv. cap. 2. *Moram* , inquit , *ut opinor , raram dicit , quia rara ſpectaculum hoc videre licuerit* . Hæc ille . Sic ſup. Eleg. 3. *Raris Kalendis* , quotannis ſemel .

Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,
Qua penetral, (virgo, tale iter omne cave.)

Jeju-

mel . nam sequitur : *Pabula poscit Annuo* . *Hora mora* , εἰς τὸ αὐτό . occasio temporis ; temporis momentum . ut Eleg. 7. lib. 1. *Æstatis tempora* . Eleg. 4. lib. 1. *Temporis atot* . Eleg. 3. sup.

Pejerat biberni temporis esse moras .

Hora , pro tempore . Eleg. 10. lib. 3.

Quum fuerit multis exacta trientibus hora .

Non perit , non finitur effluere . Cicero 1. de Leg. *Ea tempora perire non patior* . Noster Eleg. 12. lib. 2.

Et levibus curis magna perire bona . PASS.

Hic , *ubi* . δεικτικῶς . Lanuvium etenim 15. fere millibus passuum Romà distabat . Virgilius Ecl. 3. de loco non ita longinquo : *Hic ad veteres fagos* . *Tam rara mora* . Ita fere Corn. Tacitus lib. 3. Hist. cap. 78. *Dum hæc in partibus Vitellii geruntur , digressus Narnia Vespasiani exercitus , festos Saturni dies Otriculi per otium agitabat . Causa tam pravæ moræ , ut Mutianum opperirentur* . Valerius Flaccus lib. 7. Argon. v. 219. *Quæve fuit patriis mora gratior oris ?* *Mora* Italis *soggiorno* , *stanza* . Iisdem *soggiornare* , interdum est morari , cunctari . Franciscus Petrarcha in Triumpho Temporis :

Però che umana gloria ha tante corna ,
Non è gran maraviglia , se a fiaccarla
Oltre l' usato alquanto si soggiorna .

Non perit hora . non finitur abire vacua , inutilis , sine spectaculo . Ovidius contra Epist. Herûs v. 74.

Tam bona cur periit , nec tibi rapta via est ? VULP.

v. 5. QUA SACER ABRIPITUR CÆCO DESCENSUS HIATU] *Descensus* , ut Virgilius 6. Æneid. *Facilis descensus Averni* . *Sacer* , vel ipsa religione serpentis venerandus ; vel dirus & exsecrandus . Sic a Virgilio dicitur *Auri sacra fames* . & ab Afranio Fratriis : *O sacrum scurram & malum !* & *sacerrimus leno* Plauto Pœnulo . vide Nonium in *Sacrum* . *Abripitur* ; quod Virgilio 6. Æneid. *Patet in præceps* . tribuit motum loco , ut Eleg. 1. sup. *Scandentes arces* . vide adnotata ad illud Eleg. 10. lib. 2. *Extremis tellus se subtrahit undis* . Abripi , e loco tuto in periculosum rapi ; ut abripi in carcerem . Virgilius 1. Æneid.

Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet .

Hiatu cæco . τυφλῷ χάσματι . obscuro & profundo . Eleg. 7. lib. 3.

Et niger invisam traxit hiatus aquam .

Cæcum , obscurum . vide adnotata ad Elegiam 19. l. 1. v. 8. PASS. Mira verborum efficacitas ad sententiæ vim exprimendam . VULP.

v. 6. QUA PENETRAT VIRGO, TALE ITER OMNE CAVE] Scaliger legit e conjectura :

Qua penetral . (virgo , tale iter omne cave .)

nec quicquam aliud addit . Ego ,

Qua penetrat virgo (tale iter omne cave)
Jejuni serpentis honos quum pabula poscit
Annua . &c.

Penetrat , penitus intrat , quia demittitur in eum specum . An legendum ,

Quæ penetras virgo sola iter , omne cave ?

vide ne illuc descendens casta non sis . *Penetrare* , inquit Festus , *Penitus intrare* . Idem : *Penetrale sacrificium dicitur quod in interiore parte sacrarii conficitur* . Nonius : *Penetrare , cum vi ingredi* . *Item , se proripere* . Plautus : *Quo illic homo foras se penetravit ex ædibus ?* *Omne cave* , pro , omnia per enallagen numerorum , ut Eleg. prox. infra : *Quum bibit , omne decet* . Sententia erit ; Quum te committis tam periculosæ viæ , adhibe omnem cautionem , ut sis casta . vide etiam atque etiam ne pudorem pudicitiamque aliqua ex parte læseris . Cicero Epist. 21. lib. 11. ad famil. *Neque metuam quicquam , & cavebo omnia* . *Cave* , ingredienti dicebatur . unde , *Cave canem* : Varro & Petronius . PASS. *Tale iter omne* . structura Tulliana . pro Ligar. C. 1. *Itaque Ligarius , qui omne tale negotium cuperet effugere , paullum adventu Vari conquievit* . minus recte Passeratius dictum ait , quo modo infra , *quum bibit , omne decet* . BROUKH. *Qua penetral* , adytum scilicet ac locus arcanus . Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 1. *Philosophiam ea , quam maximam putat , observatione venerarie , ut*

Jejuni serpentis honos, quum pabula poscit
Annua, & ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ:
Quum tenera anguino creditur ore manus.

Ille

ut tantum intra suum penetral æstimet adorandam. Boëthius de Consol. Philos. lib. 1. Prosa 4. *Penetral innocens domûs. Tale iter omne cave*. Exclamatio frigentis præ horrore, cujusmodi plures apud Maronem. ut Georg. 3.

Dii meliora piis, erroremque hostibus illum.

& Æneid. 3. *Dii talem terris avertite pestem*. VULP.

v. 7. JEJUNI SERPENTIS HONOS, QUUM PABULA POSCIT ANNUA, ET EX IMA SIBILA TORQUET HUMO] An *honos*, sacrificium? nam *sacra* mox vocat. ut Eleg. 6. sup. *Blandi turis honores*. An *honos serpentis*, ipse serpens honoratus? ut Eleg. 4. sup. *Sine matris honore*, id est, honesta matre. *Serpentis jejuni*, famelici & sicci, quia semel quotannis pascebatur. ergo magis metuendi, ut noto ad Eleg. 5. sup. *Jejuna terreat ossa sono*. Confundit autem hic draconem, serpentem, & anguem. ut Virgilius 2. Æneid. *Orbibus immensis angues*. mox: *Serpens amplexus uterque*. mox: *Delubra ad summa dracones Effugiunt*. ubi notat Servius ex verbis Virgilii, angues esse aquarum; serpentes terrarum; dracones templorum. *Dracones*, inquit Festus, *παρὰ τὸ δράκειν, quod aciem oculorum clarissimam habent; ideo & incubare thesauris custodiæ causâ dicuntur, & Æsculapio sacri sunt*. *Poscit pabula annua*: Sibilo ille significat se petere alimenta annua & stata. mox vocabit, *Escas*. Quidquid pascit & alit, pabulum est: unde *Pabula uneris* Lucretio. Virgilius: *Serpens mala gramina pastus*. *Annua*, anniversaria, sollennia, stata. *Poscit*; Donatus in Andriam: *Petimus, precario: poscimus, imperiose: postulamus, jure*. Agrœtius: *Postulatur aliquid honeste: poscitur improbe*. Servius in 9. Æneid. *Poscimus pro merito nostro: Petimus, humiliter & precibus*. ex Varrone. *Et torquet sibila*: Eleg. 7. sup. *Si fallo, vipera nostris Sibilet in tumulis*. *Torquere sibila*, ut *Jacere verba & voces*; quia linguæ ipsæ serpentium vibrantes. Virgilius 2. Æneid.

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

Ex ima humo, e profundo specu. Vet. lib. *Uno*. Beroaldus emendavit, *Ima*. Virgilius 4. Æneid.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat.

Ima, quia humus infima in mundo. PASS. *Quum pabula poscit*. Sic locutus Valerius Flaccus lib. 8. Argon. v. 63. de Colchico Dracoue:

Meque pavens contra solam videt, ac vocat ultro,
Ceu solet, & blandâ poscit me pabula linguâ. VULP.

v. 9. TALIA DEMISSÆ PALLENT AD SACRA PUELLÆ] *Puellæ*; virgines sup. v. 6. & infra v. 11. & 12. *Puellæ* innuptæ. nam & nuptæ puellæ: Eleg. 3. sup. *Salvo grata puella viro*. *Demissæ*, deorsum missæ per funem scilicet; ut Eleg. 7. sup. *Demisso quoties tibi fune pependi*. Demittere se, est descendere cum periculo. Cælius Ciceroni Epist. pænult. lib. 8. ad famil. *Ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse*. & Epist. 1. lib. 9. ad famil. *In res turbulentissimas se demittere*. *Pallent*, exalbescunt metu; quia terrorem pallor & tremor consequitur, inquit Cicero 4. Tusc. Vide Macrobinm lib. 7. Saturn. cap. 11. unde pallor metuentibus; & Diogenis responsum de pallore auri. *Ad talia sacra*, tam periculosa. *ἔρωτα* Draconis illius memorat Plutarchus. PASS. *Pallent*. quæ nimirum sibi consciæ sunt secreti stupri: vel simplicius, quia timidæ, ut mulieres omnes. VULP.

v. 10. QUUM TEMERE ANGUINEO CREDITUR ORE MANUS] Committitur ori serpentis, & inseritur dentatis hiatibus. *Ore*, pro ori, ut Eleg. 18. lib. 2.

Turpis Romano Belgicus ore color.

Servio dicitur Antiptosis ad illud 12. Æn. *Nec sospite dirum Optabis nato funus pater*. *Anguinea* vero legendum, non *Anguina*; ut

Catul-

Ille ſibi admotas a virgine corripit eſcas:
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.
Si fuerint caſtæ, redeunt in colla parentum;
Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.

Huc

Catullus, *Anguino capillo*, & Plautus Amphitr. *Anguineo feminio*. quamvis Plinius *Anguina ova* dicat, & *Anguinam venationem*; niſi forſitan media ſyllaba producatur, ut ab ovis, ovinus: a bis, bious. *Temere*, ſtulte; ut Eleg. 21. lib. 2.

Diſcito deſertæ non temere eſſe bonæ.

Q. Cicero: *Nihil temere credere*. Plautus: *Male*, & *Bene credi*. Alii libri, *Teneræ*. ut Eleg. 7. lib. 3.

Et duro teneras lædere fune manus.

Sed, *Temere*, proba videtur lectio. PASS. Libri *Quum temere*. melius Scaligeri liber *tenera*. quod tamen Gebhardo non potuit placere, reponenti ex Comelini membranis *tremere*, i. e. tremens. certe in noſtro primo legitur *Quum tremere*. inde Gebhardo ſuppetias ferat, ſi quis amat reconditarum vocum fœtores. mihi certum eſt, Propertium fuiſſe unum ex iis, qui ſcribebant ut intelligerentur. deinde pro *anguineo*, in noſtris codicibus, inque Groniogano eſt *anguino*. quod verum puto, & video expreſſum in Veneta, Aldina, Colinæana. Pacuvius apud Ciceronem lib. 2. de Divinat. *cervice anguina*. Catullus: *Anguino redimita capillo Frons*. ſane ab *anguis* non poteſt *anguineus* formari, ut *ſanguineus* a *ſanguis*. quamquam ANGVINEA CIRCVLATVM VERTVGINE legitur in Gruteri ſpuriis XXIV. 6. ſed, ut dixi, in ſpuriis. miror, non refugiſſe vocem improbam ſummum virum Hieron. Fracaſtorium L. 2. Syphil.

Addit etiam anguineum cucumin, Nabathæaque thura.

& Carmine 10.

Nec curſu impar, nec dente minaci
Segnior, anguineo ſuffuſus terga colore.

melius Balthaſar Caſtilionus, vir & ipſe laudatiſſimus, Carm. 6.

Os informe illis, rictus oculique minaces.
Asperaque anguina cortice membra rigent.

vide ſis Iſaac. Voſſium Obſerv. ad Catull. p. 215. BROUKH. *Anguineo* tamen in omnium principe Editione. VULP.

v. 11. ILLE SIBI ADMOTAS A VIRGINE CORRIPIT ESCAS.] Non dixit, ſumit; ſed *corripit*, ob aviditatem & famem. ſic Eleg. ult. infra:

Fallax Tantaleo corripiare liquor.

Virgilius 6. Æneid. de Cerbero: *Ille fame rabidâ tria guttura pandens Corripit objectam* (offam.) Legitur & *Colligit*, pro, corripit, quod idem valet. Lucilius apud Nonium in *Colligere*, auferre: *Ruis hæc, & colligis omnia furtim*. nam legere eſt etiam carpere, vel rapere. *Eſcas*, ſupra *pabula*. *Epulas* vocat Virgilius 4. Æneid. Vide adnotata de hoc verbo ad Eleg. 7. lib. 3. v. 8. *Admotas*, plus eſt, quam oblatas. ſic Virgilius 4. Æneid. *Admorunt ubera tigres*. & Eleg. 3. lib. 3. *Admoram fontibus ora*. PASS. *Colligit*, Editio princeps. *Eſcas*. Mazam, de qua Ælianus. Fuit autem placenta ex farina, oleo, & aqua, teſte Suida. V.

v. 12. VIRGINIS IN PALMIS IPSA CANISTRA TREMUNT] τὸ *Ipſa* abundat, & ornatus tantum. ut Eleg. 4. ſup.

Ipſaque in Oceanum ſidera lapſa cadunt.

Caniſtra. vide adnotata ad Eleg. 13. lib. 3. v. 28. *Tremunt*, quia manus ipſa virginis tremit. *Tremere*, ut ſupra Pallere in metu. *In palmis*, manibus. Eleg. 19. lib. 1. *Falſis palmis*. Eleg. 20. lib. ejuſd. *Demiſſis palmis*. [Eleg. 26. lib. 2. *Extollens gurgite palmas*.] Iſidorus lib. 11. *Palma eſt manus expanſis digitis, ut contractis pugnus*. Ideo Cicero de Fin. & in Orat. Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem ait viſam Zenoni. *Virginis*, παρθένου. PASS.

v. 13. SI FUERINT CASTÆ, REDEUNT IN COLLA PARENTUM] Sic Eleg. 7. ſup.

Alternâ veniunt in tua colla manu. PASS.

Deeſt alterum partitionis membrum: ſin pollutæ deprehenduntur, ſupplicio damnantur, cervicem ſecuri ſupponunt; vel ſimile quippiam. VULP.

v. 14. CLAMANTQUE AGRICOLÆ, FERTILIS ANNUS ERIT] *Clamant*, præ lætitia. Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis:
Caussa fuit Juno, sed mage caussa Venus.

Ap-

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet, Io messes, & bena vina date.

Fertilis annus, omni genere frugum, & pecuris abundans. *Felix & facer annus* Tibullo Eleg. 5. lib. 2. Virgilius 1. Georg. *Et Cererem clamore vocent in tecta*. PASS. *Clamentque agricolæ*. duriusculum hoc est, nec pro venustate nostri poetæ. Puto, *Clamans agricola*. BROUKH.

v. 15. HUC MEA DETONSIS AVECTA EST CYNTHIA MANNIS] Huc, pro illuc. El. 6. sup. *Huc mundi coiere manus*. Servius ad illud 1. Æneid. *Hic illius arma: Figura celeberrima*, inquit, *adverbium pro adverbio loci præsentis: pro absentis, hic, pro illic*. *Mea Cynthia*, ut Eleg. 5. lib. 1. v. 31. *Avecta*, ab urbe vecta. Eleg. 2. lib. 1.

Avecta externis Hippodamia rotis.

Mannis. Beroaldi conjectura, sed certa. Isidorus lib. 12. cap. 1. *Mannus, equus brevior est, quem vulgo brunitum vocant, vel brunitium*. Vetus Interpres Horatii in Oden 27. lib. 3. *Mannos, equos parvos, burdos, sive burichos. Mannus autem dicitur quod mansuetudine manum familiarius sequatur*. Idem in Epod. 4. *Manni, equi sunt quos vulgo burdones, seu burichos nominamus*. Et in Epist. 7. *Mannis, parvis equis burichis*. Glossæ: *Mannis, βρεῖχοις*. Seneca Epist. 88. *Obesis mannis, & asturconibus*. *Mannuli* etiam dicuntur per diminutionem Plinio Juniori, & Martiali. An *Manni*, eculei, qui vulgo *Bidets*? Apud A. Gellium lib. 19. cap. 13. Cinna, *Bigæ nunc: Bigis rheda rapit citata nanis*. & Martialis lib. 14. Lemmate 197. *Mulæ pumiliæ*. *Detonsis*, valde tonsis, quibusque ademtæ forcipibus jubæ, unde deformes & viles. In Sabinum Virgilius Catalectis, [Parodia Catulliana:] *Bidente dicit attondisse forcipe Comata colla, ne qua sordidum jugo Premens dura vulnus ederet jubæ*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 16.

Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis,
Ipsa per admissas concute lora jubas.

ubi *admissæ jubæ*, laxæ & promissæ, ut formosiores manni. & alibi de mannis:

Frenaque in effusa laxa jacere juba.

Detonsi manni, inquit Beroaldus, pexi & ornati. non probo. Detonsi, ut Plautus Bacchid. *Detonsa hic ovis*. Ovidius 3. Fast.

Arboribus cedebant detonsæ frigore frondes.

Idem 6. Fast.

Nec mihi detonso crines depectere buxo.

id est, rasili. PASS.

v. 16. CAUSSA FUIT JUNO, SED MAGE CAUSSA VENUS] *Caussa Juno*, prætextus, quia fingebat Cynthia se religione *Junonis Sospitæ* commoveri, quæ colebatur sanctissime Lanuvii: Cicero pro Milone & Murena, in fine, & 1. de Nat. Deor. Livius lib. 8. 9. & 22. Festus eam *Sispitam* quoque dictam ait. Silius Italicus lib. 13.

Lanuvio generate, inquit, quem Sospita Juno
Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem.

Diphthongus autem est; Caussa, caussâ. ut Cicero: *Ea caussa caussam non habet*. *Caussa Venus*, id est, libido. vide El. 32. l. 2. ubi ait excurrere Cynthiam ab Urbe specie religionis, sed re vera stupri caussâ. P. Junonis Sospitæ, sive Sispitæ, festo annuo iter suum Cynthia prætexebat: quamvis re ipsa cum isto suo vulso nepote, Veneri pervigilium solutura, Lanuvium proficisceretur. Erat huic municipio vetus sacri Junonii communio cum populo Romano. originem tradit Livius L. 8. C. 14. *Lanuvinis civitas data, sacraque sua reddita cum eo, ut ædes lucusque Sospitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset*. id factum est L. Furio Camillo, C. Mænio Coss. Exinde Consules Romani quotannis Junonis Sospitæ sacra faciebant reipublicæ caussa: Cicero Orat. pro L. Murena C. 41. Itaque discere nobis licet, ex hoc Propertii loco, spectaculum Draconis Lanuvini incidisse in festum Sospitæ Junonis, cujus ipse in luco stabulabatur, ut tradidit Ælianus. utrumque celebrari solere opinor mense Junio. vide Nasonem L. 6. Fast. a versu 57. Priscam deam fuisse, & prisco simplicique cultu gavisam, ostendit descriptio simulacri ejus apud Ciceronem L. 1. de Nat. Deor. C. 29. *Quid igitur censes? Apim illum, san-*

Appia dic, quæso, quantum te teste triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis,

Tur-

sanctum Ægyptiorum bovem, nonne deum videri Ægyptiis? tam hercle, quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu numquam ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum calceolis repandis. At non est talis Argiva, nec Romana Juno. ergo alia species Junonis Argivis, alia Lanuvinis. Ba. Juno fuit Cynthiæ itioeris caussa ἐμφανής; quamvis nihil minus esset quam caussa. πρόφασιν intellige. Venus autem fuit αἰτία, caussa vera, & proprie dicta. Sic Tibullus Carm. 6. lib. 4. ad Junonem de Sulpicia:

Illa quidem ornandi caussas tibi, diva, relegat;
Est tamen, occulte cui placuisse velit.

Apte Seneca in calce Epist. 116. *Nolle in caussa est: non posse prætenditur.* Item Corn. Tacitus lib. 2. Annal. cap. 59. *Germanicus Ægyptum proficiscitur, cognoscendæ antiquitatis* (caussâ), *sed cura provinciæ prætendebatur.* Ovidius quoque lib. 1. Amor. El. 8.

Sæpe nega noctes. capitis modo finge dolorem,
Et modo quæ caussas præbeat, Isis erit.

Adde Homerum lib. 19. Iliad. v. 301.

Ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες,
Πάτροκλον πρόφασιν, σφῶν δ' αὐτῶν κήδε' ἑκάστη.

Adgemebant autem mulieres, De Patroclo specie, de suis vero ipsarum malis singulæ. VULP.

v. 17. APPIA DIC, QUÆSO, QUANTUM TE TESTE TRIUMPHUM EGERIT, EFFUSIS PER TUA SAXA ROTIS] Apostrophe ad rem mutam. ut Eleg. 5. sup.

Urgeat hunc supra vir, caprifice, tua.

Sic Appiam alloquitur Martialis lib. 9. Epigr. 104. *Te teste.* formulam fuisse puto testes rogandi, *Dic*. Cicero 2. de Orat. *Dic de Sexto Annali.* Sic in sententiis in Senatu rogandis, *Dic Marce Tulli*: l. 5. 7. & 9. Epist. ad Attic. Livius lib. 9. *Dic Spuri Postumi.* Sic in judiciis ad reum, patronum, accusatorem. Martialis lib. 6. *Jam dic Postume de tribus capellis.* Sic testibus dicebatur; *Testimonium in eam rem perhibetote. Dic*, interrogatio & testimonium rei mutæ, ut Eleg. 20. lib. 1.

Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Vide adnotata de via Appia ad Eleg. 32. lib. 2. v. 6. ubi affero illud Horatii, *Via te conspexerit Appi. Te teste*, arbitra; quasi oculata sit via. Sic Eleg. 31. lib. 2.

Testis eris puras, Phœbe, videre manus.

Egerit triumphum, triumpharit acto curru per viam. Eleg. 1. sup.

Quattuor hinc albos Romulus egit equos.

Sic *Egit choros Ariadna*, Eleg. 3. lib. 2. Cicero 6. de Rep. *Quum triumphum egeris, censorque fueris.* & Epist. 10. lib. 3. ad famil. *Age victor ex inimicorum dolore triumphum justissimum. Effusis per tua saxa rotis*, quod Eleg. 9. lib. 3. dixit:

Dexteraque immissis da mihi signa rotis.

Effundere, totum simul emittere. Virgilius 1. Georg. *Carceribus sese effudere quadrigæ.* & 3. Georg. *Ruuntque effusi carcere currus.* Ductum a rebus liquidis, ut illud: *Vomit undam salutantum. Rotæ*, pro curru, ut Eleg. 1. lib. 3.

Scriptorumque meas turba secuta rotas.

Per tua saxa; ambigue; vel strata saxea, sive per viam saxo & lapide silice stratam; Eleg. 5. sup.

Saxosamque terat sedula culpa viam.

Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

vel quia saxosa ea via & aspera. Statius 4. Silv. in Via Domitiani: *Quis duri silicis, gravisque ferri Immanis sonus, æquori propinquum Saxosæ latus Appiæ replevit?* PASS. *Appia dic, quæso.* exprobratio amarulenta ad exaggerandum Cynthiæ lasciviam. tale est illud Juvenalis Sat. 6.

Sed jacet in servi complexibus, aut equitis. dic,
Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem.

- - - - Erat autem via Appia valde celebris commercio amorum. hinc ipse ille Appius Cæcus invehitur in Clodiam, apud Ciceronem Orat. pro Cœlio C. 14. *Ideóne ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorum quotidie fœdera ferires? ideo aquam adduxi, ut eâ tu inceste uterere? ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata celebra-*

Turpis in arcana ſonuit quum rixa taberna:
Si ſine me, famæ non ſine labe meæ.
Spectaclum ipſa ſedens primo temone pependit,
Auſa per impuros frena movere locos.

Seri-

lebraret? BROUAH. *Appia dic, quaſo.* Horatius Epiſt. 6. lib. 1. v. 25.

Quum bene notum
Porticus Agrippæ, & via te conſpexerit Appi.

vide ibi Andream Dacerium. *Quantum te ſeſe triumphum Egerit.* εἰρωνικῶς. triumphus enim hoc loco eſt impudens & publica profeſſio libidinis, morumque diſſolutorum. VULP.

v. 19. TURPIS IN ARCANA SONUIT QUUM RIXA TABERNA] Quia turpe rixari cum mulieribus, & in taberna. Sic *Turpes coxollæ*, Eleg. 16. lib. 1. & *Turpis ſomnus in limine*, ibid. Eleg. 5. lib. 2. *Turpia prælia. Rixa ſonnit*, longe lateque audita eſt. El. prox. infra:

Omnis & inſana ſemita nocte ſonat.

Eleg. verò 18. lib. 3.

Et ſonat Herculeo ſtructa labore via.

vide illic adnotata. *Tabernâ arcanâ.* Donatus in Adelph. *Veteres ganeum meretricum tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γῆς, νῦν ἐςὶ τῆς γῆς, quod ſit in terra, non, ut cœnacula, ſuperius. unde & taberna, quaſi trabena, a validioribus dicta trabibus, quibus ſuperiora ſuſpenſa ſunt.* Iſidorus lib. 15. cap. 2. *Taberna olim vocabantur ædiculæ plebejorum parva & ſimplices, in viis, axibus & tabulis clauſæ, dictæ quod ex tabulis ligneis erant conſtructæ; quæ nunc etſi non ſpeciem, tamen nomen priſtinum retinent.* Vide Feſtum, Nonium, Ulpianum J. C. L. *Taberna* 183. *de Verb. Sign.* Inde tabernariæ fabulæ Romanis; de quibus Diomedes lib. 3. *Arcanâ tabernâ*, remotâ, obſcurâ. ut El. 9. infra:

Illas
Excipit obſcuræ prima taberna viæ.

Sic Eleg. 7. ſup. *Arcanas ſalivas.* ubi vide adnotata. Vet. lib. *Aricinâ.* fortaſſe recte; quia Ariciæ imminebat Lanuvium, ut ait Strabo lib. 5. & Ariciuæ tabernæ & diverſoria in ipſa Appia: Horatius Sat. 5. l. 1. v. 1. Juvenalis Sat. 4.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes. PASS.

v. 20. SI SINE ME, FAMÆ NON SINE LABE MEÆ] Pro, etſi; & ſubauditur, tamen. ut Eleg. 28. lib. 2.

Si non unius, quæſo miſerere duorum.

Sine me rixa illa ſonuit, quia ego tacitua & ſtupens, ut Eleg. prox. ſeq. Quamvis ipſe corpore adeſſem, aberam tamen animo. Aliter Eleg. 16. lib. 2.

Nunc ſine me plenâ fiunt convivia menſâ,
Nunc ſine me totâ janua nocte patet.

Labe, macula & dedecore, ut Eleg. ult. infra:

Nec ulla
Labe mea veſtros erubuiſſe focos.

Feſtus: *Labes macula in veſtimento dicitur, unde transfertur in homines vituperatione dignos.* Ergo a lavando, quod eluenda ſit. An *Labes* proprie lutum in quo labimur; unde laboſum iter Lucillio? & *Labes* in agris χάσμα. Servius in 12. Æneid. *Hinc mihi prima mali labes. Labes*, inquit, *ruina, a lapſu.* Virgilius 6. Æneid. *Concretam exemit labem.* Ovidius Epiſt. Deïaniræ:

Lætaque ſit vitæ labe noverca tuæ.

Cicero 2. de Leg. *Labes animi manibus ulli elui non poteſt.* Labes autem Propertii famæ aſperſa, quia deprehenſus inter meretrices, & quia vapularit, &c. [Præterea, quod Cynthia datam illi fidem frangeret, ac decoctiorem hominem eidem aperte præferret.] PASS.

v. 21. SPECTACLUM IPSA SEDENS PRIMO TEMONE PEPENDIT] Licet ſederet in curru, tamen & pendebat, ut ſolebant agitatores, qui ſedentes in jugis curruum, propendebant in eam partem, qua verberibus equos ad curſum incitabant. Virgilius 5. Æneid.

Nec ſic immiſſis aurigæ undantia lora
Concuſſere jugis, pronique in verbera pendent.

An ita ſedebat, ut plerumque aurigæ demiſſis cruribus & pendentibus utriſque ſimul una ex parte, ut equitare ſolent mulieres? *Ipſa pependit ſpectaclum*, conſpicienda. nam ſpectaculum eſt rei, & loci, &

homi-

hominis. hominis, ut hic, & apud Ovidium 3. Fast.

Quum redeunt titubant, & sunt spectacula vulgi.

Horatius Sat. 7. lib. 1.

In jus
Acres concurrunt, magnum spectaculum uterque.

& Ode 28. lib. 1.

Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti.

Rei, ut infra v. 56.

Spectaculum capta nec minus urbe fuit.

Loci, ut in Curcul. Plauti: *Spectacula ibi ruunt*. Isidorus lib. 18. cap. 16. *Dicta spectacula, eo quod hominibus ibi publica præbeatur inspectio, eademque ludicra nominantur ob ludos & scenas*. *Pependit spectaculum*. Idem valet in Milite Plauti: *Ut te quasi pompam illac præterducerem*. *Primo temone*, prima parte temonis, ut Eleg. 26. lib. 2.

At tu vix primas extollens gurgite palmas.

Ovidius 4. Fast. de Claudia Vestali:

Ipsa sedens plaustro primo temone pependit.

Temo, inquit Varro 6. de L. L. *dictus est a tenendo; is enim continet jugum & plaustrum*. Lignum est quod ad jugum inter equos excurrit; ῥύμος, σύζυγμα. vulgo, *Timon*. Servius in illud 1. Georg.

Hinc a stirpe pedes temo protentus in octo;
Temo ad quem ligantur, vel junguntur boves.

Virgilius 3. Georg. *Junctos temo trahat aureus axes*. PASS. *Spectaculum ipsa sedens*. Juvat huc afferre versus Q. Sectani, poetæ recentioris, Romæ patrum memoria celeberrimi, Sat. 7. v. 140.

En matrona potens, & flectere docta quadrigas
Lora quatit. Rido; nam de temone Latino
Excidit, & strictas nudavit fascia mammas.
Cetera secreto velum bombyce tuetur,
Servavitque suum mulier braccata pudorem.

Ad eum locum ita scriptor ἀνώνυμος: *Etiam apud mulieres aurigandi studium transiit. exemplum hujus matronæ profertur, cujus lapsum ita perbelle pingit Sectanus. Artem hanc veteribus feminis ignotam fateri ex authorum silentio cogor*. Scilicet oblitus fuit hic Scholiastes, horum versuum Propertii de Cynthia aurigante: oblitus & Nausicaæ Homericæ, quæ Odyss. lib. 6. prope finem, ἵμασιν μάστιγι φαεινῇ Ἡμιόνους, & μάλ' ἐπίσχεν. *flagello levit flagello splendido mulos*, & *plane aurigabatur*. oblitus & Ovidii versuum lib. 2. Amor. Eleg. 16. ad Corinnam:

Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis
Ipsa per admissos concute lora jubas.

Primo temone. Ita Valerius Flaccus lib. 6. v. 83. ubi de Scytharum plaustris:

Et puer e primo torquens temone catejas.

Scamno scilicet equis proximo, ubi sedent aurigæ. Phædrus Fab. 6. lib. 3. *Sed istum timeo, sella qui prima sedens Jugum flagello temperat lento meum, Et lora frenis continet spumantibus*. *Pependit*; Hic erat olim status agitatorum in Circo, qui proni pendebant semper, ut eos nobis exhibent nummi, ac lapides. VULP.

v. 22. AUSA PER IMPUROS FRENA MOVERE LOCOS] Quæ temeraria id aggressa est supra vires & pudorem. ut Eleg. 18. lib. 2.

Palladis aut oculos ausa negare bonos.

Movere frena. Virgilius 12. Æneid. *Manibus molitur habenas*. & 5. Æneid. *Immissis aurigæ undantia frena Concussere jugis*. Seneca:

Et propior nocti Phœbus quatiebat habenas.

Per locos impuros. An per Esquilias, ubi puticuli? An Viam Sacram, lutosam? Elegia 23. lib. 2.

Cui sæpe immundo Sacra conteritur Via socco.

An viam Appiam, cujus memorat saxa sup. v. 18? An Aricinam tabernam, de qua dictum ad v. 19? nam cauponæ lenoniam etiam exercebant. An quia Lanuvini male audiebant? An quod Selonium campum agri Lanuvini serpentibus abundare scribit Cicero 2. de Divinatione? Nam de Suburra non loquitur, nisi profectam inde significet. Donatus in Adelphos *Impurum hominem, modo improbum, modo avarum* exponit. Nonius: *Impurus, vitio maculatus*. Item, *Improbus*. Plautus in Persa: *Impure leno*. & in Curcul. *Impura lena*. Ergo *impuri loci*, lenonii, ut loquitur Plautus, utque *Lenonis impuritiæ* dicuntur in Persa. Cicero pro Q. Roscio: *Lutulenta, impura, invisa persona lenonis*. Aliter *Purus locus* dicitur J. C. L. 1. §. *Purus*, *De relig. & sumt. fun.* qui neque sacer, neque sanctus, neque religiosus. & *Purus campus* Virgilio & Ovidio, vacuus & late patens sine ullis arboribus. vulgo: *Campaigne rase*. PASS.

v. 23.

Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes.

Qui

v. 23. SERICA NAM TACEO VOLSI CARPENTA NEPOTIS] Vet. Lib. *Sirigenum tacta;* unde Beroaldus fecit, *Serica nam taceo;* *mitto*, inquit, *eo dicere*. non probo. Turnebus lib. 8. Adv. cap. 2. *Striga, nam* &c. *Strigare*, inquit, *est in strigam equos, vel mulas junctos agere, & recta dirigere ne diversi abeant, hi in hanc, illi in illam partem. Eo verbo usus est, qui parodiam venustissimam Epigrammatis Catulliani lusit in Ventidium mulionem:*

Et inde tot per orbitosa millia
Jugum tulisse, lævâ sive dexterâ
Strigare mulas, sive utrimque cœperat.

Hæc Turnebus. Charisius lib. 1. *Striga, castrense vocabulum, intervallum turmarum significans, in qua equi stringuntur, unde etiam strigosi dicuntur corpore macilenta.* Scaliger autem in Catalecta: *Strigare dicuntur equi quoties interquiescunt, veluti ad urinam mittendam*. Striga, in vet. gloss. ἡ κιμωλία, hoc est, creta, quod eâ stringuntur vestimenta apud fullonem. Item: *Striga*, λαιστρυγών, ἡ γυνὴ φαρμακίς. Corrige, *Strix*. Glossæ: *Triga* (mendose pro *striga*) τόπος ὅπου ἵπποι γυμνάζονται. contrarium est *restrigare*. Seneca Epist. 4. *Surge, & restriga, ac clivum istum una, si potes, spiritu exsupera*. Hæc Scaliger. Strigare, interjungere, jungere, & abjungere, sive abjugare, verba aurigarum. Pro, *Taceo*, vet. lib. *sapio*, *sapia*, *tacto*. unde Scaliger, & alii auctore Turnebo legunt *Capto*. *Capto carpenta*, quasi ex insidiis capere volo, & rogare, ut det mihi mutua quæ non reddam, ut apud Catullum meretricula agens de hominibus ad lecticam: *Istos commodita, vola ad Serapim Ferri mane*. *Carpentum*, inquit Isidorus lib. 20. cap. 12. *pompaticum vehiculi genus est, quasi carrum pompaticum*. Ex quibus verbis apta sacrorum pompæ ea vehicula fuisse intelligimus. At Cynthia Junonis sacrum suæ libidini prætendebat. Festus: *Pilentis & carpentis per urbem vehi matronis concessum est, quod quum aurum non reperiretur, ex vota quod Camillus voverat Apollini Delphico, contulerunt*. Varro 4. de L. L. *Super eum ut mitteret carpentum mulio, jussit*. (Tullia). Ovidius 1. Fast.

Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.
Hæc quoque ob Evandri dicta parente reor.

Carmentâ scilicet. Suetonius in Claudio cap. 11. *Natali die matri carpentum (decrevit) quo per circum duceretur*. Idem ibid. cap. 17. *Currum ejus Messalina uxor carpento secuta est*. Vide figurum carpenti apud Lævinum Torrentium in Notis ad Suetonium 353. initio. *Carpenta Gallica* commemorat Livius lib. 31. Inde *Carpentarius* Isidoro libro 19. cap. 19. qui carpenta facit. sed Jurisconsulti latius sumunt pro fabris lignariis in exercitu. unde nobis *Charpentiers*. *Volsi*, pro vulsi; ut Volsinii. pro Vulsinii, Eleg. 2. sup. & *volt*, pro vult: *servos*, pro servus. Vulsi autem cinædi, quibus pili vellebantur, glabrique fiebant. Plautus Aulul. 2, 6. *Tu istum gallum, si sapis, glabriorem mihi reddes, quam volsus ludius est*. Hinc *vulsa corpora* (effeminatorum) Fabio in proœmio lib. 8. Hinc *volsella* in instrumento lenonio apud Plautum Curcul. 4, 4. & Martialem lib. 9. *Purgantque sæva cana labra volsella*. Suetonius in Cæsare cap. 45. *Vellebatur Cæsar, non solum radebatur*. Velli etiam mares ad libidinem dixit in Galba cap. 22. *Volso corpore esse* in Othone cap. 11. Scaliger: *Volsum* διῃρημένον, *nepotem*, ἄσωτον intelligo. &c. *Nepotes*, prodigi & luxuriosi. dictum ad Eleg. 13. lib. 3. v. 11. Confirmant Beroaldi & Scaligeri interpretationem quæ sequuntur de sagina, & de barba erasa: sed tamen *Volsi* & *Volesi Nepotes* Romæ fuerunt. Juvenalis Sat. 8.

Et quæ
Turpia cerdoni Volsos Brutosque decebant.

Volusii Nepotis mentio apud Festum in voce *Optima*. Catullus: *Volusii Annales*. Item *Nepotes Metelli & Cornelii*. [*Nepos* videlicet harum familiarum cognomen.] PASS. *Striga, nam rapta*. hæc ita nobis concinnavit Scaliger, & ex parta Turnebus; ut sit mimesis ex persona Cynthiæ. quod sane omnem orationis seriem interturbat: nam poeta solus loquitur per totam Elegiam. id autem statim videbimus, ubi veram prius lectionem

nem eruerimus. libri multum variant. noster primus, *Suriga non tacto:* secundus, *Siriga nam capio:* Borrichianus, *Siriga non tacto:* unus Regius, unusque Colbertinus, *Siriga nam capto;* hic tamen in margine habebat, *Serica non taceo:* tandem alter Regius, *Serica nam taceo*. hæc est vera lectio; quam a Beroaldo feliciter restitutam (licet ex solo ingenio) pro nugaci commento Scaliger habuit, & sequaces invenit multos. Describit Propertius joculare quoddam facinus suum, quod tamen nequiter & ipsi expetivit, & ambobus simul scortillis. Profecta, inquit, Lanuvium Cynthia ad festum Junonis Argolidis, ipsa per summum lasciviam voluit aurigæ munus obire, idque in via Appia, frequentissima illa ac celeberrima, scilicet ne deesset viatoribus benigna sedes mordacium jocorum. Deflexit inde ad famosam tabernam, sive ganeum potius, ubi rixa turpi inter prostitutas mulieres omnia personnerunt. Hic ego quamvis absens, omni contumeliæ genere haud perfunctorie proscindebar. Taceo nunc glabrum illum Ganymedem, cujus carpento sericis velis obducto vehebatur; taceo canes illos ingentes, quorum colla per insignem nequitiam suis ipsa armillis Cynthia redimiverat. Hæc inquam & talia quum fierent quotidie fere, visum & mihi fuit tandem castra movere, atque in duobus lepidis mercimoniis animum oblectare. &c. Istæc puto sic satis commode cohærent, clareque evincunt duas quas vulgo faciunt Elegias non nisi unam esse. quod & Gronovius monuit in Observationibus. istud *nam taceo* longum figit aculeum in animo auditoris. eadem paralepsi usus est festivissimus Lucilius apud Julium Rufinianum lib. de Schematis Lexeos:

Non tango quod avarus homo est, quodque improbu' mitto.

Sic Cicero in Verrem: *Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus ac vigiliis; lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat: damna, dedecora . . . prætereantur. Non tibi objicio. taceo.* & in Vatinium C. 5. *Tempus inennis ætatis tuæ patiar latere.* Insigne hujus schematis exemplum est Orat. pro Lege Manil. C. 20. & pro Cluentio C. 36. ac 66. tu vide eximii viri Ger. Jo. Vossii librum 5. Instit. Orat. C. 6. sect. 6. Præterieram τὸ *Striga* hoc loco peccare contra leges metricas, quum primam non producat. id vero jam pridem monuit Salmasius Exercitat. Plinian. p. 40. ubi legi jubet, *Syrica nam taceo*, intelligitque carpenta miniata, & Syrico inducta. miror. nam Plinius Syricum habet inter colores ignobiles L. 35. C. 6. *e vilioribus ochra, cerussa usta, sandaracha, sandyx, Syricum, atramentum.* Sane carpentum tam frugale non debebat notari tamquam instrumentum diffluentis nequitiæ. BROUKH. Utor judicio limato & polito viri elegantissimi, qui sane de hoc Propertii loco, & de tota Elegia omnium optime promeritus est. VULP.

v. 24. ATQUE ARMILLATOS COLLA MOLOSSA CANES] *Armillatus* est qui armillas gestat, ut apud Suetonium in Caligula cap. 52. & in Nerone c. 30. Isidorus l. 19. cap. 31. *At armilla, licet gestetur brachio, a circuli forma non distat, quia ubi ponitur id ambiendo* (sic legendum, non *ambigendo*) *constringit, & quando latius extenditur, circulus rotundus fit.* Ab ea igitur forma Propertius collare vocavit armillum. Proprie tamen, inquit Festus in *Millus*; *Collare canum venaticorum millus dicitur; factum ex corio, confixumque clavis ferreis eminentibus adversus impetum luporum. Scipio Æmilianus ad populum: Vobis, inquit, reique publicæ præsidio erit is, quasi millus cani.* At apud Varronem lib. 2. R. R. cap. 9. *Mælium* dicitur in optimis exemplaribus. aliàs *Melium. Ne vulnerentur a bestiis, imponuntur iis collaria, quæ vocantur Mælium. id est cingulum circum collum ex corio firmo cum clavulis capitatis, quæ intra capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri.* Vet. Gloss. *Armilla & Armillum*, Ψέλιον, χλίδιον. *Armillarius*, Ψελιοποιός. *Armillata colla*, colla vincti armillis, seu collaribus, per synecdochen poeticam, ut Eleg. 2. l. 2. *Pectus aperta comis. Molossa colla.* alia synecdoche, qua totum intelligitur ex parte, ut Eleg. 1. sup. *Rudi collo, & humeros pios.* Epirotici autem canes, sive Molossi, generosi habebantur. Varro lib. 2. R. R. cap. 9. Horatius Epodo 6. & Sat. 6. l. 2. Virgilius 3. Georg.

Veloces Spartæ catulos, acremque Molossum
Pasce sero pingui.

ubi Servius: *Molossia Epeiri civitas.* Plautus Captiv. 1, 1. *Prolatis rebus parasiti venatici sumus: quando res redierunt, Molossici.* A Molosso filio Pyrrhi & Andromaches, regionem Epeiri dictam Molossiam volunt.

Pau-

Qui dabit immundæ venalia fata saginæ,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.

Quum

Pausanias in Atticis meminit ejus Molossi. Idem in Arcadicis Molossum amnem commemorat. De Molossis populis multa Strabo lib. 7. Vide Junium Proverb. 14. centur. 5. PASS. Millum hic, sive collare, intelligunt, si diis placet. Verùm dicant mihi, estne hæc res nova, si canis gestat millum? quæve hic luxuria est, quæve nequitia, quam poeta tam acriter insectetur? aut quis *armillam* umquam posuit pro collari canino? Tu ita cape; Cynthiam, detractis millis, canibus istis aptasse demtas e brachiis suis armillas, ludentem scilicet & lascivientem. ideo dicit *colla Molossa*, quibus vix est ut conveniant armillæ puellares. Eodem ferme animo Herculem cultu suo instruxit Omphale, abjectis leonis exuviis. Ovidius L. 2. Fastor.

Tunicarum vincla relaxat,
Ut possit vastas exseruisse manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas.

& quid mirum tantopere, canis armillatus, quum & murænæ gestaverint inaures? vide Plinium L. 9. C. 55. vidimus & nos aliquando feles damnoso isto stultarum dominarum choragio ridicule exornatas. mecum facere video elegantissimi ingenii virum Janum Ulitium in notis ad Gratium. BROUKH.

v. 25. QUI DABIT IMMUNDÆ VENALIA FATA SAGINÆ] *Qui se auctorabit ludo gladiatorio*, inquit Scaliger. *Dabit venalia fata*; at Manilius lib. 4. de iis qui sub Scorpio nati:

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ.

Juvenalis Sat. 8. *Quanti sua funera vendant, Quid refert?* Idem Sat. 3.

Et præbere caput domina venale sub hasta.

Petronius: *Tamquam legitimi gladiatores, domino corpora, animasque religiosissime addicimus.* Turnebus lib. 8. Adv. cap. 2. *Venale dare, ut dare venum, & venumdare. Saginæ*, ad saginam. Plautus Trin. 3, 2. *Aliquem ad regem in saginam herus se conjiciet meus.* id est, fiet miles, vel gladiator. Juvenalis Sat. 11.

Scripturus leges, & regia verba lanistæ.

ubi Interpres: *Id est, se auctoraturus: aut hæc scripturus quæ juris & consuetudinis erant ab iisdem scribi qui accepto pretio se in ludo distrahebant.* Idem ibid. ad illud: *Sic veniunt ad miscellanea ludi. id est, quum non habeant unde manducent, distrahunt se ad ludum. genus miserabile ferculi, Miscellanea; cibus gladiatorum, id est, ultima cœna, ideo miscellanea, quia omnia quæ apponuntur iis, miscent, & sic manducant.* Cornutus ad Satyr. 6. Persii v. 77. *Venales gladiatores* commemorat. Legendus Beroaldus ad hunc locum, & Scaliger: nec non Lipsius libro de Gladiatoribus. Seneca l. 3. Nat. Quæst. cap. 31. & Epist. 37. *Illius turpissimi auctoramenti verba sunt, Uri, vinciri, ferroque necari. Ab illis qui manus arenæ locant, & edunt ac bibunt quæ per sanguinem reddant. Immundæ*; quid enim fœdius quam instar suis saginari ad cædem? quid sordidius miscellaneis? PASS. *Qui dabit venalia fata saginæ. Mortes & vulnera vendita pastu* memorat Prudentius lib. 2. contra Symmachum v. 1092. Hic igitur nepos, de quo Noster, comeso patrimonio, lanistæ se tradet ob victum quæritandum. Gladiatores autem epulis largioribus distendebantur, ad corporis vires augendas. Propterea Tacitus lib. 2. Hist. *Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, tamquam gladiatoriam saginam, dividebat.* Consuetudinis hujus, tamquam suo sæculo permanentis, mentionem facit etiam S. Augustinus Serm. 20. (Edit. Benedict.) num. 3. *Omnino animo quodam gladiatorio, quoniam vitam desperat, quidquid potest facere ad satiandam cupiditatem & libidinem suam, facit; tamquam devotus ad victimam.* His adde Senecam Epist. 15. *Stulta est enim, mi Lucili, & minime conveniens litterato viro, occupatio exercendi lacertos, & dilatandi cervicem, ac latera firmandi. Quum tibi feliciter sagina cesserit, ac tori creverint: nec vires umquam opimi bovis, nec pondus æquabis.* Livius lib. 28. *Gladiatorium spectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, servorum delectu ac libertorum, qui venalem sanguinem habent.* & lib. 6. μεταφορικῶς: *Saginare plebem popu-*

lares

Quum fieret nostro toties injuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.

Phyl-

larer suos, ut jugulentur. Illud Persii non dissimile Sat. 6. v. 75. *Vende animam lucro*. VULP.

v. 26. VINCET UBI ERASAS BARBA PUDENDA GENAS] Quom radere barbam incipiet, ut adhuc puer videatur, sed frustra; quia invitâ novaculâ & radendi curâ, barba subinde renascetur. nam *Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret*. *Ubi*, pro quum, ut Ibi, pro tunc. adverbium loci, pro temporis. *Barba pudenda*; quæ illum ob hispidam faciem turpem reddet suis amatoribus. vide Tibullum El. 8. l. 1. v. 31. Horatius Ode 10. lib. 4. *Insperata tuæ veniet quum pluma superbiæ*. & mox: *Mutatus* (color) *Ligurinum in faciem verterit hispidam*. *Pudenda*, cujus illum pudebit. Sic Virgilius 10. Æneid. *Pudendis vulneribus*. *Vincet*, potior & superior erit. Eleg. ult. lib. 3. *Fletum injuria vincit*. *Genas*, malas & mentum. vide Eleg. 5. sup. v. 16. *Erasas*, penitus rasas. *Eradenda elementa*, pro evellenda, Horatio. *Erasi* Plinio in Panegyrico, deleti e numero. PASS. *Vincet u. erasas barba p. genas*. Quum, ætatis flore dilabente, novacolæ diligentiam eludet pilus quotidie succrescens. Huc mirifice pertinet locus Persii Sat. 4. muliebre id hominum genus vellicantis:

Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.

Neque abit Juvenalis Sat. 9. v. 15.

Sed fruticante pilo neglecta, atque aspera crura. VULP.

v. 27. QUUM FIERET NOSTRO TOTIES INJURIA LECTO] Quum fides marita toties a te violaretur. nam injuria definitur lib. 4. Rhet. ad Heren. *Quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam alicujus violat*. Atqui id fecit Cynthia quum libidine sua deridendum omnibus propinavit Propertium, & infamem reddidit. ut Eleg. 24. lib. 2.

Nec sic per totam infamis traducerer urbem.

& Eleg. ult. lib. 3. *Risus eram*. Sic Plautus Milite 2, 5. *Mea hera facis injuriam*; supra, *circa vicinos vagas, vitii probrique plena*. Injuriam sæpius usurpat Propertius pro fastu Cynthiæ & repulsa. *Lectus*, pro amore & conjugio. Dictum ad illud El. 3. sup.

Incorrupta mei conserva fœdera lecti.

Lipsius lib. 2. Var. Lect. cap. 18. monet, ab hoc versu, *Quum fieret*, &c. inchoandam Elegiam sequentem. PASS.

v. 28. MUTATO VOLUIT CASTRA MOVERE TORO] Beroaldus emendat, *Volui*. Quum toties, inquit, injuriam mihi suâ petulantiâ faceret Cynthia, mutare castra amatoria volui. *Volui*, etiamsi non successit, Eleg. prox. seq. Sic Eleg. 4. sup.

Qua voluit flammas fallere, Vesta, tuas.

Castra movere, ἀλληγορικῶς, quod Eleg. 1. lib. 1. *Nec assueto mutet amore locum*. Sic Eleg. 1. sup. *Finge eleges, fallax opus. hæc tua castra*. Movent autem castra & signa duces quum alio proficiscuntur, vel commodiorem locum capturi sunt. Juvenalis Sat. 8. *Qua signa duces & castra movebant*. Virgilius 3. Æneid. de profectione navium:

Dat clarum e puppi signum, nos castra movemus.

ubi Servius: *Castra ubicumque miles steterit, quod illic castraretur libido. nam nunquam his mulier intererat*. [Mira sane origo vocabuli.] PASS. *Multoto volui c. m. t.* in Groningano est *mutato*, quod rectum videtur. Quum mihi Cynthia toties injuriam faceret, volui ipse quoque castra movere, & torum mutare. Cicero Accus. 4. in Verr. C. 19. *Conquiri Diodorum totâ provinciâ jubet. ille ex Sicilia jam castra moverat, & vasa collegerat*. propius autem ad Nostri æstiva idem ille deus eloquentiæ Romanæ Accus. 5. C. 37. *Ac primo ad illa æstiva prætoris accedunt, ipsam illam ad partem litoris, ubi iste per eos dies, tabernaculis positis, castra luxuriæ collocarat. quem posteaquam inanem locum offenderant, & prætorem commovisse ex eo loco castra senserunt*: &c. ibid. C. 40. *Ubi fides? ubi exsecrationes? ubi dextræ complexusque? ubi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatissimo litore?* BROUKH.

Phyllis Aventinæ quædam eſt vicina Dianæ,
Sobria grata parum: quum bibit, omne decet.

Altera

v. 29. PHYLLIS AVENTINÆ QUÆDAM EST VICINA DIANÆ] Præter Phyllida Demophoontis, fuit & Phyllis tunc meretriculæ nomen, ut hic, & Horatii Ode 4. lib. 2. & Ode 11. lib. 4. & Virgilii Ecl. 3. & 5. De Phyllide bibace Martialis Epigr. 66. lib. 12. *Quædam*, contemtim; Eleg. 13. lib. 1.

Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis. --- *Vicina Dianæ*, quæ juxta ejus ædem habitat; ut Eleg. 4. ſup. *Saxa vicina Jovis*. *Aventinæ:* Ovidius 3. Faſt.

Luna regit menſes: hujus quoque tempora menſis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

Horatius in Carm. ſæcul. *Quæque Aventinum tenet, Algidumque, Quindecim Diana preces virorum Curet.* *Aventinenſis Diana* dicitur Feſto in *Neſi*, pro Sine, & in *Servorum*, ubi a Servio Tullio dicatam ait ædem eam fuiſſe. Dionyſius lib. 3. ſtructam ait ab Anco Martio. At idem lib. 4. a Servio Tullio. Varro 4. de L. L. *Alii ab adventu hominum* (dictum Aventinum putant) *quod commune Latinorum ibi Dianæ templum ſit conſtitutum*. Vide Livium lib. 1. & Pub. Victorem in XIII. regione urbis. Martialis:

Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Sed Lilius Gyraldus ædem Lunæ in Aventino diverſam ab æde Dianæ fuiſſe docet. PASS.

v. 30. SOBRIA GRATA PARUM: QUUM BIBIT, OMNE DECET] Sicca parum placet: ubi maduit vino, omnia decent. *Sobria*. vide Eleg. 2. ſup. v. 29. *Grata*; *Amabilis* dicitur Horatio. ſic Eleg. 2. lib. 1. *Semper eris noſtræ gratiſſima vitæ*. *Quum bibit*; pota, dixit infra. *Poſtquam adbibit plus paullo*, Terentio. Plautus Amphitr. 2, 1. *Tu iſtuc ubi bibiſti?* de ebrio. *Omne decet*; pro omnia decent. ut Eleg. ſup. *Omne cave*. *Quum bibit, omne decet*; quia e vino lætitia, unde auxilium formæ. hinc & lætus, pro pulchro. Noſter Elegia 33. libri 2.

Jam bibe, formoſa es: nil tibi vina nocent. PASS.

M. Ant. Bonciarius, non indignus doctore Mureto diſcipulus, in epiſtola ad Jac. Senſium, duram cenſet hanc locutionem, & inuſitatam, ac τὸ *omne*, numero ſingulari, adjectivum ſemper eſſe, numquam ſubſtantivum, pronuntiat. Veteribus ſecus viſum fuit. Plautus Epid. Act. 5. Sc. 2. *Apage illum a me, nam ille quidem Vulcani irati eſt filius: Quoqua tangit, omne amburit.* Curcul. 2, 2, 7. *Meliorem, quam ego ſum, ſuppono tibi. Nam quod ſcio, omne eu hoc ſcio.* idem Amphitr. Act. 2, Sc. 1. *Ordine omne, uti quidque actum eſt, dum apud hoſtes ſedimus, Ediſſertavit.* Cicero pro Roſcio Comœdo C. 13. *Quid vero Flavius tibi damnatus eſt, qui Roſcio omne, quod debuit, diſſolvit?* & Accuſ. 3. in Verr. C. 10. *Ego tantumdem, quantum ille popoſcerit? poſcet omne, quantum exaravero. Quid omne? imo plus etiam, inquit, ſi volet.* ibid. C. 77. *Unum, inquit, da mihi ex illis aratoribus, qui tibi vel ad ſtatuam pecuniam contulerunt: qui ſibi dicat pro frumento omne eſſe, quod oportuerit, ſolutum.* L. 16. ad famil. Epiſt. 24. *A Flamma ſi non potes omne, partem aliquam velim extorqueas.* clarius etiam, atque aptius ad verba noſtri poetæ, L. 1. de Offic. C. 37. *In omnibus igitur hic elaborandum eſt, ſi in omni, quid deceat, exquirimus.* Terentius Adelph. Act. 2. Sc. 4. SYR. *reddetur, ne time.* SA. *At ut omne reddat.* SYR. *omne reddet, tace modo, ac ſequere hac.* Pedo Albinovanus in obit. Mæcenat.

Viſcera defecti mutavit in arietis agnum
Æetis ſuccis omne perita ſuis.

Seneca Phœniſſis v. 227. *Utinam quidem reſcindere has quirem vias, Manibuſque adactis omne, qua voces meant, Adituſque verbis tramite anguſto patet, Eruere poſſem, gnata.* Ovidius L. 11. Metam. v. 287. *Nec tempora perde precando; Quod petis, omne feres.* Horatius L. 1. Sat. 10. v. 69.

Detereret ſibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur.

L. 2. Sat. 6. v. 30.

Improbus urget
Iratis precibus. tu pulſes omne quod obſtat,

Ad

Altera Tarpejos eſt inter Teïa lucos,
  Candida; ſed potæ non ſatis unus erit.
His ego conſtitui noctem lenire vocatis,
  Et Venere ignota furta novare mea.

Unus

Ad Mæcenatem memori ſi mente recurrat. ibidem v. 109.

Nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis, prælambens omne quod adfert.

Lucanus lib. 9.

Princeps facit omne timendum
Victor, & in nulla non creditur eſſe ruina.

Prudentius Pſychomach.

Deſine grande loqui: frangit Deus omne ſuperbum.

neque damnavit imitatione ſua Jacobus Micyllus, vir multorum in literas meritorum:

Nunc pudet eſſe bonet, nunc eſt male vivere virtus,
Nunc quidquid facias turpiter, omne decet. BROUKH.

Adde rurſus Horatium Epiſt. 15. lib. 1. *Ubi omne Verterat in fumum & cinerem.* & Ovidium Epiſt. Sapphûs v. 203.

Abſtulit omne Phaon, quod vobis ante placebat.

& Epiſt. Medeæ v. 28. ubi vide notas Heinſii. VULP.

v. 31. ALTERA TARPEJOS EST INTER TEÏA LUCOS, CANDIDA; SED POTÆ NON SATIS UNUS ERIT] *Altera*, quia duæ tantum. *Eſt*, pro, manet, habitat. & *Inter*, pro *d'entre*, vel e mediis lucis; ut Eleg. 7. ſup. v. ult. *Tarpejos* autem *lucos*, Eleg. 4. ſup. v. 1. vocavit *Tarpejum nemus*. *Teia*. nomen ei a patria, ut Eleg. ſup. *Nomas*. *Teos* urbs Ioniæ in pæninſula ſita, inquit Strabo lib. 14. & Anacreontis patria; unde Horatius dixit *Anacreonta Teium*, & *fide Teïa*. Plinius lib. 5. H. N. cap. 31. Teon inſulam cum oppido memorat juxta Chium. Fuit & altera Teos in Scythia ad paludem piſcoſam, cui oleum innatabat tanta copia, ut in vaſa ad uſum colligi poſſet. *Candida*. pars formæ candor; ut notavi ad Eleg. 3. lib. 2.

Nec me tam faciet, quamvis ſit candida, cepit. *Non ſatis unus potæ;* quum bibit, uno contenta non erit. Contra Eleg. 29. lib. 2. *Sat erit mihi cognitus unus.* Juvenalis Satyra 6.

Unus Iberinæ vir ſufficit: ocyus illud
Extorquebis, ut hæc oculo contenta ſit uno.

Caſtæ uno contentæ, ut Eleg. ult.

Fac teneas unum nos imitata virum.

Viroſam ergo & Vinoſam ſimul ſignificat. Lucillius apud Nonium in *Viroſæ*: *Vetulam Atque viroſam uxorem cædam potius, quam caſtrem egomet me.* Afranius Divortio:

Vigilans ac ſollers, ſicca, ſana, ſobria;
Viroſa non ſum, & ſi ſim, non deſunt mihi,
Qui ultro dent: ætas integra eſt, formæ ſatis.

Pota, ebria. Lucillius apud Nonium in *Potus*: *Ab ludo bene potu' receſſit.* Plautus Rud. Sc. *Quid illud. Amare utramvis poſſum ſi probe appotus ſiem.* Eleg. 6. ſup.

Ingenium potis irritet Muſa poetis. PASS.

Tarpejos e. inter T. lucos. inter Capitolium & Campum, apud aſylum ac templum Vejovis. Cicero L. 4. ad Attic. Epiſt. 3. *Metellus cum prima luce furtim in Campum itineribus prope deviis currebat: aſſequitur inter lucos hominem Milo; obnuntiat.* vide Alex. Donati Romam L. 2. C. 10. BR. *Candida.* Servius in 3. Georg. v. 82. *Aliud eſt candidum eſſe, id eſt, quadam nitenti luce perfuſum: aliud album, quod pallori conſtat eſſe vicinum.* Martialis Epigr. 56. lib. 1.

Vivat & urbanis albus in officiis.

vide & Epigr. 12. lib. 10. VULP.

v. 33. HIS EGO CONSTITUI NOCTEM LENIRE VOCATIS] Decrevi; vel etiam horam locumque ſtatui quibus ad me venirent. id enim eſt conſtituere, unde Juriſconſultis *Conſtitutum*. Cicero pro Cæcina, & Cælio. Varro lib. 2. R. R. cap. 5. *Venire ad conſtitutum.* Inde jocus lib. 7. Epiſt. fam. Ciceronis, ad Marium: *Si quod conſtitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas.* *Aſſignationem* vulgus vocat. *τὸ his*, er-

Dddd 2 go

Unus erat tribus in secreta lectulus herba.
Quæris concubitus? inter utramque fui.

Lygda-

go & 3. & 6. casu. *Vocatio*, per Lygdamum. sic Horatius: *I peta nngnentum, puer*, &c. *Dic & arguta properet Neæra*. Scorta vocantur, veniunt, ducuntur; & vocantur convivæ, unde *Vocationes* Catullo. Ergo *Vocatio* & ad cœnam & ad libidinem. Eleg. 25. lib. 2.

Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento.

Lenire noctem, minus asperam reddere, & paullo hilarius traducere. nam amara nox Propertio quum solus erat. Elegia 17. libri 3.

Semper enim vacnos nox sobria torquet amantes.

Plautus Amphitr. *Ubi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant?* PASS. *Vocatis*. Horatius pariter Sat. 3. lib. 2. v. 238.

Unde uxor media currat de nocte vocata.

a lecto scilicet viri ad lectum adulteri. VULP.

v. 34. ET VENERE IGNOTA FURTA NOVARE MEA] *Venere*, vel amplexu & amore, ut Eleg. 5. sup.

Docta vel Hippolytam Veneri mollire negantem.

vel amicâ, ut Eleg. 1. lib. 1.

In me nostra Venus noctes exercet amaras.

Ignotâ, nondum expertâ, in illis scortis scilicet. Eleg. 5. lib. 2.

Et non ignota vivere nequitia.

Ergo insolitâ, novâ. Tibullus contra Elegia 8. lib. 1. *Nota Venus furtiva mihi est*. *Novare furta*, instaurare. Contra Eleg. 2. lib. 2. *Pristina furta*. PASS.

v. 35. UNUS ERAT TRIBUS IN SECRETA LECTULUS HERBA] Ridicule Scaliger: *Nulla erat herba; sed proverbialiter dictum, ut*

Si te non totam Chloridos herba tenet.

Unus lectulus, ut Eleg. 1. sup.

Unus erat fratrum maxima regna focus.

Erat tribus. Tres esse lectulos oportuerat, ut esset triclinium. Interpres Juvenalis ad illud Sat. 5. *Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto*. *Apud veteres*, inqnit, *accubitorum usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant. Tres autem lectuli erant in quibus discumbebant; unde hodie triclinia appellantur*. Horatius Sat. 4. lib. 1.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Cicero in Pisonem: *Græci stipati, quini in lectulis, sæpe plures*. Legenda Sat. 8. lib. 2. Horatii de ejusmodi conviviorum lectis, & Servius in illud 1. Æneid. *Mediamque locavit*. *In herba*. Propter anni tempus herba substrata lectulo. nam sequitur *Æstiva supellex*. Ergo etiam domi herba, ut apud nos æstate solet. Non autem herba secreta; sed lectulus ipse in secreta parte domûs, vel in arcana taberna, ut El. prox. sup. Sic Eleg. seq. *Lympha secreti liminis*. An, ut Horatius Ode 3. lib. 2. *Sive in remoto gramine per dies Festos reclinatum bearis Interiore nota Falerni*. Erant & trichilæ in tabernis. Auctor Copæ:

Sunt cupæ, calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus.

vulgo, *Treilles*. Horatius Ode ult. lib. 1. *sub arcta vite bibentem*. An alludit ad torum, qui dictus ab herbis intortis? An, ut Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

Tunc operata deo pubes discumbet in herbas

& Virgilius 1. Georg. *Latis operatus in herbis*? PASS. Scaliger hic nescio quod adagium somniat: sed reapse torus discubitorius fuit in horti angulo compositus. Eo nimirum tempore Esquiliæ, in qua urbis regione Propertius habitabat, industria Mæcenatis pomariis & amœnis nemoribus consitæ erant: quum antea squalluissent sepulcretis. Convivia porro in arborum umbris celebrari solita, innuit poeta ipse Eleg. 6. sup.

Candida nunc molli subeant convivia luco.

& Horatius Ode 11. lib. 2. *Cur non sub alta vel platano, vel hac Pinu jacentes sic temere, & rosâ Canos odorati capillos, Dum licet, Assyriaque nardo Potamus uncti?* Adde quod numerus trium convivarum legitimus erat implendo toro; & sordidum fuit plures in uno lectulo constipare. Monuit Passeratius. Siquis autem hæc de toro accipiat ex herba constructo, suffragium habet Maronis ac Tibulli. Prior Æneid. 5. v. 388.

Proximus ut viridante toro consederat herbæ.

Alter Eleg. 5. lib. 2.

At

Lygdamus ad cyathos, vitrique æſtiva ſupellex,
Et Methymnæi Graja ſaliva meri.

Nilo-

At ſibi quiſque dapes, & feſtas exſtruet alte
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque torum.

His Appulejum adjungere poterit lib. 5. Metam. *Pſyche teneris & herboſis locis, in ipſo toro roſcidi graminis ſuave recubans.* Propertius ipſe facem ſibi præluxit Eleg. 13. lib. 3.

Altaque nativo creverat herba toro.

Julius Pollux Onomaſtici lib. 6. cap. 1. ubi de Sympoſio, commemorat χαμεύνια, χαμεύνη, φυλλάδας, στιβάδας, πόας. Vide & Platonem in Phædro, non procul ab initio. VULP.

v. 36. QUÆRIS CONCUBITUS? INTER UTRAMQUE FUI] Scire vis quo loco & ordine diſcubuerimus? medius diſcubui. Apoſtrophe ad abſentem incertum. Sic Eleg. 1. lib. 2.

Quæritis unde mihi toties ſcribantur amores?

Concubitus, honeſte & proprie. nam concumbere eſt ſimul cubare: ſed uſus turpe verbum reddidit. Sic Eleg. 1. ſup.

Evandri profugæ concubuere boves.

Inter utramque fui. In lecto quum erant terni, unus erat ſummus, alter imus, tertius medius, ut hic Propertius. Sic Eleg. 31. lib. 2. *Inter matrem deus ipſe interque ſororem Pythius*, id eſt, medius. Eleg. 30. lib. 2.

Et medius docta cuſpide Bacchus erit.

Nam dominus convivii erat Propertius, & medius locus honoratiſſimus. Servius ad illud 1. Æneid.

Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit: Ipſe apud majores domini fuerat locus, ut aperte Salluſtius docet: Igitur diſcubuere; Sertorius inferior in medio: ſuper eum Tuſcius Fabius Hiſpanienſis ſenator ex proſcriptis: in ſummo Antonius; & infra ſcriba Sertorii Verſius; & alter ſcriba Mæcenas ſupra. In imo medius inter Tarquinium & Ovium Perpenna. Hic tres lecti. In primo duo tantum; in altero & tertio, terni. Horatius Sat. 8. lib. 2.

Summus ego, & prope me Viſcus Turinus
(medius), *& infra,*
Si memini, Varius. (hic unus lectus & in eo terni) *cum Servilio Balatrone*
Vibidius, quos Mæcenas adduxerat umbras.
(hic alter lectus, in quo Mæcenas medius.)
Nomentanus erat ſuper ipſum (Naſidienum)
Porcius infra.

Hic tertius lectus, ubi medius Naſidienus, & in medio lecto e tribus Mæcenas. Cicero Papyrio lib. 9. ad famil. Epiſt. ult. de cœna apud Volumnium: *Supra me Atticus, infra Verrius.* ergo medius Cicero. De hujus loci dignitate Ovidius 5. Faſt.

Et medius juvenum, non indignantibus ipſis,
Ibat: & interior, ſi comes unus erat.

Salluſtius in Jugurtha: *Hiempſal dextrâ Adherbalem adſedit, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Jugurtha foret.* Suetonius in Caligula cap. 22. *Conſiſtens ſæpe inter fratres deos medium ſe adorandum adeuntibus præbebat.* PASS.

v. 37. LYGDAMUS AD CYATHOS, UTRIQUE ÆSTIVA SUPELLEX] Pro *Utrique*, Scaliger legit, *Vitrique*. adde ad ea quæ profert de vitreis vaſis Martialem Epigr. 94. 112. & 115. lib. 14. Sane τὸ *Utrique*, huic loco non convenit, quum tres ſint. *Lygdamus ad cyathos*, a poculis; pocillator; pincerna; οἰνοχόος; *miniſter Falerni*, Catullo. Sic *Ad baculum paſtor*, Eleg. 2. ſup. Juvenalis Sat. 13.

Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis uxor
Ad cyathos.

Horatius Ode 29. lib. 1. *Puer quis ex aula capillis Ad cyathum ſtatuetur unctis?* Suetonius in Cæſare cap. 49. *C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe objecit, cum ceteris exoletis.* Sic *Ad remum ſervi*, Livii lib. 34. *Canes ad venandum*, Terentio. Inde *Cyathiſſare*, Plautus Menæchm. *Qui tibi ſæpiſſime cyathiſſo apud nos quando potas.* id eſt, vinum admetior. *Cyathi pondus decem drachmarum*, inquit Iſidorus l. 16. cap. 26. Duo cyathi ſextantem efficiebant, ut docet Lipſius in Antiq. Lect. E cado in cyathos, & e cyathis in majora pocula certo numero fundebatur vinum, & miſcebatur. Pleni exemplorum Plautus, Horatius, Martialia. Vide Budæum lib. 5. de

Aſſe,

Nilotes tibicen erat, crotaliſtria Philis,
Et facilis ſpargi munda ſine arte roſa.

Na-

Aſſe, ubi cyathus dicitur etiam *ἀντλητὴρ*, *ἀρυστὴρ*, *ἀρυστιχος*, *ἀείτανα*, *οἰνοχόη*, ab fundendo, vel hauriendo. *Vitrique æſtiva ſupellex*, ſubaudi, erat. Supellex autem olim recto caſu dicebatur *Supellectilis*, ut ajunt Feſtus, Chariſius, & Servius. Supellex de vaſis, ut apud Horatium Sat. 6. lib. 1.

Cœna miniſtratur pueris tribus: & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet, adſtat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana ſupellex. PASS.

Auſonius Idyll. 12. v. 86.

Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.

Polybius, & Herodianus lib. 3. vocant *πρὸς ταῖς αὐλαῖς*. Virgilius pariter: *Fidusque ad limina cuſtos*. Silius quoque Italicus l. 1. v. 66.

Sæpe etiam famuli turbato ad limina ſomno
Expavere trucem per vaſta ſilentia vocem.

De hac locutione vide Gulielmum Canterum in Novis Lectionibus, ac Titum Poppmam de Operis Servorum p. mihi 110. *Vitrique æſtiva ſupellex*. nempe ſcyphi capaciores, qui æſtivam ſitim plane reſtinguerent. æſtate ſcilicet, potu magis indigemus, quam cibo. Horatius Epodo 9. *Capaciores adfer huc, puer, ſcyphos; Et Chia vina, aut Lesbia*. VULP.

v. 38. ET METHYMNÆI GRATA SALIVA MERI] Vet. lib. Scaligeri, *Græca*, ut ſit, inquit, *οἶνος θαλασσίτης*, quod Celſo dicitur *vinum ſalſum Græcum* cap. 6. & 7. l. 3. Sed tamen, *Grata*, retineri poteſt e verbis Plinii lib. 23. H. N. cap. 1. *Sua cuique vino ſaliva innocentiſſima, ſua cuique ætas gratiſſima*. id eſt, media. Perſius Sat. 6.

Nec tenuem ſollers turdorum noſſe ſalivam.

id eſt, *ſapores*, inquit Interpres. ſic locutus Martialis lib. 14. Epigr. 113. *Melior ſit ſapor inde mero*. Ego *Graja* cum Palmerio legendum puto. ſic Eleg. 8. lib. 3.

Dulcior ignis erat Paridi cum Graja per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre ſua.

Methymnæi meri. Lesbium vinum ſignificat, de quo Eleg. 14. lib. 1. v. 2. *Methymna* Lesbi inſulæ urbs, Arionis patria, ut Herodotus ſcribit. Servius in illud 2. Georg.

Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.

Methymna, inquit, *civitas Lesbi, habens pretioſiſſimum vinum*. Ovidius 1. A. A.

Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos.

Strabo lib. 13. *In Lesbo inſula, Ariſba, cujus agrum Methymnæi habent*. De Methymna & Plinius lib. 5. H. N. cap. 31. PASS.

v. 39. NILE, TUUS TIBICEN ERAT, CROTALISTRIA PHYLLIS] Ægyptium tibicinem ſignificat; nam per fluvios poetæ regiones deſignant, ut Eleg. 33. lib. 2.

Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.

Sic de Ægyptio tibicine Juvenalis Sat. 15. *Inde virorum Saltatus nigro tibicine*. Tacitus lib. 14. Annal. *Deſtinatur reus cognomento Eucerus, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus*. Tibicines autem conviviis adhiberi ſolitos notum vel e Plauti Sticho. Propertius ipſe Eleg. 10. lib. 3.

Tibia nocturnis ſuccumbat rauca choreis.

Scaliger pro, *Nile, tuus*, legit, *Niletes*, *Νειλείτης*, vel *Nilotes*, *Νειλώτης*. Petronius: *Memphitides puellæ Sacris deûm paratæ. Tinctus colore noctis Manu puer loquaci*. id eſt, *χειρονομῶν χορεύλης*, inquit Scaliger. Martialis de pueris Ægyptiis:

Nequitias tellus ſcit dare nulla magis.

Choraliſtria. Turnebus lib. 8. Adv. cap. 18. repoſuit, *Crotaliſtria*, quæ crotalis ſonat, ut apud Petronium: *Pictaticultrix, gracilipes, crotaliſtria*, quia *crepitante ciconia roſtra*, ut Ovidius loquitur, crotalorum ſtrepitum imitatur. unde Juvenalis:

Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.

Nam olim, & nunc quoque, ad crotalorum ſonitum ſaltabant. In Copa:

Criſpum ſub crotalo docta movere latus.

Sic *Lyſtrias* dixit Interpres Juvenalis de Gaditanis puellis in Satyr. 11. niſi legendum ſit *Crotaliſtrias*. Scaliger in Catalecta, crotalum putat ab Appulejo deſcribi (lib. 11.) his verbis: *Dextera ferebat æneum crepitaculum*,

Nanus & ipse suos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Sed

lum, cujus per angustam laminam, in modum balibei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachia tergeminos ictus, reddebant argutum sonum. addit Scaliger, fieri crotalum & ex scissa arundine. Testulas etiam & officula usum crotali præstare, quæ vocantur *Crumata*. Martialis:

Edere lascivos ad Bætica crumata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

vide illic, & in Propertium. Addo Appulejum Apologia priore, *Histrionis uti crotala ad trietorica orgia*. Cicero in Pisonem: *Neque collegæ tui* (A. Gabinii) *symbala & crotala fugi*. Meminit Aristophanes in Ranis & in Nebulis. Dicta *παρὰ τὸ κρύειν*, a quatiendo & pulsando. *Crotalistria*, quæ cum crotalis saltat, ut *Cymbalistria* apud Petronium. *Phyllis*. recte Scaliger legit, *Philis*. dictum *Crotalistria Philis*, ut Eleg. 6. sup. *Tibia Mygdoniis Cadis*. Philæ insula ad Sienem: Seneca lib. 4. Quæst. Nat. cap. 2. Strabo lib. 1. Ægyptiorum & Æthiopum communem sedem esse ait. & lib. 17. scribit, se Philas venisse, & spectasse quæ illic visenda erant. Meminit & Plinius lib. 5. cap. 9. PASS. *Philis*. ita noster secundus, ne apice quidem uno mutato. quod firmat Scaligeri emendationem, atque expositionem sane quam veram. BROUKH. Philæ insula est inter Ægyptum & Æthiopiam, tantæ magnitudinis, quantæ est ejus oppidum. circum eam vero fluit Nilus, atque illam sui prorsus mediam facit: Aristides ἐν Αἰγυπτίῳ λόγῳ. Seneca lib. 4. Nat. Quæst. c. 2. *Philæ insula est aspera, & undique prærupta: duobus in unum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & ejus nomen ferunt*. Scaligeri correctionem dubiam facere possit Lucanus, qui primam syllabam in *Philæ* corripit lib. 10. v. 310.

Qua dirimunt Arabum populis Ægyptia rura
Regni claustra Philæ.

Sed ἰῶτα Græcis vocalis est anceps. *Crotalistria Philis*. Plautus ita loquitur Asin. 2, 4, 92. *Periphanes Rhodo mercator*. Idem Bacchid. 2, 2, 53. *Ephesi quos hospes debuit nostra seni*. Et Milite, 2, 2, 22. *Is amabat meretricem matre Athenis Atticis*. V.

v. 40. ET FACILIS SPARGI MUNDA SINE ARTE ROSA] Quæ facile, & sine ullo negotio jacitur, & funditur. *Facilis spargi*, ut Eleg. 11. lib. 1.

Alternæ facilis cedere lympha manu.

Spargere, ut Virgilius 6. Æneid. *Purpureos spargam flores*. quod 5. Æneid. *Purpureosque jacit flores*. Horatius Epist. 5. lib. 1. *Potare & spargere flores Incipiam*. De rosis conviviorum, utque in rosa potare solerent, dictum ad illud Eleg. 5. lib. 3.

Et caput in verna semper habere rosa.

& ad Eleg. 6. sup.

Blanditæque fluant per mea colla rosæ.

Munda rosa, mundis lautisque conviviis apta. vide Horatium Ode 5. lib. 1. ubi *munditias* dixit de unguentis & rosis: & *simplex munditiis*, de rosa *sine arte* sparsa, temere scilicet, ac sine ordine. vel Propertius solutam rosam, non sertam significat. PASS.

v. 41. MAGNUS ET IPSE SUOS BREVITER CONCRETUS IN ARTUS JACTABAT TRUNCAS AD CAVA BUXA MANUS] Beroaldus ex depravata lectione *Magnus*, correxit *Nanus*. A. Gellius lib. 16. cap. 7. notat, a Laberio nanum pro pumilione dictum. Idem lib. 19. cap. 13. Νάνος *Græci vocavere brevi atque humili corpore homines, paullum supra terram exstantes*; ut hic *Nanus breviter concretus in artus suos*, coactus, collectus, & contractus in sua & exigua membra. *Concrescere*, coalescere, condensari, ut Eleg. 5. sup. *Tussim concrescere*. Statius 1. Silv. in Kal. Decemb. Saturn. *Hic audax subit ordo pumilorum, Quos natura brevi statu peracto Nodosum semel in globum ligavit*. Martialis lib. 14. Lemmate, *Pumilio:*

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas:
Si stantem videas, Astyanacta putes.

Juvenalis Sat. 8. *Nanum cujusdam Atlanta vocamus*. Sed Scaliger ex vet. lib. *Curvatus*, & adfert verba Dionysii Longini, quæ videsis apud eum. *Concretus in artus*, ut Elegia 22. lib. 2. *Exiles videor tenuatus in artus*. *Suos*, vacat; ut Eleg. pænult. lib. 3.

Vinctus eram versas in mea terga manus.

Jacta-

Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Recidit inque suos mensa supina pedes.

Me

Jactabat manus, frequenter movebat. Ovidius Epist. Leandri:

Jactabam liquido brachia lenta mari.

& 3. Fast.

Illic & cantent quidquid didicere theatris,
Et jactent faciles ad sua verba manus.

Truncae, curtas, & quasi mutilas ob brevitatem. ductum ab arboribus quibus amputati rami, & solus relinquitur truncus. Virgilius 11. Æneid. *Telaque trunca viri. id est, perfracta*, inquit Servius. Idem 4. Georg. *Trunca pedum primo*: id est, carentia pedibus. *Ad cava buxa*, periphrasis tibiæ, & enallage numerorum. Virgilius 9. Æneid.

Ite per alta
Dindyma; ubi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia Matris
Idææ

Ovidius 4. Metam.

Concavaque æra (cymbala) *sonant, longoque foramine buxus.*

& 6. Fast. inquit Pallas:

Prima, terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret, effeci, tibia longa sonos.

Hic ergo duo tibicines, Ægyptius, & Nanus. aut scabillum significabit. Statius 7. Theb. *Ad inspirata rotari buxa.* ubi Vetus Interpres: *Buxa, tibia, vel scabillum. quod in sacris tibicines pede sonare consueverunt.* Hæc Scaliger. *Cava buxa*, ut Ovidius 6. Fast. *Quæritur in scena cava tibia.* Pass. Omnes libri, miro consensu, *Magnus & ipse.* ac si pumilio iste per derisum vocatus fuerit *Magnus*: uti alius quidam *Atlas*, apud Juvenalem Sat. 8.

Nanum cujusdam Atlanta vocamus:
Æthiopem, Cycnum: parvam extortamque puellam,
Europen.

primus autem Beroaldus bono judicio restituit *Nanus*. ---- in octo codicibus *concretus* reperi. quam elegantem lectionem validis rationibus defendit capitalis ille eruditionis antiquæ vindex Jo. Fred. Gronovius Observ. in Script. Eccles. C. 19. -- Erant autem nani, ut hic vides, in deliciis mensarum, & musica instrumenta fere edocti. pulcerrima nani figura est apud Boissardum, crasso capite, cruribus distortis, binas tibias manibus tenentis, cum hac epigraphe:

Φ K.
ΜΥΡΙΠΝΩΙ. ΝΑΝΩΙ
ΧΟΡΑΥΛΗΙ

His monstris non parum delectabatur infandum monstrum Tiberius Nero: Suetonius in ejus Vita C. 61. aliter Augustus, eodem teste in Aug. C. 83. Broukh. *Jactabat & ad cava buxa manus.* Plerique existimant, hunc nanum saltatorem & gesticulatorem fuisse, qui nimirum ad tibiæ sonum saltaret, ac brachia jactaret. Mihi vero tibicen fuisse videtur, qui breves illos digitos operiendis atque aperiendis tibiæ foraminibus frequenter moveret. Sane Julius Pollux Onomast. lib. 4. cap. 9. Ἀποδεῖξαι, inquit, καὶ τὴν αὐλητοῦ εὐχέρειαν, καὶ τὴν πολυχειρίαν, καὶ τὴν εὐχειρίαν. Omnes hæ laudes tibicinis a manibus petitæ. *Cava buxa* vocat Ausonius in Professoribus Carm. 1. fritillum, seu pyrgum, seu turriculam rotundam & excavatam, qua utebantur aleatores ad talos ac tesseras concutiendas, & jaciendas:

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant, enumerasse bolos;
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excisi per cava buxa gradus.

Vulp.

v. 43. Sed neque suppletis constabat flamma lucernis] Flamma eadem non manebat, quæ antea. Sic Eleg. 9. lib. 2. *Non constat fœdus in ira.* Seneca Hippolyto: *Constat inferno numerus tyranno.* Ovidius 2. Fast. *Flamina non constant.* incerti sunt venti. & lib. 3. A. A.

Ut jam decipiant, quid perditis? omnia constant.
Mille licet sumant, deperit inde nihil.

Malignæ flammæ omen sinistrum. Ovidius 10. Metam.

Fen

Me quoque per talos Venerem quærente secundos
Semper damnosi subsiluere canes.

Can-

Fax quoque quam tenuit lacrimoso stridula fumo
Usque fuit, nullosque invenit motibus ignes.
De omiue a flamma lucernæ, dictum ad Eleg. 3. sup. v. 62. *Suppletis lucernis*, oleo suffuso. Petronius: *Jam & tristiniarches experrectus lucernis occidentibus oleum infuderat*. Eadem paginâ: *Lucernæ quoque humore defectæ tenue & extremum lumen spargebant*. Lucernas autem prisci non exstinguebant, sed sinebant languescere: Plutarchus Sympos. quæst. 4. & Romaicis, quæst. 75. *Supplere*, ut Virgilius Ecl. 7. *Supplere gregem*. & 3. Æneid. *Remigium supplet*; & Suetonius, *Supplere senatum*. Nota vox Anaxagoræ apud Plutarchum in Pericle: Ὦ Περίκλεις, καὶ οἱ τῦ λύχνυ χρείαν ἔχοντες, ἔλαιον ἐπιχέουσι. PASS. *Neque f. constabat flamma lucernis*. Hoc nos ita expeimere studuimns in heroico quodam poematio:
Marcentes oculos invadit somnus; & ipsi
Languidulo segnes connivent lumine lychni.
VULP.

v. 44. DECIDIT INQUE SUOS MENSA SUPINA PEDES] Ut lucernæ infelix omen quum exstingueretur, sic & mensæ quum caderet. quemadmodum migrare mensâ infaustum Festo & Virgilio, & tollere mensam inanem Plutarcho. vide quæ notavi ad illud Catulli:
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas.
Supina mensa, inversa jacens. Proni cadimus in faciem, supini contra cælum spectamus; unde Eleg. 20. lib. 1. *Supina oscula*. *Decidit*, sua sponte, non propulsa ut Elegia 8. lib. 2. v. 3. vide Festum in *Caduca auspicia*. *In suos pedes*, ut Eleg. 6. lib. 3. *pedes lecti*. Horatius Sat. 3. lib. 1. *Sit mihi mensa tripes*. Ovidius 8. Metam. *Mensæ sed erat pes tertius impar*. *Mensa bipes* Martialis Epigr. 29. lib. 12. Erant & *monopodia*: Livius lib. 29. & Plinius lib. 34. cap. 3. PASS. Nostri libri, & Groninganus, *Recidit*. quod verum est, ac jam olim monitum Georgio Fabricio notis in prologum Hecyræ. Appulejus L. 1. Metam. *Grabatulus alioqui breviculus, & uno pede mutilus ac putris, impetus tanti violentiâ prosternitur: me quoque evolutum & excussum humi recidens in inversum cooperit ac tegit*. corruperunt homines insciti, quos fallebat τὸ re in compositis esse anceps. Lucretius L. 5.
Haud igitur cessat gigni de rebus, & in res
Recidere assidue, quoniam fluere omnia constat.
& L. 1.
At neque recidere ad nihilum res posse, neque autem
Crescere de nihilo.
est apud eumdem locus notabilis, ubi in eodem versu & correptum vides, & productum, L. 3.
Unde homines, dum se falso terrere coacti
Refugisse volunt longe, longeque recesse.
Ovidius L. 10. Metam.
O positi sub terra numina mundi,
In quem recidimus quidquid mortale creamur.
Phædrus L. 3. Carm. 19.
Noli adfectare, quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.
Juvenalis Sat. 12.
Tunc adversis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro summitteret.
plura qui volet, adeat ille Gifanium Indice Lucretiano in *Recidere*; & in primis Nic. Heinsium Not. in Claud. Bell. Gildon. v. 45. & in Ovid. Epist. Hyperm. v. 46. tum doctissimum Pierium Castig. in L. 1. Æn. v. 30. BROUKH.

v. 45. ME QUOQUE PER TALOS VENEREM QUÆRENTA SECUNDOS] Per felicem talorum jactum; ut *Secunda flamma* Eleg. 10. lib. 3. Talos in convivio jaciebant, ut notum ex Curculione Plauti, & Asinaria; unde jocus in eiusdem Milite 2, 2. *Atque ideo ut ne fraudem legi faciam talariæ, Accuratote ut sine talis agitent convivium*. In Copa:
Pone merum & talos, pereat qui crastina curat.
Talis enim jactis regem convivii, seu τὴν συμποσιαρχίαν sortiebantur. Horatius Ode 4. lib. 1. *Nec regna vini sortiere talis*. Idque Veneris jactu contingebat. Idem Horatius

Ode 7. lib. 2. *Quem Venus arbitrum dicet bibendi?* Cicero 1. de Divinat. *Quatuor tali jacti casu Venereum* (jactum) *efficiunt. num etiam centum Venereos, si quadringentos jeceris, casu futuros putas?* Plautus Asin. 5, 2. *Hoc Venerium est; pueri plaudite.* Suetonius in Aug. cap. 71. *Talis jactis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos, singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos qui Venerem jecerat.* Plutarchus in Catone Censorio: Ἐν δὲ ταῖς δείπνοις ἐκληροῦτο περὶ τῶν μερίδων. οἱ δὲ ἀπολάχει, πρῶτον αἱρεῖν τῶν φίλων κελευόντων, ἔλεγε μὴ καλῶς ἔχειν ἀκούσης τῆς Ἀφροδίτης. videtur idem esse *Basilicus jactus*, in Curculione Plauti. Jactus talorum, Canis, Senio, Chius, Vulturii, Venus. Sic apud Græcos τρὶς ἓξ βάλλειν, felicissimus jactus. Turnebus lib. 8. Adv. cap. 6. de talis quædam & Venere: non ad hunc locum. Tunc autem videtur Veneris jactus fuisse, quum omnium talorum dissimilis erat figura. Martialis lib. 14. Epigr. 14.

Quum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Porphyrio ad Horatii Oden 7. lib. 2. *Venerium*, ait, *jactum in talis summum numerum habere.* Citat Beroaldus hæc ex Aristotelis l. 2. Hist. Animal. *Omnia quibus datus est talus, cruribus cum posterioribus, contineat ita, ut erectus inde, suffragine parte sui prona, foris supina, introrsum spectet, quæ Veneræ vocantur: intus adversæ sibi positæ sunt, quæ Canes foris, quæ Antennæ supra habeantur. His talorum omnium situs est.* Pass. Cicero lib. 2. de Divinat. *Quid est tam incertum, quam talorum jactus? tamen nemo est quin sæpe jactans Venereum aliquando jaciat, nonnunquam & iterum ac tertium.* Quid autem Venus esset in talorum jactu, diserte admodum ostendit Lucianus, seu quisquis est Auctor, in Amoribus: Τῇ δὲ τραπέζῃ τέτταρας ἀστραγάλους Λιβυκῆς δορκὸς ἐπαριθμήσας, διεπέττευε τὴν ἐλπίδα. καὶ βάλλων μὲν ἐπὶ σκοποῦ, μάλιστα δ' εἴ ποτε τὴν Θεὸν αὐτὴν εὐβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι, προσεκύνει, τῆς ἐπιθυμίας τεύξεσθαι νομίζων. hoc est: *Quatuor talis de dama Africana in mensam numeratis, jactu spem suam experiebatur. Et si ea sententia jactasset, maxime, si quando ipsam deam* (Venerem) *jecisset, nullo talo eadem facie cadente, adorabat, suæ se cupiditatis compotem futurum putans.* Lege & quæ ibi sequuntur. Vulp.

v. 46. Samper damnosi subsiluere canes] Et *semper damnosi*, & *semper subsiluere*, id est, in omni jactu. *Damnosi*, qui pecunia multant, & damno afficiunt ludentes. Sic Eleg. 5. sup. *Damnosæ jura pudicitiæ.* Qui canem jecerat, nihil tollebat, sed aliquid conferebat. Suetonius in Aug. cap. 71. unde *damnosos* vocat Noster. Sic Ovidius lib. 2. A. A.

Seu jacies talos, victam ne pœna sequatur,
Damnosi facito stent tibi sæpe canes.

Idem lib. 2. Trist. v. 473.

Quid valeant tali, quo possis plurima jactu
Fingere, damnosos effugiasque canes.

Persius Sat. 3.

Scire erat in voto damnosa canicula quantum
Raderet.

Martialis Epigr. 1. lib. 13.

Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.

[fritillum scilicet eburneum.] *Subsiluere*, emicuere, sursum saliere. Lucretius lib. 2. *Subsiliunt ignes ad tecta domorum.* Plautus Curcul. 1, 2. *Fite meâ caussâ ludii barbari: subsilite obsecro* (pessuli.) Inde subsultare eidem Captiv. 5, 4. *Tu subsultas, ego vix miser adsto præ formidine. Subsului*, ut Elegia 17. lib. 3. *Desiluisse in vada.* Beroaldus emendat, *Subsiliere.* Pass. *Damnosi canes.* Isidorus lib. 18. cap. 66. *Vitant canem, quia damnosus est; unum enim significat.* Vide Paulli Manutii Comment. ad illud Epist. 7. lib. 1. Ciceronis ad famil. *Si cecidisset, ut volumus.* Nonnulli putant, vulturium eumdem fuisse jactum qui canis, atque ita vocatum, quod lusoris pecuniam devoraret. Plautus Curcul. 2, 3, 78. *Jacit vulturios quatuor.* Alii diversum autumant. Persius Sat. 3. *caniculam* dicit, quem Propertius *canem*, τὴν μονάδα scilicet. Οἶνον Græci appellabant in talis ac tesseris, ut testatur Julius Pollux. Ἑξάδα porro, seu senionem, inter felices jactus τῶν κύβων numerat Lucianus in Saturnalibus: Εἰ μή σοί γε, ait, μικρὸν δοκεῖ τὰ τοιαῦτα κυβεύοντι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐς τὴν μονάδα κυλιομένων τῶν κύβων, σοὶ τὴν ἑξάδα ὑπερῷαν ἀεὶ φαίνεσθαι. Sed videlicet lusus talorum, sive ἀστραγάλων, haud prorsus idem fuit ac τὸ κυβεύειν, tesseris ludere, seu cubis. Vulp.

v. 47.

Cantabant surdo, nudabant pectora cæco.
Lanuvii ad portas heu mihi solus eram:

v. 47. CANTABANT SURDO, NUDABANT PECTORA CÆCO] Proverbium, ut Eleg. 20. lib. 2.

De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures.

Virgilius Ecl. 10. *Non canimus surdis.* Terentius Heaut. *Atque ille haud scit quam surdo narret fabulam.* Horatius Epist. 1. lib. 2.

Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo.

Eleg. 3. sup. paullo aliter: *Omnia surda tacent.* Nudare pectus, meretricium est. Eleg. 22. lib. 2.

Candida non tecto pectore si qua sedet.

& Eleg. 15. lib. 2. *Nudatis mecum est luctata papillis.* Alterum proverbium; *Cæco ostendere.* utrumque complexus Ovidius l. 3. Amor. Eleg. 6.

Quid juvat ad surdas si cantet Phemius aures?
Quid miserum Thamyram picta tabella juvat?

De Cæco vide proverbium Ἀλαοσκοπιά. *Cæca speculatio.* & τυφλὸς τυφλῷ ὁδηγός. *Cæcus cæco dux.* PASS.

v. 48. LANUVII AD PORTAS HEI MIHI SOLUS ERAM] Fortasse simplex & honesta sententia, Quum essem ad portas Lanuvii frequentissimi oppidi, mihi tamen solus videbar: vel quum essem Lanuvii, quod pæne ad portas urbis Romæ est, videbar tamen esse in solitudine. Sic dictum *Ad portas*, ut apud Ciceronem 1. Philipp. *Hannibal erat ad portas.* Sed eruditis placet obscœnum esse sensum, quia & *Lanuvium* ipsum est & in obscœnis, & *porta* etiam apud Catullum. Vide Ciceronem Epist. 22. lib. 9. ad famil. - - - - - - - *Hei mihi*, piget pudetque. Eleg. 1. sup.

Hei mihi quam nostro parvus in ore sonus.

Quod legitur, *Heu mihi*, sic sæpe Plautus, ut in Milite & Mercatore. *Solus eram*; desiderio scilicet Cynthiæ. ex opinione dictum, ut apud Virgilium 4. Æneid. *Sola domo mœret vacua.* Plautus Amphitr. *Sola nunc mihi videor, quoniam ille hinc abest.* Noster Eleg. 13. lib. 1. *Quod abrepto solus amore vacem.* Ita Cicero lib. 12. Epist. ad Attic. *Quamvis multi sint, magis tamen ero solus, quam si tu unus esses.* & lib. 8. ad famil. Epist. 6. Virgilius Ecl. 10.

Alpinas, ah dura, nives & frigora Rheni
Me sine sola vides. PASS.

Non libet recoquere immemorabiles ac spurcidicas interpretum nænias, quibus hæc verba propudiose collutularunt. dicit poeta puellas omnia fecisse quo languentem in eo cupidinem excitarent: se autem tota cogitatione fuisse defixum in sua Cynthia, Lanuvii tum quidem (ita credebat) agente. similiter Cicero L. 5. ad Attic. Epist. 10. *Eram autem totus, crede mihi, totum: & quamquam sine his per me ipse, tamen acrius vestigiis tuis monitus de te cogitabam. quid quæris? non mehercule alius ullus sermo nisi de te.* verum hunc sensum ante me viderunt Beroaldus, Jos. Scaliger, pater Douza, & J. F. Gronovius L. 3. Obs. C. 17. Primus, opinor, cui tam flagitiose nugari libuit, Ludovicus fuit Cælius L. 4. Ant. Lect. C. 7. quem secutus est Andreas Tiraquellus in quartam leg. connub. gloss. 1. part. 4. reprehenso simul Beroaldo: tum Simeo Bosius Animadv. in Cicer. L. 15. ad Attic. Epist. 9. BROUKH. *Lanuvii ad portas h. m. solus eram.* Quamvis mihi ad latus essent Phyllis ac Teïa, solus tamen eram, quod illas nec viderem, nec audirem. cogitatione scilicet ferebar Lanuvium, ubi amores mei. Sic Gallus Virgilianus Ecl. 10. animo ac mente sequitur Lycoridem, Antonii castra secutam:

Nunc insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media, atque adversos detinet hostes.

Quod Tibullus Eleg. 5. lib. 2. fatetur sibi usuvenisse:

Sæpe aliam tenui: sed jam quum gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deseruitque Venus.

Huc pertinent verba Joannis Boccatii, scriptoris eloquentissimi, lib. 2. Philocopi: *Tu te n' andrai a Montorio con vero corpo, ed io misera rimarrò, seguendoti sempre con la mente: nè mai in alcuna parte, senza me,*

Quum ſubito rauci ſonuerunt cardine poſtes,
Et levia ad primos murmura facta lares.
Nec mora, tum totas reſupinat Cynthia valvas,
Non operoſa comas, ſed furibunda decens.

Pocula

ſarai, e ninu diletto ſorà da te preſo, che io con lamentevol disto, non ti ſeguiti ignora. Valde ridiculos & abſurdos ſe præſtiterunt quicumque hunc Propertii verſum ad obſcœnitatem fidiculis trahere conati ſunt. His tamen erroribus campum aperuit inepta hujus Elegiæ in duas diviſio. Poeta noſter, Cynthiâ Lanuvium profectâ, in domo ſua Eſquilina furtivis amoribus operam dabat; ſed tamen Lanuvium cogitare non deſinebat: quod nec ipſe Paſſeratius aſſecutus eſt. VULP.

v. 49. QUUM SUBITO RAUCI SONUERUNT CARDINE POSTES] Janua ſcilicet quæ cum rauco ſonitu aperitur. vel eſt hypallage, pro, Raucus cardo ſonuit poſtibus. nam æreus cardo, raucus, ut *Rauca cymbala* El. 17. lib. 3. Virgilius 2. Æneid. *Rauco quod protinus ære repulſum*. Querulas fores vocavit Ovidius 3. Faſt.

Sub verbum querulas impulit aura fores.

Rauceſcimus enim querelâ, ut notavi ad Eleg. 16. lib. 1. Virgilius 1. Æneid. *Foribus cardo ſtridebat abenis*. Plautus Curcul. 1, 3. *Sonitum prohibe forium, & ſtrepitum cardinum*. *Sonuerunt cardine*, ſonitum ediderunt ob cardinem ipſum æneum, ideoque raucum, ubi vertitur. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Janua jam pateat uni mihi victa querelis,
Neu furtim verſo cardine aperta ſonet.

Cardo, ἐπιστατήρ, Suidæ. στρόφιγξ, θαιρός, Polluci. *Le gond, & le pivot d'un huys*, *Poſtes* ſunt qui utrimque ſtantes ſuſtinent limen ſuperum, & junguntur infero, quibuſque ſuffixa janua. nam oſtium duobus arrectariis tigillis ſuffixum. Poſtibus feræ affixæ erant, ut ait Feſtus in *Adſerere*. unde Ovidius dixit: *Excute poſte feram*. Conjungit poſtes cum cardine, ut Virgilius 2. Æneid. *Poſteſque a cardine vellit*. Ibid. *Emoti procumbunt cardine poſtes*. Iſidorus lib. 15. cap. 7. *Poſtes & Antes, quaſi poſt & ante ſtantes, & quod poſt oſtium poſtes ſtent*. PASS. *Quum ſubito r. ſ. c. p.* Similia occurrunt apud Lucianum in Dialogo Cochlidis & Parthenidis τῶν ἑταιρῶν. VULP.

v. 50. ET LEVIA AD PRIMOS MURMURA FACTA LARES] Strepitus exiguus auditus in primo ædium limine. Ovidius 5. Faſt.

Atque hac exiguo murmure verba loqui.

Facere murmur, murmurare, ut facere mu, mutire Lucillio, & facere turbam Terentio in Eunucho bis. *Levia murmura*, quia ſunt & gravia murmura. El. 4. ſup. *Fera murmura*. vide illic. *Ad primos lares*, ad primam partem ædium; ut Eleg. prox. ſup. v. 21. *Primo temone*. *Ad lares*, ut ſup. *Ad portas*. *Lares*, domus. Eleg. 3. ſup. v. 56. PASS. Confer Lucianum Dialogo Cochlidis & Parthenidis. VULP.

v. 51. NEC MORA, QUUM TOTAS RESUPINAT CYNTHIA VALVAS] Ac ſtatim quum Cynthia evertit & proſternit valvas, ita ut ſupinæ jacerent, e digitis elapſa ſunt pocula mihi perturbato. *Reſupinat valvas*, ut ſup. hic *Menſa ſupina*. Reſupinus, idem quod ſupinus. Virgilius 1. Æneid. *Curruque hæret reſupinus inani*. *Reſupinare*; etiam pervertere, Nonio interprete. Attius Antigona: *Quid agis? perturbas rem omnem, ac reſupinas, ſoror*. Juvenalis minus pudice Sat. 3.

Horum ſi nihil eſt, aviam reſupinat amici.

Caſte verò Sat. 8.

Et reſupinati ceſſantia tympana Galli.

Valvas totas: ut infra: *Totas lacernas*, & *Toto toro*. *Valvæ*, inquit Servius in 1. Æn. ex Varrone, quæ in ſe revolvuntur, & ſe velant; fores, quæ foras aperiuntur. PASS. *Tum totas*, Editio princeps. quæ lectio vera eſt. VULP.

v. 52. NON OPEROSA COMIS, SED FURIBUNDA DECENS] Non operoſe comta. Magnæ multæque operæ muliebres comæ. nam *dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt*. *Sed furibunda*, furentis in morem, ut Elegia 8. lib. 3. *Quum furibunda mero menſam propellis*. nam Cynthia mulliter iraſci non ſolebat: Eleg. 5. lib. 1. Furor tamen ille

eam

Pocula mi digitos inter cecidere remiſſos,
  Palluerunt ipſo labra ſoluta mero.
Fulminat illa oculis, & quantum femina ſævit.
  Spectaclum capta nec minus urbe fuit.

Phyl-

eam decebat. formoſior videbatur inſana. Ovidius 7. Metam.

Tu collige, qualis in illa,
Phoce, decor fuerit, quam ſit dolor ipſe decebat. Pass.

Comis. ſcribendum videtur *comas*, ſolenni poetis Latinis Græciſmo. Broukh. *Sed furibunda decens.* Poſt hunc verſum collocari debet τιλεία ςιγμὴ, non ὑποδιαςολὴ: neque enim ſuſpenditur ſententia. Vulp.

v. 53. Pocula mi digitos inter cecidere remissos] Ut Eleg. 4. ſup.

Interque oblitas excidit urna manus.

Pocula. calices vitreos intelligit. ſup. *Vitrique æſtiva ſupellex.* Varro 5. de L. L. A πότῳ, potio, unde poculum. *Cecidere inter digitos remiſſos*; ut Ovidius 4. Metam.

Pavet illa, metuque
Et colus, & fuſus digitis cecidere remiſſis.

quia ſolvuntur frigore (timoris) membra. *Remiſſi digiti*, ut mox *Soluta labra*. Sic *Mente feſſa remiſſus*, Eleg. 4. ſup. v. 83. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Paullatim ſomnus feſſa remittat opus.

Ovidius 2. Faſt.

Deſinit in lacrimis, intentoque fila remiſit. Pass.

Ex Homero habet L. 16. Odyſſ. v. 13. Broukh. Subito pavore conſternati hominis mira deſcriptio. Suſpicor, Perſium hinc mutuatum eſſe quæ habet Sat. 3. v. 100.

Sed tremor inter vina ſubit, calidumque trientem
Excutit e manibus: dentes crepuere retecti:
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.

Simul confer, germana ſunt. quamvis Perſius de apoplexia loquatur. Heliodorus etiam lib. 1. Hiſt. Æthiop. non procul ab initio: Κρατῆρες ἀνατετραμμένοι, καὶ χειρῶν ἔνιοι τῶν ἐχόντων ἀπορρέοντες. Vulp.

v. 54. Palluerantque ipso labra soluta mero] Aut eſt enallage temporum, *Cecidere*, *palluerant*; aut legendum *Palluerunt*, [tertiâ ſyllabâ correptâ], ut *exciderunt* Eleg. 7. ſup. v. 15. *Labra ſoluta*, remiſſa, languida: vino enim, ut & ſomno ſolvimur. Ovid. 2. Faſt. *Vidit comites vino ſomnoque ſolutos.* Donatus in Eun. *Labra ſunt ſuperiora: Labia inferiora. & Labia ſunt majora, unde Labiones; Labra vero ſunt aſinorum.* Verrius Flaccus apud Chariſium lib. 1. *Modica labra, labia immodica, & inde labiones.* Sunt & *labra* vaſa, & margines aquarum dicta labra a lavando. Iſidorus lib. 11. *Labia a lambendo, & ſuperius labium, inferius labrum. Alii virorum labra, mulierum labia dicunt.* Sed Servius in Ecl. 2. ineptiſſimam ait eſſe illam diſcretionem. *Palluerant ipſo mero*, vi ipſius meri, etiam ſine metu jam palluerant. Plinius de ebrietate, lib. 14. H. N. cap. ult. *Hinc pallor, pendula gena, tremula manus, effundentes plena vaſa.* Pass. Hæc ſunt interpolata. recte olim Livinejus, *Palluerunt ipſo.* quod & Douza F. in ſua editione expreſſit. videlicet penultimam in his præteritis corripi nefas eſſe credebant homines religioſi. Broukh.

v. 55. Fulminat illa oculis, et quantum femina saevit] *Fulminat.* pro fulgurat videtur dixiſſe; ut ſæpe fulgura pro fulminibus: nam & fulmen a fulgeo, ut a luceo lumen. Ovidius tamen l. 1. Amor. Eleg. 8.

Suſpicor, & fama eſt: oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & gemino lumen ab orbe venit.

Aurelius Victor in Auguſto: *A cujus facie dum quidam miles averteret, & interrogaretur Cur ita faceret, reſpondit: Quia lumen oculorum tuorum ferre non poſſum.* De oculis Cynthiæ Eleg. 3. lib. 2. *Oculi gemina, ſidera noſtra, faces.* Lucretius lib. 3.

Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in ira,
Quum ferviſcit, & ex oculis micat acribus ignis.

Virgilius 12. Æneid.

Totoque ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt; oculis micat acribus ignis.

Home-

Phyllidos iratos in vultum conjicit ungues:
Territa vicinas Teïa clamat aquas.

Lumi-

Homerus Iliad. 13. πυρὶ δ' ὄσσε δεδήει. *Igne autem oculi ardebant. Oculorum ardor imperatorius:* Cicero pro Corn. Balbo. De C. Mario & Plutarchus. *Quamvis femina,* (fabaudi, sævire potest) *sævit*. id est irascitur, tumultuatur & sævitiam exercet pro mulierum viribus. PASS.

v. 56. SPECTACULUM CAPTA NEC MINUS URBE FUIT] Non minus horrenda facies rei, quam urbis captæ. Proverbialis hyperbole, *Ut in urbe capta*. Catullus Carmine 61.

Quid faciant hostes capta crudelius urbs?

Virgilius 2. Æneid.

Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?

Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Si licet exemplis in parvo grandibus uti,
Hæc facies Trojæ, quum caperetur, erat.

Idem in Epist. Hermionæ:

Quid gravius captâ Lacedæmone servo tulissem?

Sallustius Catil. *Capta urbe nihil fit reliqui victis*. &c. vide ibid. in Orat. Cæsaris & Catonis. Livius lib. 37. *Haud fecus quam in incendio, aut in urbe capta trepidatur*. Legendus Homerus lib. 9. Iliad. a versu 588. & lib. 22. de luctu Trojanorum in morte Hectoris. PASS.

v. 57. PHYLLIDOS IRATOS IN VULTUM CONJICIT IGNES] Alii libri, *Ungues*. id est, Phyllidis os & faciem unguibus appetit, ut iratæ solent. τὸ *Ignes*, mavult Scaliger, quia sequitur, *Clamat aquas*. præterea quod dixerit Eleg. 8. lib. 3.

Tu minitare oculos subjectâ exurere flammâ.

Sed inepte dicerentur, *Irati ignes*. Quare malo, *ungues*. nam ita dixit Eleg. ult. lib. 3.

Nec tamen iratâ janua fracta manu.

& Eleg. 6. lib. 1. *Insanis ora notet manibus*. & Eleg. 15. lib. 3.

Mollisque immites fixit in ora manus.

Iratos ungues. insanam manum: nam *Ira furor brevis est*. *Iratos*, pro sævos, ut contra *sævire*, pro irasci. & *conjicit*, tamquam telum. nam ungues & dentes arma sunt muliebria. Martialis Epigr. 85. l. 11.

Non iracundis fecit (hoc) gravis unguibus uxor. PASS.

Præclara, expedita, & maxime vivida ὑποτύπωσις feminæ zelotypæ, in pellices deprehensas, & amatorem infidelem vehementissime debacchantis. Ineptus aliquis de schola declamator in argumento simili neque principium dicendi, neque finem facile invenisset. SUMMI vero scriptores, ubi opus est, ad eventum festinant, selectis utuntur, & aptissimis, inania & ambitiosa recidunt ornamenta, & rem verbis æquare student. Laudantur ab eruditis illa Ovidii ex lib. 2. Fast. celerrima sane, ac miræ rotunditatis:

Nox superest: tollamur equis, Urbemque petamus.
Dicta placent: frenis impediuntur equi.
Pertulerant dominos. regalia protinus illi
Tecta petunt: custos in fore nullus erat.
&c. VULP.

v. 58. TERRITA VICINAS TEÏA CLAMAT AQUAS] Metu percussa, poscit cum clamore, ut in incendio, *Aquam, Aquam*. sic *Clamasset nomen* Eleg. 17. lib. 1. cum clamore vocasset. Appulejus lib. 3. *Trepido etiam rumore viciniæ conclamantis Latrones, profugit territus*. ubi *Conclamare Latrones*, ut hic *Clamare aquas*: Item *Viciniæ*, ut hic *Vicinas*: & *Territus*, ut hic *Territa*. Fabius Declam. 12. Pro civibus contra legatum: *Ut Arma bello, ut Aquam incendiis inclamare publice solent*. Sed & aquâ repertâ diu quæsitâ exclamabant, *Aqua, Aqua*. Statius 4. Theb.

Ibi exsultans conclamat ab agmine primus,
Sicut erat levibus tollens vexilla maniplis,
Argus, Aqua, longusque virûm super ora cucurrit
Clamor, Aqua.

Sic in Convivio, sed sine tumultu, poscebant; *Aquam manibus; Aquam pedibus*. *Vicinas*, ambigue aut ipsam viciniam substantivo nomine; aut *Vicinas aquas*, Esquilinas fortasse, ut *Vicina saxa Jovis* Eleg. 4. sup. Significat autem id quod dixit Eleg. 3. lib. 3.

Nocturnæque canes ebria signa fugæ.

Clamat, cum gemino accusativo, ut *Pacem te posci-*

Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis & insana semita nocte sonat.

Illas

poscimus amnes. PASS. *Territa*, quod viderit Phyllidem unguibus appetitam a Cynthia : *Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet*.

Vicinas clamat aquas. Ut Esquilinæ regionis inquilinos ad opem sibi ferendam undique convocet, fingit, aqua opus esse ad subitum incendium restinguendum. Propertium illustrabit Appulejus lib. 4. Metam. ubi Lamachi latronis exitium describit: *Sed dudum scilicet*, ait, *omnium bipedum nequissimus Chryseros vigilans & singula rerum sentiens, lenem gradum & abditum silentium tolerans, paullatim adrepit: grandique clavo manum ducis nostri repente nisu fortissimo ad ostii tabulam affigit, & exitiabili nexu patibulatum relinquens, gurgustioli sui tectum ascendit; atque inde contentissima voce clamitans rogansque vicinos, & unumquemque proprio nomine ciens, & salutis communis admonens, diffamat, incendio repentino domum suam possideri*. Juvenalis pariter Sat. 3.

Jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon: tabulata tibi jam tertia fumant.

Et antiquos imitatus Marcellus Palingenius lib. 8. Zodiaci vitæ humanæ v. 473. *Postquam crevere incendia .... frustra undas vicinia clamet*. Similis est etiam locus Petronii extremo Fragmento Traguriano: *Unus præcipue servus libitinarii illius, qui inter hos honestissimus erat, tam valde intonuit, ut totam concitaret viciniam. Itaque vigiles, qui custodiebant vicinam regionem, rati ardere Trimalchionis domum effregerunt januam subito, & cum aqua, securibusque tumultuari suo jure cœperunt. Nos occasionem opportunissimam nacti Agamemnoni verba dedimus, raptimque tam plane, quam ex incendio fugimus*. Nam, ut ait Seneca lib. 3. de Ira cap. 43. *Sæpe rixam conclamatum in vicino incendium solvit*. Clamare & conclamare, nonnumquam est cum clamore advocare. Lucillius lib. 3. Satyr.

E somno pueros quum mane expergitu' clamo.

Plautus Asin. 2, 3, 10. *Ita hæc morata est janua: extemplo janitorem clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem*. Virgilius lib. 7. Æneid. v. 503.

Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agrestes.

Ovidius 2. Fast. v. 351. *Inclamat comites, & lumina poscit Mæonis*. VULP.

v. 59. LUMINA SOPITOS TURBANT ELATA QUIRITES] An significat illos ignes conjectos in vultum Phyllidis? An lucernam, cujus meminit supra, extra ædes latam in viam? An vicinos extulisse faces, ut viderent quid & ubi turbaretur? Sic Eleg. 2. sup. *Sub noctem porrigit ignes*. vide illic adnotata. An legendum, *Allata*, vel *Illata*? Ovidius 2. Fast.

Fit sonus, inclamat comites, & lumina poscit
Mæonis. illatis ignibus acta patent.

Q. Curtius lib. 8. *Itaque apertis foribus, & lumine illato sopitum mero ac somno excitant regem*. Ennius apud Ciceronem 1. de Divin.

Excita cum tremulis anus attulit artubu' lumen.

Turbant, excitant cum tumultu. *Turbant*, quia molestum est abrumpi somnos. El. 3. lib. 1.

Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem.

Sopitos, somno sepultos. Eleg. 26. lib. 2. *Unum litus erit sopitis*. Sopiti sunt sine sensu ad tempus. unde Livius lib. 42. *Sopitum humerum*. vulgo *Endormi*. *Quirites*, cives. ergo Romæ ea rixa, non Ariciæ, aut Lanuvii. Sed & Aricini & Lanuvini, Quirites, quia municipes. De Quiritibus vide ad Eleg. 1. sup. v. 13. PASS.

v. 60. OMNIS ET INSANA SEMITA NOCTE SONAT] Sunt in urbe, ut in agris, & viæ, & semitæ; unde *de via*, & *de semita decedere*. Aut semita, pro via, ut infra v. 62. Nam quod dixit Eleg. 11. lib. 1.

Qua jacet Herculeis semita litoribus:

Eleg. 18. lib. 3.

Et sonat Herculeo structa labore via.

Omnis semita, ut Virgilius 4. Æneid. *Opere omnis semita fervet*. Quid est *Nocte insana*? an tumultuosa? An in qua insani per urbem discurrebant? An ut Eleg. 7. lib. 3.

Nos

Illas direptiſque comis, tuniciſque ſolutis
Excipit obſcuræ prima taberna viæ.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
Et mea perverſa ſauciat ora manu:

Impo-

Noe improba ? Sed legendum puto , *Insana voce*, ut Eleg. 8. lib. 3.

Vocis & insanæ tot maledicta tuæ .

Ovidius id nos docet in Epiſt. Canaces :

Eripit infantem , mentitaque facta revelat
Æolus . insanâ regia voce ſonat .

Scriptum fuerat *noce* , pro *voce* , unde factum , *Nocte* . Paſſeratius legit , *voce ſonat* . nihil erat neceſſe . *nox insana* valet, mulieres per noctem inſanientes . Martialis L. 10. Epigr. 47. *Nox non ebria , ſed ſoluta curis* . Broukh. *Insana nocte* , παννυχίσιμος . Ita Eleg. 17. lib. 3.

Semper enim vacuos nox ſobria torquet amantes .

Semita . hinc *ſemitarii mœchi* Catullo Carmine 37. & *devium ſcortum* Horatio Ode 11. lib. 2. Vulp.

v. 61. Illas direptisque comis , tunicisque solutis Excipit obscuræ prima taberna viæ] Prima taberna viæ obſcuræ , quæ prima oblata eſt in via obſcura , quia noctu ea rixa fuit . unde lucernarum mentio ſupra , & luminum elatorum . *Excipit illas* , admittit fugientes ; verbum hoſpitalitatis . Virgilius 4. Æneid. *Ejectum litore , egentem Excepi* . & 7. Æneid.

Nec gremio Auſonios Teejam excepiſſe juvabit .

Direptis comis , diſcerptis . ut Eleg. 7. ſup. *Verba diripuere Noti* . Sic Eleg. 5. lib. 2. *Connexos carpere crines* . An legendum , *dirupsis? Tunicis ſolutis* . diſcinctas eas ſignificat a Cynthia , quod turpe habebatur . Albinovanus In Obitum Mæcenatis :

Invide , quid tandem tunica nocuere ſolutæ?

Inter ignominias militares fuit diſcinctos fodere, ceteris ſpectantibus : Plutarchus in Lucullo . Suetonius verò in Aug. cap. 24. & Corn. Tacitus 11. Annal. docet , accinctum militem fodere vallum oportuiſſe . De *Tunica* quid & unde , virili & muliebri vide adnotata ad El. 2. ſup. *Demiſſis inſtitor in tunicis* . Pass.

v. 63. Cynthia in exuviis gaudet , victrixque recurrit] τὸ *In* vacat . Terentius Adelph. 1 , 1. *In te me oblecto* . vide adnotata ad verſum 18. Eleg. 4. l. 2. *Victrixque recurrit* , curſim ad me revertitur fugatis hoſtibus & male multatis , vel voti compos . ut Eleg. 13. lib. 3. *Ardent victrices* . Pass. Magis artificioſum , & , quantum ego arbitrari poſſum , magis Propertianum numerum ſervavit nobis Groningani codicis fides , *Cynthia gaudet in exuviis* . vides exſultantis præ lætitia & ferocientis a vindicta mulieris curſum , ipſa verborum collocatione tantum non præpictum . Hæc quum non caperent librarii , verſum ut emollirent , languidum fecerunt atque elumbem . non abſimili venuſtate auctor Culicis :

Phrygiæ paſſim vaga præda peracta
Fluctuat omnis in æquoreo jam naufraga fluctu .

Broukh. Groningano codici ſuffragatur Editio princeps A. 1472. *Exuviis*, puta comis direptis , & diſciſſarum veſtium laciniis . Vulp.

v. 64. Et mea perversa sauciat ora manu] Mala & improba manu graviſſime vulnerat . Ovidius 3. A. A. *Indignas ſauciat ungue genas* . Salluſtius lib. 2. Hiſt. apud Nonium : *Ita ut Metellus iſtu tragulæ ſauciaretur* . utitur & Cicero ſauciandi verbo . *Manu perverſa* , improba , ſæva . ut Auſonius : *Verſat manus improba furtum* , Virgilius 7. Æneid.

Contra fata deûm perverſo numine poſcunt (bellum .)

id eſt , irato & iniquo . Plautus Menæchm . *Perverſus dies* . Cicero 1. de Nat. Deor. *Perverſiſſimi oculi* . ut ſit perverſitas , pravitas membrorum . Suetonius in Aug. c. 62. *Pertæſus perverſitatem morum* . Pass. *Perverſa manu* , fortaſſe pro averſa , puta colapho , vel alapa impacta . Vulp.

v. 65.

Imponitque notam collo, morſuque cruentat:
  Præcipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi jam noſtris laſſavit brachia plagis,
  Lygdamus ad plutei fulcra ſiniſtra latens
Exuitur, geniumque meum proſtratus adorat.
  Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.

Suppli-

v. 65. IMPONITQUE NOTAM COLLO, MORSUQUE CRUENTAT] Dictum *Imponere notam*, ut a Cicerone pro Sextio: *Plagam mortiferam reip. imponere*. Idem lib. 1. & 5. ad Attic. *Imponere vulnus provinciæ*. Petronius: *Placuit utriſque quadringenas plagas imponi*. Lucillius apud Nonium: *Cui ſæpe impoſui mille plagarum in diem*. geſtantur collo notæ; ergo imponuntur, ut onera moleſta. Horatius dixit, *Imprimere notam*. Tibullus, *In collo figere dente notas*. Noſter Eleg. 3. ſup. v. 26. *Dentibus dare notas per colla*. *Morſuque cruentat*, ita mordet, ut cruor conſequatur. Eleg. 5. ſup.

Semper habe morſus circa tua colla recentes.

Plautus Curcul. 5, 1. *Manum arripuit mordicus. Apage hunc caniculam*. Plutarchus in Alcib. *Mordes ut femina. Morſu cruentat*. Sic Horatius Epiſt. 14. l. 1. *Morſuque venenat*, id eſt impreſſo dente. PASS.

v. 66. PRÆCIPUEQUE OCULOS, QUI MERUERE, FERIT] Ante omnia eam partem mei appetit qua maxime peccatum eſt. unde jocus Martialis Epigr. 43. l. 3. Auſonius Epigr. 15.

Pergame, non recte punitus, fronte ſubiſti
  Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu qui dominus, peccantia membra coërce,
  Injuſtum falſas excruciare reos.
Aut inſcribe iſtam, quæ non vult ſcribere, dexteram:
  Aut profuget ferri pondere necte pedes.

Ferit oculos: quia illam partem ulciſcebatur. Plautus Aſin. ſub finem: *In oculos invadi optimum eſt*. Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Oculos appetat illa meos*. Terentius Eun. 4, 3. *Ut ego unguibus facile illi in oculos involem veneficæ*. Cicero in Verr. Orat. de Suppliciis: *Lictor converſo bacillo oculos miſero tundere vehementiſſime cœpit*. Q. Curtius lib. 6. *Haſtis os oculoſque everberare*. de Philotæ tormentis. Seneca Epiſt. 72. *In oculos mihi manus intentat ille*. *Ocliferia* verbum ejuſdem Epiſt. 33. de iis quæ in taberna in oculos incurrunt, & eos movent. Oculi autem præcipue meruere. nam Eleg. 32. lib. 2. Noſter dixit:

Qui videt, is peccat: qui non te viderit, ergo
  Non cupiet. facti crimina lumen habet.

PASS.

Hoc tibi exponet Donatus ad illud Eunuch. Act. 4. Sc. 6. *Atque ſi illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur*. tum ad Adelph. Act. 3. Sc. 2. *Adoleſcenti ipſi eriperem oculos: poſt hæc præcipitem darem*. BROUKH.

v. 67. ATQUE UBI JAM NOSTRIS LASSAVIT BRACHIA PLAGIS] Poſtquam defeſſa eſt verberando. Ovidius 4. Faſt.

Sedula ſunt viri contento brachia laſſant.

& 3. Pontic. Eleg. 7.

Mitius ille perit ſubita qui mergitur unda,
  Quam ſua qui tumidis brachia laſſat aquis.

Appulejus lib. 7. Metam. in fine: *Tunc de brachiorum ſuorum cita fatigatione conqueſta, procurrit ad focum*. *Plagis*. Donatus in Phorm. *Plector, ferior, unde plectrum & plaga*. Nonius; *Plagæ, vulnera*. Item, *verbera*. πληγὴ Græcis dicitur παρὰ τὸ πλήττω. PASS.

v. 68. LYGDAMUS AD PLUTEI FULCRA SINISTRA JACENS EXUITUR, GENIUMQUE MEUM PROSTRATUS ADORAT] *Exuitur*, tunicas ponere jubetur, ut nudus cædatur. Cato apud A. Gellium lib. 10. c. 3. *Juſſit veſtimenta detrahi, atque flagro cædi*. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 6.

Certe ego quum poſitâ ſtares ad verbera veſte,
  Ad dominam pro te verba tremente tuli.

Idem in Epiſt. Acontii:

Utque ſolent famuli, quum verbera ſæva verentur,
  Tendere ſubmiſſas ad ſua crura manus.

Plautus Perſa 3, 1. *Herus ſi minatus eſt ma-*

lum

lum servo suo, tametsi id futurum non est, ubi captum est flagrum, dum tunicas ponit, quanta affectus est miseria! Juvenalis Sat. 6. *Periit libraria, ponunt Cosmetæ tunicas. Jacens*, prostratus; ut Eleg. 6. lib. 3.

Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes.

Sed alii libri, *Latens eruitur*, quod & ipsum rectum est: eruuntur enim latentia & defossa. Vatinius Ciceroni Epist. 4. & Epist. 10. lib. 5. ad famil. *Tibi illum inde aliquando eruam* (fugitivum e latebris.) Varro 5. de L. L. *Quæ obruta vetustate, ut potero, eruere conabor*. Horatius Epist. 1. libri 2.

Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum.

Cicero 1. in Rullum: *Indagare, invenire, eruere e tenebris. Ad fulcra plutei*, quæ pluteum sustinent. ut Eleg. 7. sup. *Fulcrum* lecti dixit. Vet. Gloss. *Fulcrum, ὑποστήριγμα. Sinistra*, pro ratione loci, aut sitûs; ut Eleg. 1. sup. *Cancri terga sinistra*. An eam partem intelligit quæ hæret interiori spondæ lecti, vulgo, *En la ruelle du lict?* Festus: *Plutei, crates corio crudo intentæ, quæ solebant opponi militibus opus facientibus, & appellabantur militares. nunc etiam tabulæ quibus quid præscribitur, eodem nomine dicuntur*. Vide Vetus Glossarium verbo *Pluteus*, Martialis τὸ ἀνάκλιτον τῆς κλίνης *pluteum* vocat, vulgo *le dossier*, lib. 3. Epigrammat. 49.

Namque puer pluteo vindice tutus erat.

Sunt ergo plutei militares, navales, scenici, librarii, & lectorum, ut hic, & supra in versu Martialis, & apud Suetonium in Caligula cap. 26. *Cœnanti modo ad pluteum (lecti,) modo ad pedes stare succinctos* (Senatores) *lintea passus est*. Meminit pluteorum Vitruvius lib. 4. cap. 4. & lib. 5. cap. 1. *Jacens prostratus adorat*. sic Lucretius lib. 5.

Nec procumbere humi prostratum, & tendere palmas
Ante deûm delubra.

quod *Advolvi* Noster dixit Eleg. 17. lib. 3. v. 1. *Prosterni ad pedes*, Cicero 2. Philipp. & *Prosternere* se, & *supplicare*, pro Plancio. *Adorat Genium*, veneratur, mihi per Genium meum supplicat. *Adoro*, per se est oro, & suppliciter peto, quæsoque, ut notavi ad illud Eleg. 4. lib. 1. *Maneat sic semper adoro*. Orare antem solebant per Genium. Statius 2. Silv. in Abascantii pietate:

Dum cunctis supplex advolveris aris,
Et mitem Genium domini præsentis adoras.

Tibullus Carm. 4. lib. 4.

Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.

Horatius Epist. 7. lib. 1.

Quod te per Genium, dextramque, deosque Penates
Obsecro & obtestor.

& *Per Genium Cæsaris jurare*. Ulpianus in *L. Si duo §. ult. de Jurejur.* Tertullianus in Apologet. cap. 28. Item in libro ad Scapulam. Minucius Felix in Octavio. Suetonius in Calig. cap. 27. Dio lib. 57. Appulejus lib. 9. A. A. *Genium*, inqnit Festus, *appellabant deum qui vim obtineret rerum omnium gerendarum* (sic legendum.) *Aufustius: Genius*, inquit, *est deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur. Et propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Alii*, inquit, *Genium esse putarunt uniuscujusque loci deum*. Vide & Isidorum lib. 8. & Nonium in *Genius*. Charisius lib. 1. *Genius ἡ τύχη ἑκάστου*. Horatius Epist. 1. lib. 2.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in unumquodque caput.

Servius ad illud 6. Æneid. *Quisque suos patimur Manes. Quum nascimur, duos Genios sortimur, unum qui ad bona hortatur; alterum qui ad mala*. Censorinus cap. 3. de Die Natali, plurima de Genio collegit. Vide D. Augustinum lib. 7. de Civit. Dei, Plutarchum in Problematis, & Lilium Gyraldnm. PASS. *Ad plutei fulcra sinistra jacens. latens* nostri; Groninganus; & Gebhardi libri. recte puto: nimirum si qua elabi posset herilis lasciviæ administer, antequam a bacchante Cynthia conspiceretur. Seneca Herc. fur. v. 987. *Sed ecce proles regis inimici latet, Lyci nefandum semen*. BROUKH. Editio princeps, *latens Eruitur*. VULP.

v. 70. LYGDAMA, NIL POTUI: TECUM EGO CAPTUS ERAM] Nulla tum mea gratia fuit, aut valuit pro te, quum nec pro me valuerit. Simile est illud Eleg. 5. libri 1.

Non ego tunc potero solatia ferre roganti,
Quum mihi nulla mei sit medicina mali.

Aliter Terentius Eun. *Nihil potesse*. Contra Virgilius 6. Æneid. *Potes namque omnia. Captus*, & deprehensus & redactus in Cynthiæ potestatem. Cœlius Ciceroni Epist. 2. lib. 8.

Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,
Quum vix tangendos præbuit illa pedes.
Atque ait, Admissæ si vis me ignoscere culpæ,
Accipe, quæ nostræ formula legis erit.
Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra,
Nec quum lascivum sternet arena forum.

Colla

lib. 8. ad famil. *Obstupui, & mihi visus sum captus esse.* PASS.

v. 71. SUPPLICIBUS PALMIS TUM DEMUM AD FŒDERA VENI] Eodem sensu El. 9. l. 1.

Ecce jacet, supplexque venit ad jura puellæ.

Tum demum, ægre ac vix tandem, vix denique. nam *demum* signum est tarditatis, ut Eleg. pænult. lib. 1.

Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu.

Veni ad fœdera, ultro petii conditiones pacis, quamvis iniquas. Veni, ut victus ad victorem accedit orans pacem. Virgilius 4. Æn. *Aut hæc in fœdera veni.* Sic Ovidius Epist. Phædræ:

In facias leges ultima gentis eo.

Virgilius 12. Æneid. *Æterna in fœdera mittent. Supplicibus palmis;* Virgilius eodem libro, *Precante dextra.* Sic Eleg. 20. lib. 1.

Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis. PASS.

v. 72. QUUM VIX TANGENDOS PRÆBUIT ILLA PEDES] Superbum istuc præbere pedes tangendos, ut rem sacram. Ovidius Epist. Paridis:

Nunc mihi nil superest, nisi te, formosa, precari,
Amplectique tuos, si patiare, pedes.

& 2. A. A.

Nec maledicta puta, nec verbera ferre puellæ
Turpe, nec ad teneros oscula ferre pedes.

Mos satisfacientium, Suetonio in Tiber. cap. 27. *Consularem vero satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugerit, ut caderet supinus.* Venerabundi tangebant pedes. Juvenalis: *Cereris tangens aramque, pedemque.* Horatius Ode 19. lib. 1. *Recedentis trilingui Ore pedes tetigitque crura.* Virgilius 2. Æneid. *Complexa pedes in limine conjux Hærebat.* & Thetis Iliad. 1. genibus Jovis advoluta hæret. *Præbuit pedes*, ut Suetonius in Vitellio cap. 2. *Pro maximo munere a Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos.* PASS.

v. 73. ATQUE AIT, ADMISSÆ SI VIS ME IGNOSCERE CULPÆ] Ut El. 29. l. 2. v. 38. *Admissa adulteria.* *Ignoscere* cum tertio casu, ut Eleg. 6. lib. 2. *Ignosce timori.* & cum quarto casu Eleg. 2. lib. 2. *Ignosce pristina furta tua.* Ignoscit, qui se non videre simulat, nec scire: Animadvertit, qui quod vidit, ulciscitur. PASS.

v. 74. ACCIPE, QUÆ NOSTRÆ FORMULA LEGIS ERIT] Imperiose, ut dantis leges. Elegia vero 13. lib. 2. mandaotis est:

Accipe quæ serves funeris acta mei.

Formula legis; id est, quibus verbis lex quam tibi dicemus concepta erit. Translatum a formulis Jurisconsultorum, unde ipsi Jurisconsulti *formularii* vocantur a Fabio libro 12. J. O. cap. 3. *Quorum alii se ad album & rubricas transtulerunt, & formularii, vel, ut Cicero ait, leguleji esse maluerunt.* Erat formula certa conceptio verborum, quæ petebatur a Jurisconsultis in agendo, quem vulgus stylum vocat, inquit Budæus in Adnot. in Pandectas. unde *Errare formula*, Fabio Declam. 260. *Excidere formula*, Suetonio in Claudio cap. 14. *Formula cadere*, Senecæ Epist. 49. Cicero ubique de formulis actionum, judiciorum & Jurisconsultorum. unde 1. de Orat. *Formularum cantor.* & pro Murena: *Ei quoque carmen compositum est.* Festus: *Pares, quod est in formulis.* Livius lib. 45. *Hac formula dicta in Illyrico.* quum scilicet pronuntiatum esset, quo jure & conditione futuri in Illyrico. & lib. 39. *Thessalorum formulæ factum.* id est, Juris. Hac de re Tibullus Eleg. 6. lib. 1. *Et mihi sunt duræ leges*, &c. vide Plautum Asin. 4, 1. ubi syngraphum appellat & leges inter amatorem & amicam. PASS.

v. 75. TU NEQUE POMPEJA SPATIABERE CULTUS IN UMBRA] Martialis Epigr. 48.

lib.

Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuæ sidat operta moræ.

Lygda-

lib. 11. *Neque Pompeja lentus spatiatur in umbra*. Idem Epigr. 10. lib. 5.

Sic veterem, ingrati, Pompeji quærimus umbram.

vide Eleg. 32. lib. 2. ubi a versu 11. ad 15. describitur Pompeji porticus. *Spatiabere*. lente incedes & inambulabis. Ovidius l. 2. Trist.

Quum quædam spatientur in hoc ut amator eodem
Conveniat, quare porticus ulla patet?

De hoc verbo vide plura adnotata ad Elegiam 2. l. 2. v. 7. *Cultus*, bene pexus & vestitus. Quomodo Ornatus differat a Cultu, adnotatum ad Eleg. 2. lib. 1. v. 1. PASS.

v. 76. NEC QUUM LASCIVUM STERNET ARENA FORUM] Nec cultus eris quum per forum arena spargetur, ut firmius insistant gladiatores. vel *Nec*, pro, & non. *Et cave ne inflectas*, &c. Vide Eleg. 1. sup. v. 27. *Arena sternet forum*. ut Ovidius lib. 2. Trist.

Martia quum durum sternet arena forum.

Idem 1. A. A.

Sparsaque sollicita tristis arena foro.

Manilius lib. 4.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ.

Horatius Epist. 1. lib. 1.

Ne populum extremâ toties exoret arenâ.

Inde *Arenarii* Petronio, Symmacho, Tertulliano, & Arcadio Jurisconsulto, qui in arena depugnant. Vide Lipsii Amphitheatrum cap. 3. *Arena sternet forum*. Sic Horatius Ode 17. lib. 3. *Cras foliis nemus Multis, & alga litus inutili Demissa tempestas ab Euro Sternet*. Virgilius 3. Georg. *Stipulæ filicumque maniplis Sternere subter humum*. Hic ergo hypallage. *Forum lascivum*, ubi nequitiæ fomenta. Ovidius 1. A. A.

Et fora conveniunt, (quis credere posset?) amori;
Flammaque in arguto sæpe reperta foro.

& mox:

Illo sæpe loco capitur consultus Amori;
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.

vide adnotata ad Eleg. 19. lib. 2. v. 9. Legendus Lipsius lib. 1. Elect. cap. 11. de scortis in scena. vel *Lascivum*, nocturnis stupris infame. ut adnotatum ad Eleg. 7. sup. v. 19. Vide Lipsium lib. 3. Antiq. Lect. PASS.

v. 77. COLLA CAVE INFLECTAS AD SUMMUM OBLIQUA THEATRUM] Respicias detorta cervice. Horatius Ode 12. lib. 2. *Quum flagrantia detorquet ad oscula Cervicem*. Cicero 2. de Leg. *Cervices & oculos torquere in audiendis modis tibicinis*. Quid sit obliquum, adnotavi ad illud Eleg. 3. sup.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno.

Inflectas obliqua, διὰ τὸ αὐτό. *Ad summum theatrum*. Lipsius extremo cap. 14. lib. de Amphitheatro, adfert e Seneca de Tranquillitate vitæ: *Verba ad summam caveam spectantia*, pro, vilia & minutæ plebis: & feminas quoque inde spectasse, colligit ex hoc Propertii loco, ita legens atque interpungens:

Tu neque Pompeja spatiabere cultus in umbra,
Et quum lascivum sternet arena forum
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum.

Suetonius in Aug. cap. 44. *Feminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari solemne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit*. Calpurnius Ecl. 7.

Venimus ad sedes ubi pullâ sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras. P.

Colla c. i. a. s. o. t. V. Douza Schediasm. Succidan. p. 72. sq. BROUKH. Ovidius pariter lib. 2. Amor. Eleg. 7. Corinnam zelotypam allocutus:

Sive ego marmorei respexi summa theatri,
Eligis e multis unde dolere velis.

nempe designas oculis τὴν τυχοῦσαν, & fingis eam tibi rivalem. suspicata, id quod non est, ejus me potissimum caussâ ad summam caveam respexisse. VULP.

v. 78. AUT LECTICA TUÆ SUDET APERTA MORÆ] Lipsius lib. 1. Elect. cap. 19. de lectica clausa hunc locum intelligit, & sic legit:

Nec lectica tuæ sit adaperta moræ.

Nolo, inquit Cynthia, collum flectas ad sum-

Lygdamus in primis omnis mihi cauſſa querelæ
Veneat, & pedibus vincula bina trahat.

Indi-

ſummam caveam, ubi feminæ: nolo etiam lectica per viam te moretur clauſa, ne curioſe inſpicias quæ aut qualis vehatur. hæc ille. Palmerius 189. legit *Sidat*. Neuter recte. nam ſudare coguntur lecticarii, quum ea quæ geſtant detinentur io via diutius. Martialis Epigr. 23. lib. 9.

Ut canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Lectica; pro lecticariis, ut Eleg. 3. ſup. *Tua haſta*, tu haſtatus; *tuam famem*, te famelicum Eleg. 3. ſup. & Eleg. 6. *Convivis*, pro coovivæ. De lecticæ forma Lipſius ibid. Ovidius 1. A. A.

Interea ſive illa toro reſupina feratur,
Lecticam dominæ diſſimulanter adi.

Vide eumdem in Remed. Amor. a verſu 663. *Aperta tua mora*, quæ aperitur ut tu ſermone detineas amicam, capite ioſerto in lecticam. Cicero Philipp. 2. *Caput in lecticam averſam inſerens beneficia quæ venderet a collega petebat*. Beroaldus etiam de Propertio per lecticam ſpectante in via mulieres exponit; ſed prior ioterpretatio verior. Ut lectica, pro lecticariis, ſic mora pro moratore Eleg. 9. lib. 3.

Tota ſub exiguo flamine noſtra mora eſt.

& Eleg. 16. lib. 1.

Sollicitas trivio pervigilare moras.

id eſt, me morantem & ſollicitum. PASS. Palmerius legit, *ſidat aperta*. rectum hoc & probum, modo ſcribas cum noſtris & Borrichiano, *operta*. Neque lectica aliqua clauſa, in qua vehatur tuarum amicarum una, ſidat aut deponatur humi, interjuogentibus oonoihil lecticariis, ut tu habeas moram ac ſpatium cum ipſa garriendi. Cicero L. 9. ad Attic. Epiſt. 11. *Quum e viatore quodam eſſet auditum, qui ſe diceret eam in Appia, quum is paullum lecticam aperuiſſet, cognoſſe*. nempe io operta, ut moris erat, vehebatur. unde notatur Antonii impudentia ibidem L. 10. Epiſt. 10. *Hic tamen Cytheridem ſecum cum lectica aperta portat, altera uxorem: ſeptem præterea conjunctæ lecticæ amicarum ſunt, an amicorum?* & Philipp. 2. C. 24. *Lictores laureati antecedebant, inter quos apertâ lecticâ mima portabatur*. Et hoc quidem probroſum atque inhoneſtum: ut contra ſuperbum ac barbarici faſtûs plenum, non admittere ſalutationis officium clauſâ lecticâ. id quod io eodem Antonio ibidem non ſioe acri morſu exagitat Orator, C. 41. *Quum inde* [e fundo M. Varronis Caſſinate] *Romam proficiſcens ad Aquinum accederet, obviam ei proceſſit, ut eſt frequens municipium, magna ſane multitudo. at iſte apertâ lecticâ latus eſt per oppidum, ut mortuus*. Ceterum vehentes in lectica puellas ſalutare atqua alloqui, familiare tunc Romæ. id manifeſtum ex Ovidio L. 1. Artis Amat. BROUKH.

v. 79. LYGDAMUS IN PRIMIS OMNIS MIHI CAUSSA QUERELÆ VENEAT, ET PEDIBUS VINCULA BINA TRAHAT] Ante omnia, inquit Cynthia, volo ut Lygdamus vendatur, quia per eum unum de te queror. is enim eas pellices vocavit, & adduxit. *Querela*, doloris. id quod ſequitur, pro eo quod præcedit. Sic *Querela*, pro miois Elegia 6. lib. 1.

His ego non horam poſſum durare querelis.

Veneat & trahat vincula. Servi enim ioterdum alienabantur ea conditione, ut compedes trahereot, ut Italia exportarentur, aut ne quo loci morarentur. L. 1. & 2. *De ſervis exportandis*. & dicitur pœna homini irrogata; L. 6. ibid. & an ſatisfaciendum ſit animo prioris domini ſævientis, quæritur. Ibid. Plautus Epidico Sc. *Cave præterbitos*. (Emta tibi ſit) *Atque ita profecto ut hanc ex hoc exonerer agro*. *Trahat*, dixit, noo geſtet, ut pondus compedum oſtendat. Virgilius pariter 6. Æneid. *Stridor ferri, tractæque catenæ*. *Bina vincula*, gemioas compedes, ut El. 1. lib. 2. *Bina vada*. Contra Plautus Captiv. 1, 2. *His indito catenas ſingularias*. quamvis Turnebus exponat, ſingularum librarum. PASS. *Omnis mihi cauſſa querelæ*. Uſurpantur haud raro *querelæ* pro diſcordiis & ſimultatibus amatorum & conjugum. Propterea io Romaois Iuſcriptionibus crebrum eſt, *Cum qua vixi ſine ulla querela*. Horatius Ode 13. lib. 1. *Felices ter & amplius Quos irrupta tenet copula, nec malis Divulſus querimoniis Suprema citius ſolvet Amor die*. *Veneat, & p. v. b. t.*

Servi

Indixit leges. respondi, Ego legibus utar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcumque locum externæ tetigere puellæ,
Suffiit, & pura limina tergit aqua.

Impe-

Servi nequam pessimis conditionibus nonnumquam in emtoris manum dabantur, puta ut durius haberentur; ne umquam liberi fierent; ne ad urbis pomœrium accederent; ut opus facerent in ergastulo: quæ abunde tractant Jurisconsulti Digest. L. 18. tit. 7. *De servis exportandis*. vide & tit. 8. lib. 1. Instit. Justiniani, *De his qui sunt sui, vel alieni juris*. Vulp.

v. 81. Indixit leges. respondi, Ego legibus utar] Servius ad illud 5. Æneid. *Indicitque forum; verbum juris esse*, ait, & exponit, *locum tempusque designat*. Idem 1. Æneid. *Divûm templis indicit honorem; jussit fieri, unde indictæ feriæ*. & 7. Æneid.

Ergo iter ad regem pollutâ pace Latinum
Indicit primis juvenum.

Figurate, inquit, *verbum bellicum posuit*. Varro, *Indicere illicium*, *Indicere funus*, quod fieri per præconem illa denuntiatio soleat. Cicero, *Indicere bellum*. Sed idem 5. Verrina: *Legem sibi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero vitæ rationem reposcunt*. quod est præscribunt, & jubent. Sic Suetonius, *Indicere vectigalia, silentium, matrimonium*. Aut est compositum, pro simplici; ut Eleg. 15. lib. 2. *Includet fato*, pro, claudet. Persius Sat. 1. *Levior cippus nunc imprimit ossa*; pro, premit. Eleg. 1. sup. *Mœnia disponere*, pro, ponere. Sic Eleg. 4. sup. dixit: *Terris dicuntur jura subactis*. Leges autem Elegia 9. lib. 1. sic vocat: *Supplexque venis ad jura puellæ*. *Utar legibus*, Accipio leges, iisque parebo. Cicero pro Cæcina: *Omnes debent uti jure civili*. Idem ibidem: *Utimur eodem jure in ædibus*. In renuntiatione sponsaliorum, ut scribit Cajus J. C. L. 2. *de sponsalibus*, dicebant: *Conditione tua non utor*. Plautus Asin. *Eadem nos disciplina utimur*. Terentius Phorm. *Scisti uti foro*. Horatius Epist. 17. lib. 1. *Regibus uti*. An, ut idem dixit, *Judiciis fruor iisdem?* sed ibi *judiciis* est opinionibus. Pass. *Indixit leges*. De his mulierum legibus vide Ciceronem Paradoxo 5. C. 2. loco plane illustri. Broukh.

v. 82. Riserat imperio facta superba dato] Enallage temporis, pro risit. ut supra:

Palluerantque ipso labra soluta mero.

Facta superba, reddita. Eleg. 24. lib. 3. v. 2. Sic *Facta beata* Eleg. 6. lib. 2. v. 6. Plautus Amphitr. *Faciam te superbum nisi hinc abis*. *Imperio dato*, concesso imperio, quod est viri, ut & majestas. Plautus Asin. 1, 1. *Argentum accepi, dote imperium vendidi*. Servius ad illud: *Liceat Phrygio servire marito; Uxor*, inquit, *in manu mancipioque viri erat per coëmtionem*. Vide M. Catonem in Oratione de Dote apud A. Gellium lib. 10. cap. 23. Idem de Lege Oppia apud Livium lib. 34. memorat *Majestatem virorum* (in uxores.) & Attius Tereo apud Nonium in *Contendere*: *Video te, mulier, multarum utier, ut vim contendas tuam ad majestatem viri*. *Dato imperio*; ut Eleg. 6. lib. 1. *Accepti pars eris imperii*. Pass. *Imperio dato*. Livius lib. 26. *Imperio, non populi jussu, non ex auctoritate Patrum dato*. Vulp.

v. 83. Dein quemcumque locum externæ tetigere puellæ, Suffiit, et pura limina tergit aqua] Ita emendavit Beroaldus, quum vett. libb. haberent *Sufficit*. Servius ad illud 4. Georg.

Aut suffire thymo, cerasque recidere inanes.

Suffire, inquit, *fumigare*. quo verbo Columella & Varro in eadem re utuntur. Inde *suffimenta* Festo: & Ovidio, *Sanguis equi suffimen erit*. Varro 5. de L. L. *Suffibulum, a suffiendo*. Lucretius lib. 2.

Ignibus ætheriis terras suffire feraces.

Ovidius lib. 4. Fast. suffitum significat quum ait:

Ure mares oleas, tædamque herbasque Sabinas.

Arnobius lib. 4. *Turis suffimenta libare diis*. Vide Theocritum Pharmaceutria de eo genere purgationis & lustrationis, & Plinium,

Scali-

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.

Atque

Scaligeri vet. lib. *Suffocat*. nam *suffocare* secundâ longâ a faucibus, & secundâ brevi a foco, ut notant veteres Grammatici; ut sit *suffocare*, *πυρῶσαι*. Theocritus: *πυρώσατε δῶμα θεείῳ*. *Suffocate domum sulfure*. *Externa puella*; alienæ. ut Eleg. 3. lib. 1. *Externa in amore*. *Tetigere locum*, quasi contactu suo polluissent. *Tergit*; non dixit lavit, sed tergit, quod majus est. & *Tergit*, pro terget. Cicero Paradox. *Qui tergunt*, *qui ungunt*, *qui verrunt*, *qui spargunt*. & *Limina*, vel utraque, superum & inferum, vel limen inferum tantum, quod tetigisse ominosum, præsertim novæ nuptæ. & *limen sacrum*, unde & *Limentinus*, & *Limus*, & *Lima*, dii præsides liminum, & sub his Magi occultare quædam solebant. Virgilius & Theocritus in Pharmaceutria. Est autem enallage temporis *Suffiit* & *tergit*. ut supra: *Cecidere*, *polluerant*; *Indixit*, *riserat*. nisi sit præteritum a præsenti, ut Eleg. 32. lib. 2.

Nuper enim de te nostras me lædit ad aures
Rumor. - - - - *Aqua*. Ovidius 6. Fast. de lustratione adversus striges:

Spargit aquis aditus, & aquæ medicamen habebant.

De purgatione quæ fit per ablutionem vide Festum in *Aqua*. *Purâ*, vel limpidâ; ut apud Horatium: *Puræ rivus aquæ*. vel petitâ e puro fonte, vel vivo flumine, & aptâ ad purgationem; ut Eleg. 10. lib. 3.

Ac primum purâ somnum tibi discute lymphâ.

Sic *pura laurea* Eleg. 6. sup. quia adhibebatur lustrationi. Virgilius 6. Æneid.

Idem ter socios purâ circumtulit undâ. P. Cynthia amatorem suum habebat pro polluto, & cui funerea purgatione opus foret. talis enim hæc fere erat. Festus in *Aqua*: *A funere redeuntes ignem supergrediebantur, aqua adspersi. quod purgationis genus vocabant* SUFFITIONEM. Sed & ipsa loca expiabantur, in quibus monstrum aliquod aut inauspicatum animal visum fuisset. quod hic in scortillis Cynthia observat. Adludit Cicero Orat. pro Cluent. C. 68. ubi de Sassia, Cluentii matre, Larino Romam profecta ut filio ultimum exitium crearet: *Nemo erat illorum pæne dicam, quin expiandum illum locum esse arbitraretur, quacumque illa iter fecisset: nemo, quin terram ipsam violari, quæ mater est omnium, vestigiis consceleratæ matris putaret*. id hodie Indi idololatræ faciunt aqua, in qua stercus bubulum est dilutum, teste egregio scriptore Petro della Valle, parte quarta Itiner. Epist. 6. Tò *suffoca*, media brevi, qui defendunt, nulla se alia auctoritate tuentur, nisi hujus ipsius loci, ut quidem eum Scaliger legi voluit. aliis tibicinibus opus erit verbo tam novo, priusquam ejus gratiâ alterum vetus & probum ejiciatur. super quo videre potes Priscianum L. 10. & Valerium Probum in Catholicis. BROUKH. Vide Johannis Lomejeri Syntagma de Veterum Lustrationibus, quod in altera editione inscribitur *Epimenides*. VULP.

v. 85. IMPERAT ET TOTAS ITERUM MUTARE LACERNAS] Jubet pro imperio dato. Imperiosa femina, ut Eleg. 9. lib. 1.

Et tibi nunc quævis imperat empta modo.

Mutare lacernas. Aliter Cicero: *Mutare vestem in luctu, aut temporibus reip.* & Horatius Ode 35. lib. 1. *Mutatâ veste Fortuna*. & Virgilius 12. Æneid. *Vertere vestes*. *Lacernas*. vide adnotata ad Eleg. 3. sup. v. 18. *Totas*, ut Eleg. 14. lib. 1. *Tota cubili*. & Eleg. 3. sup. *Tota non sidere pallia lecto*. PASS. Puto *lustrare lacernas*: nam & vestes expiabantur, & arma, & quidquid tandem crederetur pollutum. Valerius Flaccus III. 441.

Per tacitos egere gradus; ter tristia tangens
Arma simul vestesque virûm, lustramina ponto
Pone jacit.

vide meas Notas ad Tibull. 1, 5, 11. BROUKH.

v. 86. TERQUE MEUM TETIGIT SULFURIS IGNE CAPUT] De ternario numero in sacris & lustrationibus Eleg. 6. sup.

Terque focum circa laneus orbis eat.

Meum caput, aut re vera caput, aut me ipsum. sic Eleg. 10. lib. 3.

Inque

Atque ita mutato per singula pallia lecto,
Et sponda, & toto solvimus arma toro.

Inque meum semper flent tua signa caput.
Sulfuris igne, flamma sulfurea, & sulfure accenso: vim autem lustrandi in sulfure putabant esse. Plinius lib. 35. cap. 15. *Habet (sulfur) & in religionibus locum ad expiandas suffitu domos*. Servius ad illud 6. Æn. *Aliæ panduntur inanes Suspensæ ad ventos*. *In sacris omnibus tres sunt istæ purgationes. nam aut tæda purgantur & sulfure: aut aqua abluuntur: aut aere ventilantur, quod erat in sacris Liberi*. Ovidius 4. Fast. de expiatione Palilibus:

Cærulei fiant vivo de sulfure fumi,
Tactaque fumanti sulfure balet ovis.

& lib. 7. Metam.

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure lustrat.

Idem 2. A. A.

Et veniet quæ lustret anus lectumque locumque,
Præferat & tremula sulfur & ova manu.

Appulejus lib. 11. Metam. *Tæda, & ovo, & sulfure purificatum dedicavit*. Tibullus Eleg. 5. lib. 1.

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine quum magico præcinuisset anus.

Homerus lib. 22. Odysseæ, verbis Ulixis ad Eurycleam nutricem:

Οἶσε θήιον γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ
Ὄφρα θειώσω μέγαρον.

Fer sulfur, anus, malorum medelam, fer autem mihi ignem, Ut suffiam domum. *Igne sulfuris*, ut *eques Parthorum* Eleg. 10. l. 2. PASS. Mira vis sulfuris, si etiam amoris furta potuerit expiare. totum istud lustrationis sulfureæ negotium magnifica, ut solet, pompa describit Claudianus, in VI. Consol. Honor.

Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum
Sulfure cæruleo nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda sacerdos,
Rore pio spargens, & dira fugantibus herbis
Numina; purificumque Jovem Triviamque precatus,
Trans caput aversis manibus jaculatur in Austrum
Secum rapturas cantata piacula tædas.

aliter hunc Nostri versiculum, nimirum

Terque meum tetigit sulfure & igne caput,

profert Marcellus Donatus Dilucidat. in Suetonii Neron. C. 6. quod unde habuerit, non possum divinare. tamen si in aliquo vetere libro reperiretur, ego facile præferrem lectioni vulgatæ. BROUKH. Juvenalis pariter Sat. 2. v. 157. *Cuperent lustrari, si qua darentur Sulfura cum tædis*. vide & Homerum Iliad. 16. v. 232. Quomodo Epicurus lustraverit animos hominum, vide Lucianum in Pseudomanti. VULP.

v. 87. ATQUE ITA MUTATO PER SINGULA PALLIA LECTO, RESPONDI: ET TOTO SOLVIMUS ARMA TORO] Eleg. 29. lib. 2.

Atque ita me injecto duxerunt rursus amictu.

An *Respondi*, *Ita*, id est legibus utar, ut revocet superiora? Scaliger τὸ *Respondi*, verbum juris putat, quia Cynthiam quum indixit leges, ab eo stipulata erat. Plautus Captiv. 4, 2. E. *Sponden' istud? H. spondeo. E. At ego tuum tibi advenisse filium, respondeo*. dictum ut Restipulor. An *Respondi*, satisfeci? Virgilius 1. Georg.

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ.

Suetonius in Cæsare: *Quia non tota* (villa) *ad animum responderat*. Varro 5. de L. L. *Respondere, est ad voluntatem rogantis. nam qui aliud dicit, non respondet*. An *Respondi*, annui & consensi? Plautus Pœn. 3, 3. *Salutat, respondemus*. Donatus in Adelph. *Respondere proprie dicitur quum hic intenditur. Spondere enim est priorem alloqui: Respondere posteriore loco dicere*. *Mutato lecto*. Aliter dixit sup.

Mutato volui castra movere toro.

Hic mutatus lectus ob mutata pallia. potest & esse hypallage, mutatis singulis palliis per lectum. pallia hic sunt vestes stragulæ. vide ad Eleg. 3. sup.

Tum queror in toto non sidere pallia lecto.

Aliter Eleg. 7. sup.

Fecerunt tepidas pallia nostra vias.

Per singula, sigillatim, & tamen per omnia. Virgilius 7. Æneid. quum dixisset,

Ipsa deûm pœnas docuit, perque omnia duxit; post ait,

Quæ postquam Anchises natum per singula duxit.

nam ex singulis conjunctis cuncta fiunt. *Solvimus arma.* ἀφροδισίως. *Arma*, quibus pugnatur in certamine nocturno, & quæ non prohibentur lege Cornelia. vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 1. v. 16. An *solvimus arma*, pugnam & rixam omnem diremimus? ut Eleg. 4. sup. *Commissas acies ego possum solvere.* PASS. Istud *respondi* omnino hic est supervacuum, nec quidquam ad rem facit. tum verò, *solvere arma*, pro, ponere inimicitias, pugnam & rixam dirimere, utrum Latine dici possit, ego quidem ignoro. quare exosculor felicissimam Nic. Heinsii restitutionem, Not. in Ovid. Epist. Didûs v. 5.

Et sponda & tuæ movimus arma toro.

nimirum post expiationem cubiculi, lecti, ipsiusque capitis sui, receperat poeta suos nervos, & virile officium rursus fungi poterat. BROUKH.

ELEGIA IX.

AMphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,

Venit

ARGUMENTUM ELEGIÆ IX. LIBRI IV.] Narrat, Herculem Caco latrone interemto, ut collectam sitim restingueret, arcanum quoddam feminarum sacrum, quæ ipsi haustum aquæ negaverant, violasse, Aramque Maximam ibidem fundasse. VULP.

V. 1. AMPHITRYONIADES QUA TEMPESTATE JUVENCOS EGERAT A STABULIS, O ERYTHEA, TUIS] Turnebus lib. 23. Adv. c. 7. *Erytheis* hic emendat. & *Erytheidas* apud Ovidium 1. Fast.

Ecce boves illuc Erytheidas applicat heros,
Emensus longi claviger orbis iter.

Nec aliud exemplum adfert, quod hæc insula Geryonis in Oceano omnium consensu ita vocata fuerit. Idem Ovidius 5. Fast.

Victor abit (Alcides), *secumque boves Erytheida prædam*
Abstrahit.

unde & 1. Fast. leg. *Erytheidas*. Scaliger legit, *Erythea*. Ἐρύθεια. *Erytheam* Geryonis filiam commemorat Pausanias in Phocicis. Pherecydes Gades appellavit *Erythiam*, ut ait Strabo lib. 3. & addit, aliis videri adjectam Gadibus insulam, ubi regnarit Geryon. Pomponius Mela lib. 3. cap. 6. *In Lusitania* Erythia, *quam Geryonæ habitatam accepimus*. Hesiodus in Theogonia περιῤῥύτῳ Ἐρυθείῃ vocat, & ἀμφιῤῥύτῳ Ἐρυθείῃ. Euripides in Hercule furente vocat Geryonem τὸν τρισώματον βοτῆρ' Ἐρυθείας. Plinius lib. 4. H. N. cap. penult. *Erythia dicta, quoniam Tyrii, ab origine eorum, orti ab Erythro mari ferebantur.* De Erythia vide Apollodorum lib. 2. Macrobium lib. 5. Saturn. cap. 21. Plautus Persa, 2, 3. *Herus meus me Eretriam misit, domitos boves ut sibi mercarer.* & 2, 5. *Dominus boves me mercatum Eretriam misit.* corrige, *Erythiam*. PASS. De Erythea pluribus disputat vir summus Gerardus Joannes Vossius lib. 1. de Idololatria cap. 34. quem videsis. VULP. *Qua tempestate*. Notat Cicero 3. de Orat. & in Oratore ad Brutum, antique dictum. Frequens apud Sallustium, *Ea tempestate*. Catullus Carm. 65.

Qua tempestate novo auctus hymenæo.

Idem Carm. 63.

Illa tempestate ferox & tempore Theseus.

Festus: *Tempestatem pro tempore frequenter dixerunt antiqui*. Varro 6. de L. L. *Libri augurum frequenter tempestatem pro tempore dicunt; & est in XII. Sol occasus supremus tempestas esto.* utitur sæpe Livius. vide Nonium. *Amphitryoniades*, Hercules, qui licet Jovis filius, tamen Amphitryonis putabatur, unde Catullo *Falsiparens*. Virgilius 8. Æneid.

Interea quum jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet.

De Amphitryone Plautus in fabula ejusdem nominis, Pausanias Arcadicis, Hyginus, Apollodorus, alii. *Egerat a stabulis*. ana-

stro-

Venit ad invictos nemorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus & ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Sed

strophe, pro, abegerat; ut Eleg. 15. l. 3. *Stabulis mater abacta suis*. Tacite tamquam abigeum, sive abactorem notat Herculem. Livius lib. 1. *Boves miranda specie Herculem abegisse*. Festus in *Potitium: Potitium & Pinarium Hercules, quum ad Aram, quæ hodieque Maxima appellatur, decimam boum, quos a Geryone abductos abigebat Argos in patriam, profanasset, genus sacrificii edocuit*. Stabula Geryonæ intelligit, de quibus Eleg. 22. lib. 3. *Juvencos*. *boves* vocat paullo post. ut & Livius loco prænotato. Virgilius 8. Æneid. *Tauros*. vide adnotata ad Eleg. 1. sup. v. 129. PASS. De bobus ab Hercule abactis lege, præter ceteros, Pausaniam in Messenicis cap. ult, & Sex. Aur. Victorem in libro de Origine Gentis Romanæ c. 6. qui Herculem vocat Recaranum. Hercules verbo filius Amphitryonis, re ipsa filius Jovis, qui *Alcmenam uxorem sibi cepit usurariam*, ut loquitur Auctor argumenti Amphitruonis Plautinæ. Græci dicerent: Ἡρακλῆς ὁ λεγόμενος μὲν Ἀμφιτρυώνος, γενόμενος δὲ ἐκ Διός. VULP.

v. 3. VENIT AD INVICTOS PECOROSA PALATIA MONTES] Hebe apud Ovidium 6. Fast.

Hæc quoque terra aliquid debet mihi nomine magni
Conjugis: huc raptas appulit ille boves.

Invictos montes, ubi postea fuit Roma invicta. *Invictus*, qui vinci non potest; ut Eleg. 20. lib. 1. *At comes invicti juvenis*. Sic *Indomitus*, *invisus*, *immotus*, *interritus*, *illaudatus*, *inculpatus*. *Montes*, enallage. vide Eleg. 9. lib. 3. v. 49. *Palatia*, de quibus dictum ad Eleg. 1. sup. v. 3. At Ovidius 4. Fast.

Venerat Evander plena cum classe suorum,
Venerat Alcides, Grajus uterque genus.
Hospes Aventinis armentum pavit in herbis
Claviger, & tanto est Albula pota deo.

Pecorosa, quæ pecore abundant, ut Ver pecorosum Statius 10. Theb.

Cui fætura gregem pecoroso vere novavit.

Pecorosus, προβατώδης. dictum ut *numerosus*, *pectorosus*, *scelerosus*, *operosus*. *Armentosissima Italia* Gellio lib. 11. N. A. c. 1. Inde *Pecusium* dictum pars Palatii ad mare versus: Festus in *Pecuscum*. vulgo male *Pectuscum*, vel *Petuscum*. Varro 4. de L. L. *Eumdem hunc locum Pecuscum a pecore dictum putant: Nevius Balantium appellat*. PASS. *Ad invictos*. *in adductos* nostri MSS. Livin. Gebh. & Groning. Poculo illo suo ingenti vectus Hercules huc navigaverat. v. Macrobius L. 5. Sat. C. 21. loco bono, neque occupato. *Pecorosa Palatia*. *nemorosa palatia* noster primus, recte. quomodo enim mons ille *pecorosus*, in quo abactor Cacus stabulabatur? at *nemus* illic etiam Maro commemorat, in hac ipsa historia, L. 8. Æn.

Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.

& sic etiam Borrichianus. BROUKH. *Pecorosa Palatia*. Varro l. 5. de L. L. *Tum februatur populus, id est Lupercis nudis lustratur antiquum oppidum Palatinum, gregibus cinctum*. nimirum ætate Propertii mons ille pecore abundabat. VULP.

v. 4. ET STATUIT FESSOS FESSUS ET IPSE BOVES] Post longum errorem hic consistere jussit ad quietem, & pabulum. Statui etiam dicitur, & constitui victima ad aram, ut & sisti. *Fessos*, *fessus*, commutatio; ut Elegia 19. lib. 2.

Sola eris, & solos spectabis, Cynthia, montes.

De fesso Hercule infra hac Elegia: *Fessa vix mihi terra patet*. Livius lib. 1. *Ut quiete, & pabulo læto reficeret boves, & ipsum, fessum via, procubuisse*. Contra tamen Ovidius 9. Metam.

Defessa jubendo est
Sæva Jovis conjux, ego sum indefessus agendo.

Martialis Epigr. 104. lib. 4. de Hercule:

Hesperios Tusco lavit in amne boves. PASS.

v. 5. QUA VELABRA SUO STAGNABANT FLUMINE, QUAQUE NAUTA PER URBANAS VELIFICABAT AQUAS] Fori partem notat.

est

Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Jovem.

Inco-

est autem hypallage, pro, flumen stagnabat, & effundebatur per Velabrum, & exundabat. Nam Livius lib. 1. *Lenibus*, inquit, *stagnis effusus Tiberis*. Virgilius 3. Æneid.

Exsupere prapingue solum stagnantis Elori.

quia scilicet egressæ alveo aquæ plerumque stant in agris. Cornel. Tacitus l. 1. Annal. ἐνεργητικῶς: *Tiberis plena urbis stagnaverat*. Columella de Cultu Hortorum:

Nam neque sicca placet, nec quæ stagnata palude
Perpetitur querula semper convicio ranæ.

Alibi tamen Corn. Tacitus dixit: *Agris humidis atque stagnantibus*. ubi stagnare agri ita dicuntur, ut hic *Stagnabant Velabra*. *Velabro* Varro 4. de L. L. *regionem Romæ fuisse dictam a vehendo*, inquit, *quod illic ratibus veherentur, quod ipsum dicitur etiam Velaturam facere*. Erat autem & majus & minus Velabrum. Varro ibidem: *Ab iis* (Lautulis) *palus fuit in minore Velabro*, (ad aram) *quo in novam viam exitur*. Plutarchus in Romulo idem quod Varro scribit de etymo Velabri. Memorat Livius ubi situm lib. 37. Meminit Plautus in Curcul. & Captiv. item Cicero in Epist. ad Brutum. Horatius quoque Sat. 3. lib. 1. & Suetonius in Cæsare. Adde Nostrum Elegia 2. sup. v. 7. *Velificabat*, vela faciebat, faciebat velaturam, navigabat; quod Tibullus Eleg. 5. lib. 2.

At quo Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.

Urbanas, medio foro labentes. PASS. Graphice Ovidius lib. 6. Fast. v. 401.

Hoc, ubi nunc fora sunt, udæ tenuere paludes:
Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.
Qua Velabra solent in Circum ducere pompas;
Nil præter salices cassaque canna fuit.

lege reliqua, si vacat. VULP.

v. 7. SED NON INFIDO MANSERUNT HOSPITE CACO INCOLUMES: FURTO POLLUIT ILLE JOVEM] Boves, inquit, non manserunt incolumes Caco hospite infido; id est, latrone, cui nulla fides, & qui omnibus struit insidias. *Incolumes*, salvi & tuti a furibus. Non manet incolume, quod amittitur & perit domino. Sic Virgilius Ecl. 7. *Caper tibi salvus & hædi*. *Hospite infido*. uterque hospes & Cacus & Hercules: sed ille accipiebat, hic accipiebatur hospitio. Eleg. 24. lib. 2. *Hospes uterque malus*; id est, infidus. Ovidius 1. Metam. *Non hospes ab hospite tutus*. & 1. Fast. de Caco:

Non leve finitimis, hospitibusque malum.

Herculem tamen hospitio accepit Evander, non Cacus: Virgilius 8. Æn. Ovidius 1. Fast. Livius lib. 1. ubi de Caco & ejus furto. Ovidius 6. Fast.

Hic male defrusus flammis & dote paterna
Cacus Aventinam sanguine tinxit humum.

Servius in 8. Æneid. *Servus*, inquit, *Evandri κακὸς & malus fuit, unde Κᾶκος dictus mutato accentu*. Legendus de eo & Dionysius lib. 1. Item Fulgentius p. 130. *Polluit*, violavit; ut Eleg. 34. lib. 2. *Polluit ille deus cognatos*. *Jovem*, nempe hospitalem, ξένιον, de quo Virgilius 1. Æn.

Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.

Ovidius 5. Metam.

Testatus Jusque Fidemque
Hospitiique deos, ea se prohibente moveri.

Homerus lib. 6. Odyss. Πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες Ξεῖνοί τε πτωχοί τε. *Furto*, quod Jurisconsulti *Abigeatus crimen*. L. 2. *de Abigeis*. L. 5. *de Re Milit*. *Abigei autem a furibus hoc distant*, quod fur unam ovem, aut bovem; Abigeus plures abducere soleat. L. 1. & ult. *de Abigeis*. Et L. 16. §. *Quantitas*. *de Pœnis*; *Qui ovem unam, vel suem surripuerit, ut fur coërcetur; qui plures, aut gregem, ut abigeus*. Dicitur & *Abactor*: Græcis ἀπελάτης. Mox Cacus vocatur *Raptor*, mox *Fur*. PASS. *Hospite Caco*. cacemphaton sordidum in re non inhonesta. prudentior Maro L. 8. Æn. *Huic monstro Vulcanus erat pater*. Servius: *Prudenter vitavit casum in quo inerat turpis significatio verbi, ne diceret Huic Caco*. vide Ciceronem L. 9. ad famil.

Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Aversos cauda traxit in antra boves.

Nec

Epist. 22. ac Fabium L. 8. C. 3. *Polluit illo Jovem*. ita pro nugace vocula *locum*, bene restituit Scaliger. *Jovem* quoque habent uterque Regius, nostri duo, & Groninganus. id quod omnium eruditorum consensu jam est receptum. Br. *Hospite Caco*. Nimis argutatur Servius in 8. Æn. super hac voce, tamquam si conveniat cum sordido verbo. Diversa enim est quantitas primæ syllabæ in verbo & nomine: quæ diversitas tollebat cacemphaton, præsertim antiquis, diverso modo utramque vocem pronuntiantibus. *Jovem*, exhibet Editio princeps A. 1472. Vulp.

v. 9. Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro, Per tria partitos qui dabat ora sonos] *Cacus incola*, qui *Accola* Livio lib. 1. *Pastor, accola ejus loci*. Dionysius lib. 1. λῃστὴς ἐπιχώριος. Indigena. *Incola*, inquit Isidorus lib. 9. *non indigenam, sed advenam significat*. Atqui Plautus Aulul. *Optati cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ*. Legendus Pomponius L. *Pupillus*. §. *Incola* 239. *de Verb. Sign.* & L. 35. *ad Municipalem*. & Alciatus L. 2. Parergon. c. 7. *Raptor*, pro prædone; *Harpax* Plauto; *Rapo* Varroni apud Nonium, & *Rapinator*. *Ab antro Raptor*, qui prodire e spelunca ad rapiendum & latrocinandum solebat. Sic Elegia 6. sup. *Mundi servator ab Alba*. vide illic. *Antro*: Speluncam vocant Livius l. 1. & Virgilius 8. Æneid. ἄντρον Dionysius l. 1. & σπήλαιον. *Metuendo*, horrendo, quia foribus speluncæ affixa humana ora. Virgilius loco memorato:

Semperque recenti
Cæde madebat humus, foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant squallida tabe.

Eadem habet Ovidius 1. Fast. Idem ibid.

Cacus Aventinæ timor, atque infamia silvæ.

Fulgentius per speluncam interpretatur latebras malitiæ, quæ numquam simplex & aperta sit. *Qui dabat sonos*. Virgilius de Caco 8. Æneid. *Atque insueta rudentem*. *Dare sonos*, edere voces. Virgilius 2. Æn. *Sonitum quater arma dedere*. [Ovidius 4. Metam. *Densissque in undas Urna dedit sonitum*.] Eleg. 3. sup. *Dare carmen aves*. vide illic. Sed alii libri *Focos*. An quia vomebat atros ignes & fumum Cacus; ut apud Virgilium 8. Æneidos? probo. Sic Eleg. ult. infra:

Exhibuit vivos carbasus alba focos.

Partitos per tria ora. Ergo τρικάρηνον & tricipitem, trifaucemque Cacum hic Noster fingit: cujus rei apud alios nulla mentio, quod sciam, nisi apud Fulgentium, qui tribus modis malitiam nocere ait, aperte, ut validiores; clam, ut fures & latrones; blande ac dolose, per falsos amicos. Virgilius semihominem & semiferum vocat, ut duplex fuerit, non triplex. Fulgentius interpretatur, inimicam esse veritati & luci malitiam, rebusque tenebras offundere, & latebras quærere. Pass. *Sonos*. melius in Groningano *focos* legitur. quod & Palmerius observavit. *Atros ore vomens ignes* dicitur Cacus Virgilio L. 8. Æneid. Idem lib. eodem:

Glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.

vide & Ovidium L. 1. Fastor. Broukh.

v. 11. Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ] Id est, ne in manifesto furto deprehendi posset. *Signa*; *Indicia viarum* vocat Virgilius, & *vestigia*. Idem:

Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.

Certa signa, ut Virgilius 1. Georg.

Atque hæc ut certis possis cognoscere signis.

Ibid. *Solem certissima signa sequuntur*. De rapina vide adnotata ad Eleg. 2. lib. 2. v. 10. *Rapina manifesta*, ut furtum manifestum, id est, quod deprehenditur dum fit, ut definit Masurius apud A. Gellium l. 11. c. ult. quasi manu ferens fur deprehendatur. nam manifestus a manu & ferendo,

Nec ſine teſte deo. furem ſonuere juvenci:
Furis & implacidas diruit ira fores.

Mæna-

do, ut infeſtus. De furto manifeſto, nec manifeſto, concepto, oblato vide L. 3. & ſeq. *de Furtis*, & Paullum J. C. L. 3. Sentent. Tit. 31. *Certa, manifeſta*. διὰ τὸ αὐτό, ut Eleg. ſup. *Inflectat obliqua*. PASS.

V. 12. AVERSOS CAUDA TRAXIT IN ANTRA BOVES.] Virgilius 8. Æneid.

Quattuor a ſtabulis præſtanti corpore tauros
Avertit, totidem forma ſuperante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus veſtigia rectis,
Cauda in ſpeluncam tractos, verſiſque viarum
Indiciis raptos ſaxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.

Livius quoque lib. 1. *Averſos caudis in ſpeluncam traxit*. Dionyſius lib. 1. Ἔμπαλιν τῆς κατὰ φύσιν τοῖς ζώοις πορείας ἐπιστάμενος ἑλκύσαι κατ' οὐράν. *Contra naturalem & ſolitum animalibus inceſſum ſingulos traxit per caudam*. Ovidius 1. Faſt.

Nulla vides taciti quærens veſtigia furti.
Traxerat averſos Cacus in antra boves.

Martialis Epigr. 66. lib. 5.

Silvarumque tremor, tacita qui fraude ſolebat
Ducere non rectas Cacus in antra boves.

Vide Homerum in Hymno Apollinis de ejus bobus a Mercurio ſurreptis. Idem Mercurius apud Apollodorum lib. 3. quum abigeret boves Apollinis, ἵνα μὴ φωραθείη ὑπὸ τῶν ἰχνῶν, ὑποδήματα τοῖς ποσὶ περιέθηκεν. PASS.

V. 13. NEC SINE TESTE DEO. FUREM SONUERE JUVENCI] Sono & mugitu furem prodidere boves. *Sonare*, cum quarto caſu, ut Eleg. 31. lib. 2. v. ult. *Sonat carmina*. Sic *Inſanit amores*: *Requieverat arctos*. Eleg. 33. lib. 2.

Et pecoris duro perdere verba ſono.

id eſt, mugitu. vide Virgilium 8. Æneid. de hac re; item Livium lib. 1. Ovidius 1. Faſt.

Servata male parte boum Jove natus abibat,
Mugitum rauco furta dedere ſono.

Dionyſius lib. 1. αἱ ἔνδοθεν ἀντεμυκῶντο ταῖς ἔξωθεν. *Incluſæ reſpondebant mugitu iis quæ foris erant*. Nec *ſine teſte deo*. Pœnis enim Caci Juppiter hoſpitalis invigilare decrevit, ut loquitur Noſter Eleg. 4. ſup. *Teſtis*; arbiter & ſpectator. vidit deus ſcelus, & ultus eſt. Proverbialis ſermo Σὺν τῷ θεῷ. & Pindaro οὐ ἄτερ θεῶν. Horatius Ode 4. lib. 3. *Non ſine diis*. Virgilius: *Non hæc ſine numine divum Eveniunt*. Item Theocritus Idyll. 10. Εὗρε θεὸς τὸν ἀλιτρόν. & Ὄμμα δικαιοσύνης. & Ἐστὶ Δίκης ὀφθαλμός, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ. Apollonius Rhodius l. 4. Argon.

Ἠέλιον δὲ Ζῆνα κακῶν ἐπιμάρτυρας ἔργων.

PASS. *Furem ſonuere juvenci*. nihil poterat dicere atrocius, ſi temporum illorum integritatem ſpectes. eopſe epitheto utitur Virgilius, libro laudato: *At furiis Caci mens effera*. Servius: *Pro ingenti ſcelere furis nomen poſuit*. (v. l' Arioſto II. del Furioſo 3. 4. X. 41. XXIV. 60. Bernardo Taſſo VI. del Floridante 50. 69. VII. 6. 7.) *Capitale enim crimen apud majores fuit ante pœnam quadrupli*. non me fallit, vulgo nunc legi *furiis*: ſed video Servium contra ſtantem. Pierius quoque Valerianus teſtis eſt, in veteribus quibuſque exemplaribus *furis* haberi. id quod ego etiam inveni in membranis antiquis, ac bonæ notæ, viri præclari P. Francii. juvat nos ſcriptor nitidiſſimus L. Columella L. 1. C. 3. *Ac ne tantum de publicis calamitatibus loquar, privatos quoque memoria tradidit, & in regionibus Græciæ, & in hac ipſa Heſperia deteſtabiles fuiſſe vicinos: niſi Autolycus ille cuiquam potuit tolerabilis eſſe conterminus: aut Aventini montis incolis Palatinis ullum gaudium finitimus ſuis Cacus attulit*. BROUKH. *Furem ſonuere juvenci*. Ita & Ovidius 1. Faſt. ſed Lactantius lib. 1. Div. Inſtit. cap. 20. abit in alia omnia. *Colitur*, inquit, *& Caca; quæ Herculi fecit indicium de furto boum; divinitatem conſecuta, quia prodidit fratrem*. Quod non præterit Servius ad verſum 190. lib. 8. Æneid. *Cacum ſoror ſua ejuſdem nominis prodidit. Unde etiam ſacellum meruit, in quo ei pervigili igne, ſicut Veſtæ, ſacrificabatur*. VULP.

V. 14. FURIS ET IMPLACIDAS DIRUIT IRA FORES] *Ira*, pro irato Hercule. El. 5. l. 2.

Nec

Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus: & Alcides sic ait, Ite boves,

Hercu-

Nec mea præclusas fregerit ira fores.

Eleg. 15. lib. 3.

Nescit vestra ruens ira referre pedem.

vide Junium Proverbio 100. cent. 7. Virgilius hac de re:

Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro

Felle dolor. -- *Diruit fores*, evertit; quod Eleg. sup. *Resupinat valvas*. Virgilius ingens fuisse ait saxum, & silicem ferro & arte Vulcani pendentem præ foribus speluncæ. vide & Ovidium 1. Fast. *Implacidas fores*, importunas, sævas. Placidum, mite: Implacidum, immite. Horatius Ode pænult. lib. 4. *Genaunos implacidum genus*. Claudianos:

Implacidas nullo solabor pignore curas.

Statius 9. Theb. *Divûm implacidissimum* vocat Martem. Sic Eleg. 16. lib. 1. Janua sævitiæ accusatur. PASS.

v. 15. MÆNALIO JACUIT PULSUS TRIA TEMPORA RAMO CACUS: ET ALCIDES SIC AIT, ITE BOVES] Livios lib. 1. *Illus clava* (ut hic, *pulsus*) *fidem pastorum nequicquam invocans morte accubuit*. (hic, *jacuit*.) Dionysius l. 1. Ἡρακλῆς αὐτὸν τῷ ῥοπάλῳ κτείνει. *Jacuit*, procubuit, unde mortui *jacere* dicuntur, ut cadere. Eleg. 7. sup.

Hic Tiburtinâ jacet aurea Cynthia terrâ.

Pulsus, pro, pulsatus, & percussos. Eleg. 2. sup.

Remorum auditos per vada pulsa sonos.

Eleg. 32. lib. 2. *Lernæ pulsa tridente palus*. Eleg. 1. lib. 3.

Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?

Tria tempora, ut sup. *Tria ora*, unde tria capita intelliguntur. pars autem illa capitis appetitur ab hostibus, ut maxime opportuna letalibus plagis. *Mænalio ramo*, clava, quæ excisa e Mænalo Arcadiæ monte. Sic Eleg. 1. lib. 1. *Hylæi percussus vulnere rami*. id est, clavæ. Virgilius 8. Æn. *Rapit arma manu, nodisque gravatum Robur*. Ovidius 1. Fast.

Occupat Alcides, adductaque clava trinodis

Ter quater adversi sedit in ora viri.

Apollodorus lib. 1. ubi recenset arma Herculis: Ῥόπαλον αὐτὸς ἔτεμεν ἐκ Νεμέας. *Clavam ipse sibi excidit e Nemeæ silva*. At Nemea est Achajæ, non Arcadiæ, ut Mænalus. Pausanias in Corinthiacis Herculem ait abscidisse clavam suam ab oleastro, quem ad Saronidem paludem invenisset; (est autem palus Achajæ) & eam clavam dicatam Mercurio, actis radicibus regerminasse. *Alcides*. Servius ad illud 6. Æneid. *Nec vero Alciden*: Alii dictum volunt ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, a virtute & robore; quod non procedit; quia initio illi hoc impositum nomen fuit: ideo ab Alcæo avo paterno potius ita dictos. *Sic ait*, ὡς φάτο. An *Sic*, lente, ut Eleg. 3. lib. 1.

Sic ait in molli fixa toro cubitum?

Ite boves, ite. Geminatio, & apostrophe pastoribus usitata, in agendo, vel reducendo grege. Virgilius Ecl. 7.

Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.

& alibi; ut 9. Æneid. *Vos ite solutæ, Ite deæ pelagi*. PASS. *Ite boves*. poterat videri Hercules hanc suam prædam apud Evandrum reliquisse. Virgilius L. 7. Æn.

Laurentia victor,

Geryone exstincto, Tirynthius attigit arva,

Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.

sed perrexit hinc usque ad extremam ferme Italiam. Servius: *Veniens autem Hercules, in quadam Campaniæ civitate pompam triumphi sui exhibuit: unde Pompeii dicitur civitas. Postea juxta Bajas, caulas bubus fecit, & eas sepsit: qui locus Boaulia dictus. Nam hodie Baulæ vocantur.* --- rationem nominis firmat Aurelios Symmachus L. 1. Epist. 1. qui *Bauloe* vocat, flexione nonnihil diversa. Sed neque hic substitit Alcidæ virtos, quin cum suo sibi armento ingens mare transiret, atque in ipsam Bœotiam penetraret, si quid credimus Senecæ Herc. fur. v. 231. *Inter remotos gentis Hesperiæ greges Pastor triformis litoris Tartessii Peremtus: acta est præda ab occasu ultimo. Notum Cithæron pavit Oceano pecus*. BROUKH.

v. 17.

Herculis ite boves, noſtræ labor ultime clavæ,
Bis mihi quæſitæ, bis mea præda boves:
Arvaque mugitu ſancite boaria longo.
Nobile erit Romæ paſcua veſtra forum.

Dixe-

v. 17. HERCULIS ITE BOVES, NOSTRÆ LABOR ULTIME CLAVÆ] *Boves Herculis* nunc, olim Geryonæ, & nuper Caci. *Labor ultimo*, ad hoc tempus ſcilicet; nam 1. labor, Leo; 2. Hydra; 3. Aper; 4. Cervus; 5. Stymphalides; 6. Baltheus; 7. Stabula Augiæ; 8. Taurus; 9. Equi Diomedis; 10. Geryonis boves. ſequuntur duo, Cerberus, & aurea Heſperidum mala. De his omnibus vide Apollodorum lib. 2. qui ἄθλους ἄθλους vocat. *Labor clavæ*; ut infra; *Fortia facta clavæ Herculeæ*. Eleg. 23. lib. 2. *Ubi pertulerit, quos dicit fama, labores Herculis*. Feſtus: *Clava celi genus, quo Hercules utebatur*. & in *Calones*: *Clavatores, qui clava utuntur*. Clavatorum mentio etiam apud Plautum in Mercat. & in Rud. Iſidorus lib. 18. cap. 7. e clavis ferreis dictam putat, & *Cateiam* etiam dici, & ab Horatio *Cajam*. ubi? Euripides in Herc. fur. clavam vocat ἀλεξητήριον ξύλον. *lignum vindex, & adjuvans in certamine*; item *Donum fallax Dædali*. PASS.

v. 18. BIS MIHI QUÆSITÆ, BIS MEA PRÆDA BOVES] Semel quæſivit quando Erythiam profectus eſt, & iterum quia amotæ ſunt & abactæ a Caco. *Mihi*, a me, ut Eleg. 21. lib. 3. *Omnia ſunt tentata mihi*. Aliter Virgilius dixit 3. Georg. *Quæſitas ad ſacra boves Junonis*. *Bis præda*, quia partæ iterum a me, & labore ac periculo certaminis cum Geryone & Caco. *Præda, quaſi parida, quod ſit manu parta*, inquit Varro, Ovidius 5. Faſt.

Victor abit, ſecumque boves Erytheida prædam
Abſtrahit. -- *Mea præda*, ut Eleg. 16. lib. 1.

Maxima præda tibi, maxima cura mihi.

Plautus Pſeud. *Præda hæc mea eſt*. A. Gellius lib. 13. cap. 24. ait, Prædam eſſe proprie corpora ipſa rerum quæ capiuntur. PASS.

v. 19. ARVAQUE MUGITU SANCITE BOARIA LONGO] Sancta poſteris hæc loca reddite, & confirmate boatu veſtro futurum nomen Fori Boarii. Sancta loca propter ædem Herculis, quæ in Foro Boario fuit, ut ait Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 6. *Sancite arva mugitu*, ut infra: *Manibus purgatum ſanxerat orbem*. An ergo hic ſancire, & ſanctum, id eſt purum facere, ut *Sancta anima* Virgilio, ut quodammodo polluta furto Caci loca expientur? Donatus in Adelph. *Sanctas nuptias*: *Sanctum eſt, quod omni obſervatione inviolatum eſt*. & in Hecyram: *Sanctine jusjurandum, firmine*. Feſtus: *Sagmina herba pura, a ſanciendo*, (ſaciendo) *id eſt, confirmando*. Servius in 12. Æneid. *Sancire eſt ſanctum & confirmatum aliquid facere fuſo ſanguine beſtiæ*. vide Juriſconſultos, & Macrobium; & Feſtum in *Religioſum*. *Longo mugitu*, ut Eleg. 16. lib. 1. v. 39. *Longâ querelâ*. Sic Virgilius 4. Æn. *Longas in fletum ducere voces*. PASS.

v. 20. NOBILE ERIT ROMÆ PASCUA NOSTRA FORUM] Quaſi a boum Herculis mugitu dictum ſit Forum Boarium; quod Varro negat. Feſtus: *Boarium Forum Romæ dicebatur, quod ibi venderentur boves*. & in *Pudicitiæ*: *Pudicitiæ ſignum in Foro Boario eſt*. PASS. Victor in undecima Urbis regione meminit *Herculis Victorie in Foro Boario*. Varro 4. de L. L. *Boarium Forum, forum olitorium*. ἀγορὰν βοαρίαν vocat Dionyſius lib. 1. & 4. quod prope Ara Maxima. Ovidius 1. Faſt.

Conſtituitque ſibi, quæ Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Plinius lib. 10. H. N. cap. 29. *Romæ in ædem Herculis in Foro Boario nec muſcæ, nec canes intrant*. Idem lib. 34. cap. 7. *Fuiſſe autem ſtatuariam artem familiarem Italiæ quoque & vetuſtam, indicant, Hercules ab Evandro ſacratus, ut ferunt, in Foro Boario, qui Triumphalis vocatur, atque per triumphos veſtitur habitu triumphali*; &c. Idem cap. 2. ejuſd. lib. *Bos æreus inde (ex Ægina) captus, in Foro Boario eſt Romæ*. & lib. 28.

cap.

Dixerat, & ficco torret fitis ora palato,
Terraque non ullas fœta miniftrat aquas.
Sed procul inclufas audit ridere puellas.
Lucus ab umbrofo fecerat orbe nemus,

Femi-

cap. 2. *Boaris in Foro Græcum, Græcamque defoſſos*. Addit Livius lib. 22. *Gallum, & Gallam*. *Forum nobile*, celebre, frequens, infigne; ut Eleg. 11. lib. 1. *Mifenis nobilibus*. *Pafcua noſtra*, ubi noftri boves pafti. Lætum & herbidum illum locum tunc fuiffe ait Livius l. 1. P. *Pafcua noſtra*. *veſtra*, unus Regius; unus Colbertinus; Groninganus; ambo noftri. *voſtra*, Borrichianus. -- Ex Plinio colligas, Herculem Triumphalem eumdem fuiffe qui Victor Hercules. erat & altera ædes Herculis Victoris ad portam trigeminam, indicante Macrobio L. 3. Saturn. cap. 6. Sane Victoris Herculis multa mentio eft in lapidibus. -- apparet autem, *Victoris* titulum reportaffe ex hac ipfa de Caco victoria. v. Virgilium L. 8. in egregio illo Saliorum Pæane. -- ceterum in hoc ipfo Aurelii noftri verficulo *erunt*, pro vulgato *erit*, fcribendum videtur. id quod me monuit Vir clariffimus Petrus Francius. BROUKH. *Pafcua veſtra*, etiam in Editione principe. VULP.

v. 21. DIXERAT, ET SICCO TORRET SITIS ORA PALATO] Ora tofta & adufta fiti cum arido palato; ut Eleg. ult. lib. 3. *Veneris torrebar aeno*. & Eleg. 28. lib. 2. *Torridus æſtuat aër*. Si legamus *Torquet*, cruciat; dictum erit a diftortione membrorum in eculeo, quæ non fit fine gravi fenfu. Eleg. 17. lib. 3. *Nox ſobria torquet amantes*. *Torret*, quia fitis ignea, Virgilius 3. Æneid.

Ignea venis
Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus.

Sicco palato, quod udum effe folet. Virgilius 3. Georg.

Nigra ſubeſt udo tantum cui lingua palato.

unde Ovidius lib. 4. Trift. Eleg. 8.

Nec ſiccam Getico fonte levare ſitim.

vide Eleg. 17. lib. 2.

Ut liquor arenti fallat ab ore ſitim.

Ifidorus lib. 11. cap. 1. *Palatum noſtrum ſicut cælum furſum eſt poſitum, & inde palatum a polo per derivationem: ſed & Græci ſimiliter palatum οὐρανὸν appellant, eo quod ſui concavitate cæli ſimilitudinem habeat*. PASS. Gebhardus in duobus libris *torquet* invenerat; quod etiam legitur in noftris duobus. atque ita loquitur Papinius L. 4. Theb. *Tantum ſitis horrida torquet*. & Phædrus L. 1. Carm. 26. de ciconia vulpem revocante, *Torquet convivam fame*. Sed *torret*, quod habent alii fex codices, aptius huic loco videtur. fere enim fitis & verbis & epithetis ab igne ductis infignitur. Exempla fuppeditant Virgilius, Horatius, Tibullus, Ovidius, Phædrus, Lucanus, Seneca, Statius, Claudianus; & quis non? BROUKH.

v. 22. TERRAQUE NON ULLAS FŒTA MINISTRAT AQUAS] *Fœta*, gravida humore. & τὸ *Non* iterandum. vel quæ fœta effet, fi miniftraret aquas. Beroaldus: *Fœta id eſt fœcunda & ferax, cujus contrarium eſt effœta*. Virgilius 1. Georg.

Effœtos cinerem immundum jactare per agros.

Quid fit fœtus, vide ad El. 5. fup. v. 18. *Miniſtrat aquas*, fuggerit, fuppeditat. vide Eleg. 6. v. 4. fup. PASS. *Fœta*. al. *fœda*. v. Seneca Herc. fur. v. 702. BROUKH.

v. 23. SED PROCUL INCLUSAS AUDIT RIDERE PUELLAS] *Procul*; an πηλόθεν, & e longinquo audit? an pro, prope? Virgilius Ecl. 6.

Serta procul capiti tantum delapſa jacebant.

id eft, *prope*, ut inquit Servius. & 5. Æn. *Eſt procul in pelago ſaxum*: *Non nimis longe*, inquit idem Servius. *Audit ridere puellas*. rifus enim familiaris huic generi. Horatius Ode 9. lib. 1. *Gratus puellæ riſus ab angulo*. unde Venus φιλομειδὴς Homero, & Horatio *Erycina ridens*. Nofter Eleg. fup. v. 82.

Riſerat imperio facta ſuperba dato.

Verfu 33. hujus Elegiæ eodem fere modo dixit, *Sacro quæ ludunt antro*. *Incluſas*, feptas. unde *Opertum*, & infra: *Femineæ loca clauſa deæ*. PASS.

v. 24. LUCUS AB UMBROSO FECERAT ORBE NEMUS] Quia illic facrarium Bonæ Deæ, ergo & lucus. plures autem arbores in

luco

Femineæ loca clauſa deæ, fonteſque piandos,
Impune & nullis ſacra retecta viris.
Devia puniceæ velabant limina vittæ:
Putris odorato luxerat igne caſa.

Popu-

luco effeceraut nemus . unde intelligimus , ut religione , ita etiam arborum numero differre lucum a nemore . præterea lucus religionis eſt , nemus voluptatis ; ſimile tamen hoc illi . Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Et nemore in domibus ſacret imitentia lutee .

τὸ Ab vacat . vide Eleg. 1. ſup. v. 126. *Orbis umbroſus* , arbores umbroſæ in orbem ſatæ . *Umbroſus Avernus* Eleg. 18. lib. 3. *Orbis* , pro arboribus in orbem ; ut Ovidius 5. Metam. *Silva coronat aquas cingens latus omne* . Orbis a figura , ut Eleg. 6. ſup. *Orbe lanens* . An hunc lucum ſignificat Ovidius 6. Faſtorum ?

Lucus erat . dubium , Semele Stemeléne vocetur .

Mænades Auſonias incoluiſſe ferunt . P.

v. 25. FEMINEÆ LOCA CLAUSA DEÆ , FONTESQUA PIANDOS , IMPUNE ET NULLIS SACRA RETECTA VIRIS] Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 12. de Bona Dea diſputat . hæc apud Græcos θεὸς γυναικεία dicitur . Si Macrobio credimus , Bona Dea , Fama , Ops , Fauna , Semele , Hecate , Medea idem fuere cum Terra . ubi viris dicitur vetitus conſpectus , & aditus eorum ſacrorum . Cicero hac de re multa in Orat. de Haruſp. reſp. Juvenalis item Sat. 6. *Nota Bonæ ſecreta Deæ* . &c. Adde Lactantium lib. 1. Div. Inſtit. cap. 22. Varro filiam Fauni tradidit , adeo pudicam , ut extra γυναικωνῖτιν numquam ſit egreſſa , nec nomen ejus in publico fuerit auditum , nec virum umquam viderit , vel a viro viſa ſit : propter quod nec vir templum ejus ingrediebatur . Feſtus in *Religioſus* , in ædem Bonæ Deæ virum introire nefas eſſe ait . Idem in *Damium : Damium , ſacrificium , quod fiebat in operto in honorem Bonæ Deæ , dictum a contrarietate , quod minime eſſet δημόσιον* (id eſt publicum :) *Dea quoque ipſa Damia , & ejus ſacerdos δαμιας appellabatur* . Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ .

Idem ſcribit Plutarchus in Cæſare , a quo γυναικεία dicitur Fauni uxor , vel mater Midæ , aut nutricum Bacchi . *Loca clauſa* , ſacrarium ſeptum , *Opertum* . *Deæ femineæ* . *Feminarum dea* dicitur Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 12. *Fonteſque piandos* , expiandas aquas , ſi vir inde bibiſſet . *Faviſſæ* ea loca dicuntur : Feſtus in *Faviſſa* . *Sacra ;* & ſimulacra ipſa , & ritus ac ceremoniæ . *Retecta* , aperta . Virgilius 1. Æneid. *Cæcumque domus ſcelus omne retexit* . & 4. Æneid. de Sole : *Radiiſque retexerit orbem* , quia *Nox operit terras* . De virorum oculis inde excluſis Macrobius , Cicero , Tibullus locis prænotatis . Adde ex Seneca Epiſt. 98. *Sic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris , ut picturæ quoque maſculorum animalium contegantur* . Exiſtimabant autem cæcari eos qui vidiſſent ſacra vetita , ut Appio contigit , & Pontifici Metello . Cicero de Haruſpicum reſp. multa in P. Clodium de ea re : Cæcum illum factum mente , non corpore . Hinc Plautus Aſin. *Si quem virum aſpexit , taco continuo ſiet* . PASS.

v. 27. DEVIA PUNICEÆ VELABANT LIMINA VITTÆ] De vittis vide adnotata ad Eleg. 3. ſup. v. 16. vittis autem hederaceis & nunc ornantur limina templorum diebus feſtis , ſic olim ipſa templa & aræ . De aris dictum ad Eleg. 6. ſup. v. 6. De templis Virgilius 4. Æneid.

Templum
Velleribus niveis , & feſta fronde revinctum .

Sic apud eumdem Virgilium : *Variis florentia limina ſertis* . De corona pendente ante fores Tibullus Eleg. 1. lib. 1. Ovidius 4. Metam. de apparatu nuptiarum Perſei : *Sertoque dependent tectis* . & 4. Faſt.

Obtegat ornatas longa corona fores .

Juvenalis Sat. 6.

Necte coronam
Poſtibus , & denſos per limina tende corymbos .

Vittæ puniceæ . ſic infra hic de ſacerdote :

Puni-

Populus & longis ornabat frondibus ædem:
Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in ficcam congefto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora deo:

Vos

Puniceo canos flamine vincta comas.

& Eleg. 13. lib. 3. *Puniceis plena canistra rubis*. pro, purpureis. Virgilius 5. Æn.

Puniceis ibant evincti tempora tæniis.

aliàs *vittis*. ubi Servius Rofeas (id eft, purpureas) vittas exponit. Loquitur de lemnifcatis coronis, & fafciis difcoloribus ornatis. Feftus: *Tutulum vocari ajunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vittâ purpureâ innexâ crinibus*. Seneca Thyefte:

Post terga juvenum nobiles revocat manus,
Et mæsta vittâ capita purpureâ ligat.

Statius in fine 2. Theb. de cuftodientibus virginibus ignem alternum:

Et ab arbore tasta
Nectent purpureae niveo discrimine vittae.

alloquitur Tydeus Pallada. *Velabant*, & tegebant & ornabant. Catullus Carm. 63.

Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

Limina devia, fecreta, procul a via publica. *Avia* dixit infra hac Eleg. v. 60. Sic *Devia rura* Eleg. 2. lib. 2. v. 2. PASS. *Velabant l. v.* Lucretius lib. 4.

Insignemque meo capiti petere inde coronam
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.
VULP.

v. 28. PUTRIS ODORATO LUXERAT IGNE CASA] Scilicet ob facrificium & fuffitum. *Casa*, exigua ædicula, vel tugurium ædi additum, ut Eleg. 1. fup. v. 6. *Facta sine arte casa*. *Putris*, vetuftate caduca, ut *animam putrem* dixit Eleg. 5. fup. *Luxerat*, pro lucebat; ut Eleg. fup. *Riserat*: El. 7. fup. *Piguit*, grave erat. Dicitur cafa igne lucere, ut a Virgilio 5. Æneid. *Mœnia collucent flammis*, & 11. Æneid. *Lucet via longo Ordine flammarum*. Tibullus Eleg. 1. lib. 1. *Luceat igne focus*. *Odorata*, e lignis odoratis, vel herbis, aut aromatis. Virgilius 7. Æneid.

Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Ovidius 1. Faft.

Cernis odoratis ut luceat ignibus æther?

Suffitum fignificat, ut Eleg. 6. fup. v. 5. PASS.

v. 29. POPULUS ET LONGIS ORNABAT FRONDIBUS ÆDEM] Decorabat fanum Bonæ Deæ patulis ramis. *Populus Alcidæ gratissima*, inquit Virgilius in Melibœo. unde ejus umbra Herculea ab eodem vocatur 2. Georg. *Herculeæque arbos frondosa coronæ*. Sed nondum fortaffe Herculi facra erat. De populo Plinius lib. 16. H. N. cap. 23. *Ornabat*, ante fores templi ornatûs cauffâ fata erat. Ante veftibula templorum arbores fereban-tur, ut nunc. vide Ovidium 8. Metam. de cafa Philemonis & Baucidis in templum verfa, & iis mutatis in arborea. Sic *Imminet villæ pinus* apud Horatium. *Longis frondibus*, ramis frondofis longe lateque porrectis. PASS.

v. 30. MULTAQUE CANTANTES UMBRA TEGEBAT AVES] Sic Eleg. 13. lib. 2.

Quæ (laurus) tegat exstincti funeris umbra locum.

Multa umbra, denfa, ut Eleg. 4. fup. v. 4. *Multa arbor*. *Tegebat aves*, quia illa funt frondea tecta avium. Virgilius 4. Georg. *Aquas dulces & frondea semper Tecta petunt*. Lucretius: *Frondiferasque domos avium*. *Aves cantantes*, argutas. Eleg. 18. lib. 1. v. 30. PASS. Virgilius 2. Georg. v. 328.

Avia tum resonant avibus virgulta canoris.
VULP.

v. 31. HUC RUIT IN SICCAM CONGESTO PULVERE BARBAM] Eo præceps fertur. *Huc*, pro illuc. Eleg. 6. fup. *Huc mundi coiere manus*. *Ruit*, ut impotens animi & fitis. Eleg. 4. fup.

Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscissa fertur aperta sinu.

In barbam siccam, ut antea dixit, *Sicca tacet sitis ora palato*. *Siccam*, vento fcilicet & pulvere, quam *avidam* Nofter vocat Eleg. 13. lib. 2. v. 35. Contra Ovidius 1. Metam. de Auftro vento, *Barba gravis nimbis*. & 11. Metam.

Uda videtur
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.

Cau-

Vos precor o luci ſacro quæ luditis antro,
Pandite defeſſis hoſpita fana viris.

Congeſto pulvere, de via collecto, & barbæ inhærente. eſt autem pulvis laboris & longæ viæ indicium. Cicero 5. Tuſc. *Sol, pulvis, curſus ab Eurota*. Horatius Ode 8. lib. 1. *Patiens pulveris, atque Solis*. Ovidius:

Præmia militiæ pulverulenta ſequi.

& Senecæ, cap. 7. de Vita Beata dicitur *Virtus pulverulenta*, ut notatum ad El. 14. lib. 3. v. 7. *Congerere*, eſt ſimul gerendo aliquo conjicere, & cumulare. unde aves Virgilio *congerere* dicuntur, quando nidificant, & A. Gellio & Plauto. Græce *συμφορεῖν*. Venti autem adverſi ſuda tempeſtate flantes pulverem in faciem & barbam viatorum conjiciunt plurimum ferentes. Lucanus extremo libro 8.

Pulveris exigui ſparget non longa vetuſtas
Congeriem.

De pulvere a ventis adverſis congeſto Plutarchus in Sertorio. PASS. *Congeſto pulvere*. quidam libri habent *congeſta*; quod eodem redit. BROUKH.

v. 32. ET JACIT ANTA FORES VERBA MINORA DEO] Humilius loquitur quam deum mox futurum decet. *Jacere*, jactare, mittere verba, pro loqui. Eleg. 1. lib. 2. *Muta jace verba favilla*. *Verba minora*. Ovidius Epiſt. Medeæ:

Nunc animis audi verba minora meis.

Sic *Verba magna*, & *Magnum aliquid dicere*: Virgilius. *Deo*, κατὰ πρόληψιν. Sic Virgilius 8. Æneid.

Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque dei. (Herculis.)

Noſter Eleg. 18. lib. 3. *Thebano deo*. Tibullus Carm. 1. lib. 4. *Alcides deus adſcenſurus Olympum*. Albinovanus ad Liviam:

Quum ſunt impoſita membra cremata deo.

Ante fores. vide Eleg. 7. lib. 3. v. ult. PASS. Ovidius, qui Tibulli ac Propertii floſculos paſſim ſublegere ſolet, 6. Metam. v. 367. de Latona pariter ſitiente: *Nec dicere ſuſtinet ultra Verba minora deâ*. Idem flexu eodem Epiſt. Canaces:

Poſſidet & vitiis regna minora ſuis.

Hæc & ſimilia indigna & aliena deorum majeſtate auctorem Homerum agnoſcunt, qui, ut ait Cicero, *humana ad deos retulit*. Philoſtratus in Heroicis de ipſo: Πρῶτον μὲν θεοὺς ἐγκαταμίξας ἀνθρώποις, περὶ μὲν τῶν ἀνθρώπων μεγάλα εἴρηκε, περὶ δὲ τῶν θεῶν μικρὰ καὶ φαῦλα. VULP.

v. 33. VOS PRECOR O LUCI SACRO QUÆ LUDITIS ANTRO] Hæc ſunt verba minora, quia precatur, non jubet. *Luditis*, παίζετε. Supra: *Audit ridere puellas*. ut riſus ſic & luſus puerorum eſt & puellarum. Horatius Ode 15. lib. 3. *Illam cogit amor Nothi Laſcivæ ſimilem ludere capreæ*. Ibidem: *Inter ludere virgines*. Ovidius 1. Metam.

Venit & ad patrias, ubi ludere ſæpe ſolebat,
Inachidas ripas.

Antro ſacro luci. ut in ſilvis antra, ſic & in lucis. Eleg. 4. ſup.

Lucus erat felix hederoſo conſitus antro.

Antra autem ſacra Nymphis, & Satyris, & amoribus, atque etiam Muſis. vide adnotata ad Eleg. 1. lib. 3. v. 5. PASS. Nymphæum, ſeu balneum & lavacrum Nympharum Hamadryadum, locum ſcilicet luſui aptum, & myrtis coronatum, *ludicrum* vocat poeta Veronenſis Carm. 60. v. 24. *Floridis velut enitens Myrtus Aſia ramulis, Quos Hamadryades deæ Ludicrum ſibi roſcido Nutriunt humore*. vide ad eum locum, recondita eruditione viri, Iſaaci Voſſii Commentarium. VULP.

v. 34. PANDITE DEFESSIS HOSPITA VESTRA VIRIS] Aperite, recludite, reſerate. ut Eleg. ult. infra:

Panditur ad nullas janua nigra preces.

Dictum a pane dando, quod panis daretur iis omnibus qui in Cereris aſylum confugiſſent, nec iis aditus negaretur: Nonius ex Varrone. Dicitur *Pandere & pandare*, inquit Chariſius lib. 3. quod poſterius explicat, ἐξαπλοῖς διαφέρειν, id eſt, pandum facere & incurvare. utuntur Plinius & Vitruvius, ſed nihil ad hunc locum. *Hoſpita veſtra*: vet. lib. Scaligeri, *Hoſpita vana*, unde legit, *Hoſpita fana*. probo: nam appellavit ædem, & lucum commemoravit. Lipſius lib. 2. Antiq. Lect. ſcribit, in veteri libro eſſe etiam *vana*, unde facit, *Nana*: ſed errat. Alii libri *Teſqua*. Appulejus

Fontis egens erro, circaque ſonantia lymphis.
Et cava ſuſcepto flumine palma ſat eſt.

Audi-

lib. 2. Florid. *Quoniam in teſquis ſuis nullus fructus eſt*. ſupra *Rupicinas*, & *ſenticeta*, & *herediolum ſterile*. & lib. 3. Florid. *Merulæ in remotis teſquis fringultiunt*. Varro 6. de L. L. confirmat veterem lectionem *Teſqua*, ſive Teſca, quæ exſtat etiam in editione Antuerpienſi: *Loca quædam agreſtia, quod alicujus dei ſunt, dicuntur teſca*. Attius Philoctcta: *Quis tu es mortalis, qui in deſerta & teſca te apportes loca?* Vide Feſtum in *Teſca*. Sane *Teſca* valde huic loco convenit ex illis exemplis, quia & ſacra, & inculta, & avia. Alii libri *Tecta*. *Hoſpita tecta*. Cicero 3. Philipp. *In hoſpitis tectis Brundusii fortiſſimos viros jugulari juſſit*. Contra Ovidius 1. Metam.

Arcados hic ſedes, & inhoſpita tecta tyranni.

Statius extremo lib. 4. Theb. movet ſuſpicionem, aliud quoddam verbum deſiderari, pro *Veſtra*, *Teſca*, *vana*, *tecta*; ſic enim: *Feſſiſque libens iterum hoſpita pandas Flumina*. nam & hic *Defeſſis* & *Pandite*. *Viris*; mihi; & eſt enallage. *Defeſſis*, ideoque ſitientibus, Eleg. 12. lib. 3.

Potabis galea feſſus Araxis aquam. PASS. Quidam libri *oſtia veſtra*, quidam *hoſpita veſtra*. Sed non eſt ſollicitanda Scaligeri emendatio: nam & Lipſius *hoſpita vana* invenerat in vetuſtis membranis. & excerpta Borrichiana idem peccant in eadem voce, ſupra L. 2. Eleg. 15. (19.)

Vanaque peccatis pluvium cauſſa tuit.

ut ſolent ſæpe confundi hæc duo elementa. Alii malunt *hoſpita teſca*, ex Varrone, ac Feſto, ſive Paullo potius: ſed non amat Noſter vocabulis uti rancidis atque obſoletis. Et quis illis dixit, loca agreſtia, quæ alicujus dei ſint, non appellari *fana*? Certe *ſacellum* habuimus L. 2. Eleg. 15. (19.)

Atque ibi rara feres inculto tura ſacello,
Hædus ubi agreſtes corruit ante focos.

qui minus hic *fanum*, quam utrobique *ara*? BROUKH. *Vana viis*, princeps omnium Editio. VULP.

v. 35. FONTIS EGENS ERRO, CIRCAQUE SONANTIA LYMPHIS] *Erro*, vagor; feror incerto pede, Horatio. & verbum aptum Herculi, ut Eleg. 20. lib. 1.

Quæ miſer ignotis error perpeſſus in oris Herculis.

Egens fontis, ut Horatius Ode ult. lib. 3. *Pauper aquæ Daunus*. & Sat. 5. lib. 1. *Aqua non ditior urna*. Egens, plus quam pauper. Virgilius 8. Æneid. *Rationis egentem*. & 11. Æneid. *Virtutis egentem*. *Circaque ſonantia lymphis*. Scaliger hic legit, *Circoque*, vel *Circanſque*, quod circare ſit περιοδεύειν. unde *Circanea avis* Milvius, quod ſemper circando agros oberret. Vet. Gloſſ. *Circitat*, *Circat*, κυκλεύει; *Circitor*, *luſtrator*, περιοδευτής. unde corrigit apud Tibullum: *Tantalus eſt illic & circat ſtagna*. Retineo illic *Circum ſtagna* (ſunt,) ut hic. præterea dixit *Umbroſum orbem*, cui reſpondet *circa*, ſive *circum*; quaſi in mediis pæne aquis ſitire dicat. *Sonantia lymphis*, ſupple loca, ubi aquæ ſonant, & cum murmure labuntur. ſic Eleg. ſup. *Semita ſonat voce*. & *ſonuerunt cardine poſtes*. Sic Virgilius 2. Georg.

Julia qua ponto late ſonat unda refuſo.

& 7. Æneid. *Nemorum quæ maxima ſacro Fonte ſonat*. PASS. Livinejus legebat,

Fontis egens erro circa reſonantia lymphis.

quod multis poetarum locis, qui pari ratione corrupti antea circumferebantur, ſtabilire conatur, & vero admodum ſimile facit. Sed & illud *circo*, a Scaligero poſtliminii jure in Latium reductum, vehementer placet. Gloſſis antiquis ibi laudatis nihil eſt apertius, nihil ſimplicius. *Circatores* vocatos ait Fl. Vegetius lib. 3. c. 8. idoneos milites & probatiſſimos, qui vigilias circumibant, & renuntiabant, ſi qua emerſiſſet culpa. ita enim legendam iſtic eſſe e vetuſtiſſimis membranis docuit eruditiſſimus Stewechius. eſt etiam *circumcircare* apud Ammianum Marcellinum L. 31. C. 2. utitur & Servius in L. 10. Æneid. v. 885. *In lævam partem circabat*. ita liber Mſ. in vulgatis eſt *circumibat*. BROUKH. Ut *circare* proba ſit vox, rara tamen eſt, & gloſſis accenſenda, ideoque nitori Propertiano minus conveniens. reddo enim tibi ver-

Audiſtiſne aliquem, tergo qui ſuſtulit orbem?
Ille ego ſum: Alciden terra recepta vocat.

Quis

bi verba tua, Broukhuſi elegantiſſime: NON *amat Naſtee vocabulis uti cautidis atque abſoletis*. VULP.

v. 36. ET CAVA SUSCEPTO FLUMINE PALMA SAT EST] Hypallage, pro, ſusceptum flumen cavâ palmâ ſat eſt. *τὸ Et* ſubaudit, Tamen. Sic Eleg. 11. lib. 3.

Et famulos inter femina trita ſuae.

Cava palma. Virgilius 8. Æneid. *Rite cavis undam de flumine palmis Suſtulit*. Nemeſianus Ecl. 3.

Concavat ille manus, palmaſque in pocula vertit.

Videndus Ælianus lib. 1. Var. Hiſt. de Sineta aquam offerente utraque cava manu Artaxerxi; & in Diogene Cynico Laërtius. Sic *cavis manibus dare poma* Eleg. 3. lib. 1. & Tibullus Eleg. 4. lib. 2.

Illa cavâ pretium flagitat uſque manu.

Flumine; ſic Eleg. 20. lib. 1.

Tandem haurire parat demiſſis flumina palmis,

de aqua fontana. & Eleg. 3. lib. 3. *Quid tibi cum cali, demens, eſt flumine?* ſcilicet fonte. *Suſcepta*, pro ſumto, hauſto. Suſcipere pro tollere, ut *Suſcipere onus*, *Suſcipere liberos*. PASS.

v. 37. AUDISTÍSNE ALIQUEM, TERGO QUI SUSTULIT ORBEM?] Veſtras per aures nomen ejus iit? An fama alicujus veſtras pervenit ad aures, qui &c. *Audire aliquem*, pro de aliquo. Plautus Curcul. 5, 1. *Neque vidi, neque audivi pejerem*. Cicero pro Cæcina: *Condemnare aliquem, quem numquam viderit, aut audierit*. *Aliquem* de incerto, ut Eleg. 23. lib. 3.

Me miſerum! hic aliquis rationem ſcribit avari.

Suſtulit, ſuſcepit gerendum, & geſſit. ut in Epigrammate in Neronem:

Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Noſter Eleg. 9. lib. 2.

Maximaque in parva ſuſtulit oſſa manu.

Ovidius lib. 2. A. A. hac de re:

Ille fatigatæ vincenda monſtra novercæ
Qui meruit cælum, quod prius ipſe tulit.

Ergo orbem pro mundo, id eſt cælo, poſuit. Contra Eleg. 6. ſup. *O Longa mundi ſervator ab Alba*. id eſt, orbis. Horatius Ode 3. lib. 3. *Si fractus illabatur orbis*. id eſt, Si cælum ruat. Virgilius 1. Georg.

Idcirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.

vocat idem, *Orbes cæli*, & *Ætherios humero qui ſuſtinet orbes*, 8. Æneid. *Tergo*, humeris & cervice. Ovidius 1. Faſt. de Hercule:

Nititur hic humeris. cælum quoque ſederat illic.

& 9. Metam. ipſe Hercules ait: *Hac cælum cervice tuli*. & in Epiſt. Deïaniræ:

Quod te laturum eſt cælum, prius ipſe tuliſti.

Hercule ſuppoſito ſidera fulcit Atlas.

Apollodorus l. 2. monitum ait a Prometheo Herculem ne ad aurea mala proficiſceretur, ſed Atlantem pro ſe mitteret ſuſcepto interea cæli pondere. acceptis ab Atlante malis, ut ei onus redderet finxit ſe ſpeiran velle tantiſper facere ut cælum commodius ferret; atque ita, quum Atlas cælum recepiſſet, diſceſſit. Servius ſcribit, ab Atlante Herculem didiciſſe aſtrologiam, unde fingatur uterque tuliſſe cælum. PASS. *Audiſtiſne*. Cicero lib. 2. de Fin. *Sed audiſtine modo de Carneade?* VULP.

v. 38. ILLA EGO SUM: ALCIDEN TERRA RECEPTA VOCAT] Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Ille ego ſum, (nec me jam dicere vera pudebit.)

Ovidius 4. Metam.

Ille ego ſum, dixit, qui longum metior annum.

Plautus Amphitr. *Quis ad fores? Ego ſum*. *Terra*, pro orbe terrarum. ut Eleg. 6. ſup. *Vince mari, jam terra tua eſt*. *Recepta*, vindicata, liberata, purgata a monſtris. Recipitur enim quod amiſſum eſt, vel in amittendi periculum venit. Virgilius 6. Æneid. *Medioque ex hoſte recepit*. Ovidius 5. Faſt. *Agnorunt ſigna recepta ſuos*. Id eſt, recuperata de Parthis. Terra autem erat ſub poteſtate tyrannorum & monſtrorum;

vin-

Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ?
Et numquam ad notas irrita tela feras?

Atque

vindex fuit Hercules. Ovidins 9. Metam. *Timuere dei pro vindice terræ*. & in Epist. Deianiræ:

Respice vindicibus pacatum viribus orbem.

Vocat Alciden. Ambigue, vel Alciden a virtute nominat, vel invocat Herculem quem omnes qui laborant, invocant. legendus Varro apud Nonium in *Tutanus*. PASS. *Alciden t. r. vocat*. bene. Alcides enim dictus est, dum agebat inter homines: *Hercules*, factus jam deus. vide notam doctissimi Jesuitæ Joannis Ludovici de la Cerda ad ista Maronis L. 8. Æn.

Maximus ultor,
Tergemini neco Geryonæ spoliisque superbus,
Alcides aderat.

Groninganus liber habet *Alcidem*, Latino more. BROUKH. *Terra recepta*. A latronibus & monstris in pacem libertatemque vindicata. Sallustius Catilin. *Postquam L. Sulla, armis receptâ republicâ, bonis initiis malos eventus habuit*. Cicero de Senectute: *Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit!* Justinus lib. 5. Hist. de Alcibiade: *Enimvero tantum in uno viro fuisse momenti, ut maximi imperii subversi, & rursum recepti auctor esset*. Deianira Herculi apud Nasonem, v. 15.

Se tibi pax terræ, tibi se tuta æquora debent:
Implesti meritis Solis utrumque domum.
VULP.

v. 39. QUIS FACTA HERCULEÆ NON AUDIT FORTIA CLAVÆ?] Vel *Audit*, præsentis, quod malo; vel præteriti temporis per contractionem, audiit. Sic Virgilius 7. Æneid.

Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem?

Quia *facta*, vox media est, addidit, *fortia*. Sic Virgilius 1. Æneid. *Cælataque in auro Fortia facta patrum*. *Facta clavæ*, ut sup. *Labor clavæ* v. 17. PASS.

v. 40. ET NUMQUAM AD NATAS IRRITA TELA FERAS] *Tela irrita*, quæ frustrantur jaculantem. Seneca in Hercule furente, ubi Hercules ipse suas donat sagittas Philoctetæ: *Virtute felix juvenis, has numquam irritas Mittes in hostes*. Virgilius 2. Æneid.

Unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.

Ibidem: *Imbelle sine ictu telum*. & 11. Æneid.

Quo ferrum, quidve hæc geritis tela irrita dextris?

ubi Servius exponit, *Inertia, quæ nos ulcisci minime valent*. hoc est quod idem Virgilius ait L. 10. Æneid.

Suggere tela mihi, non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos. -- *Ad feras*, adversus feras. ut Eleg. 24. lib. 2.

Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras.

Feras, τὰ θηρία. *bestias* Cicero vocat, ut leones & serpentes. nam sunt & inter feras innoxiæ. *Feræ bestiæ* Jurisconsultis, mansuetis sunt contrariæ, cujusmodi leones, ursi, pantheræ, tigres. L. 2. *ad legem Aquiliam*. L. 1. *de postul*. & L. 3. *de acquir. rerum dom*. *Natas*, corrupta lectio; additâ litterâ lego *vastas*. ut contra Eleg. 7. sup. *Insana nocte*, pro *vete*, mutatâ litterâ N. & V. Eleg. 19. lib. 2.

Non tamen ut vastos ausim tentare leones.
PASS.

Quæ sunt *natæ feræ*, quum utique omnes nascantur? legendum *notas*, auctore Horatio L. 2. Epist. 1.

Diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.

-- idem mendum, nisi me animus fallit, Julium Obsequentem insedit C. 56. *In Umbria semimas duodecim ferme annorum natus, aruspicumque jussu necatus*. quomodo *natus*, qui jam ferme duodecim annos vixerat? puto reponendum *notus*; & intelligo, eo usque occultatum naturæ nefas tum demum Ædilibus innotuisse. BROUKH. Quidni potius legas in Obsequente: *Duodecim ferme annor natur, aruspicum jussu necatus?* Ita sane M. Tullius Orat. 5. in Verr. *Eques Romanus prope annos LXXXX. natus*. *Ad natas feras*. potest proverbialis esse locutio, ac si diceres,

Atque uni Stygias hominum luxiſſe tenebras?

* * *

Quod ſi Junoni ſacrum faceretis amaræ,
Non clauſiſſet aquas ipſa noverca ſuas.

Sin

res, quæ umquam exſtitere, vel exſiſtere poſſunt feræ ac monſtra. Ita dicebant, *Pro re nata*, ut non ſemel Cicero. & *Nemo natus*, pro, nullus omnino. Plautus Moſtell. 2, 1, 21. *Natus nemo in ædibus ſervat*. Boccatius quoque, felix veterum æmulator, in calce Diei 10. *δεκαμερὸς: S' amor veniſſe ſenza geloſia, I' non ſo donna nata Lieta, com' io ſarei*. ut nullam penitus eſſe noverim. ὑδεμίαν γυναῖκα ἔσαν. Editio princeps, *Ad varios*. languidum epithetum. VULP.

v. 41. ATQUE UNI STYGIAS HOMINUM LUXISSE TENEBRAS] Caliginem inferorum diſcuſſam eſſe immiſſo lumine. Virgilius 8. Æneid. *Trepidant immiſſo lumine manes*. *Stygias tenebras*. Virgilius 6. Æneidos vocat *Triſtes ſine Sole domos*. Idem lib. 3. Georg.

Sævit & in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone.

Noſter Eleg. 19. lib. 1. *Cæcis locis*. *Luxiſſe uni*, ut Ennius apud Ciceronem 1. Offic. *Nihilominus ipſi lucet quum illi accenderit*. Plautus Caſina: *Lucebis huic novæ nuptæ facem*. *Uni hominum*, ut Catullus Carm. 1. *Unus Italorum*. Dixit *hominum*, quia Bacchus ad inferos jam deſcenderat: Pauſanias; & Horatius Ode 19. lib. 2. & Mercurius eo ſæpe commeare putabatur. Orpheus eodem iit, ſed poſt Herculem. Adde Amphiaraum, ſed non rediit. Mutat autem ordinem laborum: nam nondum Cerberum inferis extraxerat. vide ad illud, *Labor ultimus*, v. 17. ſup. PASS. Ergo & Theſeus poſt Herculem eodem ivit. VULP.

v. 42. ACCIPITE. HÆC FESSO VIX MIHI TERRA PATET] Verſum hunc ſuppoſititium eſſe monet Scaliger, quia infra legitur. propterea hic lacunam relinquendam. *Accipite*, admittite. ut verſu 66. infra:

Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit.

videlicet ut hoſpitem. Varro Meleagris apud Nonium in *Capere*, & in *Recipere*: *Quem terra non cepit, & cælum recepit*. *Hæc terra vix mihi patet*, ut patet cæli porta: Ennius contra. Virgilius 1. Æneid.

Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.

Feſſo, vide adnotata ad v. 4. & 34. ſup. PASS.

v. 43. QUOD SI JUNONI SACAUM FACERETIS AMARÆ] Sacrificaretis Junoni, ut Eleg. 6. ſup. v. 1. *Sacra facit vates*. Sic Eleg. 2. ſup. *Junoni votum facite impetrabile*. *Si faceretis Junoni amaræ*; At Bonæ Deæ facitis. *Juno amara*, aſpera, ut infra v. 71. & *Noctes amaræ* Eleg. 3. ſup. v. 29. PASS.

v. 44. NON CLAUSISSET AQUAS IPSA NOVERCA SUAS] De noverca vide adnotata ad El. 5. ſup. v. 10. *Clauſiſſet aquas*, ut Virgilius Ecl. 3.

Claudite jam rivos, pueri, ſat prata biberunt.

Cicero pro Murena: *Noli eſſe tam inhumanus, ut quum tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros rivulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere*. & 2. de Orat. *Ubi non ſecluſa aquula teneatur*. Aquam autem negare immane eſt, *quam*, ut ait Plautus Rudente, *hoſtis hoſti commodat*. vide Eleg. 15. lib. 3.

Vilem jejunæ ſæpe negavit aquam.

Claudere aquam alicui, eſt obſtruere aditum ad aquam. *Ipſa noverca*; etiam quæ dura mihi, & valde infeſta privigno. Notum Junonis in Herculem odium. Ovidius 9. Metam. Seneca in Hercule furente. Virgilius 8. Æneid.

Et duros mille labores
Rege ſub Euryſtheo fatis Junonis iniquæ
Pertulerit.

Ipſa, ut Eleg. 16. lib. 1.

Janua vel dominâ penitus crudelior ipſâ.
PASS.

v. 45.

Sin aliquam vultusque meus, setæque leonis
Terrent, & Libyco sole perusta coma:
Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colu.

Mollis

v. 45. SIN ALIQUAM VULTUSQUE MEUS, SETÆQUE LEONIS TERRENT, ET LIBYCO SOLE PERUSTA COMA] *Aliquam*, vestrûm, quia natura pavidæ puellæ. Aliàs legitur, *Aliquem*, nam aliquis fem. gen. ut quis, & quisquis. *Vultus meus*, facies torva, & acres oculi, & barba hispida. Virgilius 8. Æneid.

Nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi.

Setæ leonis, pellis leonina villis horrens. Virgilius 8. Æneid. *Villosi pelle leonis Accipit Æneam.* & 7. Æneid.

Ipse pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum seta cum dentibus albis.

Ovidius 2. Fast.

Ut tetigit fulvi setis hirsuta leonis
Vellera, pertimuit, sustinuitque manus.

& in Epist. Deïaniræ:

Nempe sub his animam pestis Nemeæa lacertis
Edidit, unde humerus tegmina lævus habet.

Meminit Laërtius in Diogene. *Terrent*, metu concutiunt. Insistens versus, ut Elegia 8. sup.

Lygdamus ad plutei fulcra sinistra jacens
Exuitur. ----- Et coma perusta sole Libyco. Horatius Epodo 2. *Perusta solibus Pernicis uxor Appuli.* Tibullus El. 9. lib. 1.

Uretur facies, urentur sole capilli.

Ovidius autem lib. 3. Trist. Elegia 4. dixit, *Assiduo terra perusta gelu.* *Sole Libyco*, ardore solis, qui in Libya vehementissimus est. Libyam autem peragravit Hercules quum Antæum interfecit, & aurea mala decerpsit. PASS. Interdum Hercules fingitur sinistrâ gestans leonis exuvias: est ubi caput ferino rictu intectum habet. Talis hic erat: talis apud Valerium Flaccum L. 1. *Cleonæo jam tempora clusus hiatu Alcides.* atque ita in nummis quoque exhibetur. v. Dansquius ad Silii L. III. v. 35. p. 104. Optime Virgilius L. 7. Æn. ubi Aventinum describit, Herculis filium:

Ipse pedes tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta cum dentibus albis
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Valerius Flaccus L. 8.

Talis ab Inachiis Nemea Tirynthius antris
Ibat, adhuc aptans humeris capitique leonem.

BROUKH.

v. 47. IDEM EGO SIDONIA FECI SERVILIA PALLA OFFICIA, ET LYDA PENSA DIURNA COLO] Sic Eleg. 1. sup.

Idem ego quum Cinaræ traheret Lucina dolores.

Feci officia servilia, inter ancillas feci ministeria servilia. Plautus Amphitr. *Hic suum officium facit.* idem ubique de servis. *Pallâ.* vide Eleg. 4. sup. v. 60. *Sidoniâ*, purpureâ; [quia Sidon urbs Tyro proxima; unde Tyria purpura, maxime pretiosa.] Elegia 16. lib. 2. *Ne tibi sit tanti Sidonia vestis.* & Eleg. 29. lib. 2. *Sidonia mitra.* *Feci pensa*, id est, nevi, quia sequitur *Colo.* Aliàs *facere pensum*, est lanam carpere & putare. *Diurna pensa*; quia sunt & nocturna. Virgilius 1. Georg.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nescivere hiemem.

Pensa diurna, quotidie reddenda heræ. Elegia 9. lib. 2. *Texta diurna.* *Lydâ colo.* Martialis Epigr. 69. lib. 9.

Lydia nec dominæ traxisset pensa superbæ.

De colo, sive colu dictum ad Eleg. 1. sup. v. 72. *Lyda colus*, ancillæ Omphales, quæ Lydorum regina fuit, unde *Lydia puella* dicitur Eleg. 11. lib. 3. v. 17. & 18. ubi hæc fabula narratur. PASS. Vide Senecam Herc. fur. a versu 465. *Lydâ pensa diurna colu.* in uno Regio, Borrichiano, Groningano, & duobus nostris legitur *Lydo colo.* Sic & apud Tibullum L. 1. Eleg. 3. vidi in libro MS.

Deducat plena stamina longa colo.

quod etiam e suo libro Scaliger proferebat. pariter in scriptis Catulli codicibus legitur;

Lævo

Mollis & hirſutum cepit mihi faſcia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides: at talibus alma ſacerdos,
Puniceo canas ſtamine vincta comas:

Parce

Læva colum molli lana retinebat amictum. quomodo & primæ iſtic editiones. Videre potes, ſi tanti eſt, Reineſii & Daumii ſuper genere *colus* amœbæas Epiſt. 47. 48. 49. - - - - Dicitur *colus coli*, & *colus colûs*, feminino ſemper genere, ut docet Priſcianus L. 6. optimus arbiter in hoc negotio. - - - - igitur maneat hic *Lyda colus*, neque de ſexu ſuo remittat quidquam. BR.

v. 49. MOLLIS ET HIRSUTUM CEPIT MIHI FASCIA PECTUS] unde Martiali lib. 14. Lemmate 134. *Faſcia pectoralis:*

Faſcia, creſcentes dominæ compeſce papillas.

Vide eumdem libro eodem in *Amictorium*. Nonius: *Strophium eſt faſcia brevis, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum*. Cicero tamen de Aruſp. reſp. ſeparat: *Clodium a muliebribus ſoleis, purpureiſque faſciolis*, &c. Legendus idem Nonius in *Calantica*. *Strophium* vocat Catullus Carm. 63.

Nec tereti strophio luctantes vincta papillas.

Erat & faſcia, ſive faſciola texta, quæ capillum in capite colligeret: Varro 4. de L. L. *Faſciola* inquit & Iſidorus lib. 19. cap. 33. *eſt quæ ambit extremitates veſtium*. *Mollis*, feminea, puellaris; ut El. 3. ſup. v. 46. *Molle caput*. *Cepit*, continuit, incluſit. *Hirſutum*. indicium roboris, vel libidinis. Virgilius 8. Æneid. de Caco: *Villoſaque ſetis Pectora ſemiferi*. Ovidius 2. Faſt. de Hercule: *Horrent duris aſpera crura pilis*. Idem lib. 2. Triſt.

Sumſerit Annales, nihil eſt hirſutius illis.

id eſt, libidinoſius. [Alii tamen, & recte, interpretantur, ſeverius, horridius, ab amoribus & laſcivia magis remotum.] PASS.

v. 50. ET MANIBUS DURIS APTA PUELLA FUI] Subaudi, licet: nam teneræ ſunt puellarum manus, Herculis duræ. Sic El. 11. lib. 3. de Hercule:

Tam durâ traheret mollia penſa manu.

& Ovidius 2. Faſt.

Craſſaque robuſto deducit pollice fila.

Duris, calloſis. *Apta puella*, vel miniſterio illi conveniens & habilis; vel decens & venuſta. vide Indicem. PASS. *Apta puella*. Inveniuntur exempla, ubi hæc vocula eodem quo apud Noſtrum modo ſola ſtat. Ecce apud Naſonem eſt, L. 2. Art. Amat.

Verba vadum tentent abiegnis ſcripta tabellis.
Accipiat miſſas apta miniſtra notas.

& paullo poſt:

Ancillæ puerive manus ferat apta tabellas:
Pignora nec juveni credite veſtra novo.

L. 1. Amor. Eleg. 6.

Longus amor tales corpus tenuavit in uſus;
Aptaque ſubducto pondere membra dedit.

initio Remediorum:

Sed propera: nec te venturas differ in horas.
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

L. 9. Metam.

Apta miniſter
Temporis nactus adit, traditque latentia verba.

Epiſt. Hermionæ:

Num generis fato, quod noſtros hæret in annos,
Tantalides matres apta rapina ſumus?

BROUKH.

v. 51. TALIBUS ALCIDES: AT TALIBUS ALMA SACERDOS, PUNICEO CANAS STAMINE VINCTA COMAS] Apud Feſtum in *Damium*, ſacerdos Bonæ Deæ vocatur *Damiatrix*. Cicero in Orat. de Aruſp. reſp. hoc ſacrificium ait fieri ſolitum per virgines Veſtales. *Alma*, ſancta. nam Virgilius 6. Æn. quum de Sibylla dixiſſet: *Natique patriſque, Alma, precor miſerere*; ait ibidem: *Tuque o ſanctiſſima vates*. Servius in illud 10. Æn. *Alma parens Idæa deûm*. *Alma proprie Tellus, eo quod alat: quod epitheton aliis numinibus abuſive tribuitur*. Idem in illud 1. Georg. *Liber & alma Ceres: Alma ab alendo: Ceres a creando*. & in 1. Æneid. *Ut primum lux alma data eſt; ab eo quod alat, quia cuncta per diem creſcunt*. *Almities habitus almarum rerum*, Chariſius lib. 1. *Almities, ei*, εὐπρέπεια. Numina quæ vitam alunt & ſuſtinent alma ſunt, ut Venus, Sol, Lux,

Parce oculis, hospes, lucoque age cede verendo:
Cede agedum, & tuta limina linque fuga.

Inter-

Ceres sive Terra. at Bona Dea quibusdam videtur esse Ops, ut notavi supra ex Macrobio. Virgilius etiam *Almum agrum*, & *almas vites* vocat. *Vincta comas*, religata & stricta, quia vittatæ erant sacerdotes, ut notum est. Juvenalis Sat. 4.

Cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Vates tamen eas vittas solvebant quum fundere parabant oracula. Virgilius 3. Æn. de Heleno: *Vittasque resolvit Sacrati capitis*. *Vincta comas*; ut Eleg. pænult. lib. 3.

Vinctus eram versas in mea terga manus.

ut supra *Pulsus tempora*. *Canas comas*, albentes senio, ut Eleg. 18. lib. 2.

Et sana totiet oscula ferre comæ.

infra vocatur *Anus*. *Stamine*, vittâ, laneo orbe. Stamen pro filo & licio, unde fiunt vittæ. Sic Eleg. 4. sup.

Quum posuit lecto stamine torta via.

vide illic. *Puniceo*, ut sup. hac Elegia v. 27. *Puniceæ vittæ*. Catullus de Parcis Carm. 63.

At roseo niveæ residebant vertice vittæ. P.

Fortasse legendum eo Catulli loco,

At roseæ niveo residebant vertice vittæ,

nempe canis Parcarum comis. Vulp.

v. 53. Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo] Abstine a conspectu sacrorum nostrorum. Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Parcite luminibus, seu vir, seu femina fiat
Obvia.

Sic Virgilius 2. Georg.

Ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri.

& Noster Eleg. 28. lib. 2. v. 13. *Parcere verbis*. *Abscede luco verendo*, absiste luco; cujus pars ante ipsum limen erat, ut ostendit supra de populo ornante ædem, & multâ umbrâ ante fores. Virgilius 6. Æn.

Procul, o procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco.

Verenda luco, & metuendo viris, quia sacra luci nullis viris impune visa; & venerando. Virgilius 7. Æneid.

Horrendum silvis, & religione parentum.

Vereri etiam pietatis est, sed adjuncto metu ad cultum, ut *Vereri Jovem* in Amphitr. Plauti. Donatus in Andriam: *Veretur liber, metuit servus*. Livius lib. 39. *Veremur vos, Romani, &, si ita vultis, etiam timemus*. Vide Ciceronem initio pro Quinctio, & Nonium in *Vereri*. Cum secundo vel quarto casu docent dici A. Gellius, & Palæmon: *Vereor te*, & *Vereor tui*. *Reverens deorum* dixit Ovidius 1. Metam. & alibi. Pass. Legendum videtur,

Parce oculis, hospes, lucoque age cede verendo,
Cede agedum,

repetitione concinna, & quæ festinationem valde urgeret. quo pulcre facit exemplum Tiresiæ, magno luentis visam Minervam lavantem. Terentius Heaut. Act. 4. Sc. 3. CL. *Age, age, traducatur Bacchis*. S. *opinor ipsa exit foras*. belle vero repetit nostra anicula *agedum*. sic idem ille Afer Eunuch. Act. 4. Sc. 4. *Agedum hoc mihi expedi Primum: istam, quam habes, unde habes vestem?* Donatus: AGEDUM. *Dum παρέλκον est, & adjuvat ex animo loquentem*. ita sane Catullus Carm. ad Januam:

Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

laudat januam a fideli obsequio erga heros priores; atque ideo vix persuadere sibi potest esse immutatam, atque ab officio descivisse. Broukh. *Parce oculis*: ne aspicito, & simul consule oculis tuis, quos occæcabis si vetita aspexeris. Vulp.

v. 54. Cede agedum, et tuta limina linque fuga] Sic Plautus Amphitr. *Concedite, atque abscedite, omnes de via discedite*. *Cedere*, pro discedere. Eleg. 9. lib. 2.

Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.

Agedum, etiam hortantis plures, ut El. 1. lib. 1.

En agedum dominæ mentem convertite nostræ.

Linque limina; abi a limine: nam etiam in limine insignia ejus sacri erant. dixit enim:

Devia

Interdicta viris metuenda lege piatur,
 Quæ se summota vindicat ara casa.
Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
 Fortia dum posita Gorgone membra lavat.

Dii

Devia punicea velabant limina vitta.

Fugâ tutâ, quæ te tuebitur, & defendet a cæcitatis periculo. Virgilius 8. Æn. *Tuta tenebant Castra locis*. Pass.

v. 55. INTERDICTA VIRIS METUENDA LEGE PIATUR, QUÆ SE SUMMOTA VINDICAT ARA CASA] Præter illa quæ notavi supra ad eum versum:

Impune & nullis sacra retecta viris,

Ovidius 3. A. A.

Quum fuget a templis oculos Bona Diva virorum,
Præterquam si quos illa venire jubet.

& 5. Fast.

Templa patres illic oculos exosa viriles
Leniter acclivo constituere jugo.

Vide & Juvenalem Sat. 2. *Interdicta*, prohibita. Horatius Epist. 6. lib. 1.

Cui potior patriâ fuit interdicta voluptas.

Donatus in Hecyr. *Edicimus, quod jubemus fieri: Interdicimus, quod vetamus fieri. Edicimus uni generi hominum: Interdicimus diverse:* unde *Interdicta* & *Edicta prætorum*. Ideo in interdictis *Veto* verbum inerat: Festus in *Possessio*: vide Lexicon Brissonii. Sic *interdicere aqua*, & *igni*, & *domo*. *Piatur*, expiatur, si polluta & violata est; ut supra: *Fontesque piandos*. *Aras piare* ita dixit Eleg. 10. lib. 3. *Lege metuenda*, horrendi nempe carminis: Livii lib. 1. id est, sanctione gravissimæ pœnæ; puta; ex Asinaria Plauti, *Si quis vir aspexit, cæcus continuo fiet*. Lex, pro conditione & conceptione verborum, ut Eleg. 8. sup. *Qua*. vide El. eamdem v. 5. *Se vindicat*, se asserit & tuetur adversus oculos virorum, quia est in secessu posita & solitudine ejus ædes. De vindicandi verbo dictum ad illud Eleg. 3. supra:

Illa tui partem vindicat una tori.

Summotâ, penitus repostâ: Virgilius. Ita in æde Vestæ locus erat intimus stegetibus septus, qui vocabatur *Penus*: Festus in *Penus*. Idem Festus: *Impenetrale, cujus ultimum penetrale intrare non licet*. *Submovere*, sive *summovere*, verbum lictorum. Livius lib. 3. *I, lictor, summove turbam, & da viam domino ad prehendendum*. Horatius Epodo 11. *Desinet imparibus Certare submotus pudor*. Sed hic, *Summotâ*, dictum ut a Virgilio 7. Æneid.

Audiit & si quem tellus extrema refuso
Summovet Oceano.

& 8. Æneid.

Hic spelunca fuit vasto summota recessu.

Sic Noster Eleg. 10. lib. 2. *Si qua extremis tellus se subtrahit oris*. Sic & Virgilius 6. Æneid.

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.

ubi *Tuta*, ut hic *Vindicat*. *Casâ*, ædiculâ. vide sup. v. 28. Pass.

v. 57. MAGNAM TIRESIAS ASPEXIT PALLADA VATES] De Tiresia Ulixes apud Horatium Sat. 5. lib. 2. *O nulli quicquam mentite*. & ibidem Tiresias:

O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut non.

Circe apud Homerum Odyss. lib. 10. ubi præcipit Ulixi ut consulat animam cæci vatis Tiresiæ:

Τῷ δὲ τεθνειῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια
Οἴῳ πέπνυσθαι, ταὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Huic etiam mortuo mentem dedit Proserpina soli sapere: reliquæ umbræ feruntur. De eodem agit & lib. 11. Odyss. Apud Ovidium 3. Metam. cæcatus est a Junone: sed Jupiter

Pro lumine adempto
Scire futura dedit, pœnamque levavit honore.

& in Ibin:

Qualis erat (cæcus) postquam est judex in lite jocosa
Sumtus, Apollinea clarus in arte senex.

Juvenalis Sat. 13.

Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse deorum.

Hyginus Fab. 75. narrat ut vir & femina,

a iterum vir fuerit, ut a Junone cæcatus, & factus augur peritissimus a Jove, eique datum ut septem ætates viveret. Callimachus id a Pallade Tiresiam accepisse narrat. Noster igitur secutus est Callimachum Hymno qui inscribitur. *Εἰς λῶτρα τῆς Παλλάδος*:

Α'λλὰ Πελασγὲ

Φράζεο μὴ οὐκ ἐθέλων τὰν βασίλειαν ἴδῃς.
Ος κεν ἴδῃ γυμνὰν τὰν Παλλάδα, τὰν πολιοῦχον,
Τὦργος ἐσόψεται τοῦτο πανυςάτιον.

Sed tu Pelasge cave ne (etiam) *invitus reginam Minervam videas. Qui aspexerit nudam Minervam tutelarem deam, Argos aspiciet hoc postremum.* Deinde narrat ut e venatione sitiens ad fontem venerit Tiresias, imprudensque Palladem lavantem aspexerit, & cæcus ab ea factus sit; licet ejus mater esset Palladi carissima. De aspectu Palladis vide Plutarchum in Arato. *Vates*, postea factus; ut sup. *Verba minora deo*. supple, futuro. Pro *Magnam* legitur in vet. lib. *Magno*, & rectissime; id est, cum ingenti damno & malo. Sic Eleg. 18. lib. 3.

Atridæ magno quum fletis alter amor.

Magno, quod Callimachus, *μισθῷ μεγάλω*.

Κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι
Ος κε τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Αθρήσῃ, μισθῶ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλω.

Sed Saturniæ sic jubent leges. Quisquis aliquem immortalium, nisi deus ipse velit, conspexerit, mercede conspiciat magna. Vide eumdem & in Hymno Dianæ v. 263. Pass. Veram lectionem sagaciter jam olim restituerunt magnus Lipsius, & Dousa Pater. Apud Callimachum dicit Pallas, sibi non esse jucundum auferre pueris oculos: sed legibus Saturni sancitum esse, ut quicumque deum invitum cernat, magna mercede cernat, *μισθῶ μεγάλω*. Angelus Politianus vertit:

Nam pueris auferre oculos haud dulce Minervæ:
Verum Saturni legibus hæc rata sunt,
Ut quicumque deum aspiciat, nisi jusserit ipse,
Mercede ingenti scilicet aspiciat.

Ptolemæi Hephæstionis fide narrat Photius, codice 190. Erymanthum Apollinis filium pariter excæcatum, quod post congressum cum Adonide lavantem Venerem vidisset. Huc ibat Quartilla apud Arbitrum: *Misereor medius fidius vestri: neque enim impune quisquam, quod non licuit, aspexit. utique nostra regio tam præsentibus plena est numinibus, ut facilius possis deum, quam hominem, invenire.* Sed de tota hac re supra quam dici potest erudite atque diligenter egit Vir illustris Ezechiel Spanhemius in Observationibus ad Callimachi Lavacrum Palladis. ubi compluria itidem hujus Elegiæ loca insigni luce perfunduntur, & theologiæ poeticæ mysteria ex penitissimis suis fontibus nova quadam ratione recluduntur. Non unum Callimachum, ut putaverunt Passeratius, & ex eo Parisinus Interpres Propertii, sed omnino plures auctores hanc de Tiresia fabellam sic tradidisse, illustribus documentis ostendit idem ille Vir incomparabilis (*Spanhemius*) ad v. 82. Hymni laudati. v. Delrius Adv. in Senec. Oedip. v. 290. p. 45. Broukh. *Magno aspexit*. Divina Lipsii conjectura & certissima. Sic locutus Virgilius lib. 3. Georg. v. 306.

Quamvis Milesia magna
Vellera mutentur Tyrios incocta colores.

Seneca Troad. v. 190. *Non parvo luit Iras Achillis Græcia, at magno luet.* Homerus ipse Iliad. 4. v. 161. Σύν τε μεγάλω ἀπέτισαν Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι, γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν. *Et magno luent Cum propriis capitibus, uxoribusque & liberis.* Catullus plene Carm. 76.

Rufe, mihi frustra, ac nequidquam cognite amice;
Frustra? immo magno cum pretio, atque malo.

Vide quæ attulerim ad versum 30. El. 18. lib. 3. Propertii. Ceterum locutionem Callimachi *μισθῶ μεγάλω* docte admodum reddidit Gratius Cynegetico v. 61.

Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,
Semideos? illi aggeribus tentare superbis
Ire fretu, & matres ausi tractare deorum,
Quam magna mercede meo sine munere silvas
Impulerint? flet adhuc, & porro flebit Adonim
Victa Venus, &c.

Usus & Cicero Epist. 9. lib. 1. ad Lentulum: *Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo, eam fidem cognosse hominum, non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram.* Idem 3. Tusc. *Nam istuc nihil dolere, non sine magna mercede contingit*,

Dii tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
  Avia fecreti limitis una fluit.
Sic anus: ille humeris poftes concuffit opacos,
  Nec tulit iratam janua claufa fitim.

At

git, immanitatis in animo, ftuporis in corpore. Seneca pariter de Tranquill. Animi cap. 11. *Quandocumque autem reddere jubebitur, non queretur cum fortuna: fed dicet: Gratias ago pro eo quod poffedi, habuique. Magna quidem res tuas mercede colui: fed quia imperas, cedo gratus libenfque.* Livius lib. 8. *Expiandum id bellum magna mercede, luendumque effe.* Plinius quoque procemio lib. 7. H. N. *Principium jure tribuetur homini, cujus cauffâ videtur cuncta alia genuiffe natura, magna & fæva mercede contra tanta fua munera: ut non fit fatis æftimare, parens melior homini, an triftior noverca fuerit.* Denique Silius Italicus lib. 7. v. 545.

Magna mercede piabunt
Erroris rabiem, & noftrum violaffe parentem.

Veteres porro θεῶν ἀπάντησιν, occurfum deorum, valde formidabant, alieno fcilicet malo & periculo docti. Homerus propterea lib. 16. Odyff. v. 179. de Telemacho, patris afpectum verito:

Ταρβήσας δ' ἑτέρωσε βάλ' ὄμματα, μὴ θεὸς εἴη.
Timens autem aliorfum vertebat oculos, ne deus effet.

Περὶ θεῶν ἀπαντήσεως Satyram Menippeam fcripferat M. Varro; cui Satyræ & aliud nomen fuit *Pfeudulus Apollo*. Occurfum hujufmodi fignificant etiam verba Cincii Alimenti apud Feftum in *Obftitum*: *Qui deo deæque obftiterit; id eft qui viderit quod videre nefas effet.* VULP.

v. 58. FORTIA DUM POSITA GORGONE MEMBRA LAVAT] Sic Eleg. 14. lib. 4.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodonteis turba lavatur aquis.

Fortia membra, invictum corpus. Callimachus: Εἶδες Ἀθηναίας στήθεα, ὦ λαγόνας. *Vidifti* (o fili Tirefia) *Minervæ pectora & ilia*. Sic Virgilius 1. Æneid. *Fortia corpora*. Nofter *Fortia figna* Eleg. 12. lib. 3. *Pofita Gorgone*, depofita ægide, exutifque armis. De Gorgone vide ad Eleg. 2. lib. 2.

Gorgonis anguiferæ pectus operta comis.

Pofitâ, depofitâ, ut eadem Elegia:

Idæis tunicam ponere verticibus.

γυμνὰν Παλλάδα dixit Callimachus; idque tangit Nofter Eleg. 13. lib. 3.

Nec fuerat nudas pœna videre deas. PASS.

v. 59. DII TIBI DENT ALIOS FONTES: HÆC LYMPHA PUELLIS AVIA SECRETI LIMITIS UNA FLUIT] Afranius Vopifco apud Nonium in *Proprium*: *Dii tibi dent propria quæcumque exoptes bona.* Plautus Afin. 1, 1. *Dii tibi dent quæcumque optes.* Horatius Sat. 3. lib. 2.

Dii tibi dent captâ claffem deducere Trojâ.

Eft & imprecantis. Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 8.

Dii tibi dent nullofque lares, inopemque fenectam.

Catullus Carm. 28. *At vobis mala multa dii deæque Dent.* *Fontes*, ut v. 35. fup. *Hæc lympha avia*; fepofitus fons. Elegia 20. lib. 1.

Rarum fepofiti quærere fontis aquam.

Avia, extra viam pofita, & in receffu; ut fup. *Devia limina*. *Avia fecreti*, διὰ τὸ αὐτό. ut hac Eleg. *Ne certa forent manifefta figna rapinæ*. & Eleg. 4. fup.

Lubrica tota via eft, & perfida, quippe tacentes
Fallaci celat limite femper aquas.

ubi *Limes*, pro rivo, alveo, via aquæ. vide illic adnotata. Virgilius 7. Æneid. *Nemora avia matres Infultans thyrfis*. *Secreti*, remoti, abditi, ut Eleg. 9. fup. *In fecreta lectulus herba*. *Fluit*, manat. El. 3. lib. 3.

Bellerophontei qua fluit humor equi.

Horatius Epodo 15. *Tibique Pactolus fluat*. *Puellis*, in ufum puellarum. *Puellis*, an virginibus? an feminis? PASS. *fluit* legendum eft, pro *fuit*, monente acutiffimo Fruterio L. 1. Verifimil. C. 14. BROUKH.

v. 61. SIC ANUS: ILLE HUMERIS POSTES CONCUSSIT OPACOS] *Sic anus*, fupple, ait. fup. v. 51.

Talibus Alcides: at talibus alma facerdos,

Puni-

At postquam exhausto jam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia jura labris.

Angu-

Puniceo canas stamine vincta comas.

Ille concussit postes, labefactavit & impulit ita ut everteret. sup. *Diruit ira fores*. *Postes*; vide adnotata ad Eleg. 9. sup. v. 21. *Opacos*. Festus: *Opaca, umbrosa*. Virgilius Ecl. 1. *Frigus captabis opacum*. 6. Æneid. *Ulmus opaca ingens*. &, *Lucis habitamus opacis*. Opaci ergo postes, inumbrati frondibus ejus populi quæ ornabat ædem, ut dixit sup. An geminas arbores umbrosas pro postibus januæ fuisse significat, ut ruri sæpe videmus? *Opacum*, ab operiendo deducunt. An ab Ope, id est terrâ & aquis? humida enim loca solent umbrosa esse. *Humeris*. sic Virgilius 4. Æneid. *Trudunt Obnixa frumenta humeris*. Ovidius 1. Fast.

Nititur hic humeris, (cœlum quoque sederat illis)
Et vastum motu collabefactat onus.

De Hercule nimirum, & Caci speluncæ foribus. Plautus Captiv. 4, 1. *Humerus mihi est aries*. PASS. Ita totos montes proruere solebat. vide immanem Senecæ hyperbolen Herc. Fur. a versu 283. BROUKH.

v. 62. NEC TULIT IRATAM JANUA CLAUSA SITIM] Non sustinuit impetum sitientis, & ideo magis irati Herculis; ut sup. *Ira diruit fores*. Eleg. 8. lib. 1.

Vicimus: assiduas non tulit illa preces.

resistere non potuit. Sic Virgilius 2. Æn. *Nec claustra, nec ipsi Custodes sufferre valent*. id est, sustinere non possunt, ei non sunt pares. *Janua clausa*. Sic Eleg. 23. lib. 2.

Ah pereant, si quos janua clausa juvat.

& Eleg. 3. lib. 1. *Clausis expulit e foribus*. unde *Janus Clusius*, [cui *Patulcius* oppositus.] *Sitis*, pro sitiente. ut Eleg. 5. libri 3.

Nec bibit e gemma divite nostra sitis.

& Eleg. 3. sup. *Tuam famem*, pro te famelicum. Ut autem famelici, & jejuni iracundiores, (ut diximus ad Eleg. 5. sup. *Jejuno fano*) ita siticulosi. Virgilius 3. Georg. de angue:

Flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperque siti, atque exterritus æstu.

Complexus utrumque idem poeta 9. Æn.

Ille asper & improbus irâ
Sævit in absentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccæ sanguine fauces.

PASS.

v. 63. AT POSTQUAM EXHAUSTO JAM FLUMINE VICERAT ÆSTUM] Sic Eleg. 2. sup.

At postquam ille suis tantum concessit alumnis.

Vicerat, domuerat, compescuerat. El. 17. lib. 3. *Vincere sopore caput*. Sedarat & restinxerat sitim; quia victi quiescere coguntur. *Æstum*; sitim. id quod præcedit, pro eo quod sequitur: nam æstum sequitur sitis. Eleg. 4. sup.

Qua dulcis ab æstu
Fistula poturas ire jubebat oves.

Sic Eleg. 7. *Damnatas manus*, id est, sceleratas. & Eleg. 6. sup. *Confessum Parthum*. id est, victum. Contra Virgilius sitim pro calore posuit 4. Æneid. *Hinc deserta siti regio*. & Ecl. 1. *Sitientes Afros*. *Exhausto jam flumine*. quasi totum fontem ebiberit præ siti, ut sitire fons ipse cogatur; quomodo Cicero in Epist. ad Q. Fratrem διψῶσαν κρήνην, dixit. Sic *exhaurire fontem benignitatis*: Idem 2. Offic. *Interbibere fontem*: Terentius. *Intertrahere animam puteo*: Plautus. *Epotaque flumina Medo Prandente*: Juvenalis. Vide Statium 4. Theb. sub finem, de exhausto a sitiente fluvio. *Flumine*. v. vers. 36. sup. PASS.

v. 64. PONIT VIX SICCIS TRISTIA JURA LABRIS] Ut Eleg. 9. lib. 3.

Et liceat medio ponere jura foro.

Sic νομοθετεῖν Græcis, νομοθέτης, ἡ νομοθεσία. *Tristia jura*, amara, severa, dura mulieribus. *Rigoureuses loix*. Contra El. 5. lib. 2. *Per domina Junonis dulcia jura*. & Eleg. ult. infra:

Det pater hic umbræ mollia jura meæ.

Eleg. 1. sup. *Tristis pertica*. & *Triste cubile*, pro durum Eleg. 15. lib. 3. Albinovanus ad Liviam:

Nec omnes
Mutarunt avidi tristia jura dei.

Vide Nonium in *Triste*. Cicero 2. Verr. *P. Sulpitius judex tristis & integer*. *Vix siccis labris*,

Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: hæc feſſo vix mihi terra patet.
Maxima quæ gregibus devota eſt Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,

Hæc

labris, ſtatim a potu. nam illico areſcunt labra. Alio modo Catullus Carm. 63. de Parcis nentibus:

Laneaque aridulis hærebant morſa labellis.

Eſt autem ira & ſtudium vindictæ moræ impatiens. PASS.

v. 65. ANGULUS HIC MUNDI NUNC ME MEA FATA TRAHENTEM ACCIPIT: HÆC FESSO VIX MIHI TERRA PATET] Feſtus: *Angulus a Græco ἀγκύλον, ſive ab eo quod eſt ἐγγὺς, id eſt, prope: quod adducatur* (aliàs *aduncetur*) *quod ex diverſo coacta faciunt anguli formam*. Iſidorus lib. 15. cap. 8. *Angulus* (domûs) *quod duos parietes in unum conjungat*. De angulis ædium (abditis locis) Plautus & Terentius. M. Cato Dierum Dictarum apud Chariſium lib. 2. in *Nocte: Mare velis florere videt ultra angulum Gallicum*. Horatius Ode 6. lib. 2. *Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet*. Idem Sat. 6. lib. 2.

O ſi angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.

& Epiſt. 14. lib. 1.

Angulus iſte feret piper & tus ocyus uva.

Videtur etiam idem eſſe apud Horatium *Latus mundi*; Ode 22. lib. 1. & Ode 24. lib. 3. Varro 1. de L. L. apud Priſcianum ait ſcribi ſolitum *aggulus*, ut *agguilla*, *agceps*, *agcora*. Vide eumdem lib. 5. de L. L. Scaliger in Varronem ab ἀγχῶ deducit. *Angulus hic mundi accipit me*, ut hoſpitem nempe. vide ſup. hac Eleg. v. 42. *Mea fata trahentem*. vitam vix agentem fato conſtitutam. vix ferentem fatis decretos labores. Non ducentem, ſed trahentem vitam, quam mihi fata ærumnoſam dederunt. Eleg. 8. ſup.

Qui dabit immundæ venalia fata ſaginæ.

id eſt, vitam & caput. *Trahere fata*; miro ſermone: nam *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt*. At hic etiam ſua fata trahit. id eſt, vitam fato conſtitutam. ut Virgilius 2. Æneid.

Afflictus vitam in tenebris, luctuque trahebam.

& 3. Æneid. *Vitam in ſilvis inter deſerta ferarum Luſtra domoſque traho*. Sic *trahere ægrum corpus*, *ingratum laborem*, *optatam quietem*. Phineus apud Apollonium Rhodium lib. 2. Γῆρας ἀμείρυτον ἐς τέλος ἕλκω. *Senectutem longævam ad finem traho*. Electra in Euripidis Oreſte: Βιοτὸν Ἀμέλεο; ἐς τὸν αἰεὶ ἕλκω χρόνον. *Vitam* (ipſa ego) *miſera in omne tempus traho*. Ducitur vita felicibus, trahitur miſeris, ut oneroſa, & nimis longa. Seneca paullo aliter dixit in Conſol. ad Marciam cap. 14. *Ducentem fata*. Virgilius 5. Æneid.

Nate deâ, quo fata trahunt, retrahuntque ſequamur.

De fatis Herculis Apollodorus lib. 2. qui ſcribit, Jovem inter deos dixiſſe, eum qui primus e Perſei genere naſceretur, Mycenis imperaturum: Junonem autem exoraſſe Ilithyiam, ut ſeptimeſtrem Euryſthea produceret in lucem remorato Alcumenæ partu, & ita fato ſubditum imperiis Euryſthei Herculem. PASS.

v. 67. MAXIMA QUÆ GREGIBUS DEVOTA EST ARA REPERTIS] Virgilius 8. Æneid.

Hanc Aram luco ſtatuit (incertum Hercules, an Potitius) *quæ Maxima ſemper*
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima ſemper.

ubi Servius: *Ingens illa Ara fuit, ſicut videmus hodieque*. Addit, prædictum fuiſſe Herculi ab Apolline, fore ut in Italia deus coleretur. Livius lib. 1. Evandrum inducit ſalvere jubentem Herculem, & narrantem prædictum a matre Carmenta deum futurum, Aramque illi dicatum iri, quam opulentiſſima gens in terris Maximam vocet. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 6. ab Hercule Victore Aram Maximam fuiſſe narrat, & aperto capite illic ſacrificari, quia conſtituta ſit ante Æneæ in Italiam adventum. Idem cap. 22. ejuſd. libri docet, ante Urbem Conditam ſacrificantes ad Aram Maximam ſolitos coronari populo, poſtea lauro.

Pub.

Hæc nullis umquam pateat temeranda puellis,
Herculis eximii ne ſit inulta ſitis.

Saucte

Pub. Victor in XI. Reg. Urbis, *Circus Maximus*, ad ædem Herculis, & templum vetus Caſtoris Aram Maximam locat. Interpres Juvenalis ad Sat. 8. *Magna Ara ad Herculem dicitur Romæ; juxta Circum Flaminium*. Ovidius 1. Faſt.

Immolat ex illis (receptis á Caco) *taurum tibi, Juppiter, unum*
Victor, & Evandrum ruricolaſque vocat.
Conſtituitque ſibi, quæ Maxima dicitur, Aram
Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.

Dionyſius lib. 1. ſtatim ab interfecto Caco Herculem ait ſtatuiſſe Διὸς εὑρεσίου βωμόν. & ibidem: Ὁ δὲ βωμὸς, ἐφ' ᾧ τὰς δεκάτας ἀπέθυσεν Ἡρακλῆς, καλεῖται μὲν ὑπὸ Ῥωμαίων Μέγιστος. Ἐςὶ δὲ Βοαρίας λεγομένης ἀγορᾶς πλησίον. *Hæc ara ubi decimas boum ſacrificavit Hercules, vocatur a Romanis Maxima. Eſt autem prope Boarium Forum*. Lege quæ ibi ſequuntur; Feſtum in *Potitium*, & Varronem 5. de L. L. *Devota*, id quod præcedit, pro eo quod ſequitur, ut ſup. *Æſtus*, pro ſiti. Nam vovere prius eſt quam ſolvere: dicare autem ſequitur. Livius dicatam Aram ſcribit. *Devovere* autem in bonam partem. ut Eleg. 32. lib. 2.

Quum vides accenſis devotam currere tædis.

ubi vide adnotata. *Gregibus*. enallage numerorum pro grege. id eſt, armento. nam grex hic eſt generis nomen. erant enim quatuor tauri, & totidem juvencæ: Virgilius. Sic Juvenalis de liberis Niobes duodecim, vel quatuordecim, Sat. 6. *Extulit ergo greges natorum*. Sic Eleg. 8. lib. 3. *Cuſtodum gregibus*. ubi vide adnotata. Ulpianus L. 1. *De rei vindicat.* §. *Per hanc actionem*; Gregem, Equitia, & Armenta diſtinguit. ſed illic Grex eſt nomen formæ, non generis. *Repertis*, iterum partis, quum inventi ſunt. Noſter ſup.

Bis mihi quæſitæ, bis mea præda boves. PASS.

v. 68. ARA PER HAS, INQUIT, MAXIMA FACTA MANUS] Sic Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 13. de hac Ara;

Ara per antiquas facta ſine arte manus.

& Noſter Eleg. 18. lib. 3.

Et per maternas omnia geſta manus.

ubi vide adnotata. PASS. *Ara Maxima*. Juvenalis *Magnam* vocat Sat. 8.

Cur Allobrogicis, & Magnâ gaudeat Arâ
Natus in Herculeo Fabius lare? VULP.

v. 69. HÆC NULLIS UMQUAM PATEAT VENERANDA PUELLIS] Id eſt, interdicta ſit omnibus feminis. *Pateat Ara*, ut ſup. *Terra patet*. & ut *Patere templa* dicuntur. Addidit *Veneranda*, quia in propatulo poſita Ara omnibus & maribus & feminis conſpici poterat, ſed non adiri a mulieribus ſacrificii cauſſâ. *Veneranda* ara; ut Virgil. 12. Æn.

Aram
Suppliciter venerans demiſſo lumine Turnus.

Feſtus: *Venerari a venia & orando*. At veniam & pacem per aras exquirebant; quod erat aras venerari, & ſimulacra in iis poſita. Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 10. *Mulieres in Italia ſacro Herculis non licet intereſſe; quia Herculi, quum boves Geryonis per Italiæ agros duceret, ſitienti reſpondit mulier, Aquam ſe non poſſe præſtare, quia feminarum deæ celebraretur dies; nec ex eo apparatu viris guſtare fas eſſet. Propter quod Hercules facturus ſacrum, deteſtatus eſt præſentiam feminarum, & Potitio ac Pinario ſacrorum cuſtodibus juſſit ne mulierem intereſſe permitterent*. Idem refert Sex. Aurelius Victor in Origine Gentis Romanæ. Plutarchus in libro de Pythiæ oraculis ſcribit, in Phocide templum Herculis fuiſſe qui μισογύνης diceretur, id eſt, Oſor mulierum. Eadem de re Plutarchus ἐν ῥωμαϊκ. quæſt. 60. Inde formula apud Feſtum in *Exeſto*: *Hoſtis, vinctus, mulier, virgo exeſto*. Minutius Felix in Octavio; *Nonnulla abſque feminis ſacra ſunt*. Cato de R. R. cap. 83. poſt traditam formulam voti quod pro bubus, ut valerent, fieri debere Silvano putabant: *Mulier*, inquit, *ad eam rem divinam ne adſit, neve videat quomodo fiat*. A. Gellius lib. 11. cap. 6. *Neque viros*, ait, *per Caſtorem, neque mulieres per Herculem jurare. & mulieres quia Herculano ſacro abſtinent*. PASS.

Nullæ

Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.

Nunc

Nullæ umquam mulieres ad hanc aram accedant venerandi caussâ. *Venerari aram* Virgilius dixit L. 12. Æn. & *templa venerari* L. 3. Æn.

Templa dei saxo venerabar structa vetusto.

Servius: *quod VENERABAR ait, ostendit se precatum*. Sed non possum non amplecti palmariam correctionem Nic. Heinsii:

Hæc nullis umquam patent veneranda puellis.

Vide sis Notam magni Viri ad Ovid. L. 2. Pont. Epist. 2. v. 27. BROUKH. Certa personarum genera a certis sacris arcebantur. Ita in Lege Numæ Pompilii: *Pellex aram Junonis ne tangito: si tanget, crinibus demissis agnum feminam cædito*. Quam legem pessime interpretantur RæVardus, & Gravina de lecti maritalis violatione. VULP.

v. 70. HERCULIS EXIMII NE SIT INULTA SITIS] Ne sit impune mulieribus quod sitienti Herculi aquam negaverunt. Jucunda hominibus est ultio injuriæ, & a naturâ insita: Cicero Topic. Aristoteles 1. Rhet. τὸ τιμωρεῖσθαι ἡδύ. & ibid. ἡ γὰρ δίκη, καὶ κόλασις ἴασις. *Omnis enim pœna & ultio est doloris medicina*. Hinc illa Virgiliana, *Numquam omnes hodie moriemur inulti*. & *Moriemur inultæ?* & *Ultus vivam*. *Eximium*, id est, insigni virtute se ipsum appellat, quia *Licet interdum de se magnifice loqui adversus ignorantes*, inquit Brutus Ciceroni Ep. 16. ad Brutum; & Plutarchus in libello: *Quomodo se quis absque invidia laudare possit*. unde citatur Catonis Oratio de laudibus suis contra Thermum. *Eximii*; ut Horatius Ode 6. lib. 1. *Laudes egregii Cæsaris*. Donatus in Hecyram: *Eximia pecora, quæ e grege excepta sunt ad usus dominorum suorum, ut uberius pascantur. Sed proprie eximii sunt porci majores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur, ut boves ad hoc electi, egregii, & oves lectæ*. Ibidem: *Eximias, separatas ex omnibus. & proprie eximius porcus est, exemtus a grege, atque signatus macula, aut nota*. Festus: *Eximium inde dici cœptum, quod in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur; vel quod primum erat natum*. PASS. *Herculis e. ne sit inulta sitis*. vide quid de Hercule sitiente ac merobibo narret Athenæus L. 10. C. 11. ex Alcimo Siculo. BROUKH.

v. 71. SANCTE PATER SALVE, CUI JAM FAVET ASPERA JUNO] Mutanda disticha, ut sequens præcedat. *Sancte pater salve*. Virgilius 5. Æneid. paullo aliter: *Salve sancte parens*. *Pater*, quia epitheton deorum omnium honoris caussâ; ut Eleg. 1. sup. *Tarpejasque Pater*. Eleg. 4. l. 3. *Mars Pater*. Eleg. 3. sup. v. 49. *Pater Africus*. Eleg. 6. sup. *Pater Cæsar*. Eleg. 17. lib. 3. v. 2. *Pater Bacchus*. An Hercules Pater etiam quia ita felix fuerit, ut LXX. liberos reliquerit? Festus in *Cingulo*; unde *Herculeos nodos* in novæ nuptæ cingulo ominis gratiâ: Festus ibidem. *Salvere autem deos jubebant*; quæ salus venerationis erat, non ut bene valerent optantis. Plautus Pœnulo 1, 2. *Veneri dicito multam meis verbis salutem*. Livius lib. 1. *Salvere universi Romulum (jam deum) jubent; pacem precibus exposcunt*. Virg. 8. Æn. de Hercule ipso: *Salve vera Jovis proles*. Catullus Carm. 63. *Heroës salvete, deûm genus*. vide Brissonii formulas. *Cui jam favet aspera Juno*. cui noverca olim sæva & iniqua, nunc æqua est & benigna. Ovidius lib. 3. Trist. Elegia 5.

Neve hominum referam versus ad mitius iras,
Junonis gener est, qui prius hostis erat.

Auctor Octaviæ tragœdiæ: *Deus Alcides Possidet Heben; Nec Junonis jam timet iras, Cujus gener est, qui fuit hostis*. Apollodorus lib. 2. Ἐκεῖθεν δὲ τυχὼν ἀθανασίας, καὶ διαλλαγεὶς Ἥρᾳ, Ἥβην ἔγημεν. *Exinde sortitus immortalitatem, & reconciliatus Junoni, Heben duxit uxorem*. qua de re Noster Elegia 13. lib. 1. v. 23. Vide & Ovidium 9. Metam. *Aspera Juno*. *Junoni amaræ* dixit sup. v. 43. Sic Virgilius 1. Æneid.

Quin aspera Juno,
Quæ mare nunc, terrasque metu, cælumque fatigat,
Consilia in melius referet.

Junonis autem gravis ira, nec exsaturabile pectus: Idem 5. Æneid. vide & 12. Æneid. v. 830. Homerus sub finem lib. 5. Iliad. Jovem inducit sic Martem alloquentem:

Nunc quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,
Sic Sancum Tatii compoſuere Cures.

El-

Μητρὸς τοι μένος ἐςὶ ἀάσχετον, ὐκ ἐπιεικτὸν Ἥρης.

Matris tuæ animus eſt intolerabilis, non tractabilis Junonis. nam Juno eſt aër, qui facile turbatur, & aſperatur ventis, nubibus, imbribus, fulminibus, grandinibus. *Jam*, nunc, tandem, vel jamdudum. *Fave*, ut Eleg. 1. ſup. *Roma fave*. PASS. *Sancte pater ſalve*. Omnes dii dicebantur *ſancti*. erat tamen id Herculi proprium ac peculiare. Varro l. 4. de L. L. *Ælius Gallus Dium Fidium dicebat Diovis filium, ut Græci Διόσκυρον Caſtorem: & putabat hunc eſſe Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem ab Græca*. Phædrus L. 5. Carm. 5. *Quidam immolaſſet verrem quum Sancto Herculi*. marmorum antiquorum fidem huc advocare ſupervacuum fuerit. complura reperire eſt apud Mazochium, Boiſſardum, Gruterum, Reineſium, ubi SANCTVS, & SANCTISSIMVS dicitur Hercules. BROUKH. Ad locum Phædri memoratum Rigaltius affert antiquam Inſcriptionem hujuſmodi:

HERCVLI . SANCTO . SAC.
P. POMPONIVS . NOETVS
VOTVM . SOLVIT

Cicero ſub finem Orationis pro P. Sextio: *Hunc opinionem in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratam videmus, cujus corpore ambuſto vitam ejus, & virtutem immortalitas excepiſſe dicitur*. VULP.

v. 72. SANCTE, VELIS LIBRO DEXTER INESSE MEO] Plinius l. 28. H. N. cap. 2. morem fuiſſe ait deos obteſtandi, ut vellent. Virgilius 1. Æneid.

Juppiter (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriiſque diem, Trojaque profectis
Eſſe velis.

ubi Servius: *Secundum Etruſcam diſciplinam: nam dicebant, Volens propitiuſque ſis*. In Epigram. Tibullo adſcripto:

Pro quibus officiis, ſi fas eſt, Sancte, pacifcor,
Aſſiduus cuſtos ruris ut eſſe velis.

Ovidius lib. 3. A. A.

O ita, Phœbe, velis, ita vos pia numina vatum.

unde ad Populum formula: *Velitis, jubeatis*. & in edictis pariter. *Dexter*, ſecundus, propitius. Sic Perſius dixit: *Dextro Hercule*. Virgilius 8. Æneid. ad Herculem:

Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.

Ovidius 1. Faſt.

In tibi devoto munere dexter ades.

Ibidem:

Dexter ades ducibus, quorum ſecura labore
Otia terra ferax, otia pontus habet.
Dexter ades patribuſque tuis, populoque Quirini.

vide adnotata ad Eleg. 1. ſup. v. 68. *Ineſſe libro meo*. ut Eleg. 1. ſup.

Inque meis libris nil prius eſſe fide.

Aliàs legitur, *adeſſe*. Vide Briſſonium For. 77. in medio. Cur autem ad librum adeſſe, & ad verſus ſuos Herculem vult? Plutarchus ἐν ῥωμαϊκ. quæſt. 59. Cur communis erat Romæ Herculi ara & Muſis? quia in Evandrum, inquit, literas docuerit; quod olim perhonorificum erat. Hercules fuit μουσαγέτης, id eſt comes duxque Muſarum. In Oratione Eumenii Rhetoris de Reſtaurandis Scholis: *Ædem*, inquit, *Herculis Muſarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia cenſoria fecit*. &c. vide apud Lilium Gyraldum p. 320. & 321. ubi docet, defenſoribus heroibus Muſas indigere. Peritum Muſicæ fuiſſe Herculem ſcribit Plutarchus in libello de Muſica. Idem in libello quid ſignificet εἰ, Herculem dialecticæ peritiſſimum evaſiſſe ait, poſtquam uſus eſſet Promethei & Atlantis conſuetudine. Statius in Silvis:

Dic age Calliope: ſocius tibi grande ſonabit
Alcides. PASS.

v. 73. NUNC QUONIAM MANIBUS PURGATUM SANXERAT ORBEM] τὸ *Nunc* videtur idem valere quod Igitur. ut Eleg. 9. libri 2.

Nunc quoniam iſta tibi placuit ſententia, cedam.

& Eleg. ſeq. v. 47. Aliàs legitur, *Hunc*,

quod apertum est. *Sanxerat orbem*, sanctum & purum reddiderat, ut notavimus sup. ad illud:

Arvaque mugitu sancite boaria longo.

nam & *sanctum* sæpe idem quod purum & castum: Macrobius. Ergo hic *δι' τὸ αὐτὸ Sanxerat purgatum*; pro Sanxerat & purgarat. vide adnotata ad illud hic sup.

Avia secreti limitis una fluit.

Vet. lib. *Senserat orbem*. Beroaldus correxit, *Sanxerat*. *Orbem* terræ intelligit; ut contra pro cælo posuit supra: *Terga qui sustulit orbem*. *Purgatum*, liberatum a monstris & tyrannis. nam purgare est purum agere & facere. unde *purgare se* dicuntur qui se puros probare & insontes volunt. Cicero pro Sextio: *Cadem maximam facias, forum purges*, id est, purum locum, & solum reddas; ut Varro apud Nonium in *Expulsim*: *Purgatum scito, quoniam videbit in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere*. *Purgari pisces* dicuntur Terentio. Purgare est etiam medicorum, ut Ciceroni & Horatio. *Manibus*, vi ac virtute: El. 11. lib. 3. *Pompeja Bospora rapta manu*. Virgilius 11. Æneid. *Manibusque meis Mezentius hic est*. Significatur autem Hercules ἀλεξίκακος, & *vindex terræ*, Ovidio 9. Metam. PASS. *Sanxerat*. ita præclare correxit Beroaldus, quum prius nullo sensu legeretur *senserat*. & stabiliunt eam emendationem sex libri scripti. quare desinant vellicare doctissimi viri manes, qui, ut suas tueantur opiniones, non verentur defendere corruptos bonorum scriptorum locos, etiam contra animi sui sententiam. Jos. Castalionem intelligo, quem vide Dec. 3. Observ. C. 10. BROUKH.

v. 74. SIC SANCTUM TATIA COMPOSUERE CURES] *τὸ Sic*, ideo, vel itaque, vel eo modo quo nunc dicitur. Eleg. 19. libri 2.

Sit nec nec sola poterunt avertere silva.

Tatia Cures. Scaliger legit *Tatii*, ut Veji. errat: nam urbem poeta pro populo posuit. *Cures*, urbs Sabinorum, unde Numa. Virgilius 6. Æneid. *Curibus parvis, & paupere terra*. Dionysius lib. 2. Modium Tabidium quemdam condidisse ait τὰς καλουμένας Κύρεις, vel quia Martis filius haberetur, vel quia Sabini hastas Cures vocant; ubi plura. Strabo lib. 5. Cureis urbem Sabinorum quondam nobilem ait fuisse, unde reges duo Romæ regnarint, Tatius & Numa: sed exiguum vicum ætate sua fuisse. *Tatia* ergo *Cures*, in quibus Tatius regnavit, ut *Tatia prætoria turma* Eleg. 4. sup. v. 31. & *Tatius viri* Eleg. 1. sup. v. 31. Ovidius 6. Fast.

Quærebam, Nonas Sancto, (aliàs Sanco) Fidiòne referrem:
An tibi, Semo pater. tunc mihi Sancus ait:
Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo.
Nomina terna fero: sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere loco.

Composuere Sanctum, condidere & constituêre ædem Herculi Sancto, & id ei posuere nomen. *Componere*; pro, ponere. ut El. 11. lib. 1.

Molliter in tacita litore compositam.

An significat, apud Sabinos mortuum? non probo. Plutarchus in ῥωμ. quæst. 30. ubi quærit cur nova nupta dicat: *Ubi tu Caius, ego Caja*. ἐν τῷ τῦ Σάγκτυ ἱερῷ. *in Herculis Sancti fano*. M. Cato in Originum fragmentis tradit, *Quem Sabini Sangum dixerunt, Romanos Sanctum pronuntiasse*. D. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 19. *Sabini*, inquit, *regem suum primum Sangum, sive, ut alii appellant, Sanctum retulerunt in deos*. Silius Italicus lib. 8.

Ibant, & læti pars Sanctum voce canebant,
Auctorem generis: pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Festus in *Prædia*: *In æde Sancti, qui Dius Fidius putatur*. vide & Ælium Gallum apud Varronem 4. de L. L. Dionysius lib. 2. Sangum (vel Σάγκον, ut est in aliis libris) δαίμονα ἐπιχώριον vocat, id est, Genium ejus loci & regionis (Sabinorum): τινὰς δὲ τὸν Σάγκον ὑπὸ τινῶν Πίστιον καλεῖσθαι Δία. Sed a Sancio, Sacio, Sancus, & Sagmina, & Sanctus. Apud P. Victorem *Sacellum Genii Sangi* & in VII. regione Urbis. Plinius lib. 8. H. N. cap. 48. scribit, in templo Sangi lanam & colum Cæciliæ durasse ad M. Varronis ætatem. Lactantius lib. 1. Div. Inst. cap. 15. Sangum vel Sancum vocat. Livius lib. 8. *Bona Semoni Sango consecranda*. & lib. 33. Ædem Sangi commemorat. Denique Festus in *Propter viam*:

Kkkk 2

viam: Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratiâ, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est deus. PASS. Lege *Saucum*. nam & *Sanctus* dicebatur Hercules, & *Sancus*. tum simul consule Passeratium; Jos. Castalionem Dec. 3. Observ. cap. 10. Muretum L. 3. Epist. 81. Raderum in lib. Spectac. Epigr. 8. Carolum Neapolim, & Nic. Heinsium ad Ovidium L. 6. Fast. v. 213. Vossium de Idololat. gent. L. 1. C. 12. quos exscribere nihil erat necesse. BROUKH.

E L E G I A X.

NUnc Jovis incipiam caussas aperire FeretrI,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.

Ma-

ARGUMENTUM ELEGIÆ X. LIBRI IV.] Cur Juppiter Feretrius nominatus; & qui Romani imperatores, ducibus hostium sua manu occisis, opima spolia reportaverint. VULP.

v. 1. NUNC JOVIS INCIPIAM CAUSSAS APERIRE FERETRI] Sic fere exorditur Elegiam 4. supra. *τὸ Nunc* notat ordinem, & alia ante scripta; ut Virgilius 2. Georgic.

Hactenus arvorum cultus, & sidera cali.
Nunc te, Bacche, canam.

& Noster Eleg. 10. lib. 2.

Nunc volo subducto gravior procedere vultu,
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.

Incipiam aperire, aperiam, pandam, explicabo a prima origine. Incipere est magnorum facinorum. Sic Virgilius 1. Georg. *Hinc canere incipiam*. & sæpe vacat, ut Eleg. 1. lib. 4.

Incipe tu lacrimis æquus adesse novis.

pro, adsis. Eleg. 4. lib. 3.

Inque sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam.

Eleg. 15. lib. 2.

Fluminaque ad caput incipient revocare liquores.

[& Eleg. 19. lib. 2. *Incipiam captare feras*.] *Caussas*, varias nominis rationes. Varro 6. de L. L. vocat *Origines verborum*. mox *Verborum caussas*. Ovidius 6. Fast.

Est illis strigibus nomen; sed nominis hujus
Caussa, quod horrenda stridere nocte solent.

Jovis FeretrI. Legendus Livius lib. 1. & 4. Plutarchus in Romulo, & in Marcello, Dionysius lib. 2. Cornelius Nepos in vita Attici, Plinius lib. 2. H. N. cap. 53. Dio lib. 44. & 55. Auctor libri de Viris Illustribus cap. 2. Festus in *Feretrius*, & in *Opima*, Solinus. Feretrii Jovis ædem se fecisse, & dicasse Augustus scribit in Breviario rerum a se gestarum. Lepide Vetus Poeta apud Terentianum: *Opima adposui senex Amori arma Feretrio*. Vide Brissonium Form. p. 54. v. 18. & seq. PASS. Hujus Elegiæ scribendæ occasionem obtulisse videtur Propertio nostro templi Jovis Feretrii instauratio, ab Augusto facta, suasu T. Pomponii Attici; de qua vide Nepotem in Attici vita. *Jovis FeretrI*. Seneca in Agam. v. 792. *At te, pater, qui sæva torques fulmina, Pellisque nubes, sidera & terras regis, Ad quem triumphi spolia victores ferunt*. vide ibi Notas Delrii. *Caussas*. Ita fere Ovidius 1. Fast.

Tempora cum caussis Latium digesta per annum.

& Silius Italicus lib. 12. v. 168. *Discitque locos, caussasque locorum*. VULP.

v. 2. ARMAQUE DE DUCIBUS TRINA RECEPTA TRIBUS] *Arma*; mox vocat *Exuvias & Spolia*. *Trina arma*, ut Cicero dixit: *Trinæ literæ*; Cæsar: *Trinis castris*; Suetonius in Aug. *Per trina theatra virgis cadere*. *Recepta*, compositum pro simplici, ut Eleg. sup. versu ult. *Composuere*, pro posuere. Donatus in Andr. *Re apud veteres abundat, ut renuntio*. Sic *recondere*, pro condere. Eleg. 13. lib. 3. *Mixta referre lilia*, pro ferre. Eleg. 26. lib. 2. *Urna refudit aquas*. Eleg. 29. lib. 2. *Retinere sagittas*, pro tenere. Eleg. 8. lib. 3. *Rescisso sinu*.

Magnum iter adſcendo, ſed dat mihi gloria vires.
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
Hujus, & exuviis plenus ab hoſte redis,

Tem-

ſum. Sic requieſcere, relinquere, remorari, reponere. *De tribus ducibus*, Acrone, Tolumnio, Virdomaro. Eſt autem ὕστερον πρότερον: nam prius agit de ducibus, deinde de nomine. PASS.

v. 3. MAGNUM ITER ASCENDO, SED DAT MIHI GLORIA VIRES] ἀλληγορικῶς de opere difficili, *Magnum iter aſcendo*. Sic Eleg. 6. ſup.

Pura novum vati laurea mollit iter.

vide adnotata ad illud Eleg. 2. lib. 3.

Non datur ad Muſas currere lata via.

Petronius: *Ceteri aut non viderunt, qua iretur ad carmen, aut viſam timuerunt calcare.* Vide Lactantium lib. 6. Div. Inſt. cap. 3. & ſeq. *Aſcendo iter*, ut Eleg. 21. lib. 3.

Scandam ego Theſea brachia longa viæ.

Dat mihi gloria vires, me adjuvat, & auget robur ingenii. Sic Ovidius l. 5. Triſt. Eleg. 13.

Denique non parvas animo dat gloria vires,
Et facunda facit pectora laudis amor.

Huc facit & illud Eleg. 3. lib. 4. Triſt.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Virgilius quoque 6. Æneid.

Vincet amor patriæ, laudumque immenſa cupido. PASS.

Magnum iter aſcendo. Sic Eleg. 21. lib. 3.

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas. VULP.

v. 4. NON JUVAT EX FACILI LECTA CORONA JUGO] Sine labore parta præmia ingrata ſunt. Horatius Epiſt. 1. lib. 1.

Cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis, ſine pulvere, palmæ?

unde apud Græcos ἀνιδρωτὶ, ἀκονιτὶ, ἀναιμωτί. *ſine ſudore, ſine pulvere, ſine ſanguine*. *Non juvat*. *non facit capiti* dixit El. 1. lib. 3. v. 20. Eleg. verò 15. lib. 2.

Non juvat in cæco Venerem corrumpere motu.

Lecta corona, decerpta. Legere, decerpere vel manu, vel ferro. Noſter Eleg. 12. lib. 1. *Prometheis Lecta herba jugis*. Virgilius 2. Georg.

Sed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.

E jugo facili, e ſilva in jugo, & vertice, quo facile aditur. In jugis vulgo ſilvæ naſcuntur. unde Ovidius l. 1. Amor. El. 1.

Quis probet in ſilvis Cererem regnare jugoſis?

Facile jugum, clementi aſcenſu, & clivo leni ac molli. PASS.

v. 5. IMBUIS EXEMPLUM PRIMÆ TU, ROMULE, PALMÆ] Exemplum inſtituis, & doces poſteros, quid ſit faciendum ducibus Romanis adverſus hoſtium duces. Translatum a vaſis quæ recentia liquoribus imbuuntur. Eleg. 15. lib. 3.

Illa rudes animos per noctes conſcia primas
Imbuit.

Feſtus: *Imbutum, quod rei cujuſpiam ſuccum bibit; unde infantibus cum volunt bibere dicentes bu ſyllabâ contenti ſumus.* unde *buas* potionem infantum dixit Cato apud Nonium; & *Vinibuas* Lucillius, quas Plautus *Merobibas*. *Exemplum*: Romulus ipſe apud Livium lib. 1. *Me auctorem ſequentes poſteri ferent*. (Spolia opima in ædem tuam, Juppiter.) *Primæ palmæ*, victoriæ. vide El. 1. ſup. v. 102. PASS.

v. 6. HUJUS ET EXUVIIS PLENUS AB HOSTE REDIS] Ambigue & *hujus palmæ & hujus* (hoſtis) *exuviis*. *Exuviis plenus*: Sic Virgilius 1. Æneid. *Spoliis Orientis onuſtum*. & 2. Æned. *Redit exuvias indutus Achillei*. Plautus Trucul. 2, 6. *Filium peperiſti, qui ædes ſpoliis opplebit tuas*. Dionyſius de hac re lib. 2. Τὸν βασιλέα τῶν Καινινιτῶν ὑπαντήσαντα σὺν καρτερᾷ χειρὶ, μαχόμενος αὐτοχειρίᾳ κτείνει, καὶ τὰ ὅπλα ἀφαιρεῖται. *Regem Cæninenſium occurrentem cum valida manu occidit, ac ſpoliat*. Livius lib. 1. *Regem in prælio obtruncat, & ſpoliat.* & mox: *Spolia ducis hoſtium cæſi, ſuſpenſa fabricato ad id apto ferculo, gerens, in Capitolium aſcendit, ibique ea quum ad quercum paſtoribus ſacram depoſuiſſet, ſimul cum dono deſignavit Jovis templo fines*. Plutarchus in Romulo ait,

Romu-

Tempore quo portas Cæninum Acrona petentem
  Victor in everſum cuſpide fundis equum.
Acron Herculeus Cænina ductor ab arce,
  Roma, tuis quondam finibus horror erat.

Hic

Romulum Acronis arma ſuſpenſa in quercu præciſis ramis geſtaſſe dextro humero. Pro *Exuviis*, vett. libb. habent, *Exuvis*, ut *delicium* & *deliciæ*; *vigilium* & *vigiliæ*. *Ab hoſte*, a Cæninenſibus. Pass. In quinque libris *Hujus & eximio p. a. h. r.* legitur. id eſſet, Hujus palmæ plenus ab hoſte eximio victor redis. auget ſane Romuli gloriam cæſi Acronis virtus eximia. & videtur hæc lectio vulgatæ præferenda. etiam Paſſeratius in ſuis invenerat *Exuvio*, quod quam proxime accedit ad noſtras membranas, neque abeunt editiones antiquæ. tamen ſi quis in recepta lectione malit adquieſcere, ei ego litem nullam movebo. ſane apud Ciceronem, in Oratione pro P. Sulla, ubi legitur C. 18. *Tu ornatus exuviis hujus venis ad eum lacerandum, quem interemiſti*: ibi ſe in libro ſcripto *ornatus eximiis* reperiſſe teſtatus eſt elegantiſſimi & ingenii vir & judicii Philippus Rubenius L. 1. Elect. C. 9. tale quid & hic potuiſſe accidere non eſt extra omnem aleam. Broukh.

v. 7. Tempore quo portas Cæninum Acrona petentem Victor in eversum cuspide fundis equum] Sic Eleg. 1. ſup. *Tempore quo ſociis venit Lycomedius armis*. & Eleg. 9. ſup. v. 1. *Qua tempeſtate*. *Victor*, & ſuperior, & voti compos. *Fundis*, ſternis. Virgilius 1. Æneid. *Ingentia victor Corpora fundit humi*. & 9. Æneid. *Fortemque manu fudiſſe Numanum*. vide Nonium in *Fundere*, pro, ſternere. Pleni exemplorum hiſtorici. *Cuſpide*; *haſta Romula* dixit Elegia 4. ſup. v. 26. ſic *Cuſpis*, pro haſta, Eleg. 1. lib. 2. v. 64. ubi vide adnotata. *Acrona*. vet. lib. *Acronta*, ut *Draconta*: Chariſius. De Acronis cæde, & ſpoliis vide Valerium Maximum lib. 3. C. 2. *Cæninum*. Cænina oppidum, cujus incolæ Cæninenſes; Propertio tamen Cænini, ut Livio lib. 1. *Cæninum nomen*. v. Plinium lib. 3. H. N. cap. 5. Καινίνη dicitur hæc urbs a Dionyſio lib. 2. & Stephano περὶ πόλεων. *Petentem portas*, accedentem ad ipſa urbis Romæ mœnia. *In equum everſum*: Proſtravit haſta equitem, & equum ſimul reſupinavit. Evertimus civitates, domos; & æquora & naves Virgilio. Sed & homines ipſi everti dicuntur in acie. Cicero pro Milone: *Mars ſæpe ſpoliantem & exſultantem perculit & evertit ab abjecto*. Pass. Acronta legunt noſtri libri, & Borrichianus, & Groninganus. quod & Paſſeratius, & Scaliger, ac Gebhardus in ſuis habebant. ita *dracontem* Attius dixit in Philocteta, a nominativo *dracon*, auctore Fl. Chariſio L. 1. etiam in Phœniſſis dixerat idem poeta: *Ab dracontis ſtirpe armata exortus, genere antiquior*. quem locum ſervavit Nonius Marcellus. ſic & *Cotiſontis* habent optimæ membranæ Horatii L. 3. Od. 8. *Occidit Daci Cotiſontis agmen*. ubi hodie edunt *Cotiſonis*. De hac varietate in hujuſmodi nominibus diſputantem lege virum ſua tempeſtate longe eruditiſſimum, & ſæculi ſui Varronem, Joannem Jovianum Pontanum, in dialogo Actio. ad eam faciem Chriſtophorus Longolius, ne ſcilicet parum eſſet reverens antiquitatis, LEONEM decimum Pont. Max. a quo benigniſſime fovebatur, ſemper LEONTEM vocavit. quæ flexio quo modo hodie cadat ad aures delicatas, ego quidem non dicam. certe Chariſius jam rejecerat ſua ætate. vide tamen Priſcianum L. 6. p. 690. ubi *Leontem* Megarenſem laudat ex Ciceronis Verrinis. ſane *Acronta* noſtri poetæ non poſſum non probare, antiquam videlicet declinationem in nomine antiquiſſimi regis. Broukh. *Acronta* etiam editio princeps A. 1472. Poſitio tamen iterata & proxima litterarum N T, *Acronta petentem*, habet aliquid poeticis auribus parum ſuave. Vulp.

v. 9. Acron Herculeus Cænina ductor ab arce] An de gente Herculis? nam & Fabii ex ea, & apud Virgilium: *Satus Herculo pulcro Pulcer Aventinus*. An de urbe Herculi ſacra, ut erant Tibur & Tarentum? An vir fortis? neſcio. nihil

enim

Hic ſpolia ex humeris auſus ſperare Quirini
Ipſe dedit, ſed non ſanguine ſicca ſuo.
Hunc videt ante cavas vibrantem ſpicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.

Juppi-

enim hiſtorici, quod ſciam, de hac re prodiderunt. *Ductor*, pro duce, ut rector & regnator pro rege. ſic Virgilius: *Maxime Trojugenûm ductor*. id eſt, rex. Et *Ductores Danaûm*. *Ductor ab arce*, ut Eleg. *6.* ſup. *Mundi ſervator ab Alba*. Cænina arx nulla memoratur ab hiſtoricis: ſed tamen quum Acron rex eſſet, poeta illi recte arcem tribuit. Porro apud Ovidium 2. Faſt.

Te Tatius parvique Cures, Cæcinaque ſenſit.

Leg. *Cæninaque*. ſed alii libri, *Cæniſaque*, ut apud Dioυyſium lib. 2. *βασιλέα τῶν Καινινῶν*. PASS.

v. 10. ROMA, TUIS QUONDAM FINIBUS HORROR ERAT] Sæpe ad urbem Romam ſermonem convertit, ut Eleg. 1. ſup. *Troica Roma reſurges*. & *Roma fave*. & El. 4.

Romani colles, & montibus addita Roma.

& alibi. *Erat horror*: Sic Ovidius 1. Faſt.

Cacus Aventinæ timor, atque infamia ſilvæ.

Martialis de eodem Caco Epigr. *66.* lib. 5. *Silvarumque tremor*. Lucretius lib. 3.

Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.

Ovidius 1. Metam. *Populiſque novis ...... Terror eras*. Noſter Eleg. 7. lib. 3. *Et audaci tu timor eſſe potes*. Alii libri, *Hector*, ut Virgilius dixit *6.* Æneid. *Alius Latio jam partus Achilles*. *Tuis finibus*, quum terminus imperii eſſet ripa dextra Tiberis, ut infra dicetur ad v. 27. PASS.

v. 11. HIC SPOLIA EX HUMERIS AUSUS SPERARE QUIRINI] *Auſus*, ſpem improbam notat, & temeritatem. Cicero pro Lege Manilia: *Victus tantum efficere potuit, quantum incolumis numquam auſus eſt optare*. vide adnotata ad Eleg. 11. lib. 3. v. 13. *Spolia ex humeris*; periphraſis armorum. Feſtus: *Arma proprie dicuntur ab armis; id eſt humeris; dependentia, ut ſcutum, gladius, pugio, ſica, & ea quibus prope prœliatur; ſicut tela, quibus procul*. Servius in 4. Æn. *Arma ſunt proprie, quæ armos tegunt*. Virgilius ergo proprie 2. Æneid.

Arma diu ſenior deſueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris.

Sic lorica circumdatur humeris apud eumdem Virgilium. Ovidius 5. Faſt.

Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem.

& Noſter Eleg. *6.* ſup. *Onus ex humeris*, de arcu & pharetra dixit. *Quirini*. vet. lib. *Quirinis*, Romuleis; ut Horatius Ode 2. lib. 1. *Diuque Lætus interſis populo Quirino*. Ita vet. lib. Sic Eleg. 4. ſup. *Romula haſta*. *Tatia Cures*. *Volſinii foci*. De Quirino dictum ad illud Eleg. *6.* ſup. *Tenero damnata Quirino*. PASS. In quibuſdam libris *Quirini* legitur. ſed *Quirinis*, figuratius, & magis poeticum. Horatius L. 1. Od. 2. *Serus in cælum redeas, diuque Lætus interſis populo Quirino*. ſic enim iſtic meliores membranæ. ita & *Phaſis Colchus*, *Colcha venena*, *aqua Baja*, alibi leguntur. BROUKH.

v. 12. IPSE DEDIT, SED NON SANGUINE SICCA SUO] Dat ſpolia qui victus eſt, etiam ſi invito eripiuntur. Ennius: *Salmaci, da ſpolia ſine ſanguine & ſudore*. Eleg. *6.* ſup.

Reddat ſigna Remi, mox dabit ipſe ſua.

Sic *dare pœnas* dicuntur, a quibus invitis eas exigimus. *Ipſe dedit*, ut *Faber ipſe geſtat compedes*. *Turdus ipſe ſibi malum cacat*. *Sed*, pro atque ea. Eleg. 7. ſup.

Hoc carmen mediâ dignum me ſcribe columnâ,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat.

Non ſanguine ſicca, non incruenta. Sic Virgilius 8. Æneid. *Siccum ſanguine guttur*. & 9. Æneid. *Siccæ ſanguine fauces*. PASS.

v. 13. HUNC VIDET ANTE CAVAS VIBRANTEM SPICULA TURRES ROMULUS, ET VOTIS OCCUPAT ANTE RATIS] Occurriſſe illi dicitur Romulus Livio & Dionyſio. *Vibrantem ſpicula*, torquentem haſtilia & jacula. Virgilius 12. Æneid.

Haſtaſque reductis
Protendunt longe dextris, & ſpicula vibrant.

Vibra-

Juppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat, & spolium corruit ille Jovi.

Urbis

Vibrare, *brandir*. Catullus Carm. 36. *Desissemque truces vibrare jambos*. Est & *vibrare*, crispare vocem in cantando. Festus in *Vibrisse* ex Titinio: *Si erit tibi cantandum, facito usque exvibrisses*. *Vibrasse hastas* Cicero 2. de Orat. Idem in Orat. ad Br. neutraliter: *Demosthenis non tam vibrarent fulmina illa*. Seneca Epist. 50. *Quum tela vibrarent*, id est, vibrarentur. Sed alii lib. *Librantem*. Virgilius 9. Æneid.

Ecce aliud summa telum librabat ab aure.

& 10. Æneid. *Telum quod missile libro*. Ovidius 2. Metam.

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam.

quia æquo pondere jaculum mitti solet, ut perferat ictum. Livius lib. 7. *Tela librata ponderibus figi*. & lib. 30. *Quo gravior & libratior ictus esset*. *Spiculum*, inquit Vegetius l. 2. de R. M. cap. 15. *nunc dicunt, quod olim pilum*. Dictum puto quod spici formam referat. unde Virgilius 1. Georg. *Ferraque faces inspicat acuta*. Hic pro hastili, sæpe pro sagittis, ut Eleg. 13. lib. 2. v. 2. *Ante cavas turres*. Ante urbem exsultantem, & jaculantem, significatque Antarium bellum. De turribus Romanis dictum ad illud Elegiæ 21. lib. 3.

Romanæ turres, & vos valeatis amici.

Cavæ turres, quæ intus vacant capiendis propugnatoribus. Virgilius 9. Æneid.

Armatique cavis exspectant turribus hostem.

Sic *Cava buxa* Eleg. 8. sup. *Occupat*. vide adnotata de hoc verbo ad Eleg. 4. sup. v. 84. τὸ *Ante*, si jungitur cum *Occupat*, vacat, ut apud Cæsarem 2. de Bello Civili: *Præcurrit ante omnes*. & Suetonius in Aug. cap. 96. *Ante præsensit*. vel significat ante vovisse (quod Juppiter ratum habuerit,) deinde occupasse. sic infra:

Omine quod certo dux ferit ante ducem,

Vota rata, firma; ut Eleg. 1. sup. *Pergameæ sero rata carmina vatis*. *Rata vota* sunt quæ diis probantur. ut Eleg. 1. lib. 3. *Lycio vota probante deo*. Ovidius in Ibin:

Nulla mora est in me, peragam rata vota sacerdos.

Ita Horatius de ebrietate: *Spes jubet esse ratas*. & Cicero: *Rati motus astrorum*. Plinius lib. 9. cap. 35. *Injecit manum L. Plancus, victumque Antonium pronuntiavit, omine rato*. quod omen ratum mox fuit Actiaca victoria. [Voto rato opponitur irritum, non ratum, diis non probatum.] PASS. *Vibrantem f.* Groninganus *librantem*, & duo Gebhardi. probum utrumque verbum; neque multum hic refert quod cui præferas. quamquam τὸ *vibrantem* gestum præpingit obequitantis Cæninensium ducis, atque arma ostentantis; qui est mos lacessentium aliquem ex agmine hostili ad singulare certamen, etiam hodie usitatus. ejus rei luculentissimam imaginem vide apud Maronem L. 11. Æneid. a versu 597. loco mirifice huc faciente. Talis hic Acron, siquidem nostro poetæ fides. nam aliter Livius L. 1. C. 10. Propertio autem accedit Valerius Maximus, alios opinor auctores secutus, L. 3. C. 2. *Redes ad Romulum, qui ab Acrone Cæninensium rege ad dimicandum provocatus, quamquam & numero & fortitudine militum superiorem se crederet, tutiusque erat, toto cum exercitu, quam solum in aciem descendere, sua potissimum dextra omen victoriæ rapuit: nec incepta ejus fortuna defuit. occiso enim Acrone, fusisque hostibus, opima de eo spolia Jovi Feretrio retulit*. BROUKH.

v. 15. JUPPITER, HÆC HODIE TIBI VICTIMA CORRUET ACRON] Plutarchus in Romulo alterum ab altero provocatum scribit, stante utrimque & spectante exercitu, & Romulum, ante congressum arma hostis Jovi vovisse. Livius voti ante pugnam non meminit. Dionysius de tota re silet. Precum autem & votorum formula, ab eo nomine: *Juppiter:* Livius lib. 1. Virgilius l. 4. 5. Æneid. *Hæc victima*. Idem Virgilius 12. Æneid. *Hæc melior magnis data victima divis*. De humana victima, ut hic, Horatius, Ode 3. lib. 2. *Victima nil miserantis Orci*. & Cicero pro Flacco, de ipso Flacco: *Victima inimicorum*. Sic apud Livium lib. 4. *Cossus minatur se* (Tolumnium) *mactatam victimam daturum Manibus legatorum*. Festus: *Victimam ait Ælius Stilo esse vitulum, ob vigorem: alii quod vincta adducatur*,

Urbis virtutiſque parens ſic vincere ſuevit,
Qui tulit aprico frigida caſtra lare.

Idem

cetur , aut quod ad hoſtes victos immoletur . Ovidius 1. Faſt.

Victima quæ cecidit dextra victrice vocatur .

Servius in 1. Æn. *Hoſtiæ , ſacrificia quæ ab his fiunt qui in hoſtem pergunt : Victima , quæ poſt victoriam .* Iſidorus lib. 6. *Victima quaſi ictima , quod ictu (ſecuris vel mallei) caderet . Corruet* . ex eo quod ſequitur , quod præcedit intelligitur ; nempe mactabitur . Eleg. 8. lib. 2.

Quid ? non Antigonæ tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ?

Tibi. Plautus Amphitr. 4, 2. *Sacrifico ego hunc tibi , Juppiter* . PASS. *Hæc victima* . legendum videtur *hic* , ita ſententia poſtulante . nam protenſâ dexterâ Romulus deſignabat ipſum Acronem , eumque Jovi hoſtiam vovebat . deinde *corruet* , auctoribus libris , pro *corruat* . tamen iſtud *hæc* firmat Livius L. 1. C. 19. ubi Coſſus , viſo Tolumnio rege , *Hiccine eſt* , inquit , *ruptor fœderis humani , violatorque gentium juris ? Jam ego hanc mactatam victimam , ſi modo ſancti quidquam in terris eſſe dii volunt , legatorum Manibus dabo* . BROUKH.

V. 16. VOVERAT , ET SPOLIUM CORRUIT ILLE JOVI] Statim vovit , & ſtatim voti compos factus Acrona occidit . Sic Elegia 6. lib. 4.

Diceras , & pharetræ pondus conſumit in arcus .

Spolium Jovi , quia ei cæſo detracta ſpolia opima , quæ dicata Jovi . *Ille ſpolium* , ut Eleg. 4. lib. 2.

Nam cui non ego ſum fallaci præmia vati ?

Virgilius 11. Æneid. *Tibi magne trophæum Bellipotens* . *Spolium* , quia & vitâ & armis ſpoliatus . PASS. Mira celeritas & rotunditas in abſolvenda ſententia . Animadvertite , ac diſcite qui ſcripturi eſtis . VULP.

V. 17. URBIS , VIRTUTISQUE PARENS SIC VINCERE SUEVIT] Romulus , qui Urbem condidit , & inſtituit ac imbuit ceteros exemplo ſuo ad virtutem , ſic didicit & uſu novit vincere . *Urbis parens* . ſic etiam conſalutatur apud Livium lib. 1. in ejus apotheoſi . *Deum , deo natum , regem parentemque urbis Romanæ ſalvere univerſi Romulum jubent* . Lactantius lib. 2. D. I. cap. 16. ex lib. 3. Annal. Ennii :

O Romule , Romule , die , o ,
Qualem te patriæ cuſtodem dii genuerunt ?
Tu produxiſti nos intra luminis oras ,
O pater , o genitor , o ſanguen diis oriundum .

Sed citat ultimum verſum ex 2. Annal. Priſcianus in *Sanguen* . *Virtutis* , τῆς ἀνδρείας . Auctor Octaviæ tragœdiæ :

Vera priorum Virtus quondam Romana fuit ,
Verumque genus Martis in illis Sanguiſque viris .

Parens virtutis . ut Virgilius 2. Georg.

Salve magna parens frugum Saturnia tellus ;
Magna virûm .

Parens lyræ Mercurius dicitur Horatio . Ciceroni *Parens bonarum artium philoſophia* . *Pater chori* dixit Noſter El. 32. l. 2. *Sic* , ad hoc videlicet exemplum Acronis cæſi , vel facile , vel omnino . *Vincere ſuevit* . ut Eleg. 6. ſup.

Signaque jam patriæ vincere docta ſuæ .
PASS.

Urbis , virtutiſque parens . ita Romani cenſebant . ſed audi Minucium Felicem , illum omnium diſertiſſimum vindicem diſciplinæ Chriſtianæ : *Aſylo prima plebs congregata eſt . confluxerunt perditi , facinoroſi , inceſti , ſicarii , proditores . Et ut ipſe Romulus , imperator & rector , populum ſuum facinore præcelleret , parricidium fecit . Hæc prima ſunt auſpicia religioſæ civitatis . mox alienas virgines jam deſponſatas , jam deſtinatas , & non nullas de matrimonio mulierculas ſine more rapuit , violavit , illuſit : & cum earum parentibus , id eſt , cum ſoceris ſuis , bellum miſcuit , propinquum ſanguinem fudit . Quid irreligioſius , quid audacius , quid ipſa ſceleris confidentia tutius ? Jam finitimos agro pellere , civitates proximas evertere cum templis & altaribus : captos cogere : damnis alienis , & ſuis ſceleribus adoleſcere , cum Romulo , regibus ceteris , & poſtremis ducibus diſciplina communis eſt .* neque multo clementius loquitur Mithridates apud Juſtinum L. 38. C. 6. Videſis ejuſdem regis præclaram epiſtolam

Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta comta lupina juba.

Picta

ad regem Arsacem, quæ legitur in fragmentis Historiarum Sallustii. BROUKH. *Urbis, virtutisque parens*. Editio princeps, *virtutumque*. Quintilianus l. 3. Inst. Orat. cap. 7. *Laudantur autem urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor*. Cicero 1. de Divinat. *Principio hujus urbis parens Romulus, non solum auspicato urbem condidisse, sed etiam ipse optimus augur fuisse traditur*. A Plutarcho initio Vitæ Thesei Romulus vocatur *πατὴρ τῆς ἀοιδίμου καὶ μεγαλοδόξου Ῥώμης*. VULP.

v. 18. QUI TULIT APRICO FRIGIDA CASTRA LARE] Id est, quum ei apricus lar, & tepida domus esse posset in urbe, castra tamen frigida militiamque toleravit; ut hæc verba, *Aprico lare*, per se stent septimo casu; & *Tulit castra*, idem sit quod *Militiam pati* Eleg. 1. sup. v. 137. Sic dixit *Tulit Notos* Eleg. 6. sup. v. 28. *Frigida* vocat castra, quia vita illic sub dio. Horatius de milite Ode 2. lib. 3. *Vitamque sub dio, & trepidis agat In rebus*. *Lare*, ut Eleg. 1. sup. *In tenues cogeris ipse lares*. ubi vide adnotata. *Aprico*. Festus: *Apricum locum, a Sole apertum, quasi ἄνευ τῆς φρίκης, sine horrore frigoris: unde & Africa. Inde apricari hieme in Sole*: Varro apud Nonium: & Cicero de Senectute: *Apricatione vel igni calescere*. Servius in 2. Æneid. *Et apricus locus dicitur, ut Horatius, Cur apricum oderit campum: & apricus homo, ut Persius, Aprici meminisse senes*. Idem in illud 5. Æneid. *Apricis statio gratissima mergis. Apricum quasi ἄνευ ψύχους sine frigore, & apricum Sole calens, quod est abdito & opaco contrarium*. An legendum,

Qui tulit aprico frigida castra lari?

Id est, prætulit, antetulit. Maluit frigus militiæ pati, quam otiose in lare aprico degere. [Simplex verbum pro composito, ut solet Propertius.] An potius,

Qui tulit a prisco frigida castra lare?

Id est, jam tum ab illa casa Faustuli, in qua educatus, & ubi latrocinari cœpit. PASS. Varie Passeratius hæc torsit, & versavit. Guyetus ad oram notaverat: *aprico, id est; aperto. ab aperio, aperitus, apritus, & τροπῇ apricus. habitatio subdivalis in castris frigidis. vel frigida habitatio in castris subdivalibus. locus apricus, Soli expositus*. BROUKH. Nihil rectius aut simplicius Guyeti explicatione. opponit enim Propertius vitam Romuli, & hominum militarium, qui sub divo agunt, Solemque ac ventos perferunt, vitæ hominum delicatorum molli atque umbraticæ. Juvenalis Sat. 7. v. 105. de historiarum scriptoribus:

Sed genus ignavum, quod tecto gaudet & umbra. VULP.

v. 19. IDEM EQUES ET FRENIS, IDEM FUIT APTUS ARATRIS] Si loquatur de Romulo, significat, eum peditem Acronis arma Jovi tulisse, quum aliàs equitaret, vel curru veheretur. Sic Eleg. 1. sup.

Quattuor hinc albos Romulus egit equos.

Sed quod sequitur, *aptus aratris*, non convenit equiti, sed equo: Eques autem, interdum pro equo. Virgilius 3. Georg. *Equitem (Lapithæ) docuere sub armis Insultare solo*. Ennius apud A. Gellium & Macrobium: *Quadrupes eques*. & apud Nonium: *Quadrupedes equites*. Et Lucillius, quem affert A. Gellius lib. 18. cap. 5. *equum equitare* dixit, nempe equitem. nonnumquam enim equus pro equite. Hoc animal verò & bello & aratro natum. Virgilius 3. Æneid.

Bellum, o terra hospita, portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes; & frena jugo concordia ferre.
Spes est pacis, ait. ------ *Aptus frenis.*

Sic Ovidius 1. A. A. *Curribus Automedon, lentisque erat aptus habenis*. & Statius 7. Theb. *Pecus utile bellis*. PASS. Hunc locum Beroaldus, & Bronkhusius intactum prætermiserunt: Passeratius, ut explicaret, ad eum attulit ἀπροσδιόνυσα. Cur enim ab instituta Romuli laudatione ad equum laudandum subito transeat poeta? nihil certe caussæ erat. Significat; Romulum non solum peditem pugnavisse, ac trophæum de hoste victo retulisse, verum etiam equitem bonum fuisse: præterea, dum pax esset a

vel

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
Præbebant cæsi baltea lenta boves.

Cossus

vel induciæ, aratro manum admovisse, & durum terræ opus exercuisse. quæ laus Romuli in Cincinnatos illos, Curios, atque Fabricios postea derivata est. *Ex agricolis enim & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur;* quod ait Cato initio libri de Re Rust. Quid si Propertius morem illum antiquissimum commemorare voluit eorum qui condebant urbes, nempe aratrum circumducendi qua murus excitari debebat? Certe hunc ritum Plutarchus in Vita Romuli, & Dionysius lib. 1. ab ipso Romulo repetere non dubitant. VULP.

v. 20. ET GALEA HIRSUTA COMTA LUPINA JUBA] Vet. lib. *Cui galea*, &c. *Et galea*, supple apta. *Galea lupina*, quia a lupa nutritus eo insigni nutricis gaudebat. Virgilius 1. Æneid. *Lupæ fulvo nutricis tegmine lætus Romulus*. & 7. Æneid. *Fulvosque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti*. Varro 4. de L. L. Galea a galero, quo multi usi antiqui. unde *Galeritus Lucmo* Eleg. 1. sup. ubi vide adnotata. Pellis lupina: ἀ λυκίη ἢ λυκήν, ἢ τὸ λυκεῖον. Silius; inquit Beroaldus; Codonem ferinum vocat: *Caput his codone ferino Stat cautum*. An codon pro juba e cauda equina? nam κώδων Græcis tintinnabulum; sed τὸ κώδιον pellis cum villis. sic κυνέη, ἢ κυνῆ, galea, quod ex pelle canina. *Comta*, ornata. Festus: *Comtus, ornatus; a Græco κοσμεῖν, comere. unde Comæ, capilli cum cura ornati*. Citatur ex Festo in vett. Grammaticis, *Comtum* pro ornatu posuisse Afranium. Virgilius 7. Æneid.

Fronde super galeam, & felici comtus oliva.

Idem 8. Æn.

Et vitta comtos voluit prætendere ramos.

Cicero in Catone: *Comta & mitis oratio*. A. Gellius lib. 1. cap. 8. *Lingua & orationis comtuda gratiâ. Jubâ*. Jubæ sunt draconum, leonum, equorum; ut notavi ad Eleg. 4. sup. v. 20. Hic *juba* est ornatus galeæ in apice & cono. *Hirsutam jubam* vocat, ut Virgilius 10. Æneid.

Ære caput fulgens, cristaque hirsutus equina.

& 7. Æneid.

Cui triplici crinita jubâ galea alta Chimæram
Sustinet.

Hirsuta ob setas. ut Eleg. sup. *Hirsutum pectus*. vide illic. Ocreas & cristas galearum Cares invenere: Plinius lib. 7. c. 56. Idem lib. 10. cap. 1. Struthiocamelorum pennis conos bellicos & galeas ornari scribit. PASS. Passeratii liber, *Cui galea*. deinde Groninganus, *hirsutis jubis*. sed tamen vastus ille sonus repetiti toties *a*, in cultu itidem agresti, neutiquam potest displicere. Virgilius L. 5. Æneid. v. 556.

Omnibus in morem tonsâ coma pressa coronâ:
Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro.

Valerius Flaccus L. 8. v. 100. ubi Medea draconem suum miserata:

Heu sævum passura diem! jam nulla videbis
Vellera, nulla tuâ fulgentia dona sub umbrâ.

v. Christ. Arnoldus in Valer. Caton. Diras p. 106. BROUKH. *Galea comta jubâ*. *Comtus* pro ornatibus dixit etiam Lucretius l. 1. de Iphigenia:

Cui simul infula virgineos circumdata comtus
Ex utraque pari malarum parte profusa est,
Musa metu terram genibus summissa petebat. VULP.

v. 21. PICTA NEC INDUCTO FULGEBAT PARMA PYROPO] *Parma*, vide El. 25. l. 2. v. 8. *Picta parma*, ut Eleg. 4. sup. v. 20. *Arma picta*. Virgilius 7. Æneid. *Et picti scuta Labici*. Picta autem parma, opinor, justi militis: nam tironis alba. Virgilius 9. Æneid.

Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.

Fulgebat; unde *Armorum radios* dixit El. 6. sup. Virgilius: *Sidereo flagrans clypeo*. & *Vastos umbo vomit aureus ignes*. Legendus Plautus initio Militis. *Pyropo*: Plinius lib. 34. cap. 8. de ære coronario: *Idemque in unciae additis auri scrupulis senis, prætenui pyropi bractea ignescit*. ubi pyropum genus metalli facit, quum *bracteam* vocat *pyropi*.

Isido-

Cossus at insequitur Vejentis cæde TolumnI,
Vincere quum Vejos posse laboris erat.

Nec-

Isidorus lib. 16. cap. 19. Pyropum æs vocat, quod flammas imitetur ita dictum; & describit e Plinio. Falli autem puto, qui gemmam putant esse carbunculum ex Ovidio 2. Metam. *Flammasque imitante pyropo*. nam illic metallum puto significare. Præterea epitheton *Inducto* id confirmat. nam *æs* illud *ductile* appellatur Plinio; & Isidoro ibidem, *Quod tenuatur in laminas*. Utrique autem, *Quod malleo producitur*, non funditur, ut illud quod *Fusile* vocant. *Inducto*, ut Ovidius 3. Fast. *Linumque inducere monstrat*. & mox: *Linit ora luto*. Ergo hic, *Inducto*, illito; ut *pyropo*, sit, colore pyropi, ardentis æris. ut Virgilius:

Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.

Aliter Eleg. 5. sup. v. 9. *Inducere ferrum*. & infra hic, *Inductum opus vinea tegebat*. PASS. *Picta nec. neque*, Groninganus. BR. *Neque*, etiam Editio princeps. *Inducto pyropo*. Ita Valerius Flaccus lib. 2. v. 108.

Dux Lemni, puppet tenui contexero canna
Ausus, & inducto cratem defendere tergo.

Pyropo. Mihi certum est, πυρωπὸν vocari ab antiquis etiam rutilantia gemmæ speciem, alio nomine carbunculum. Sane Lucretius lib. 2. v. 802. ubi de pluma versicolore colli columbarum:

Namque aliàs fit, uti rubro sit clara pyropo;
Interdum quedam sensu fit, uti videatur
Inter cæruleum virides miscere smaragdos.

debuit scilicet non metallo gemmam, sed gemmæ gemmam opponere. Vide Henricum Stephanum in Thesauro tom. 3. p. 622. G. VULP.

v. 22. PRÆBEBANT CÆSI BALTEA LENTA BOVES] Fiebant e corio cæsorum boum; ut lorica, olim e loris fieri solita, unde illi nomen, & galea e lupi pelle, sup. *Cæsi*, vel mactati in sacris, vel aliàs occisi. Virgilius 2. Georg.

Ante
Impia quam cæsis gens est epulata juvencis.

Olim enim cædere bovem impium erat. & 3. Georg. *Cæsosque videre juvencos*. *Boves*. unde locus Plauti in Asin. 1, 2. *Ubi vivos homines mortui incursant boves*. *Præbebant*. nempe Romulo, quia ab iis sumebantur baltea. ut sup. *Ipse dedit* (spolia.) Sic Eleg. 13. lib. 3. v. 7. *Tyros præbet colores*. *Baltea*: Servius ad illud 10. Æneid. *Rapiens immania pondera baltei*. *Balteus*, inquit, *in singulari masculini tantum generis: in plurali etiam neutri*. Idem in 5. Æneid. v. 311. & seqq. *Balteus est, non tantum quo cingitur, sed etiam a quo arma dependent*. *Balteus*, ζωστὴρ, militare cingulum; *Baudrier*. Charisius lib. 1. *Plinius vult* (balteum) *masculino genere funiculum significare; neutro autem genere lora ad alligandum apta. Sed Varro balteo tantum dixit, & Tuscum vocabulum ait esse, Rerum Humanarum XVIII.* Varro 4. de L. L. *Balteum, quod cingulum e corio habebant bullatum, balteum dictum*. Idem (apud Nonium in *Baltea* neutro genere) Rerum Divinarum lib. 11. *Tragica vincula baltea sunt*. Livius lib. 9. *Auratæ vaginæ, aurato balteo illis erant*. Seneca Epist. 77. *Balteus gladii*. & apud Virgilium 10. Æneid. Balteus cælatus argumento Danaidum in auro. Idem 12. Æneid. *Cingula tunc bullis* exponit. Vide & Isidorum lib. 19. cap. 33. *Lenta*, facilia, flexibilia. vide Nonium in *Lentum*. Lentum corium præsertim madidum; unde *Lorum in aqua* Petronio; & Martiali *Madidum lorum*. PASS. *Cæsi boves*, pro coria cæsorum boum. Sic Lucanus lib. 4. v. 31. de levibus quibusdam lintribus:

Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco
Vectoris patiens tumidum supernatat amnem.

VULP.

v. 23. COSSUS AT INSEQUITUR VEJENTIS CÆDE TOLUMNI] Videtur hoc distichon postponendum sequenti: *Nec dum ultra Tiberim*, &c. *At*, pro, autem, ubique sic subjicitur, ut Eleg. 1. sup. *Gallus at in castris*, &c. *Cossus insequitur: proximus huic*, (Romulo) *longo sed proximus intervallo, insequitur*, inquit Virgilius 5. Æneid. ubi insequi, pro, sequi tantum. compositum pro simplici; ut sup. *Recepta*, pro, capta. Plutarchus in Romulo, & in Marcello, a Cornelio Cosso Tolumnium ducem Tusco-

rum

Necdum ultra Tiberim belli sonus: ultima præda
Nomentum, & captæ jugera pauca Coræ.

Et

rum cæsum, & arma curru triumphali in speciem trophæi vecta Romam, & dicata Jovi Feretrio scribit. Adde Livium lib. 4. Is A. Corn. Cossus tum erat tribunus militum, ut ait Livius, quem tamen alii Consulem, inquit, fuisse scribunt. Festus in *Opima*: *Altera* (spolia) *quæ Cossus Cornelius de Tolumnio* (legit.) Idem in *Cossi*: *Cossi dicebantur natura rugosi corporis homines a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur*. De Cosso legendus Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. Servius in illud 6. Æneid. *Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?* *Cossus*, inquit, *tribunus militaris fuit. Hic Lartem Tolumnium a loco dictum occidit, & opima spolia revocavit*. Est & Tolumnius Virgilio nomen auguris Etrusci. Caussa belli, quod Fidenates colonia Pop. Rom. ad Lartem Tolumnium Vejentium regem defecerant; ac mox legatos Pop. Rom. interfecerant. *Cæde Tolumni*, pro, cæso Tolumnio, nomen pro participio; vel absolute, *Cæde Tolumni*, ut sup. *Aprico lare*. PASS.

v. 24. VINCERE QUUM VEJOS POSSE LABORIS ERAT] Quum magni operis erat posse superare & debellare Vejos. *Erat laboris*. ita Cicero 2. de Orat. *Est enim* (*hoc*) *magni laboris, quem plerique fugimus*. Labores militiæ sunt. Noster Eleg. 4. lib. 3.

Præda sit hæc illis quorum meruere labores.

Posse vincere, vide Eleg. 2. sup. v. 6. *Vejos*. Veji urbs, & Vejentes populi Etruriæ. De bello eorum adversus Romanos, & ut tandem oppressum sit a Camillo captis Vejis, Livius lib. 5. Dionysius lib. 2. De iis Romulus, & alii etiam reges victoriam reportarunt, auctore eodem Dionysio. Ab iis CCC. Fabii occisi: Livius, Ovidius. Ea urbs Etruriæ proxima Romæ. vide Plutarchum in Camillo. Vejorum & Vejentium meminit Festus in *Oscum*, in *Sardi*, & in *Septimontio*. Florus: *De Vejis & Bovillis, pudet, sed triumphavimus*. PASS. *V. q. V. p. laboris erat*. & quidem ingentis, nec facile credibilis. Sex. Aur. Victor: *Furius Camillus Vejos decenni obsidia domuit, deque his triumphavit*. Livius lib. 5. cap. 22. *Hic Vejorum occasus fuit, urbis opulentissimæ Etrusci nominis, magnitudinem suam vel ultima clade indicantis: quod decem æstates hiemesque continuas circumsessa, quum plus aliquanto cladium intulisset quam accepisset, postremo jam, fato tum denique urgente, operibus tamen, non vi expugnata est*. Florus L. 1. C. 12. *Vejentium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus: taxato stipendia hiberna: adactus miles sua sponte jurejurando, nisi capta urbe remearet. Spolia de Larte Tolumnio ad Feretrium reportata. - - - - - - Hoc tunc Veji fuerunt: nunc fuisse quis meminit? quod vestigium? laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus*. Lucanus L. 7.

Fabula nomen erit. Gabios, Vejosque, Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ.

BROUKH.

Laboris erat. Livius lib. 5. ubi de obsidione Faliscorum: *Videbaturque æque diuturnus futurus labor, ac Vejis fuisset*. VULP.

v. 25. NEC DUM ULTRA TIBERIM BELLI SONUS: ULTIMA PRÆDA NOMENTUM, ET CAPTÆ JUGERA PAUCA CORÆ] Ut Eleg. 9. lib. 1. *Nec dum etiam palles*. *Belli sonus*, clangor tubæ, classicum, bellicum. Au pro bello tumultuoso? ut Eleg. 3. lib. 3.

Nec te fortis equi ducet in arma sonus.

Ennius apud Varronem 6. de L. L. in *Olli*, pro, Illi:

Olli respondit suavis sonus Egeriaï.

De belli clamoribus & tumultu Horatius Ode 2. lib. 1. Martem allocutus: *Heu nimis longo satiate ludo, Quem juvat clamor, galeæque leves*. *Ultra Tiberim*, & citra Tiberim postea dictum, quod antea *Uls & Cis Tiberim*, inquit A. Gellius lib. 2. cap. 13. De ripa Tiberis tum imperii fine dixi ad illud Eleg. 1. sup.

Et Tiberis nostris advena bubus erat.

Ultima præda Nomentum. qui longissime prædatum ibant, non præteribant Nomentum. sic sup. Eleg. 1.

Hic ubi Fidenae longe erat ire via.

Ulti-

Et Veji veteres & vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.

Nunc

Ultima præda, ut Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 7.

Ultima mortali tum via litus erat.

De Nomento Latii oppido Virgilius 6. Æn. *Nomentum & Gabios*. Dionysius lib. 2. Albanorum coloniam ait fuisse. Plinius l. 3. H. N. cap. 5. & 12. Strabo lib. 5. in agro Nomentano labana (balnea) commemorat. Livius lib. 1. Nomentum priscorum Latinorum oppidum captum ait a Tarquinio Prisco, quod & refert Dionysius. Ergo hoc distichon male collocatum, nec referri potest commode ad Cornelii Cossi tempora. vel ait stetisse victoriam Romanorum in illo capto oppido. *Jugera pauca*; sic Eleg. 5. lib. 3. *Tityo jugera pauca novem*. ubi vide adnotata. Pro *pauca*, alii libri *Terra*, alii *Trita*. Scaliger legit *Terna*, & ita Lipsius lib. 2. Antiq. Lect. cap. 20. qui nihil addit confirmandæ conjecturæ. At Scaliger ait exiguum agri modum intelligi pro virtute militi assignatum; unde Juvenalis Sat. 14.

Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus.

Livius lib. 5. Colonis terna jugera & septunces divisa fuisse scribit. Sed Propertius loquitur, ut opinor, de toto solo & territorio Coræ, quod ait fuisse paucorum jugerum. De Cora oppido Latii Virgilius 6. Æneid.

Bolamque Coramque;
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.

Apud Livium lib. 2. Colonia Latina Cora ad Auruncos deficit. Strabo lib. 5. numerat inter oppida Latii. Plautus Captiv. 4, 2. τὴν Κόραν, *mox urbes barbaricas*. Apud Dionysium lib. 8. Coriolanus ad deditionem Coranos compellit, ubi Romanis bellum infert. Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. Coranos scribit a Dardano Trojano ortos. *Capta Cora* (a Coriolano:) sed hic non procedit. non reperi captam Romanis. *Captæ Coræ*, ut Eleg. 9. sup. v. 28. *Capta urbe*. PASS.

v. 27. ET VEJI VETERES, ET VOS TUM PRÆDA FUISTIS] De Vejis dictum ad versum 26. sup. *Veteres*, vel nobiles vetustate, vel divites; ut Eleg. 1. lib. 2. *Veteres Thebas*. Dionysius lib. 2. Athenis non minores fuisse Vejos scribit. *Tum præda fuistis*. de vobis rapta spolia, & partus triumphus. Nota res captos a Camillo Vejos, & de iis triumphatum, ut antea de Vejentibus a Romulo. Beroaldus, pro vet. lect. *Tum præda*, corrigendum ait, *Tum regna*; quod alioqui, inquit, non quadret sententia. Lipsius lib. 2. Antiq. Lect. ait scriptum in Vaticano Cod. *Et Volscum regna fuistis*. id est, fuistis o Veji, & fuistis etiam regna Volscorum, non amplius estis. quo de verbo dictum ad illud Eleg. 8. lib. 2. *Altaque Troja fuit*. Sed quæ illa regna Volscorum? Sane reges Volscorum nullos memini, licet adversus Volscos sæpe pugnarint Romani: Livius, Dionysius, Plutarchus in Coriolano. An abutitur verbo? PASS. Reducenda est in suum locum certissima Beroaldi emendatio, haud quaquam arbitraria,

Et Veji veteres, & vos tum regna fuistis.

eam firmant libri Regii, & Colbertini; duo Gebhardi, ac noster secundus; exhibente primo, *vos eum regna*; quod etiam in Borrichiano est. repetitionem, si de una Vejorum urbe sit sermo, quare Lipsius *indecentem* vocet, non video. magis puto compositam ad commiserationem. Et vos, o nobiles Veji, & vos tum fuistis regna, qui nunc boum pascua. credas huc spectasse Florum, atque etiam Lucanum. BROUKH. Ante Beroaldum, diserte admodum prima omnium Editio:

Et vei veteres & vostum regna fuistis.

Nihilominus alia reipublicæ forma apud Vejentes regiam potestatem præcesserat. Livius initio lib. 5. *Vejentes contra, tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum caussa erat, regem creavere*. VULP.

v. 28. ET VESTRO POSITA EST AUREA SELLA FORO] Terentius Scaurus de Orthographia: *Seddam dixere quam nos Sellam*. Varro 4. de L. L. *A sedendo sella, & solium*. Festus, idem quod Scaurus. Valerius Maximus lib. 3. cap. 7. *Et tempore &*

loca

Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.

Forte

loco quo prædixerat (Scipio) *sellâ positâ jus eis dixit*. Eleg. ult. infra, *Sellam Minoida*. *Aurea*, ut Virgilius 10. Æneid. *Aureo solio*. χρύσεον θρόνον vocat Homerus Iliad. Θ. Cicero 2. Philipp. *Sedebat in rostris collega tuus amictus toga purpurea in sella aurea, coronatus*. & 4. ad Attic. & 15. Fastus regii aurea sella. nam sella curulis eburnea, non aurea. Ælianus lib. 9. Var. Hist. in aurea sella sedentem Alexandrum jus dixisse ait; notans ejus regis superbiam. *Posita*, ut Cicero 7. ad famil. 52. *Quum sella Q. Maximi, quem illi consulem dicebant, posita esset*. Noster Eleg. 9. lib. 3.

Et liceat medio ponere jura foro. Pass.

Aurea sella. Cicero lib. 1. de Divinat. *Qui* (Cæsar) *quum immolaret illo die quo primum sellâ aureâ sedit, & cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit*. Adde Suetonium in Julio cap. 76. & Nepotem in Eumene. Vulp.

v. 29. NUNC INTRA MUROS PASTORIS BUCCINA LENTI CANTAT, ET IN VESTRIS OSSIBUS ARVA METUNT] *Intra muros*, in urbe ipsa. Horatius Epist. 2. lib. 1.

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Asconius in 4. Verr. *Omnis magistratus qui intramuranus non esset, nec urbanus, ad urbem dicitur*. *Pastoris lenti*, otiosi & securi. Virgilius Ecl. 1.

Tu Tityre lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

Nam sequitur: *Deus nobis hæc otia fecit*. Idem 12. Æneid. *Qui nunc lenti consedimus arvis*. & considere solent pastores. Ita *Piscis lentus* Tibullo Eleg. 3. lib. 2. *Buccina cantat*, ut Eleg. 4. sup.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

Eleg. ult. infra: *Cecinere tubæ*. Eleg. 12. lib. 2. *Canit Musa*. & Eleg. 7. lib. 2. *Caneret tibia*. *In ossibus vestris metunt arva*. in sepulcris civium vestrorum, o Veji, nunc agricolæ metunt arva; etiam in media urbe. Sic Ovidius Epist. Penelopes:

Jam seges est ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Arva, pro frugibus ipsis. Catullus Carm. 63.

Sole sub ardenti flaventia demetit arva.

Sic contra *Seges*, pro terra. An est hypallage, pro metunt ossa (loco frugum) in vestris arvis. quia urbis loca nunc arva, vel pascua? nam a pastore & messore utrumque vult intelligi, pascuum, vel arvum agrum. Legitur etiam, *Arma*, & sic Editio Beroaldi. Virgilius 1. Georg.

Scilicet & tempus veniet, quum finibus illis
Agricola incurvo terram molitus aratro
Exesa inveniet scabrâ rubigine pila,
Et gravibus rastris galeas pulsabit inanes;
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

Vide Horatium Epodo 16. & Lucanum extremo lib. 7. ab iis versibus:

Quæ seges infectâ surget non decolor herbâ?
Quæ non Romanos violabis vomere Manes? P.

Pastoris buccina lenti. qua gregem emitteret, ac rursum sub vesperam cogeret domum. nam buccina a primis fere initiis in pastorali instrumento. Varro L. 2. de R. R. cap. 4. *Subulcus debet consuefacere, omnia ut faciant ad bucinam. Primo quum incluserunt, quum bucinatum est, aperiunt, ut exire possint in eum locum, ubi ordeum fusum in longitudine*. & L. 3. C. 13. *Quem fundum in Tusculano emit hic Varro a M. Pupio Pisone; vidi, ubi ad bucinam inflatam certo tempore apros & capreas convenire ad pabulum*. Columella L. 6. C. 23. *Ipsis corporibus* [vaccarum] *affert salubritatem juxta conseptum saxis & canalibus sal superjectus, ad quem saturæ pabulo libenter recurrunt, quum pastorali signo quasi receptui canitur. Nam id quoque semper crepusculo fieri debet, & ad sonum buccinæ pecus, si quod in silvis substiterit, septa repetere consuescat. sic enim recognosci grex poterit, si veluti ex militari disciplina intra stabularia castra manserint*. Maronem suum ante oculos habebat castissimus scriptor, L. 7. Æn.

At sæva e speculis tempus dea nacta nocendi,
Ardua tecta petit stabuli, & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem. Broukh.

Nunc

Forte ſuper portæ dux Veïus adſtitit arcem,
Colloquiumque ſua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulſabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus,

Coſſus

Nunc intra muros, &c. Id Volſcorum etiam genti contigiſſe, ſignificant verba Livii libro 6. *Simile veri eſt . . . . . . innumerabilem multitudinem liberorum capitum in iis fuiſſe locis, quæ nunc, vix ſeminario exiguo militum relicto, ſervitia Romana ab ſolitudine vindicant*. Ergaſtula ſervorum, opinor, ſive operæ agris fodiendis & exercendis deſtinatæ. *Paſtoris buccina l. Cantat*. Pulchre Seneca Herc. Oetæo v. 128. *Illo Theſſalicus paſtor in oppido Indoctâ referens carmina fiſtulâ Cantu noſtro canet tempora flebili*. *Arva metunt*. Editio princeps, *ferunt*. fortaſſe. *Arva ferunt*. Vulp.

v. 31. Forte super portæ dux Veïus adstitit arcem] Initium narratiunculæ ab hoc adverbio. Ovidius 5. Metam. *Forte Jovem memorant*, &c. Horatius Epiſt. 7. lib. 1.

Forte per anguſtam tenuis nitedula rimam
Repſerat in cumeram frumenti.

& Sat. 9. lib. 1. *Ibam forte Viâ Sacrâ*. *Dux*, ut v. 2. & 9. ſup. *Rex* Livio. *Veius*. aut triſyllabum eſt *Veiue*, aut, quod verius eſt, legendum, *Vejens*. ut ſup. *Vejentis cæde Tolumni*. *Adſtitit ſuper arcem*; ut El. 6. ſup. *Adſtitit Auguſti puppim ſuper*. Virgilius 6. Æneid. *Tandem ſuper adſtitit arce*. *Arcem portæ*, portam munitiſſimam, & editiſſimam partem murorum. Supra dixit: *Portas Caninum Acrona petentem*. mox: *Ante cavas turres*. Arces autem etiam nunc plerumque in portis videmus. Pass.

v. 32. Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit] Fecit Coſſo poteſtatem colloquendi, ut ſolet, civium ſuorum præſidio, & armis confiſus. Vide Amphitr. Plauti 1, 1. & Ciceronem Philipp. 12. Livius lib. 1. *Priuſquam dimicent, opus eſſe colloquio*. Fictum autem hoc a poeta de colloquio. nam nihil ejuſmodi Livius l. 4. ut fictum illud de Tolumnio ſuper arcem adſtante. *Fretus ab urbe*; ut Virgilius 9. Æneid.

Quibus hæc medii fiducia valli,
Foſſarumque moræ, leti diſcrimina parva,
Dant animos.

τὸ *Ab*, vacat. ut Eleg. 1. ſup. *Murus ab ingenio notior*. vide illic. El. 6. ſup. *Quæ* (patria) *nunc te vindice freta*. Pass.

v. 33. Dumque aries murum cornu pulsabat aheno] Varro 4. de L. L. *Aries, quod eum dicebant Ares veteres*. Idem ibidem: *A ſimilitudine dicuntur vineæ, teſtudo, aries*. Chariſius lib. 1. *Tam ſcorpium animal appellamus, quam militare tormentum. item muſculum & arietem*. adde equum, teſtudinem, corvum, gruem, onagrum. Iſidorus lib. 12. cap. 1. *Aries ἀπὸ τῦ Ἄρεως: unde mares vocantur: vel quod aris mactatur*. Idem lib. 18. cap. 11. *Arieti nomen ſpecies dedit, eo quod cum impetu impingitur in murum, in modum arietum pugnantium. Validæ enim ac nodoſæ arboris caput ferro veſtitur, eaque ſuſpenſa funibus multorum manu ad murum impellitur, deinde retrorſum ducta impetu majore deſtinatur; ſicque crebris ictibus concuſſum muri latus cedit, cavatumque irrumpit & feneſtram facit*. De arietis inventione & forma vide Vitruvium l. 10. c. 19. ubi arietaria illa machina κριὸς dicitur Græcis. Plinius lib. 7. H. N. cap. 56. *Epeus ad Trojam equum machinam reperit, qui nunc aries dicitur*. Vegetius lib. 4. de Re Milit. cap. 14. *De materia & tabulatis teſtudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis vel ciliciis centonibuſque veſtitur. hæc intrinſecus accipit trabem, quæ adunco præfigitur ferro, quod falx vocatur, ab eo quod incurva eſt, ut de muro extrahat lapides: aut certe ipſius caput veſtitur ferro, & appellatur aries; vel quod habet duriſſimam frontem, quæ ſubruat muros: vel quod more arietum retrocedit, ut cum impetu vehementius feriat*. Joſephus hiſtoricus arietem deſcribit, & ejus verbis Suidas. Virgilius 2. Æneid. *Labat ariete crebro Janua*. & 11. Æneid.

Arietat in portas, & duros objice poſtes.

Attius

Coſſus ait, Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, plano ſiſtit uterque gradum.

Dii

Attius Bruto apud Ciceronem 1. de Divinat. *Ejus germanum cornibus tennitier in me arietare*. Plautus Captiv. 4, 1. *Humerus mihi aries eſt*. Cicero 1. Offic. *Quamvis aries murum percuſſerit*. ubi *percutere murum* ut hìc *pulſare*, & apud Vitruvium l. 10. c. 19. Noſter Eleg. 1. lib. 2. *Equo pulſas arces*. id eſt, pulſatas ariete. *Cornu aheno*; capite arietino, veſtito ferro; quæ de re Vitruvius, & Vegetius. *Aheuum* ergo, pro ferreo, vel ferrato; ut *Æratas catenas* Elegia 20. lib. 2. *Ærata equa* Eleg. 12. lib. 3. PASS. *Aries m. c. p. a.* vix diſcedit a ſuo Cicerone, qui ſcripſerat L. 1. de Offic. C. 11. *Et quum iis quos vi deviceris, conſulendum eſt; tum ii qui armis poſitis ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt*. ideo autem Coſſus ſingulari certamine cum Tolumnio decernere voluit, ut poſſet parci oppidanis, quibus poſt arietem admotum præciſa erat omnis ſpes deditionis. id quod Tullio non probatur præclara hac ſententia. BROUKH.

v. 34. VINEAQUE INDUCTUM LONGA TEGEBAT OPUS] Vegetius lib. 4. de R. M. cap. 15. *Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari barbaricoque uſu cauſias* (aliàs *cattas*) *vocant. E lignis tenuioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata pedibus ſeptem, longa pedibus ſex. hujus tectum munitione duplici tabulatis cratibuſque contexitur: latera quoque viminibus ſepiuntur, ne ſaxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinſecus autem, ne immiſſo concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur. Iſtæ, quum plures factæ fuerint, junguntur in ordinem* (unde hìc *longa vinea* dicitur) *ſub quibus obſidentes tuti* (unde hìc *tegebat*) *ad ſubruenda penetrant murorum fundamenta*. (quod hìc *opus* dicitur.) Varro 4. de L. L. *Vineæ militares a ſimilitudine* (dictæ) *ut teſtudo*. Idem ibid. *Vineta ac vineæ a vite multá*. Feſtus: *Sub vineam jácere dicuntur milites, quum adſtantibus centurionibus jacere coguntur ſudes*. Item: *Sub vitem haſtas jacere dicitur veles, quum eas ſub manu ſurſum mittit*. Item: *Sub vitem prœliari dicuntur milites, quum ſub vinea militari pugnant*. Chariſius lib. 1. *Vinea eſt uvarum, & machina*. Plautus Milite, 2, 2. *Ad eum vineas, pluteoſque agam*. Cicero Philipp. 8. *Conductæ vineæ ſunt, pugnatur acerrime*. Idem lib. 5. ad famil. Epiſt. 20. *Pindeniſſum cinximus vallo, foſſa, aggere maximo, vineis, turre*. & lib. 15. Epiſt. 4. *Aggere, vineis, turribus oppugnavi*. *Tegebat*; & operiebat, & protegebat. *Opus*, militare; nam fodere & ſubruere militum labor. *Opus inductum*, cuniculum opinor ductum uſque ad muros Vejorum fodiendo ſub vinea. Sic *Inducere exercitum aliquò*: Livius lib. 40. & 41. pro eò ducere. Opera autem & ipſæ machinæ, & aggeres, & foſſæ ac cumuli. PASS. *Vinea*. Lucanus lib. 3. v. 487.

Tunc adoperta levi procedit vinea terrá,
Sub cujus pluteis & tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant & vertere ferro
Mœnia.

Vineaque inductum. Editio omnium prima, & Codex Bononienſis: *Vinea qua ductum*. non improbo. VULP.

v. 35. COSSUS AIT, FORTI MELIUS CONCURRERE CAMPO] τὸ *Melius*, honeſtius. nam bonum & honeſtum. *Concurrere*, congredi & decertare. quia initio pugnæ curſu utrimque excitatur ardor animorum: Cæſar, Plutarchus. *Forti campo*, ubi fortia facta cernuntur, ut *Fortes rates*, *Fortia ſigna*. Sed τὸ *Forti* tertius caſus eſt, hoc ſenſu: Melius eſt (viro) forti deſcendere in planitiem, quam ſidere mœnibus, & arci: arcem enim portæ ſuperſtabat Tolumnius. Si vir fortis es, inquit, veni in æquum & planum. *Concurrere campo*. Virgilius 12. Æneid. *Puro ut poſſent concurrere campo*. Idem 9. Æneid.

Teucrum miratur inertia corda
Non æquo dare ſe campo: non obvia ferre
Arma viros: ſed caſtra fovere. PASS.

v. 36. NEC MORA FIT, PLANO SISTIT UTERQUE GRADU] Res verba ſequitur; ut Eleg. 4. ſup.

Nec mora, vocales occupat enſe canes.

Siſtit, pro, ſtat. ut Virgilius 1. Georg.

Dii Latias juvere manus. desecta TolumnI
Cervix Romanos sanguine lavit equos.

Clau-

Sistunt omnes. vel, se, subauditur. & *Sistere* verbum fori ac vadimonii: Cicero, Plautus, Jurisconsulti. *Plano gradu*, ut *planipedia*, fabulæ quæ plano pede aguntur, sine socco aut cothurno. sed vet. lib. pro *Gradu*, *gradum*. *Uterque sistit gradum*. adest & stat paratus ad pugnam. *Plano*; id est, in plano, & æquo campo. Ovidius.

Qui cadit in plano, (vix hoc tamen evenit ipsum)
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo.

Varro 4. de L. L. *Quod primum ex agro plano fructus capiebant, campus dictus*. Varro ibid. *Deducta sunt in planum* (e superiore loco.) Virgilius 2. Georg.

Collibus, an plano melius sit ponere vitem,
Quære prius.

Sic *De plano*, &, *Pro tribunali*, opponuntur apud Jurisconsultos. Lipsius l. 2. Ant. Lect. cap. 20. legit e conjectura: *Pleno gradu*. id est, militari, ut apud Fabium Declam. 3. *Ibit ad pœnam pleno gradu*. Livius ita sæpe loquitur. *Pleno gradu*; id est, magnis passibus. ut *Plenis viis* Plauto. Sed tamen non probo conjecturam. Pass. Lipsius legebat *pleno gradu*, -- Trebonius Ciceroni L. 12. ad famil. Epist. 16. *Nam illum paratum, ut video, & ingressum pleno gradu, cohortari non intermittemus*. ubi vide quæ Paullus Manutius notavit: pulcre enim illustrant hanc locutionem. Claudianus de bello Getico:

Nec non & Stilicho pugnam poscentia movit
Pleno castra gradu.

Lucius Septimius L. 2. C. 40. *Jam uterque pleno gradu adversum incedens intra jactum teli pervenerant*. Sed omnino libri *plano*. -- J. F. Gronovius legebat, *plano sistit uterque gradu*. i. e. *sistitur*: ad Livium IV. 12. quem videre potes. sic etiam Beroaldus. Broukh. *Nec mora*. Italice, *Detto fatto*. Vulp.

v. 37. Dii Latias juvere manus. desecta TolumnI Cervix Romanos sanguine lavit equos] Deorum ope ac auxilio vicit Cossus. Juvant dii quum adsunt pugnantibus. unde Plautus in Milite: *Ita me machæra & clypeus bene juvent pugnantem in acie*. Hinc *Juppiter* & *Juno* a juvando. Plautus Captiv. *Dii te omnes adjuvent*. & Pseud. *Adjutum auxilio dii me volunt*. Sic Eleg. 6. sup. *Vincit, Roma, fide Phœbi*. *Manus Latias*, manus Ausonii & Romani tribuni Cossi. Sic Eleg. 4. lib. 3. *Latius Juppiter*; & Eleg. 6. sup. *Remi Latini*. Ipsas autem pugnantium manus dii interdum dirigere putabantur; ut 6. Æn.

Phœbe graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manusque
Corpus in Æacidæ.

& 7. Æneid. *Nec dextræ erranti Deus abfuit*. *Cervix*, posterior pars colli. αὐχὴν, δειρὴ; *le chignon, la nuque du col*. Cicero 7. in Verr. *Frange cervicem*. & in Vatinium: *Frangere cervices*. & Philipp. 11. *Caput cervicibus abscidit*. & pro Sex. Roscio: *Sectorum collorum & bonorum*. Suetonius in Caligula cap. 33. *Tam bona cervix simul ac jussero demetur*. & *Utinam populus Romanus unicam cervicem haberet*. *Desecta*, pro penitus secta & abscissa. Desecare, vel penitus, vel alicunde secare & abscindere. Varro 4. de L. L. *Augmentum quod & immolatâ hostiâ desectum in jecore*. Horatius Ode 16. lib. 1. *Particulam undique Desectam*. Virgilius 8. Æneid.

Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Livius lib. 4. nihil scribit de absciso Tolumnii capite, sed hasta dejectum equo, deinde repetitum sæpius cuspide ad terram adfixum. Ovidius in Epigrammatis apud Priscianum:

Lurte ferox caso Cossus opima tulit.

Lavit. non respersit, sed lavit. Aliter Eleg. 18. lib. 2.

Quam primum abjunctos sedula lavit equos.

Attius ϛασιαζ..., sive Tropæo apud Nonium in *Lautum*, inquinatum: *Vulnere tætro deformatum, suo sibi lautum sanguine tepido*. Ennius Hecuba apud Nonium in *Sanguen*: *Heu me miseram, interii! pergunt lavere*

vere

Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti parma relata ducis

vere sanguen sanguine. Virgilius 10. Æn. *Lavit improba teter Ora cruor*. Varro *ἐκτρώμβῃ περὶ θυσιῶν* apud Nonium in *Lavit*: *Pater ut cruore laverit ararum* (aliàs *terrarum*) *aggerem*. Sed quos *Equos Romanos* vocat? An quadrigis invectum fuisse fingit Cossum, vel iis relatum caput Tolumnii? An equos Romanorum spectantium pugnam de proximo? An est enallage numerorum? Plutarchus in Romulo scribit, Cossum & Marcellum spolia sua curru triumphali invexisse. PASS.

v. 39. CLAUDIUS A RHENO TRAJECTOS ARCUIT HOSTES] Nempe M. Claudius Marcellus, de quo dictum ad illud Eleg. 18. lib. 3. *Sicula victor telluris Claudius*. vide Valerium Maximum lib. 3. cap. 2. *Arcuit*, prohibuit, repulit. Eleg. 21. lib. 3.

Isthmos qua terris arcet utrumque mare.

Festus: *Arcere*, *prohibere*. Virgilius: *Finibus arceret*. & *Arcere aquam pluviam*. unde arx. *Trajectos hostes*, transmissos. ut El. 18. lib. 3. *Qui trajicit umbras*. & Eleg. pænult. ibid. *Trajectæ Syrtes*. Sed quomodo a Rheno arcuit; quum ad Clastidium cis Padum ea pugna pugnata sit, ut scribit Plutarchus; & quum ceteri Gessatæ tum obsiderent Acerras urbem ad Padum sitam, eodem auctore? Fortasse legendum pro *a Rheno*, *Eridano*. Nam cæso rege Gessatæ rediere in patriam, eos dico qui Acerras, ac deinde Mediolanum obsidebant. venerant autem in auxilium Insubrium Gallorum. An *hostes ab Rheno*, ut *ab Alba Augustus* Eleg. 6. supra? Sed Galli, non Germani erant illi hostes. PASS. Passeratius malebat, *Claudius Eridano*, quia res ipsa ad Clastidium gesta, quod oppidum alluit Padus. Guyetus *Eridanum* legebat. quam ego emendationem non ambigo esse verissimam. Vide præstantissimi Cluverii Italiam antiquam L. 1. C. 10. atque inibi locum insignem Polybii, unde Guyeti emendatio valide firmatur. BROUKH. Silius Italicus lib. 1. Pun. v. 132. ita de Claudio Marcello, quem Hannibal insidiis interceptum occidit:

Jacet ore truci super arma virosque,
Tertia qui tulerit sublimis opima Tonanti. V.

v. 40. BELGICA QUUM VASTI PARMA RELATA DUCIS] *Belgica*, pro Gallica. nam Belgæ tertiam Galliæ partem incolunt. An pro *Britannico*, quia *Armoricus Lars* dicitur Virdomarus Ausonio? sic *Belgicus color*, pro Britanno Eleg. 18. lib. 2. Scaliger e vet. lect. *Belligera*, sic legit, & interpungit:

Claudius a Rheno trajectas arcuit hostes
Belligerans. vasti parma relata ducis
Virdomari.

sed ego potius legerem, *Bellica*; ut El. 25. lib. 2.

Et vetus in templo bellica parma vacat.

quia sunt & parmæ gladiatorum. Fortasse scriptum erat *Belliga*, G, pro, C. *Relata*, reportata ex hoste cum laude. Virgilius 4. Æn. *Spolia ampla refertis*. & 3. Georg.

Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas.

Vasti, & corpore & armis ingentibus; ut Eleg. 19. lib. 2. *Vastos tentare leones*. & Eleg. sup. v. 40. *Vastas feras*, e conjectura. Ovidius 12. Metam.

Forte fuit juxta signis extantibus asper
Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Ægides.

& *Vasti Cyclopes* Virgilio, & *Vastis Mezentius armis*. Plutarchus in Marcello ait, pulcherrimum maximumque omnium Gessatarum & Gallorum fuisse, & armis & veste ornatissimum. De Gallorum corporum magnitudine Pausanias in Phocicis. A. Gellius lib. 9. cap. 13. *Gallus formidanda vastitate*. Agit de eo quem occidit A. Manlius. Polybius lib. 2. PASS. Omnes libri habent, *Belgica cum vasti*: quod Passeratius male mutavit in *Bellica*. deinde *cui*, cum Barthio legendum videtur: nam ipsius Belgici regis spolia Claudio adscribit, Jovi Feretrio referenda. *vastus dux* cur dicatur Virdomaros, docet Plutarchus in Marcello. ---- *palma* est in Groningano, & in nostro utroque, pro *parma*, vetere scriptura. ita & codex Borrichianus exaratum habet. L. 2. Eleg. 19. (25.)

Et vetus in templo bellica palma vacat.

tum hac ipsa Elegia:

Picta nec inducto fulgebat palma pyropo.

Virdumari. genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gesa rotis.

Illi

Tibullus L. 1. Eleg. 10. (9.)

Venerique merenti

Fixa notet casus aurea palma meos.

laminam ibi signari puto in modum exiguæ parmæ formatam. de ea scribendi ratione videndus insignis Turnebus L. 3. Adversf. C. 7. *velata*, quod Scaligero placebat, agnoscuut omnes membranæ. Ducem ipsum *Viridomarum* appellat Servius in L. 6. Æneid. v. 855. Festi autem schedæ *Virdumarum*; quo modo & Fasti Capitolini, apud Gruterum:

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. AN. DXXXI
COS. DE. GALLEIS. INSVBRIBVS. ET. GERMAN
K. MART. ISQVE. SPOLIA. OPIMA. RETVLIT
DVCE. HOSTIVM. VIRDVMARO. AD. CLASTIDIVM
INTERFECTO

neque aliter scribitur apud Cæsarem belli Gall. L. 7. BROUKH.

v. 41. VIRDOMARI. GENUS HIC RHENO JACTABAT AB IPSO] Epitoma Livii lib. 20. *M. Claudius Marcellus Consul, occisa Insubrium Gallorum duce Viridomaro, opima spolia retulit*. Plutarchus in Romulo *Britomartum* vocat regem Gallorum quem manu sua Marcellus occidit. At in Marcello vocatur *Britomatus* rex Gessatarum. Servius ad illud 6. Æneid.

Aspice ut insignit spoliis Marcellus opimis
Ingreditur.

& mox:

Tertiaque arma manu suspendit capto Quirino:

Viridomarum Gallorum ducem a Marcello cæsum scribit, & detracta ei spolia. Legitur *Viridomarus*, vel *Virdumarus* apud Festum in *Opima spolia*. In lapidibus Capitolinis *Virdumarus* scribitur, & admonet Aldus de Orthographia. Virdomarus ad verbum ξίππαρος, inquit Scaliger; nam *Mar* apud nostros erat equus, auctore Pausania. & ait, idioma veterum Gallorum Teuthonicum fuisse. Alii libri, *Virtomaui*, quod & ipsum Teuthonicum, *Virtman: Virtomanus*, ξέναρχος, Mirum quod Aremoricum eum ducem facit Ausonius in Monosyllabis:

Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lar.

Jactabat genus a Rheno: Inaniter gloriabatur, Rhenum esse auctorem sui generis. nam fluvii dii habebantur, & magnum videbatur eorum filios dici. Sic apud Virgilium 10. Æneid.

Fatidicæ Mantûs, & Tusci filius amnis.

Ita Ufens & Galesus apud eumdem filii fluviorum; & Sperchii fluminis filius Menesthius Homero Il. π. Sed vet. lib. pro *Rheno*, *Brenno*, quod verum puto. nam notus Gallorum rex Brennus, de quo El. 13. lib. 3. v. 53.

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum.

Sic τὸ *Rheno* hic bis mendosum est, pro *Eridano* & *Brenno*. *Jactabat genus*, ut El. 13. lib. 2.

Nec si qua illustres femina jactat avos.

Horatius Ode 14. lib. 1. *Quamvis Pontica pinus Silvæ filia nobilis Jactes & genus, & nomen inutile*. Virgilius 12. Æneid.

Murranum hic atavos & avorum antiqua sonantem
Nomina.

PASS. Passeratii liber, *genus hic Brenno*. in ceteris nihil tale. & sane potius est, ut Virdumarus confidens & jactabundus originem suam referat ad nobilissimum flumen; quæ ipsa semper pro diis colebantur, quam ad regem Brennum, funesto vitæ exitu quam nobili aliquo facinore celebriorem; adde quod, in eo exercitu, extra Gallos, magna erant agmina Germanorum, quibus sanctissimum Rheni nomen. BROUKH.

v. 42. NOBILIS ERECTIS FUNDERE GESA ROTIS] Insignis & maxima celebritate in fundendis & spargendis jaculis. Epitheton cum infinitivo, ut Eleg. 5. sup.

Audax cantata leges imponere Luna.

Eleg. 19. lib. 1. *Cupidus attingere gaudia*. Eleg. 3. lib. 2. *Cognitus surripuisse boves*. Eleg. 21. lib. 2. *Faciles præbere aurem*. Elegia 5. lib. 3. *Serus versare boves*. Horatius Ode 12. lib. 1. *Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem*. Idem Ode 8. ejusd. lib.

Jacu-

Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.

Nunc

Jaculo nobilis expedito. *Fundere*, sine cessatione jacere. Sic *Fundere verba*, apud Terentium Donatus exponit, sine cessatione proferre. Est & facilitatis, ut *Fundere versus*. Isidorus lib. 18. cap. 10. *Funda ex eo quod inde funduntur lapides, id est emittuntur*. Sic *Fundere lumen, flammam, flores & fruges*. Ex eodem fonte est *spargere*. Virgilius 7. Æneid. *Pars maxima glandes Liventis plumbi spargunt*; id est, jaciunt & fundunt. Idem dixit *Spargere hastilia*, & *Spargere ferrum*. [Noster Eleg. 3. sup. v. 65.

Plumbea quum tortæ sparguntur pondera fundæ.]

Gesa: Servius ad illud 8. Æneid. *Duo quisque Alpina coruscat Gesa manu*: *Hastæ*, inquit, *viriles, gesa: quia Galli gesos vocant viros fortes*. Festus: *Gesum, grave jaculum*. (Sic Scaliger. vulgo *jactum*.) Charisius lib. 1. *Gesa*, εἶδος ἀκοντίων γαλλικῶν. Nonius: *Gesa tela Gallorum*: *Varro de Vita Pop. Rom. lib.* 3. *Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gesis essent*. Statius 7. Theb. *Cydonias anteibant gesa sagittas*. & 2. Achill. *Quo Pæones arma rotatu, Quo Macetæ sua gesa citent*. Livius lib. 8. *Gesa & hastam gerere*. A. Gellius lib. 10. cap. 20. commemorat gesa inter genera telorum. *Gessatæ* Gallorum linguâ mercenarii: Plutarchus in Marcello, & Polybius lib. 2. *Erectis rotis*, alto & sublimi curru, ut essedarii Britanni e curru pugnabant, & veteres Græci ac Trojani, & Galli. Galli Britannique e covino, auctore Mela: unde Lucanus lib. 1.

Et docilis rector monstrati Belga covini.

An legendum *E rectis rotis*, id est, e curru erecto & sublimi? An est hypallage; pro, erectus ipse? Plutarchus tamen in Marcello, ex equo, non ex curru pugnantem facit. *Erectus*, & animo & corpore, ut vir acer ac fortis. Laus est rotis currentibus stare, & stantem jaculari. *Rotis*, curru; ut Eleg. 8. sup. v. 18. *Effusis per tua saxa rotis*. vide illic adnotata. PASS. Bene Lipsius & Livinejus restituerunt *e tectis rotis*. esseda describit, superne tecta, e quibus pugnabant Galli, & Belgæ, ac Britanni. Florus L. 3. C. 2. *Nihil tam conspicuum in triumpho, quam rex ipse Bituitus, discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat*. Luculenter eum pugnandi modum describit Cæsar L. 4. Bell. Gall. C. 33. Britanni autem a Gallis habebant. Mela L. 3. C. 6. *Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum & bigis & curribus, Gallice armati: covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur*. non tamen erant penitus idem vehiculi genus *essedum* & *covinus*. potuisse autem Virdumarum pugnare e curru contecto, nemo mirabitur, qui quidem meminerit essedarios istos in temone vel in jugo consistentes solitos fuisse jaculari ac tela conjicere, inde se recipere in currum tamquam in aliquam arcem. Cæsar, loco modo laudato, & aurigæ & ipsius propugnatoris, sive essedarii, artificium ita describit: *Tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & brevi moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in jugo insistere, & inde se in currus citissime recipere consueverint*. ita etiam pugnabant Scythæ hamaxobii. Valerius Flaccus L. 6. v. 80.

Plaustrisque ad prœlia junctis
Coraletæ traxere manus: ibi sutilis illis
Et domus, & crudo resident sub vellere conjunx,
Et puer e primo torquens temone catejas.

non te movere debet regis Bituiti *carpentum*. essedum erat. & Florus sic iterum vocat L. 3. C. 10. *Classe igitur comparata, Britanniam transit, ---- Plena erant tumultu hostico litora, & trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta volitabant*. Hi sunt Melæ *covini*. BROUKH.

v. 43. ILLI VIRGATIS JACULANTIS AB INGUINE BRACCIS TORQUIS AB INCISA DECIDIT UNCA GULA] Scaliger τὸ *Illi* ἀρχαϊκῶς dictum putat, pro, illius. Ego ex altera lectione, *jaculati*, lego:

Illi virgatis jaculanti ex agmine braccis.

Vel ordo erit, Torquis jaculantis ab inguine (vel agmine) decidit illi (qui) virgatis (erat) braccis. *Illi virgatis braccis*. id est, cui virgatæ braccæ erant. Virgilius 4.
Æneid.

Æneid. *Ipsa molá, manibusque pils*. & 7. *Ipse Quirinali lituo*. Eleg. 9. sup. *Ego Sidonia pallá*. Eleg. 5. sup. *Pictoque Britannia curru*. A braccis braccata Gallia. Diodorus lib. 6. ut citat Beroaldus: *Galli vestes gerunt intonsas variique coloris, quas braccas vocant*. At Baifius citat e lib. 5. Diodori: Καὶ ἀναξυρίδας ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι. & addit, iis uti frigidioris plagæ homines. Anaxaridas etiam vocat Suidas, Hesychius, & Eustathius in Homerum. Idem Baifius *Feminalia* sive femoralia interpretatur. Corn. Tacitus lib. 2. Hist. *Cæcina in superbiam vertebant, quod ornatus versicolore sagulo, braccas, barbarum tegmen indutus togatos alloqueretur*. Pomponius Mela lib. 1. cap. 1. *Sarmatæ totum braccati corpus, &, nisi qua vident, etiam ora vestiti*. Ergo braccæ non sunt femoralia. Ovidius de populis Ponti lib. 3. Trist. Eleg. 10.

Pellibus, & laxis arcent mala frigora braccis.

Idem lib. 5. Trist. Eleg. 11.

Hos quoque qui geniti Graja creduntur ab urbe,
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.

In Priapejo: *Medis laxior, Indicisque braccis*. Isidorus *Femoralia* exponit lib. 19. cap. 22. ut adnotatum ad Eleg. 4. lib. 3. v. 17. Vet. Gloss. *Braccarius*, περισκελοποιός. Suetonius in Cæsare: *Galli in curia braccas deposuerunt*. *Virgatis*; purpureis. Servius in illud 8. Æneid. *Virgatis lucent sagulis*; *quod Gallis virga purpuram significat*. An ab figura ita dictæ? ut a trabium specie *trabeata*; a palmarum intextarum, *palmatæ*; papaverum, *papaverata* Plinio; & Catullo dicti *Virgati calathisci*. vide adnotata ad El. 13. lib. 3. v. 30. Appulejus de Mundo: *Rhabdos autem generis ejusdem, ad virgæ rigorem per longum colorata nubecula dicitur*. Vetus Interpres Juvenalis in Sat. 8. *Qua* (tunica) *Galli utuntur in sacris, in modum organi, utrimque decrescentibus virgulis purpureis*. *Braccæ virgatæ*, ut Seneca Hippolyto: *Tunc virgatas India tigres Decolor horret*. & Octaviâ: *Te fera Caspia* (genuit,) *Quæ virgata tibi præbuit ubera*. Altera lectio, *Velantibus inguina braccis*; aperta est; quia feminalia seu femoralia esse, id est anaxaridas, Isidorus, & alii multi putant. An *Jaculati*, πληγέντος, pro percussi & saucii? An *inguine braccis virgatis*, supple tecto? Ab *inguine*. quid sit inguen, dictum ad illud Eleg. 4. sup. *In sævos inguina versa canes*. Scaliger hic ait, esse barbarum jaculari ab inguine (nec tamen confirmat), Græcum autem a capite jaculari, quod probat Euripidis testimonio in Hippolyto. Ego adfero hoc ex Servio in illud 9. Æneid. *Ecce autem summa telum librabat ab aure*; *Gestus*, inquit, *jaculantis exprimitur: duobus autem modis manualia tela mittuntur; aut enim ab aure, aut a latere tela jaciuntur*. Ovidius 2. Metam.

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam.

Sed alii lib. *Ab agmine*, vel *ex agmine*; notum quid sit agmen. *Torquis unca decidit*. Torquibus & armillis semper ornati Galli equites, unde Torquati nomen inditum A. Manlio. vide A. Gellium lib. 9. cap. 13. Sic Virgilius 8. Æneid. *Tum lactea colla Auro innectuntur*. & 7. Æneid. *Fit tortile collo Aurum ingens coluber*. ubi alludit ad torquis notationem. Lucilius libro 11. Satyr.

Conventus pulcher, braccæ, saga, fulgere torques
Magni: - - -

apud Nonium in *Torquem* masculino & feminino genere. Varro ibidem: *Torques aurea, & scuta cælata*. Idem ibid. *Torques aureæ multæ* (*e Gallorum* Senonum præda) *relatæ Romam*. Nævius Cypriæ Iliad. lib. 1. apud Charisium in *Torques*:

Collum marmoreum torquis geminata coronat.

Isidorus lib. 19. cap. 31. *Torques circuli aurei a collo ad pectus dependentes: & a viris geruntur, ut a feminis monilia. dictæ quod sunt torta*. Ergo *Unca torquis*, uncinato, inflexoque auro facta, *consertaque hamis*, ut loquitur Virgilius. Idem 5. Æneid. de torque:

It pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Decidit, amputato capite. Sic Statius 10. Theb.

Penitus cervice recisa,
Verba solo, vultusque cadunt, colloque decorus
Torquis in hostiles cecidit per vulnus arenas.

Ab incisa gula, defecta anteriore parte colli, & proxima jugulo, cujus summa pars Donato dicitur *Frumen*. Plinio lib. 11. cap. 37. dicitur *interior fistula epiglottidis*, qua

Nunc ſpolia in templo tria condita. cauſſa FeretrI,
Omine quod certo dux ferit enſe ducem.

Seu

qua cibus atque potus devoratur. Significat poeta vulnus adverſum: ut ſup. averſum, *Deſecta cervix*. Seneca de Vita Beata c. 19. *Negant, ex decreto Epicuri feciſſe, quod ſibi gulam præcidit*. Sic Cicero, *Incidere nervos, pennas, venas, gradus*. Virgilius, *Incidere vites*. Legendus A. Gellius lib. 9. cap. 13. de Manlii Torquati pugna cum Gallo, ubi profert verba Q. Claudii Quadrigarii: *Ubi eum evertit, caput præcidit, torquemque detraxit, eumque ſanguinolentum ſibi in collum imponit*. profert eadem verba & Nonius in *Torquens*. PASS. *Jaculantis ab inguine*. Noſter primus, Borrichianus, & Groninganus, *ab agmine*. quod placuiſſe video eruditis. & Plutarchus auctor eſt, ante ſigna verſatum fuiſſe ipſum Regem. vox *agmen* etiam alibi in *inguen* mutata eſt ab imperitis librariis. Valerius Flaccus L. 6. v. 389.

Falcatos infert Ariaſmenus axes,
Sævaque diſſundit ſociûm juga, protinus omnes
Graiugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.

ante Carrionem fere *rapturus ab inguine* edi ſolebat. BROUKH. *Virgatis braccis*, &c. Prætermittere Silium Italicum mihi religio ſit, qui lib. 4. Punic. v. 155.

Colla viri fulvo radiabant lactea torque,
Auro virgatæ veſtes, manicæque rigebant
Ex auro, & ſimili vibrabat criſta metallo.

Fortaſſe igitur & Virdumari braccæ virgatæ, virgis aureis, nempe auro in tenues arctaſque laminas diſſecto, & aſſuto, inſignes erant. Adtulit Broukhuſius ad illud Tibulli 2. lib. Eleg. 3. ipſi 6.

Illa gerat veſtes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas diſpoſuitque vias.

Idem Silius lib. 5. v. 148.

Concoſiam inſtratus virgato corpore tigrim.

Verſicolori veſte indutum Gallum eum quem Manlius occidit, deſcribit Livius lib. 7. Hiſt. Vide Ezechielem Spanhemium ad Callimachi Hymnum in Dianam v. 12. *Torquis a. i. d. n. g.* Claudius Quadrigarius apud T. Livium lib. 33. teſtatur, *In prælio Marcelli contra Inſubres & Comenſes captos anceos torques multos, ex quibus unum magni ponderis in Capitolio Jovi donum in æde poſitum*. VULP.

V. 45. NUNC SPOLIA IN TEMPLO TRIA CONDITA. CAUSSA FERETRI, OMINE QUOD CERTO DUX FERIT ANTE DUCEM] Sic ſup. v. 2.

Armaque de ducibus trina recepta tribus.

Nunc in templo condita. etiam hodie condita (cernuntur) tria ſpolia. nam Auguſtus ædem Feretrii Jovis fecit; id eſt, refecit & ditavit vetuſtate dilapſam. Auctor ipſe in Breviario rerum a ſe geſtarum. Livius lib. 1. docet, in Capitolio ſedem ejus templi fuiſſe, quod primum omnium Romæ ſacratum ſit. Servius ad illud 6. Æneid. *Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino: Lege Numæ*, ait, *Prima opima ſpolia Jovi Feretrio debere ſuſpendi: Secunda Marti* (belli præſidi, cujus templum extra urbem:) *Tertia Quirino*. (id eſt, Marti qui præeſt paci.) ergo non in eodem templo poſita tria. Sed Plutarchus, qui idem narrat in Marcello quod Servius, & plura addit, obtinuiſſe ait, ut omnia Jovi Feretrio ſpolia ſuſpenſa credantur. Feretrium autem illic Plutarchus dictum putat, vel *παρὰ τὸ φέρειν*, quod ad eum ferantur hæc ſpolia; vel a feriendo, quod fulmine feriat Juppiter, & quod ferire ſit manu graviter vulnerare & occidere. unde in bello Romani milites clamant; *Feri, feri*. Feſtus in *Feretrius, a ferendo, quod pacem ferre putaretur, ex cujus templo ſumebant ſceptrum, per quod jurarent, & lapidem ſilicem, quo fœdus ferirent*. Dionyſius lib. 2. Jovem Feretrium, cui arma dicarit Romulus, dici poſſe ait *τροπαιοῦχον*, aut *σκυλοφόρον*, aut quod ſupra omnium rerum naturam emineat, *ὑπερφέρεταν*. Scaliger hic addit, a feretro pompæ triumphalis dictum. Valerius Flaccus l. 3. Argonaut.

Hæc, precor, exuvias, & opima cadavera noſtro
Linquite, ait, feretro.

An *τὸ Nunc* pro igitur, ut verſu pænult. Eleg. ſuper.? Aliàs legitur: *Hæc ſpolia*. &c. *Condita*, ſuſpenſa & data in interiorem locum

cum

Seu quia victa suis humeris huc arma ferebant,
Hinc FeretrI dicta est ara superba Jovis.

ELE-

cum ad custodiam, & monimentum sempiternum. ut Eleg. 1. lib. 2.

Cæsaris in Phrygior condere nomen avoc.

Caussa Feretel; Ratio nominis. ut versu 1. sup. *Caussac aperire Feretri*. *Quod duo ferit ducem*. Festos in *Opima*. Livius lib. 1. & Plutarchus in Marcello, & Romulo ajunt, Opima esse quæ dux duci detraxisset. Varro apud Festum ibidem tradit, opima spolia etiam manipularem militem a duce capere posse. Valerius Maximus lib. 3. c. 2. *Ferit ante;* ut sup. *Vatic accupat ante ratie*. Ambigue, vel *ante vota* facit, vel ferit cominus. *Certa omina. Omine eam:* Plinius lib. 9. H. N. cap. 35. vide ad versum 16. sup. *Vatic ratic*. *Omine*, auspicio exponit Beroaldus. non probo. PASS. *Nunc f. i. e. c. e.* legendus præcipue vir laudatissimus Carolus Sigonius Commentario in Fastos & Triumphos Roman. *Omine q. e. d. f. ense d.* tamen Varro apud Festum in *Opima*, ait opima spolia esse etiam si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium. aliter Livius, qui secundum Nostrum pronuntiat L. 4. C. 20. vide sis illustrem virum Janom Rutgersium L. 4. Var. Lect. C. 7. porro istud *ense*, quod Scaliger pro vulgato *ante* reposuit, firmant libri scripti, & sane bene. Noster modo dixerat de Cosso agens, *Desecta Talumni Cervix Romanae sanguine lavit equos*. de eodem Livius L. 4. C. 19. *Tum exsangui detracta spolia, caputque abscissum victor spiculo gerens, terrore cæsi regis, hostes fundit*. BROUKH. *Ense*, habet prima omnium Editio. VULP.

v. 47. SEU QUIA VICTA SUIS HUMERIS HEC ARMA FEREBANT] Sic El. 2. v. 11.

Seu quia vertentis fructum percepimus anni. &c.

Ferebant. Livius lib. 1. de Romulo: *Spolia ducis hostium, suspensa fabricata ad id apte fercula, gerens, in Capitolium ascendit*. Plutarchus in Romulo, humero dextro gestasse, ait, ferculum onustum apte spoliis. Ovidius 5. Fast.

Hinc videt Iliaden, humeris ducis arma ferentem.

& Virgilius 10. Æneid.

Arma Sequestue
Lecta refert humeris tibi, Rex Gradive, trophæum.

& quum ait, *Arma humeris*, alludit ad armorum etymon. Pedes id fecit Romulus, ut Plutarchus ait adversus Dionysium. Cossus & Marcellus curru vecti. *Victa*, captiva, victis detracta. Alii lib. *Vincta*, quod apte hærerent ferculo, & ordine suspensa essent: Plutarchus in Romulo. PASS. *Hæc arma ferebant*. scripserat opinor poeta, *huc arma ferebant*. nempe, in ædem Jovis Feretrii. - - - Noster quum *huc* dicit, loquitur de Capitolio, tamquam in re præsente. BROUKH.

v. 48. HINC FERETRI DICTA EST ARA SUPERBA JOVIS] Hæc caussa nominis. Sic Eleg. 6. sup. *Actius hinc traxit Phœbus monumenta*. *Ara superba*, cum templo. *Superba*, potens, magnifica, dives spoliis. Elegia 13. lib. 3.

Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

vide Nonium in *Superbum*, altum, opulentum. El. 5. sup. *Concha superbit*. Virgilius, *Superbum Ilium*, & *Tibne*, & *Superbis aulæis*, *Superbi postes auro*, *Superba anima Bruti*. PASS. Silius Italicus l. 5. v. 167.

Quis opima volenti
Dona Jovi portet feretro suspensa cruento?

VULP.

ARGU-

ELEGIA XI.

DEsine, Paulle, meum lacrimis urgere ſepulcrum.
Panditur ad nullas janua nigra preces.

Quum

ARGUMENTUM ELEGIÆ XI. LIBRI IV.] Corneliæ matronæ Romanæ, Paullo Cenſori nuptæ, umbram loquentem, & cauſſam ſuam apud judices inferorum agentem inducit. Ea primùm ſolatur maritum, atque a luctu deterret; quod Orcus non flectatur precibus, & quod ipſa egregiam de ſe famam reliquerit, generis, conjugii, morumque dignitate percelebris. Deinde cauſſam orat, & calumniatores ſuos, ut videtur, refutat. Poſtremo communes liberos Paullo commendat; eoſque ſuarum partium, & pietatis erga patrem ſigillatim admonet.

Ceterum hæc Elegia, præ multis aliis Latinorum poetarum, quæ ad noſtram uſque ætatem pervenerunt, longe excellentiſſima, omnibuſque ſententiarum & verborum ornamentis tamquam gemmis diſtincta clariſſimis, quantum fuerit ingenium Propertii, quanta magnitudo animi atque ſublimitas, vel ſola oſtendere ſatis poteſt. VULP.

v. 1. DESINE, PAULLE, MEUM LACRIMIS URGERE SEPULCRUM] τὸ *Deſine* objurgantis, hìc mollius, aliàs acrius. Horatius Ode 9. lib. 2. *Deſine mollium Tandem querelarum*. Virgilius 6. Æneid.

Deſine fata deum flecti ſperare precando.

vide plura adnotata ad Eleg. 15. lib. 1. v. 26. *Paulle*. Tres Paullos Æmilios eadem fere ætate fuiſſe reperio, patrem, filium, & nepotem. Patrem commemorat Suetonius in Aug. cap. 16. qui proſcriptus fuerit ab Octaviano triumviro. & ibidem ejus filium Auguſti comitem bello Siculo, cujus ſervus Auguſtum interficere conatus, ut herum ſuum Paullum patrem ulciſceretur ab eo proſcriptum. L. Paullum progenerum Auguſti conjuraſſe in ipſum narrat ibidem cap. 19. ſiquidem, ut idem ſcribit ibid. cap. 64. L. Paullo (nepoti), Cenſoris (filii) filio, Julia neptis Auguſti, filia Agrippæ & Juliæ, nupſit. In Claudio quoque cap. 16. meminit Cenſorum Paulli & Planci. Noſter infra v. 63. de nepotibus:

Te, Lepide, & te, Paulle, meum poſt fata levamen.

Urgere ſepulcrum lacrimis. Inſtare ſepultæ, nec ab ejus buſto mœrentem diſcedere. Sic Horatius Ode 9. lib. 2. *Tu ſemper urges flebilibus modis Myſten ademtum*. Sic Seneca Conſolat. ad Marciam cap. 5. *Ultimam illam faciem rerum premis*. id eſt, tibi uſque proponis. Aliter, *urgere tumulum*, dixit Eleg. 5. ſup. v. 74. Virgilius 9. Æn.

Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina, dieſque
Urgebam.

Ovidius 4. Metam. *Et adhuc Minyeïa proles Urget opus*. Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Et durum terræ ruſticus urget opus.

vide Nonium in *Urgere*, inſiſtere. *Urgere ſepulcrum*, ut infra: *Fatigare noctes*. *Sepulcrum*, Manes. ut Eleg. 7. lib. 1.

Nec poterunt juvenes noſtro reticere ſepulcro.

Nomen pro participio; ſepulcrum, pro, ſepultum. *Lacrimis*, fletu & querelis, flebilibus precibus. Lucretius lib. 3.

Aufer ab hinc lacrimas, barathro, & compeſce querelas.

PASS. *Deſine, Paulle*. v. Barthius XLIV. Adv. 26. Ut recte tibi conſtet quæ fuerit Cornelia, quis item Paullus Æmilius Lepidus, Corneliæ maritus, bonam fidelemque operam navavit Chriſtophorus Adamus Rupertus, probi commatis ſcriptor, in Epiſtola ad Thom. Reineſium, quæ eſt inter amœbæas iſtas ſexageſima. meliorem etiam ac fideliorem (neque enim hoc negari poteſt) Vir Clariſſimus Jacobus Perizonius Animadv. Hiſt. C. 3. quo præclaro opere luculenter oſtendit, quantum ſperare debeamus de Valerio Maximo a manu tam accura-

Quum ſemel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato ſtant adamante viæ.

Te

curata recenſito, cui ut tandem colophonem imponat, ſedulo cohortamur. BROUKH. *Deſine*. verbum ſolenne conſolantibus. exempla attulit Paſſeratius. Tibullus variavit Eleg. 8. lib. 1.

Deſiſtas lacrimare, puer. non flectitur illa.

Paulle. Fuit hic Paullus Æmilius Lepidus, qui cenſuram geſſit cum L. Munatio Planco, Conſulibus M. Claudio Aternino & L. Arruntio; anno ſcilicet ab U. C. DCCXXXI. Ejus mentio apud Suetonium Claudio c. 16. *Lacrimis urgere ſepulcrum*. mœrorem augere mortuæ conjugis, ejus quietem in Elyſio interturbare. Inſcriptio vetus:

Morte eſt mihi triſtior ipſa
Mœror Atimeti conjugis ille mei.

Loquens inducitur mulier vitâ functa. Sic Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

Tu Manes ne læde meos: ſed parce ſolutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis. VULP.

v. 2. PANDITUR AD NULLAS JANUA NIGRA PRECES] Nullis precibus & lacrimis patet. Præpoſitio cum quarto caſu loco ſexti caſûs aut tertii ſine præpoſitione. Sic Eleg. 14. lib. 3. *Ad latus eſſe*, quod Eleg. 7. ſup. *Fuit lateri*. & Eleg. 1. ſup. *Hærentes ad ſaxa rates*, pro ſaxis. Nullis autem precibus moveri credebantur Manes. Virgilius 4. Georg. de Orpheo:

Maneſque adiit, regemque tremendum,
Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.

Ibidem:

Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes.

Vide Horatium Ode 14. lib. 2. Statius 1. Theb.

Tænariæ limen petit irremeabile portæ.

Bion itaque, ſive Moſchus, in Epitaphio Adonidis, Στυγιὸν βασιλῆα, ἢ ἄγεαν vocat regem inferorum. *Janua nigra*; ut Virgilius 6. Æneid. *Atri janua Ditis*. *Lurida porta* vocatur infra v. 8. Sic Eleg. 24. lib. 2. *Niger ille dies*. & Eleg. 12. lib. 3.

Nigranteſque domos animarum intraſſe ſilentum.

Panditur. vide Eleg. 9. ſup. v. 34. PASS. *Janua nigra*. *Acherontis oſtium* vocat Ennius in Hecuba apud Ciceronem. item Plautus Trinummo 2, 3, 124. *Acherontis oſtium in noſtro eſt agro*. Dantes, poeta ſummus, Purgatorii Cantu 30. dixit *L' uſcio de' morti*. *Panditur*. ad eas enim fores excubat Cerberus, canis triceps, janitor inexorabilis. Nos quoque in ludicro poemate de morte catuli:

Favilla miſeri frigida heu dominæ bibit
Lacrimas: & ulli ſi latraverint canes,
Hac adſutarum ſingit, & ſe decipit.
Lubens rediret ille: ſed prohibet triceps
Cuſtos; & Orco verba non poſſunt dari.
VULP.

v. 3. QUUM SEMEL INFERNAS INTRARUNT FUNERA LEGES] Funera ſunt ipſa mortuorum corpora, maxime quum efferuntur, eædem umbræ & manes. vide plura de hac re adnotata ad Eleg. 18. lib. 3. v. 23. Eleg. 8. lib. 2. manes, umbras, rogos & oſſa vocat. Eleg. 17. lib. 1.

Hæccine parva meum funus arena teget?

ubi adnotatum, quid funus. *Intrarunt leges infernas*, tranſierunt inferorum limen, ubi leges ſunt immutabiles illic permanendi. Sic Eleg. 12. lib. 3. *Domos animarum intraſſe ſilentum*. Albinovanus ad Liviam: *Rigidum jus eſt & inexorabile mortis*. Ibidem:

Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

Plautus Trucul. 4, 2. *Nam itidem ut Acherunti hic accepti ratio ſcribitur: Intro accipimus: quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras*. Idem Pœn. 1, 2. *Quando apud me corpus copulas? Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiſerit*. *Leges infernas* etiam ſignificat Eleg. 7. ſup. v. 91.

Luce jubent leges Lethæa ad ſtagna reverti.

Semel. Albinovanus ad Liviam:

Supprime jam lacrimas: non eſt revocabilis iſtis,
Quem ſemel umbriferâ navita lintre tulit.

Catullus Carm. 5. *Nobis quum ſemel occidit brevis lux, Nox eſt perpetua una dormienda*. Horatius Ode 7. lib. 4. *Quum ſemel occideris .... Non, Torquate, genus, non te facundia, non te Reſtituet pietas*. PASS. *Semel*,

Te licet orantem furvæ deus audiat aulæ,
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.

Vota

mel. vide Horatium Ode 24. lib. 1. & ibi Andream Dacerium. Hoc adverbium usurpatur de iis quæ iterari non possunt. Ovidius Epist. Oenones v. 103.

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est: deperit illa semel.
VULP.

v. 4. NON EXORATO STANT ADAMANTE VIÆ] *Via*, non ὁδοὶ, sed ἔξοδοι, exitus & egressus. *Stant*, an obstant exire volentibus? An horrent & rigent? Virgilius 3. Georg. *Stant circumfusa pruinis Corpora magna boum*. & 6. Æneid. *Stant lumina flammâ*. & 9. Æneid. *Stant vertice cristæ*. & 12. Æneid. *Pulvere cælum Stare vident*. & Ecl. 7.

Stant & juniperi, & castaneæ hirsutæ.

Vet. poeta 1. Tusc. *Ubi rigida constat crassa caligo inferûm*. Nonius in *Stare*, horrere, ex Titinnii Veliterna: *Fundi stabunt sentibus*. & Cæcilii Syracusiis: *Ager autem stet sentibus*. Legendus A. Gellius lib. 8. c. 4. De columnis adamantinis portæ Tartari, Virgilius 6. Æn.

Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ.

Ovidius 4. Metam. de Furiis:

Carceris ante fores clausas adamante sedebant.

Theocritus Pharmaceutria: Καὶ τὸν ἐν Ἀΐδα Κινήσεις ῥ᾽, ἀδάμαντα, κ᾽ εἴ τί περ ἀσφαλὲς ἄλλο. *Etiam ipsum apud inferos moveres adamanta, aut si quid* (est) *firmum* (magis) *aliud*. De adamantis duritia Plinius l. 37. cap. 4. *Non exorato*, quem nemo exorare & flectere potest. nam Januæ etiam ipsi supplicatur. vide Eleg. 16. lib. 1. PASS. πύλην ἀδαμαντίνην inferorum commemorat Lucianus ἐν τῷ περὶ πένθους. Homerus de Tartaro lib. 8. Iliad. v. 15.

Τῆλε μάλ᾽, ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, κ᾽ χάλκεος οὐδός.
VULP.

v. 5. TE LICET ORANTEM FUSCÆ DEUS AUDIAT AULA] Quamvis ad Plutonis aures tuæ preces perveniant; audiet, & non audiet; surdâ negliget aure preces. Aliter Virgilius 4. Æn.

Talibus orantem dictis, arasque tenentem
Audiit omnipotens.

& 11. Æneid.

Audiit, & voti Phœbus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.

Orare, precari, Græca origine verbi. Festus: *Oratores ex Græco ἀρατῆρες, quod missi ad reges nationesque deos solerent ἀρᾶσθαι, id est, testari*. vide versus Lycophronis apud Scaligerum in Catalecta. *Deus aulæ fuscæ*. Pluto, qui in aula nigra se jactat. *Luridus Orcus*. Sic *Pacis deus* Eleg. 5. lib. 3. Quid *Aula*, dixi ad Eleg. 4. sup. v. 55. *Fuscæ*, ut *Fusca regna* Eleg. 6. sup. v. 78. ubi vide adnotata. PASS. *Te licet orantem*. mota erant loco suo hæc disticha: neque enim, si vulgatum ordinem servas, quintus versus satis recte excipit quartum; neque id dicit, quod dici debebat. eamus per singula. Parce, o Paulle, lacrimis tuis, ad sepulcrum meum ubertim fusis, meum ipsius mœrorem augere. Orci janua ad nullas preces panditur. Et quamvis te supplicem audiat ipse ille sævus Pluto; tamen frustra fletus tuos perdes in ingrata ac surda arena. Ubi semel inferorum leges subierunt animæ, non est ut reditum ad superos sperare possis, occlusa penitus via. Vota si quid valent, apud deos cælestes valent. &c. BR. *Fuscæ deus audiat aulæ*. legendum, *furvæ aulæ*. quod & Nic. Heinsio visum in Nasonianis, & certissimis rationibus stabilitum. crebra hæc vox, & quasi propria poetis, ubi sermo est de rebus inferorum. Horatius L. 2. Od. 13. *Quam pene furvæ regna Proserpinæ, Et judicantem vidimus Æacum!* Papinius L. 4. Silv. 1.

Quid probitas, aut casta fides, quid numina prosunt
Culta deûm? furvæ miserum circum undique leti
Vallavere plagæ.

est autem *furvum*, docente L. 1. C. 18. A. Gellio, id quod veteres pro nigro sive atro dicebant. BROUKH.

v. 6. NEMPE TUAS LACRIMAS LITORA SURDA BIBENT] Sic Eleg. 1. sup.

Vota movent ſuperos. ubi portitor æra recepit,
Obſerat herboſos lurida porta rogos.

Sic

Nempe meam firmant nunc duo buſta fidem.

id eſt, ſcilicet. *Litora*, ripæ fluminum infernorum. Eleg. 19. lib. 1.

Trajicit & fati litora magnus amor.

ubi vide adnotata. Et Albinovanus ad Liviam: *Nebuloſum litus Averni*. *ſurda litora*, quæ *Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces*, ut ait Catullus de auris Carm. 63. Ovidius Epiſt. Hermionæ: *Surdior ille freto*. Horatius: *Scopulis ſurdior Icari*. Seneca in Hercule furente act. 2. de Orpheo: *Mulcet non ſolitis vocibus inferos, Et ſurdis reſonat clarius in locis*. Eſt in Græcorum adagiorum collectaneis: Αἰγιαλῷ λαλεῖς. *Litori loqueris*. *Bibent*, haurient & abſument. nam arenoſa ſunt litora, arena verò ſicca & bibula. Ovidius Epiſt. Canaces:

Et ſonor lacrimas combibere ipſa meas.

& Epiſt. Sapphûs:

Sex mihi natales ierant, cum lecta parentis
Ante diem lacrimas oſſa bibêre meas.

Ibidem:

Grata prius lacrimas combibit herba meas.

& alibi. Idem 3. Faſt.

En iterum, fluctus, ſimiles audite querelas,
En iterum lacrimas accipe, arena, meas.

Lacrimas, flebiles preces. ut v. 1. ſup. *Lacrimis urgere ſepulcrum*. PASS. *Lacrimas litora bibent*. Lucretius lib. 2.

Qua mollibus undis
Litoris incurvi bibulam lavit æquor arenam.

Catullus de Coma Berenices: *Illius a mala dona levis bibat irrita pulvis*. VULP.

v. 7. VOTA MOVENT SUPEROS. UBI PORTITOR ÆRA RECEPIT, OBSERAT UMBROSOS LURIDA PORTA ROGOS] Votis; id eſt, promiſſis, donis, & ſacrificiis precibuſque ſuperi flectuntur, non inferi. Homerus lib. 9. Iliad. ab iis verbis: στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί. id eſt, flexibiles & convertibiles ipſi dii. in oratione Phœnicis ad Achillem. de quo loco Homeri vide Platonem lib. 2. de Rep. Vergilius contra:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

Movere, flectere. ut Eleg. ult. lib. 3. *Nil moveor lacrimis*. *Portitor*, Charon. Virgilius 4. Georg.

Nec portitor Orci
Amplius objectam paſſus tranſire paludem.

Idem 6. Æneid.

Portitor has horrendus aquas & flumina ſervat.

& mox: *Portitor ille Charon.* &c. ubi Servius: *Proprie qui portat, portitor; abuſive etiam qui portatur, ſicut & vector*. Albinovanus ad Liviam:

Fata manent omnes, omnes exſpectat avarus
Portitor, & turbæ non ſatis una ratis.

Ita dictus, quia tranſportat umbras, & trajicit, ut Noſter loquitur Eleg. 18. l. 3. Juvenalis Sat. 3. portitorem Græce dixit:

Jam ſedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea. - - Petronius de Bello Civili:

Vix navita porthmeus
Sufficiet ſimulacra virûm traducere cymbâ.
Claſſe opus eſt.

Eſt & portitor qui aliquid portat. Claudianus: *Mirandum, lecti portitor ipſe fui*. Donatus in illud Phormionis: *Et ad portitores eſſe delatam: More veterum*, inquit, *Magiſtri tributorum; id eſt, publicani, operam in portu dabant, inferendarum rerum & efferendarum vectigal exigentes*. Nonius: *Portitores Telonarii, qui portum obſidentes omnia ſciſcitantur, ut ex eo vectigal accipiant*. Aſconius in Divinat. *Publicani, ſi decumas redimunt, decumani: ſi portum, portitores: ſi paſcua, pecuarii dicuntur*. *Ubi recepit*, poſtquam accepit; ut Eleg. ſup. *Arma recepta*, pro, capta. vel re vera recepit, ut debita poſt trajectionem & vecturam. Virgilius 4. Æneid. *Pœnas inimico a fratre recepi*. vel quia Orcus omnia recipit, & theſaurus orcinus omnium rerum communis. *Æra*, ut Eleg. 5. ſup. v. 50.

Nauta nec, attritâ ſi ſciat æra manu.

ubi notavimus, æs & æra dici nautas accipere. Quod ad æra nautica & naulum Charontis, Diodorus lib. 2. Charonti qui Ægyptiorum cadavera vehebat, ait, ſolitum pro unoquoque obolum dari, unde fabulæ locus. Juvenalis Sat. 3. *Nec habet quem porrigat ore trientem*. ubi Interpres: *Nummum, ſtipem. & unus Athenienſes mortuis ſolent in ore nummum immittere, ut apud infe-*

Sic mœstæ cecinere tubæ, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Quid

inferos non tamquam inopes errent; unde naulum Charon accipere solebat. Virgilius 6. Æneid.

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.

Vide Appulejum lib. 6. in fabula Psyches, & Lucianum de Luctu. Plautus Pœn. *Ipse abito ad Acherontem sine viatico. Lurida porta: Janua nigra* dixit sup. v. 2. sic *Lurida umbra* Eleg. 7. sup. v. 2. *Obserat*, occludit, coërcet; quia *Non exorato stant adamante viæ*. Ductum a sera, claustro januæ: Donatus in illud Eunuchi, *ostium obsera intus*. Horatius Epodo ultimo. *Quid obseratis auribus fundis preces?* id est, occlusis. cui contrarium reserare Eleg. 16. lib. 1.

Cur numquam reserata meos admittis amores?

Rogos; id est, Manes; ut sup. *Funera* v. 3. & *Sepulcrum* v. 1. vide adnotata ad El. 8. lib. 2. v. 20. Ovidius 6. Fast.

Et dederat miseris omnia justa rogis.

Martialis Epigr. 78. lib. 9.

Absentemque patri retulit urna rogum.

id est, mortuum. *Umbrosi rogi*, unde multæ umbræ evolant iis exstinctis. ut El. 7. sup.

Luridaque evictos effugit umbra rogos. P. Lapis antiquus, quem ex Appiano, & Amantio, ac Velsero, Gruterus depromsit, DCCXCIIII. 1.

D. M.
PORTITORI. PLVTO
NI. ET. PROSERPIN

- - - *portitor* & *portorium* non a portando, sed a portu deducuntur. Donatus ad L. 6. Æneid. v. 298. *Portitor has horrendus aquas*] *Portitores dicuntur, qui portus observant idcirco, ut sine ipsorum jussu nullus transeat in alienas regiones. His igitur aquis tam gravibus odore, tam horrendis aspectu, præerat sordibus par, & nulla ex parte dissimilis, loco, & regionibus tetris apte conveniens, visu quoque terribilis Charon*. Plautus Asin. Act. 3. Sc. 3. CL. *Remigio veloque, quantum poteris, festina, & fuge. Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.* AR. *Ego pol istum portitorem privabo portorio*. Consulendi Cicero Agrar. 2. C. 23. Nonius in *Portitores*, & *Portorium*, Jo. Baptista Pius Annot. poster. C. 48. 163. Beroaldus ad L. 6. Metam. Apuleji, Nic. Erythræus in Indice Virgiliano, Savaro ad Sidon. Apollinar. L. 6. Epist. 4. & Jo. Fred. Gronovius L. 3. Obs. C. 20. BROUKH. *Umbrosos rogos*. *herbosos*, utraque Aldina: & probat Broukhusius, neque tamen explicat. VULP.

v. 9. SIC MŒSTÆ CECINERE TUBÆ, QUUM SUBDITA NOSTRUM DETRAHERET LECTO FAX INIMICA CAPUT] Id significavit lugubris cantus tubæ, plane abiisse eum cujus funus celebratur, nec amplius rediturum. Tubæ funeribus divitum, ut tibiæ pauperum adhiberi solebant, ut notu ad illud Eleg. 13. lib. 2.

Nec tuba sit fati vana querela mei.

Quum fax. *Fax ultima* dicitur Eleg. 13. lib. 3. v. 17. *Suppositus ardor* El. 13. l. 2. v. 31. Festus in *Rapi*: *Rapi solet fax qua prælucente nova nupta deducta est, ab utrisque amicis, ne aut eam sub lecto viri uxor ea nocte ponat, aut vir in sepulcro comburendam curet: quo utroque mors propinqua alterutrius captari putatur*. *Inimica*, infesta & sæva, quia ignis nemini parcit. Virgilius 4. Georg.

Fur stabulis inimicum ignem, atque interfice messes.

Subdita, subjecta, supposita. *Jacta est fax ultima lecto*, dixit Eleg. 13. lib. 3. v. 17. ubi vide adnotata. item ad Eleg. 13. lib. 1. v. 26. *Detraheret*, subduceret. Elegia 2. lib. 3.

Aut illis flamma, aut imber subducet honores.

id est, sensim & furtim adimet. vide illic. Sic Eleg. 11. lib. 3.

Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos.

Lecto. de lecto mortifero vide adnotata ad Eleg. 7. v. 30. *Caput nostrum*. me mortuam. Eleg. 22. lib. 3.

Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes.

Eleg. 1. sup.

Longe-

Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Profuit? aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
En ſum quod digitis quinque levatur onus.

Da-

Longævum ad Priami vera fuere caput.

Albinovanus ad Liviam, de rogo:

Flamma diu cunctata caput contingere ſanctum.

Concurſus autem durus ſyllabarum CA CA; ut Eleg. 13. lib. 3. *Ut aurator gereret, EriphyLA, LAcertoe*. Eleg. 20. lib. 2.

Nec cu ſupplicibus me ſit veneraTA TAbellic.

Eleg. 22. lib. 3.

Tulle, PropontiaCA QUA fluit Iſthmoe aquâ.
PASS.

Sic. *Sat* Douza P. p. 141. τὸ *Sic* defendit Barthius XLIV. Adv. 26. BROUKH. *Sic m. c. c.* Ita viſi ſunt ceciniſſe tubicines, quaſi Plutonis præcones. *Subdita fax*. Seneca pariter Troad. v. 377. *Quum profugo ſpiritus halitu Immixtue nebulis ceſſit in aera, Et nudum tetigit ſubdita fax latus*. Livius quoque lib. 45. Hiſt. ſed in re diverſa: *Cetera omnie generis arma cumulata in ingentem acervum . . . . ipſe imperator face ſubditâ ſuccendit. deinde circumſtantoe tribuni militum pro ſe quiſque ignes conjecerunt*. VULP.

v. 11. QUID MIHI CONJUGIUM PAULLI, QUID CURRUS AVORUM PROFUIT? AUT FAMÆ PIGNORA TANTA MEÆ?] Uſitata conqueſtio, ut Eleg. 18. lib. 3.

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexum Cæſaris eſſe focos?

ubi vide plura adnotata. *Quid profuit mihi conjugium Paulli?* Quid in tam fortem familiam nupſiſſe profuit adverſus vim fati? *Quid currus*; id eſt triumphus. Eleg. 14. lib. 2.

Hæc ſpolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.

Eleg. 4. lib. 3. *Spoliis onerato Cæſaris axe*. Inauratos currus vocat Eleg. 16. lib. 1. Eſt autem enallage numerorum. *Avorum*, Corneliorum, Africanorum. *Majores* vocat v. 37. infra. *Aut famæ pignora tanta meæ?* id eſt, teſtimonia certa, monimenta, & quaſi cautiones nominis & exiſtimationis. Nam quod mihi conjux Paullus, avi Scipiones, hæc me obſtringunt ad famam integram, pudicitiamque ſervandam. ut enim publice cavetur civitati prædiis & pignoribus; ſic privatim creditoribus cavetur pignoribus & hypothecis. Eleg. 20. lib. 3.

Hæc Amor ipſe ſuo conſtringit pignora ſigno.

ubi vide adnotata de pignore. *Famæ* hic, ut Eleg. 32. lib. 2. *Famæ jactura pudicæ*. Ut mihi credatur me pudice & integre vixiſſe, id confirmabunt conjux & avi, idque etiam a me exegerunt. PASS.

v. 13. NUM MINUS IMMITES HABUI CORNELIA PARCAS?] Ideóne Parcæ mihi benigniores fuerunt? Sic Eleg. 22. lib. 2.

Quid? quum e complexu Briſeidos iret Achilles,
Num fugere minus Theſſala tela Phryges?

ubi vide adnotata. Ovidius Epiſt. Canaces:

Quid juvat admotam per avorum nomina cælo
Inter cognatos poſſe referre Jovem?
Nam minus infeſtum, funebria munera, ferrum
Femineâ teneo, non mea tela, manu?

Habui, experta ſum. Eleg. 1. lib. 1.

Quum tamen adverſos cogor habere deos.

Cicero lib. 1. ad famil. Epiſt. 4. *Eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo juſtiorem*. Sic *habere amicum & inimicum*. Si legimus, *habuit*, de ſe tertiâ perſonâ loquetur; ut & infra v. 43.

Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum.

Parcas immites, ſævas; λιτότης, ut *immites manus* Eleg. 15. lib. 3. v. 14. Alludit ad nomen Parcarum per antiphraſin, quod nemini parcant: Servius in Ecl. 4. Lycophron maris filias & puellas fingit, ob feritatem & crudelitatem. *Tetricæ* vocantur a Martiale. Catullus eas deſcribit Carm. 63. item Plato lib. 10. de Rep. & in libris Legum. *Cornelia*. Scriboniam nupſiſſe duobus conſularibus, antequam Auguſto nuberet, & ex

alte-

altero etiam matrem (hujus Corneliæ) fuisse scribit Suetonius in Aug. cap. 62. Ergo alter de consularibus illis e Corneliorum gente. PASS. *Num minus.* Has particulas eleganter conjungunt boni scriptores. Horatius Epodo 8. *Illitterati num minus nervi rigent?* Ovidius Epist. Helenæ:

Omnia Medeæ fallax promisit Iason;
Pulsa est Æsonia num minus illa domo?

Idem Epist. Leandri:

Num minus hac nobis tum brevis obstat aqua?

& lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Ut mare considat, ventisque ferentibus utar;
Ut mihi parcatis; num minus exsul ero?

Pedo Albinovanus Eleg. in Obitum Mæcenatis:

Num minus urbis erat custos, aut Cæsaris obses?

Habui Cornelia. ἐμφατικῶς. Sic Virgilius lib. 5. Æneid. *Non jam prima peto Mnestheus.* Horatius Sat. 7. lib. 2. *Cupiunt tibi dicere servus Pauca reformido.* Ovidius Epist. Phyllidis:

Hospita, Demophoon, tua te Rhodopeia Phyllis
Ultra promissum tempus abesse queror.

Seneca Medea v. 171. *Medea fugiam?* Ausonius Epigr. 55. *Laïs anus Veneri speculum dico.* Sallustius B. Jugurth. cap. 26. *Quintum jam mensem socius & amicus populi Romani armis obsessus teneor.* Corn. Nepos Themistocle: *Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli.* Livius lib. 30. *Hannibal peto pacem.* Suetonius Julio cap. 30. verbis Asinii Pollionis: *Tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem.* Ita locuti & Græci. Homerus Iliad. 1. v. 127. αὐτὰρ Ἀχαιοὶ τριπλῇ τετραπλῇ τ' ἀποτίσομεν. Coluthus de Raptu Helenæ v. 90. Μίαν Κύπρις ἀπαλῆς ἔλεν θεός. V.

v. 14. ET SUM QUOD DIGITIS QUINQUE LEVATUR ONUS] Legendum, *En sum quod.* &c. aut sic interpungendum:

Num minus immites habui Cornelia Parcas,
Et sum quod digitis quinque levatur onus?

Sum onus; ut Eleg. 3. sup.

Essem militiæ sarcina fida tuæ.

& *Pulvis & umbra sumus.* & infra:

Tota domus cœpit nunc onus esse suum.

Onus; ut Ovidius 14. Metam. *Consumtaque membra senectâ Ad minimum redigentur onus.* *Levatur digitis quinque*, una manu tollitur & sustinetur. *Levare*, tollere. Eleg. 4. supra:

Pictaque per flavas arma levare jubas.

Eleg. 9. lib. 2.

Maximaque in parva sustulit ossa manu.

ubi *manu*, ut hic *quinque digitis* (licet sint & sedigiti) & *sustulit*, quod hic *levatur*. Ovidius 12. Metam. non dissimili sententia:

Jam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis Æacides, caput insuperabile bello,
Arserat. armarat deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est; & de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam. PASS.

Auro contra non cara est lectio codicis Groningani, *En sum quod digitis q. l. o.* ita etiam olim ediderunt Gulielmus Canterus, & Douza F. legiturque ita in nitida illa Plantini editione A. 1560. viderat quoque Passeratius, quamquam non constans sibi. ----- Joannes Meursius; quod cum pace dixerim Manium viri magni, minus recte hæc traxit ad ritum gestandi manibus muliebre funus, lib. de Funere C. 21. *Humeris* (hæc ejus verba) *efferebant, si virile funus. Sed si muliebre, manibus ferebatur: quippe esse supra se illum sexum, ne mortuum quidem volebant, quem sciebant submitti sibi debere.* omnino de urna loquitur Noster; neutiquam de feretro. ---- erant autem urnæ istæ satis exiles & parvæ, ut constat ex monumentis antiquis, ipsisque etiam nunc superstitibus urnis. BROUKH. Huc pertinent illa Juvenalis Satyr. 10. v. 147.

Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
Invenies?

loquitur de cineribus Pœni illius imperatoris. Est etiam Senecæ locus insignis Herc. Oetæo v. 1755. *Sed quid hoc? mœstam intuor Sinu gerentem reliquias magni Herculis; Cinremque jactans squallidum Alcmene gemit.* ALCM. *Timete, superi, fata. tam parvus cinis Herculeus est: huc ille decrevit gigas.* Non solum autem urnæ in quibus mulierum cineres, verum etiam in quibus virorum, interdum manu gestabantur. Vide Corn. Tacitum initio 3. Annal. de Agrippina urnam

Damnatæ noctes, & vos vada lenta paludes,
Et quæcumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det pater hic umbræ mollia jura meæ.

Aut

nam Germanici viri sui ferente. Septimii quoque Severi cineres urna conditos manibus tulerunt Consules; ut refert Herodianus lib. 4. cap. 1. Ansis propterea, seu λαβαῖς, vel singulis, vel binis, urnæ instructæ fuerunt. Homerus lib. 23. Iliad. v. 91. memorat σορὸν ὀξέων χρύσεον ἀμφιφορῆα, *loculum ossium aureum utrimque auritum*. VULP.

v. 15. DAMNATÆ NOCTES, ET VOS VADA LENTA PALUDES] Testatur Tartarum se insontem, & eo indignam. *Damnatæ noctes*, Erebi tenebræ, ubi sontes animæ. Sic Elegia 7. v. 38. sup. *Damnatæ manus*. ubi vide adnotata. *Paludes vada lenta*. Stagna Cocyti, & Stygiam paludem alloquitur, de quibus Virgilius 6. Æn. Palus paullulum aquæ in altitudinem, & palam latius diffusæ: Varro 4. de L. L. *Lenta vada*, aquæ pigræ & ignavæ & languidæ. Horatius Ode 14. lib. 2. *Visendus ater flumine languido Cocytus errans*. Tibullus El. 3. l. 3.

Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

Ovidius 4. Metam. *Styx nebulas exhalat iners*. Appulejus lib. 6. Metam. vocat *flumen mortuum*, & *pigrum fluentum*. PASS.

v. 16. ET QUÆCUMQUE MEOS IMPLICAT UNDA PEDES] ut Eleg. 7. lib. 3.

Et quæcumque meum degravat unda caput.

Styx autem umbras noveno fingitur ambitu coërcere, ob novendiale sacrum. Virgilius 6. Æn. & 4. Georg.

Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardâque palus inamabilis undâ
Alligat, & novies Styx interfusa coërcet.

Catullus ad Hortalum:

Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem.

Horatius Ode 14. lib. 2. *Qui ter amplum Geryonen, Tityonque tristi Compescit undâ*. *Implicat*, impedit & coërcet. PASS.

v. 17. IMMATURA LICET, TAMEN HUC NON NOXIA VENI] Quamvis ante diem acerbo elata funere, tamen ad inferos descendi insons & sancta anima. *Immatura*, ut Tibullus Eleg. ult. lib. 2.

Parce per immaturæ tuæ precor ossa sororis.

Plautus Mostell. *Quia præmatura vitâ careo*. vide adnotata de hoc verbo ad Eleg. 7. lib. 2. v. 2. *Huc*, ad inferos. Eleg. 18. lib. 3.

Sed tamen huc omnes, huc primus & ultimus ordo.

Non noxia, innoxia, insons. Noxii, nocentes, ut Eleg. 11. lib. 3. *Noxia Alexandria*. PASS. *Immatura licet, t. h. n. n. v.* credebant enim mortem præcocem a diis immitti propter commissum aliquod singulare. eam suspicionem quantum potest a se amolitur Cornelia. memorabilis est locus Suetonii in Tito, C. 10. *Ad primam statim mansionem febrim nactus, quum inde lecticâ transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cælum, multumque conquestus, Eripi sibi vitam immerenti: neque enim exstare ullum suum factum pœnitendum, excepto dumtaxat uno*. Lapis Romanus apud Gruterum DCCCXX. 1. in quo duæ manus in cælum sublatæ:

PROCOPE. MANVS
LEBO. CONTRA
DEVM. QVI
ME. INNOCEN
TEM. SVSTVLIT
QUAE. VIXI
ANN. XX

hinc juniorum funera vocabant *fatorum crimen*, *dearum invidiam*, *scelus Parcarum*. Martialis L. 5. Epigr. 38.

Adhuc recenti tepet Eration busto,
Quam pessimorum lex avara fatorum
Sextâ peregit hieme, nec tamen totâ,
Nostros amores, gaudiumque, lususque.

L. 10. Epigr. 61.

Hic festinatâ requiescit Erotion umbrâ,
Crimine quam fati sexta peremit hiems.

Papinius L. 2. Silv. 1. epicedio pueri duodecennis:

Ipse etenim tecum nigræ solatia pompæ,

Spe-

Aut si quis posita judex sedet Æacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila.

Affi-

Spectatumque urbi scelus , & puerile feretrum
Produxi : & sævos damnati turis acervos ,
Plorantemque animam supra sua funera vidi .

tum utroque potior divinus Maro Ecl. 5.

Quum complexa sui corpus miserabile gnati
Atque deos atque astra vocat crudelia mater .

BROUKH.

Huc non noxia veni . Consentit cum Virgilio , qui 12. Æneid. Turnum sic inducit loquentem :

Vos o mihi Manes
Este boni , quoniam Superis aversa voluntas .
Sancta ad vos anima , atque istius inscia culpa
Descendam , magnorum haud umquam indignus avorum . VULP.

v. 18. DET PATER HIC UMBRÆ MOLLIA JURA MEÆ] An patrem suum Cornelium significat , ut jus umbris dicere illi concessum sit ? Ita enim honoris gratiâ & justitiæ ergo Virgilius 6. Æn. dixit :

Secretosque pios , his dantem jura Catonem .

An Ditem patrem significat ? opinor . Statius 8. Theb. initio :

Forte sedens media regni infelicis in arce
Dux Erebi populos poscebat crimina vitæ ,
Nil hominum miserans , iratusque omnibus umbris .

& infra :

O cunctis finitor maxime rerum ;
At mihi , qui quondam caussas , elementaque noram ,
Et sator .

Diespiter , pater Pluton , Ditis pater , Summanus . *Det jura* , ut Eleg. 11. lib. 3.

Jura dare statuas inter & arma Mari .

Mollia , benigna , facilia , æqua . Meliora vocat Statius loco prædicto : *Juxta Minos cum fratre verendo Jura bonis meliora monet .* (admonet Plutonem æquitatis .) Sic *mollia fata* Eleg. 7. lib. 4. v. 4. *Mollisse legem* hic infra v. 41. Ovidius 6. Fast.

Valeas , anus optima , dixi :
Quod superest ævi molle sit omne tui .

Umbræ meæ , mihi mortuæ ; ut infra v. 91. P.

Pro *huic* malebat pater . Douza *hinc* , id est hac de caussa , quia nullius criminis sum rea , quamvis immature exstincta . Etiam Barthius *hinc* legebat . ---- in primis editionibus *hic* exaratum est . sed *huic* legitur in membranis . *mollia jura* sunt æqua , justa , quæque intra rigorem consistunt . Erat autem Pluto severus atque illacrimabilis . ----- emolliebant vero animum inclementem nonnihil fratres Dictæi , Minos ac Rhadamanthus . vide Virgilium L. 6. Æn. Papinium initio L. 8. Theb. Senecam Herc. fur. v. 731. BROUKH. *Det pater hic u. m. j. m.* Plutonem significat regem inferorum . Valerius Flaccus lib. 1. Argon. v. 827.

Cardine sub nostro , rebusque abscissa supernis
Tartarei sedet aula patris .

Amphiaraus augur apud Papinium 8. Theb. Plutonem jus dicentem allocutus , vocat eum *rerum satorem* , quod antiqui existimarent sapientes , ex infinito Chao mundum emersisse : confusum vero illud & permixtum rerum seminarium latere in Tartari fundamentis , & priore absorpta materia novas rerum formas e sinu suo posse producere . Quapropter Valerius loco paullo ante memorato :

Ingenti jacet ore Chaos , quod pondere fessam
Materiem , lapsumque queat consumere mundum .

Claudianus pariter lib. 2. in Rufinum , Rhadamanthum ita loquentem inducit :

Agitate flagellis
Trans Styga , trans Erebum , vacuo mandate barathro
Infra Titanum tenebras , infraque recessus
Tartareos , nostrumque Chaos , qua noctis opacæ
Fundamenta latent .

hic umbræ m. j. m. trium lectionum optima & minime coacta hæc mihi videtur . superiori enim versui respondet . *huc non noxia veni :* propterea *pater det hic mollia jura umbræ meæ* . VULP.

v. 19. AUT SI QUIS POSITA JUDEX SEDET ÆACUS URNA] Sic Eleg. 1. lib. 4.

Aut si quis motas cornicis senserit alas.

Æacus. vide adnotata ad Eleg. 20. lib. 2. v. 30. Juvenalis Sat. 1. *Quas torqueat umbras Æacus*. Statius 3. Silv. in Lacrimis Etrusci: ---- *Infernâ rigidum timet Æacon urnâ*. *Sedet*, ut Eleg. 19. lib. 3. *Minos sedet arbiter Orci*. ubi vide adnotata. In caussis levioribus judex interdum stabat. unde Cicero in Bruto: *Ad stantem judicem dicere*. *Urnâ positâ*, adstante. Virgilius 6. Æneid. *Dustis stat sortibus urna*. sic positâ cathedrâ, sellâ, mensâ. *Urna* significat sortitionem, quia judicum nomina in urna versabantur. Asconius in Verrinam 2. urnæ judicialis meminit, ubi agit de sortitione, & subsortitione judicum. Idem in 3. Verrinam: *Ad hanc*, inquit, *similitudinem poeta Virgilius Minoem judicem apud inferos, tamquam si prætor sit rerum capitalium, Quæsitorem appellat; dat ibi sortitionem ubi urnam nominat: dat electionem judicum, quum dicit Conciliumque vocat: dat cognitionem facinorum, quum dicit; Vitasque & crimina discit*. Juvenalis Sat. 13.

Improba quamvis

Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

Horatius Ode 3. lib. 2. *Omnes eodem cogimur, omnium Versatur urnâ, serius ocyus Sors exitura*. & Ode 1. lib. 3. *Omne capax movet urna nomen*. & Sat. 1. lib. 2.

Cervius iratus leges minitatur & urnam.

Cicero 4. Verr. *Duxit ex urna tres: iis ut Heraclium absentem condemnent*. & Epist. 6. lib. 2. ad Q. Fratrem: *Senatorum urna copiose absolvit; Equitum adæquavit; Tribuni ærarii condemnarunt*. Appulejus l. 10. Met. in urnam æream ex more perpetuo calculos judicum condi solitos ait, ubi etiam orificium ejus urnæ manu contegi interdum consuevisse docet. Statius 8. Theb.

Scit judicis urna

Dictæi, verumque potest deprendere Minos.

& 11. Theb.

Si modo Agenorei stat Gnosia judicis urna,

PASS.

Si quis, pro *qui*. ut & alibi. Ovidius:

Si quis venit sero, magna ruina venit,

VULP.

V. 20. IN MEA SORTITA JUDICET OSSA PILA] Sententiam ferat adversum me mortuam. ut Eleg. 20. lib. 2.

Et me

Inferno damnes, Æace, judicio.

Ita Cicero pro Domo sua: *Judicare sacramentum injustum in libertatem*. & pro Flacco: *Judicare contra aliquem*. Sæpius tamen dicitur, *Judicare de aliquo*, Sed alii libri, *Vindicet*; id est animadvertat & puniat si quid deliqui: dicimus enim vindicare in aliquem; & sic loquitur A. Gellius lib. 4. cap. 5. lib. 10. cap. 6. & lib. 12. cap. 7. *In ossa mea*, me mortuam. ut sup. *Funera*, *sepulcrum*, *rogos*. Sic Eleg. 8. lib. 2. *Calcet & ossa mea*. Eleg. 5. sup.

Turpia jejuno terreat ossa sono.

Hic infra:

Defleta & gemitu Cæsaris ossa mea.

Item:

Cujus honoratis ossa vehantur aquis.

Pilâ sortitâ, sorte eductâ. παλθευτικῶς. ut sup. Eleg. 7. *Gemina est sedes turpem sortita per amnem*. Sortiri pilam, est sorte educere ex urna nomen judicis in pila scriptum. Sic, inquit Budæus, *Sortiri judices* dicunt Latini, ut Græci λαγχάνειν δίκας. De pilis in quibus inscripta nomina judicum Asconius in Milonianam. Cujusmodi autem hæc pila fuerit, quæsivi, nec reperi. Sane tabellis ad eam rem, non pilis utebantur Romani. Plutarchus in Lycurgo pilas exiguas e furfure commemorat, quibus conjectis in vas, tamquam sortitione fabarum admittebatur, vel excludebatur aliquis a conviviis Lacedæmoniorum. PASS. Non satis scio, si Latine dici possit *judicare in ossa*, sed noster primus *vedicat* habet, leviter corruptum ex *vindicet*: quod integrum legitur in Groningano, & in Borrichiano. id Palmerius ac Passeratius jure vulgatæ prætulerunt. Sallustius Catilinar. C. 9. *Quarum rerum ego maxuma documenta hæc habeo, quod in bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius, revocati, prælio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere ausi erant*. v. Diomedes L. 1. p. 361. est autem sæpenumero corruptum in optimis scriptoribus. Cœlius Ciceroni L. 8. ad famil. Epist. 14. *Video magnas impendere discordias: quas ferrum & vis judicabit*. in Sigonii libro erat *vindicavit*; rectius in alio Manutii, *vindicabit*. Cicero pro Cæcina C. 2. *Nam ut quæque res est turpissima, sic maxime & maturissime judicanda est*. codex Erphurdiensis, *vindicanda* est; merito probantibus Grutero ac Grævio, Viris clarissimis. ----- Hinc *vindices* dicti judices qui in caussa sedebant. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 48. *Facilis*

est

Assideant fratres. juxta Minoïa sella, &
Eumenidum intento turba severa foro.

Sisy-

est caussa populi. legem enim se sociorum caussa jussisse, & vos ei legi custodes ac vindices præposuisse dicet. de pila videndus Asconius in argumento Milonianæ. videtur autem dicere Cornelia, tres istos judices infernos inter se super ordine sessionis debuisse sortiri, si forte ipse Pluto quæsitor esse noluisset. BROUKH.

v. 21. ASSIDEANT FRATRES, JUXTA MINOIDA SELLAM EUMENIDUM INTENTO TURBA SEVERA FORO] Varia & lectio & interpunctio.

Assideant fratres, juxta Minoia sella, &
Eumenidum intenta turba severa fore. &:
Assideant fratres juxta Minoida sellam
Eumenidum intento turba severa fora. &:
Assideant fratres juxta Minoida sellam.
Eumenidum intenta turba severa foro.

Supple assideat, tamquam canes ad ministerium paratæ. Vide Callimachum Hymno in Delum v. 228. *Assideant fratres.* assessores Æaci sint ejus fratres, Jovis scilicet filii, Rhadamanthus & Minos. Alludit autem ad assessores, qui assidere dicebantur jus dicenti prætori, quæsitori, præsidi. In Pervigilio Veneris [elegantissime:]

Ipsa præses jura dicet, assidebunt Gratiæ.

Sic Minos cum fratre assident Plutoni apud Statium 8. Theb. Vide tit. ult. lib. 1. Digest. de Officio assessorum; qui ibidem lib. pænult. dicuntur *Consiliarii*. Cicero 1. de Divinat. *Lacedæmonii regibus suis assessorem dederunt*. Sic Homerus Odyss. λ. circa Minoa sedentes alios facit, qui caussas audiant & judicent. Charisius lib. 5. *Adsideo prætori & prætorem*. *Turba Eumenidum*. Turbam dixit de tribus, nisi, ut ille ait, *Furiis ira est tribus addita quarta*. vel plures tribus esse Furias intelligimus: scribit enim Virgilius 6. Æneid.

Continuo sontes ultrix, accincta flagello
Tisiphone quatit insultans: torvosque sinistrâ
Intentans angues, vocat agmina sæva sororum.

An quia & Diræ & Harpyiæ sunt Furiæ? Virg. 3. & 12. Æn. *Severa turba*, aspera, sæva. a Severo monte scilicet. Virg. 7. Æn.

Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt.

Nam *Tetrici* & *Severi* ab illis asperis locis. Eumenides severæ finguntur, unde Græcis σεμναὶ θεαὶ, ut ait Plutarchus in Theseo, & Pausanias in Atticis. Varro Eumenidibus apud Nonium in voce *Severum*: *Tertia pœnorum infamia, stans nexa in vulgi pectore fluctuanti, intonsâ comâ, sordido vestitu, ore severo.* Virgilius 6. Æneid.

Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque severum
Eumenidum aspicies.

Ergo severæ etiam ob fluvium severum & tristem, cujus ripas accolunt. Idem Virgilius 3. Georg.

Invidia infelix Furias, amnemque severum
Cocyti metuet.

Eumenides, inquit Servius in 6. Æneid. *dictæ quod minime bene velint, per antiphrasin, ut Parcæ, bellum.* Sedent autem Furiæ in limine inferorum ante fores carceris: Virgilius 6. Æneid. & Ovidius 4. Metam. & assident judicibus. id est, apparent, ut lictores & carnifices. *Intenta fora.* si tertio casu, junge cum *severo*. id est, severa in forum intentum: id est, umbras caussam dicentes. si septimo casu, supple in foro; ut Ovidius Eleg. ult. lib. 4. Trist.

Et sunt in Stygio crimina nostra foro.

Intento, hoc agente, quia ferrum suum in igni est. Sic Eleg. 5. sup. *Intentos oculos*. & Eleg. 3. lib. 1. *Intentis ocellis*. An legendum, *In tanto?* Potest esse hypallage; pro, Intenta foro, quia Furiæ invigilant pœnis. *Juxta sellam Minoida*. sic *Minos sedet* Eleg. 19. l. 3. v. 27. A Minos, Minous, a, um; ut Eleg. 19. lib. 3. *Minoa figura*; & Minoïus, ut Virgilius 6. Æn. *Minoia regna*. & Minois, idis, ut Eleg. 24. lib. 2.

Parvo dilexit spatio Minoida Theseus.

Sellam, ut Eleg. sup.

Et vestra posita est aurea sella foro. PASS.

Eumenidum i. t. s. f. Furiæ apparent judicibus, tamquam lictores, aut carnifices. vides hinc hausisse Papinium L. 8. Theb.

Stant Furiæ circum, variæque ex ordine Mortes,

Sisyphe mole vaces. taceant Ixionis orbes.
  Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras,
  Et jaceat tacita lapsa catena fera.

Ipsa

Sævaque multisonæ exercet Pœna catenas. tractum a judiciis Romanis. Cicero Orat. pro Cluentio C. 53. *Quid sibi autem illi scribæ, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt?* BROUKH. *Foro*. Claudianus lib. 2. in Rufinum: *Stygiique negotia solvit Dura fori*. VULP.

v. 23. SISYPHE MOLE VACES. TACEANT IXIONIS ORBES. FALLAX TANTALEO CORRIPIARE LIQUOR] Tres has pœnas uno verbo complectitur Eleg. 5. lib. 3.

Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.

Sisyphe mole vaces; careas gravi illo saxo, quod perpetuo volutas. Eleg. 17. lib. 2.

Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus.

Onus difficile, hic *molem* vocat. & El. 20. ibid.

Tunc ego Sisyphio saxa labore geram.

Taceant Ixionis orbes. Quiescat & consistat Ixionis rota. Tacere, pro quiescere. Nonius: *Tacere etiam dicitur quod sine voce & sono est, ut Virgilius, Quum tacet omnis ager*. Plautus Curcul. 1, 1. *Tace ostium*, & *Taciturnissimum*, quia sine strepitu aperitur. Ovidius 6. Fast.

Cessat opus, vacuæ conticuere molæ.

Stridet autem rota quum volvitur vento. *Orbes*, enallage numerorum. nam orbis est tantum, id est rota. [nisi fortasse Propertius *orbes* vocat unius rotæ plurimos gyros & continuos, vel circuitiones.] vide adnotata ad illud Eleg. 9. lib. 1.

Et magis infernæ vincula nosse rotæ.

Fallax liquor; ut Eleg. 17. lib. 2.

Ut liquor arenti fallat ab ore sitim.

Appulejus de Deo Socratis: *Qui solus Tantali vice in suis divitiis inops, egens, pauper: non quidem fluentum ullum fugitivum captat, & fallacis undæ sitim*. Sic *Fallax unda Mæandria* Eleg. ult. lib. 2. v. 35. *Corripiare*. vide notata ad illud Eleg. 8. sup. v. 11. *Corripit escas*. *Tantaleo*. Ταντάλεως, ut Ἀϊδωνεὺς, Ἡρακλεὺς Tarentini, inquit Scaliger, unde Romanis Tantaleus, Adoneus. Ausonius:

Concedat Cei Musa Simonidei.

hæc Scaliger. An est epenthesis? ut *Colchiacis*, pro, Colchicis El. 1. l. 2. v. 54. *Ioniacas*, Ovidio, pro Ionicas; Catullo *Oarion*, pro Orion. Sic Ovidius in Ibin:

Vel quæ, qui redimi Romano turpe putavit,
A duce Puniceo pertulit, ipse feras.

pro Punico. An ὑποκοριστικῶς, ut inuleus, equuleus, hæduleus? An *Tantaleus liquor*? Sed *Tantaleus*, pro Tantalus, ut Ausonio: *Tyndareus pater his*, pro Tyndarus. Ita *Eurytion* & *Eurytus*. vide Eleg. 33. lib. 2. v. 31. Attice Ταντάλεως. PASS. *Fallax T. c. l.* id aliquando factum fuisse docent poetæ. Claudianus L. 2. de R. P.

Non rota suspensum præceps Ixiona torquet,
Non aqua Tantaleis subducitur invida labris.

qui totus locus, quamquam longiusculus, cum hoc ipso nostri vatis contendi debet. est autem miris verborum luminibus illustratus a facundissimo Claudiano. Auratus hic legebat, indicante Douza, *Tantaleo corripere ore liquor*. argute potius, quam vere. Antiqui dicebant *Tantaleus*, *Tyndareus*; pro *Tantalus*, *Tyndarus*. quod monuit Scaliger. M. Pacuvius Hermiona: *Tyndareo fieri contumeliam, cujus a te veretur maxime*. L. Attius Telepho: *Quantam Tyndarea gnata, & Menelai domus Molem excitaris belli, pastorque Ilius*. BROUKH. Cur, quæso, optat Cornelia Sisyphum requiescere, Ixionis rotam consistere, Tantalum aquæ fugientis haustu potiri, tantisper dum ipsa pro se loquitur, & caussam suam perorat? Scilicet ut caussa agatur summo silentio; & omnes etiam scelerati, qui diis inferis pœnas dant, innocentiam & virtutes Corneliæ ex ejus oratione agnoscere possint, ac fortasse adesse in corona. VULP.

v. 25. CERBERUS ET NULLAS HODIE PETAT IMPROBUS UMBRAS] Vult hoc tribui honori suo; ut Eleg. 10. lib. 3.

Trans-

Ipsa loquor pro me. si fallo, pœna sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.

Si

Transeat hic sine nube dies: stent aëre venti,
Pænas & in sicco molliter unda minas.

Aspiciam nullos hodierna luce dolentes, &c. aut vult caussæ suæ intentas esse umbras, quod fieri non possit nisi intermissis pœnis. *Cerberus*. Eleg. 7, sup.

Errat & abjectâ Cerberus ipse sera.

Improbus, sævus. Eleg. 1. lib. 1. v. 6. *Amor improbus*. *Petat umbras*, invadat animas, sive manes quasi morsurus. Albinovanus ad Liviam:

Quo ruis? attonitâ quid petis ora manu?

Festus in *Retiario*: *Non te peto, piscem peto*. Ovidius lib. 3. Trist. Eleg. 5.

Non mihi quærenti pessumdare cuncta petitum
Cæsareum caput est, quod caput orbis erat.

& Eleg. 11. libri ejusdem:

Quid cinerem saxis, bustaque nostra petis?

Tibullus Eleg. 9. lib. 1.

Ure meum potius flammâ caput, & pete ferro
Corpus, & intorta verbere terga seca.

Cicero, *Petere collum, latus, ventrem*. unde *petitiones gladiatorum*. vide Eleg. 13. lib. 3. v. 54. PASS.

v. 26. ET JACEAT TACITA LAPSA CATENA SERA] Videtur significare ita insertam seræ catenam, ut cum ea simul decidat. sed verius est esse hypallagem, *Jaceat sera lapsa, catenâ tacitâ*. De tacente enim & abjecta sera dictum ad Eleg. 7. sup. v. 90. Catena autem tacet, nec tintinnit, quum abest janitor. Ovidius lib. 1. Amor. Elegia 6.

Janitor (indignum) dura religate catena.

Ibid. *Sic numquam dura religere catena*. & Suetonius de Claris Rhet. ait, Octacilium Rhetorem *ostiarium, & veteri more in catena fuisse*. Petronius: *Non longe ab ostiarii cella, canis ingens catena vinctus*. Ergo Catena hic Cerberi, ut janitoris, & ut canis. Seneca Controvers. 6. *Si canem ad ostium alligasset*. Apud Nonium & Festum Afranius: *Janitoris* (aliàs *ostiarii*) *tintinnire impedimenta audio*. id est, catenam; de cujus tintinnitione etiam Virgilius 6. Æn. *Tum stridor ferri, tractæque catenæ*. *Sera lapsa*. Sic Petronius: *Sera suâ sponte delapsa*. *Lapsa jaceat*. vide ad illud Eleg. 4. sup. *In Oceanum sidera lapsa cadunt*. PASS. *Lapsa*. *laxa* est in nostris; *lassa* in Groningano, Italica scriptura. quod fortasse præstiterit. *libidinum vinculis laxatos* dixit Cicero de Senect. C. 3. BROUKH. *Laxa*, Editio quoque princeps. VULP.

v. 27. IPSA LOQUOR PRO ME. SI FALLO, PŒNA SORORUM INFELIX HUMEROS URGEAT URNA MEOS] Vide Valerium Maximum lib. 8. cap. 3. quæ mulieres apud magistratus pro se, aut aliis caussas egerunt; Amesia scilicet, Afrania, & Hortensia. *Pro me*; quia pro aliis postulare feminæ prohibentur edicto. Ulpianus L. 1. §. *Secundo*. *De postulando*. *Si fallo*. vide notata ad El. 7. sup. v. 53. *Pœna sororum*, Danaidum L. ut El. 7. sup. v. 67.

Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores.

Urna infelix. ut Eleg. 5. lib. 3. v. 7. *Infelix terra*. *Urgeat humeros*. Eleg. 4. sup. v. 16. urna gestatur capite: hic humeris. ut Eleg. 1. lib. 2.

Ne tenera assiduâ colla graventur aquâ.

Ovidius in Ibin:

Quæque gerunt humeris perituras Belides undas.

Meos, quasi mortuis sint humeri. PASS. *Ipsa loquor pro me*. Huc pertinet unice locus memorabilis M. Tullii lib. 1. Tuscul. Quæst. *Fortasse etiam inexorabiles judices Minos & Rhadamanthus* (te terrant,) *apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius, nec, quoniam apud Græcos judices res agetur, poteris adhibere Demosthenem: tibi ipsi pro te erit maximâ coronâ caussa dicenda. hæc fortasse metuis*. Idem lib. 3. de Fin. *Si ipsa pro se* (voluptas) *loquatur*. Corn. Nepos Miltiade: *Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater ejus Tisagoras*. Livius lib. 40. in Oratione Demetrii: *Sine advocatis, sine patronis ipse pro me dicere cogor*. Lucianus in Phalaride priore: Ταῦτα μὲν ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ἀπολελόγημαι ὑμῖν, ἀληθῆ, καὶ δίκαια, καὶ ἐπαίνου μᾶλλον, ὡς ἐμαυτὸν πείθω, ἢ μίσους ἄξια. Idem in

τῷ πε-

Si cui fama fuit per avita tropæa decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.

Alte-

τῷ περὶ πένθους, loco plane illustri: Καίτοι καὶ ἀγῶνας ἔνιοι διέθεσαν, καὶ λόγους ἐπιταφίους εἶπον ἐπὶ τῶν μνημάτων, ὥσπερ συναγορεύοντες, ἢ μαρτυροῦντες, παρὰ τοῖς κάτω δικασταῖς τῷ νεκρῷ. Sed Homerus longe prior lib. 11. Odyss. v. 567.

Ἔνθ' ἤτοι Μίνωα ἴδον Διὸς ἀγλαὸν υἱὸν,
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσιν,
Ἥμενον· οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα,
Ἥμενοι ἑσταότες τε κατ' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

i. e. *Ibi autem Minoëm vidi Jovis illustrem filium, Aureum sceptrum habentem, jus dicentem mortuis, Sedentem: illi vero circa ipsum caussas dicebant regem, Sedentes & partim stantes per late patentem Plutonis domum. Si fallo.* Dryope in arborem versa, apud Ovidium 9. Metam. v. 373.

Viximus innocuæ. si mentior, arida perdam,
Quas habeo, frondes, & cæsa securibus urar.

Infelix urna. Sic *Infelix lapis* apud Tibullum Eleg. 4. lib. 1. Sisyphius. VULP.

v. 29. SI CUI FAMA FUIT PER AVITA TROPÆA DECORI] Oratio hæc laudationis funebris & apologiæ simul est loco. Itaque orditur a commendatione generis sui: paterni, Corneliorum: materni, Scriboniorum. *Fama* autem, laus a majoribus relicta, de quibus homines loquuntur cum admiratione rerum gestarum. Sic Eleg. 20. lib. 3.

Splendidaque a docta fama refulget avo.

Esse decori, ornamento. ut El. 12. lib. 1. *Invidiæ fuimus*. & Eleg. 5. lib. 2. *Pallori erit*. *Decori esse, ut esse usui*, inquit Charisius lib. 2. Virgilius Ecl. 5. *Vitis ut arboribus decori est*. Decor autem licet formæ sit, & decus famæ ac animi, ut Cornelius Fronto distinguit, decorem tamen pro décore Noster posuit. *Per avita tropæa*, per victorias insignes avorum virtute partas. *Per trophæa*, ut Eleg. 9. lib. 3. *Onerare per arma domum*. Quid trophæum, dixi ad Eleg. 6. sup. v. 82. *Avita*, ut Eleg. 24. lib. 2. v. 37. *Sanguine avito Nobilis*. & El. ult. lib. ejusd.

Nullus & antiquo Marte triumphus avi.

& Eleg. 7. ejusd. lib.

Patriis natos præbere triumphis. PASS.

v. 30. VERA NUMANTINOS REGNA LOQUUNTUR AVOS] Quid est, *vera regna?* An quia vere rex est, qui recte facit, seque ac suas cupiditates regit ut Scipio Africanus? Sic Horatius Ode 2. lib. 2. *Latius regnes avidum domando Spiritum*, &c. Est qui legat, *versa*, id est, eversa. ut 1. Æneid. *Tyrias olim quæ verteret arces*. & 5. Æneid. *Vertere ab imo Mœnia*. Sed vet. lib. *Atra*, unde Scaliger legit, *Afra*. *Regna* vero, pro imperiis; ut 4. Æneid.

Qua regnum Italiæ Libycas averteret oras.

vel id ait propter Syphacem, & quia Carthagini Dido regnarit. *Loquuntur avos*. Etsi muta sunt, loquuntur tamen, quia ruinæ ipsæ testantur avorum virtutem. Sic Catullus: *Fama loquetur anus*. & *Charta loquatur anus*. Vetus poeta apud Priscianum: Τὲς σὲς ἀγῶνας αἰὲν λαλήσει. Eleg. 1. sup. *Fibra locuta deæ*. vide illic. Sic res ipsa loqui dicitur. *Numantinos*. id propter Scipionem Æmilianum, de quo Cicero 6. de Rep. *Hanc* (Carthaginem) *hoc biennio evertes, Numantiamque exscindes*. Inde Numantinus dictus Juvenali Sat. 8. *Si Inditur alea pernox Ante Numantinos*. Ovidius 1. Fast.

Ille Numantina traxit ab urbe notam.

Lege Ciceronem pro Murena, pro Lege Manilia, & Philipp. 4. præterea Livii Epitomen 57. & 59. PASS. *Afra Numantinos*. variant libri. sed meliores *Aera* habent: quod minimum abit ab *Afra*, uti recte a Scaligero est restitutum. Cicero Catilin. 4. C. 10. *Ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infestissimas, Karthaginem, Numantiamque delevit*. pro Murena C. 28. *Bis consul fuerat P. Africanus, & duos terrores hujus imperii, Karthaginem, Numantiamque deleverat*. vide eundem de Amicit. C. 3. Aurelius Victor de Viris Illustr. C. 58. *Consul ante annos factus, Carthaginem intra sex menses delevit. Numantiam in Hispania, correctâ prius militum disciplinâ, fame vicit. hinc NUMANTINUS dictus*. v. Cicero Somn. Scipion. C. 2. Macrobius II. Sat. 22. *Et, ne vilior sit testis poeta, accipite asse-*

asse-

Altera maternos exæquat turba Libones,
Et domus eſt titulis utraque fulta ſuis.
Mox ubi jam facibus ceſſit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas:

Jun-

te aſſertore Cicerone in quo honore fuerit hic piſcis [acipenſer] *apud P. Scipionem Africanum illum & Numantinum*. BROUKH.

v. 31. ALTERA MATERNOS EXÆQUAT TURBA LIBONES] Multitudo cognatorum pares facit Africanis & Numantinis avis paternis, avos maternos, Scribonios, Libones. *Exæquat*. Cæſar 1. de Bello Civili: *Pompeius neminem dignitate ſecum exequari volebat*. Salluſtius in Catil. *Facta dictis exequanda ſunt*. Lucretius lib. 1. *Nos exæquat victoria cælo*. *Maternos* (avos) quia mater Corneliæ Scribonia dicebatur. v. 55. infra. Sic Virgilius 4. Æneid. *Materno veniens ab avo*. Scribonii autem, Largi, Curiones, Druſi, Libones. Suetonius in Tiberio cap. 25. *L. Scribonius Libo, vir nobilis, res novas clam moliebatur*. Notum *Libonis puteal* in foro, vel ex Horatio Epiſt. 19. lib. 1. *Forum putealque Libonis Mandabo ſiccis*. In uno vetere numo eſt ex altera parte puteal cum iis litteris: PVTEAL. SCRIBON in altera caput cum iis litteris: BON. EVENT. LIBO In alio nomo item puteal, cum inſcriptione: PVTEAL. SCRIBON. in averſa parte caput cum inſcript. PAVLVS. LEPIDVS. CONCORD. L. Libo Conſul cum Statilio Tauro memoratur a Tacito initio lib. 2. Annal. Plinius l. 2. H. N. c. 35. meminit C. Scribonii Coſ. Idem lib. 36. cap. 15. refert, *Libonis ludis tectum theatrum*. L. Scribonium memorat & Dio p. 340. Vide & Suetonium de Claris Grammaticis in *Scribonio*. PASS. Ovidius lib. 13. Metam. v. 146. hoc Propertii diſtichon quodammodo expreſſiſſe videtur:

Eſt quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. deus eſt in utroque parente. VULP.

v. 32. ET DOMUS EST TITULIS UTRAQUE FULTA SUIS] Gens Corneliorum & Scriboniorum: ac familia Scipionum & Libonum nixa eſt & freta ſuis imaginibus, & monimentis, quibus inſcriptiones adjici ſolent. Sic *domus*, pro gente & familia Elegia 1. ſup. v. 78. Proprie autem Eleg. 2. lib. 3. *Non Tænariis domus eſt mihi fulta columnis*. quod Tibullus Eleg. 3. lib. 3.

Quidve domus prodeſt Phrygiis innixa columnis?

Fulta titulis; ut infra: *Et ſeris fulcite genus*. Tituli autem ſunt ſepulcrorum, ſtatuarum, imaginum. Tibullus Carm. 1. lib. 4.

Nec quæris quid quaque index ſub imagine dicat.

De titulis imaginum Noſter Eleg. 4. l. 3. *Titulis oppida capta legam*. El. 5. ſup. *Quorum titulus per barbara colla pependit*. & hic infra: *Sub quorum titulis Africa tonſa jacet*. PASS.

v. 33. MOX UBI JAM FACIBUS CESSIT PRÆTEXTA MARITIS] Tranſit ad pubertatem relictâ pueritiâ, in qua ſola indoles laudatur. vide Eleg. 1. ſup. v. 131. De prætexta vide adnotata ad El. 15. lib. 3. v. 3. & Eleg. 1. lib. 4. v. 11. Toga communis habitus fuit & marium & feminarum: ſed prætexta honeſtorum, toga viliorum: quod & circa mulieres ſervari ſolitum: Aſconius ad hæc Ciceronis verba 3. Verr. *Eripies igitur puellæ togam prætextam*. *Ceſſit facibus maritis*. quaſi venientibus nuptiis abierit, & decreſſerit honoris cauſſâ. ut Eleg. ult. lib. 2.

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graji.

Sic Virgilius, Tmolum aſſurrexiſſe vitibus Falernis, ait. Rectâ autem tunicâ nubentes induebant, ut notat Plinius lib. 8. cap. 48. & die nuptiarum, ut ſcribit Arnobius lib. 2. *Virginum togulæ Fortunam deferebantur ad Virginalem*. *Facibus maritis*. vide Eleg. 3. v. 13. ſup. *Quæ mihi deductæ fax omen prætulit*. PASS.

v. 34. VINXIT ET ACCEPTAS ALTERA VITTA COMAS] Vide adnotata ad Eleg. 3. ſup. v. 15. ubi *vitta recta* vocatur. *Vinxit comas*, adſtrinxit. Sic Ovidius l. 3. Amor. Eleg. 5.

Vitta

Jungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili.
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Testor

Vitta nec evinctas impedit alba comas.

Comas acceptas, nam dixit Eleg. 3. sup. *Vitta data est*. Sic *Capere crines* Plauto Milite. Legendus Festus in *Senis crinibus*. Aliàs legitur, *Aspersas*. Sic Eleg. 3. sup. *Et Stygio sum sparsa lacu*. Pass. *altera vitta* est matronalis, diversa a virginali. nam & virgines vittatæ. docuit Turnebus L. 23. Adv. C. 5. & Livinejus ad Nostrum. tum utroque uberius & doctius illustris Spanhemius Observ. in Callimach. p. 661. insignis est locus Valerii Catonis in Diris:

Ausus egon' primus castos violare pudores?
Sacratamque meæ vittam tentare puellæ?

ubi, ni fallor, melius legetur *vittam temerare*. quo modo locutus est & Naso L. 6. Fast.

Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos
Hoc duce, nec viva defodietur humo.

pro *acceptas*, reposuit Lipsius e libro vetere *aspersas*, ex ritu illo nuptiis solenni, aqua spargendi crines. supra Noster, Eleg. 3.

Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est.

vide magni Viri excursus in Tacit. L. 3. Annal. ipso fine. Broukh. *Altera vitta*. maritalis nempe, virginali depositâ. Valerius Flaccus lib. 8. v. 6.

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

vide Notas Joannis Weitzii ad eum locum. *Vinxit acceptas comas*. Huc trahendum videtur illud Plauti Mostell. 1, 3, 69. *Soli gerendum censeo morem, & capiundos crines*. Ibi lena meretricem alloquitur, quæ se uni tantum amatori dediderat. *Capere crines*, est ornatum capillorum sumere qui matrem-familias deceat. antiquitus enim innuptæ ac liberæ mulieres a nuptis maxime discernebantur cultu capillorum. Optima sunt quæ ad eum Plauti locum e multorum explicationibus congessit Fridericus Taubmannus. Vulp.

v. 35. Iungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili] Fio particeps & socia tui tori. Virgilius 1. Æneid.

Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.

& 4. Æneid. *Qui me sibi junxit*. Ibidem:

Cui se pulcra viro dignetur jungere Dido.

Discessura, abitura e lecto & domo tua non divortio [ut multæ solebant Romanæ,] sed morte. De divortio Cœlius Ciceroni Epist. 6. lib. 8. ad famil. *Inter postulationem & nominis delationem uxor a Dolabella discessit*. Eleg. 4. lib. 1.

Mi neque amare aliam, nec ab hac discedere fas est.

τὸ *Sic* κατ' εὐφημισμόν. ut Eleg. 12. l. 3.

Sic redeunt, illis qui cecidere locis. P.

v. 36. In lapide hoc uni nupta fuisse legar.] Nempe a prætereuntibus, ut Eleg. 7. sup. v. 84.

Hoc carmen mediâ dignum me scribe columnâ,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat.

Ubi carmen vult scribi columnâ, ut hic lapide. Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Fac lapis his scriptus stet super ossa notis.

Uni nupta. Laus pudicitiæ mulieris, & uno contentam esse, & uni tantum nupsisse. P. Syrus: *Habent locum maledicti crebræ nuptiæ*. Item: *Mulier quæ multis nubit, multis non placet*. Servius ad illud 3. Æneid. *Huic uni forsan potui succumbere culpæ; Propter antiquum*, inquit, *ritum, quo repellebantur a sacerdotio bis nuptæ*. *Biviram* Varro vocat lege Mevia apud Nonium, quæ bis nupsit, non viduam, ut putat Nonius. Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, coronâ pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipue matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile publicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes*. unde Noster Eleg. 13. lib. 2.

Unius hic quondam servus amoris erat.

Ovidius Epist. Didûs:

Nec consumta rogis inscribar Elissa Sichæi.

Lucanus lib. 2. *Liceat tumulo scripsisse, Catonis Marcia*. & infra hic Cornelia filiam ait:

Fac

Teſtor majorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis Africa tonſa jaces:

Et

Fac teneat unum nos imitata virum. P. Inde etiam tituli ſuperbia, ſepulcro inſcripti. lapis vetus apud Georgium Fabricium:

RENATVS
VOLVSIAE. IVSTAE
MATRI. CARISSIMAE
OMNIVM. FEMINAR
SANCTIORI. VNIVIRAE

alter apud Reineſium:

D. M.
REIANIAE. C. F.
MAECIANAE. CONI. INCOM-
PARABILI
VNIVIRAE. ET. CASTIS-
SIMAE BROUKH.

In lapide hoc. Cur *hoc*, quaſi δεικτικῶς? nonne Cornelia fingitur alloqui deos Manes, procul a ſepulcro ſuo, quod apud ſuperos? mendum ſubeſſe ſuſpicor. Sed & Paullum ipſum alloquitur. VULP.

v. 37. TESTOR MAJORUM CINERES TIBI, ROMA, COLENDOS] Juro per manes Africanorum & Libonum. nam & qui jurat, teſtes deos facit, & qui precatur. Cicero 1. Offic. *Quod teſte deo promiſerit*; nempe, juraris. Virgilius 4. Æneid.

Teſtatur moritura deos, & conſcia fati
Sidera.

& mox: *Noſtras audite preces*. Idem 2. Æn.

Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Teſtor in occaſu veſtro, &c.

Noſter Eleg. 20. lib. 2.

Oſſa tibi juro per matris, & oſſa parentis:
Si fallo, cinis heu ſit mihi uterque gravis.

ubi vide adnotata. Ovidius 2. Faſt.

Per tibi ego hunc juro fortem caſtumque cruorem,
Perque tuos manes, qui mihi numen erunt.

Cineres colendos. Narratur apophthegma Augusti in Vectium, qui monimentum patris exararat, apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 4. *Hoc eſt vere patris monimentum colere*. Ovidius Epiſt. Briſeid. eadem mente:

Per tamen oſſa viri ſubito male tecta ſepulcro,
Semper judiciis oſſa verenda meis.

Seneca Troad. *Eſt tumulus ingens, conjugi caro ſator, Verendus hoſti*. *Tibi, Roma*. ut Eleg. 10. ſup. v. 11.

Roma, tuis quondam finibus horror erat.
PASS.

verendos eſt in Groningano; unoque Colbertino, pro diverſa lectione. Sed præplacet vulgata. Cicero Agrar. 2. C. 35. *Hos qui proſpexerint, majores noſtros dico, Quirites, non eos in deorum immortalium numero venerandos a vobis & colendos putatis?* BR.

v. 38. SUB QUORUM TITULIS AFRICA TONSA JACES] Jacere ſub titulis, quaſi ſub pedibus victoris ſubjectum eſſe. Sic *Cadere ſub creditoribus*, Suetonio in Othone, c. 5. Noſter Eleg. 11. lib. 3.

Et trahit addictum ſub ſua juga virum.

Turnebus lib. 10. Adv. cap. 11. huc adfert illud Horatii Epodo 9. *Nec Africanum, cui ſuper Carthaginem Virtus ſepulcrum condidit*. *Africa*. (unde Africani) dicta, inquit Feſtus in Apricum, quaſi ἄνευ τῆς φρίκης, quod ſit ſine horrore frigoris. *Jaces*, quaſi proſtrata a victore, & mortua. nam & victi & mortui jacere dicuntur. *Tonſa*; ſpoliata omni decore; ut Eleg. 19. lib. 3.

Tondens purpurea regna paterna coma.

ubi vide adnotata. An & alluſit ad *Comantes frugibus agros Africæ*. Sed vet. lib. *Tanta jaces*; quod θαυμαστικῶς dictum accipit Scaliger. An *tota*? ut Eleg. 20. lib. 3.

. *Tantisne in lacrimis Africa tota fuit?*

vide Scaligerum adverſus Robertum Titium. PASS. *Africa tanta*. ita Scaligeri liber. quod firmari poteſt auctoritate Ciceronis, Accuſ. 2. in Verr. C. 1. *Itaque majoribus noſtris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus eſt. neque enim tam facile opes Karthaginis tantæ concidiſſent, niſi illud & rei frumentariæ ſubſidium, & receptaculum claſſibus noſtris pateret*. tamen aliud ſuadent membranæ. *tonſa* eſt in duobus Regiis, & in noſtro primo. quod ſequuntur veteres editiones 1 & Beroaldus pro comminuta, fracta, ac lacerata exponit. ita enim legit, & imita-

Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proavus fregit, Achille, domos:

Me

tione comprobavit . --- sed vera scriptura est *tonsa*. ----- quæ exstat in altero Colbertino, in nostro secundo, in Groningano, ac Borrichiano . tondebantur captivi, more Romano. Ovidius L. 1. Amor. El. 14.

Jam tibi captivos mittet Germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.

& L. 1. Fastor.

Caussa recens melior, passos Germania crines
Porrigit auspiciis, dux venerande, tuis.

etiam Barthius *tonsa* legebat L. 44. Adv. C. 18. ubi perperam est editum

Quorum sub pedibus Africa tonsa jacet.
BROUKH.

Africa tonsa. Ob oculos ponit captivam Africam, & captivarum more detonsam capillos. vide Ovidium 1. Fast. v. 645. & ibi Notam Nic. Heinsii. Hujus loci sententiam, sit suus veritati honor, minime assecutus est Scaliger. Indidem ducitur metaphora veteris poetæ apud Ciceronem 5. Tusc. qui Epaminondam sic inducit loquentem:

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum.

Neque aliter Euripides in Hecuba v. 910. Trojam dirutam alloquitur; Ἀπὸ δὲ στεφάναν κέκαρσαι Πύργων. *Corona vero tibi detonsa est turrium*. Nonnumquam tamen passis crinibus, non detonsis, domitas a Romanis provincias nobis fingunt poetæ. Ovidius 4. Trist. Eleg. 2.

Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis invicti sub pede mæsta sedet.
Collaque Romanæ præbens animosa securi,
Vincula fert illi, qua tulit arma, manu.
VULP.

v. 39. ET PERSEN PROAVI SIMULANTEM PECTUS ACHILLIS] Supple, Testor. Testatur Persen, sive Persea, Macedoniæ regem; quia gravissimum est hostis de hoste in laudem testimonium. Silius Italicus, de Philippo istius Perseæ patre:

Hic gente egregius, veterisque ab origine regni,
Æacidum sceptris, proavoque tumebat Achille.

De Perseo victo & capto a Paullo Æmilio dictum ad Eleg. 3. lib. 3. v. 8. *Simulantem*. vett. libri 4. (& agnoscit Beroaldus) *stimulantem*. quasi doleat Achilli, quod tam ignavum & imbellem pronepotem habuerit. Sic Plautus Bacchid. *Cor stimulo foditur*. Beroaldus idem, quasi de conjectura, legit; *Simulantem*, quod probabilius est. fingebat enim id & mentiebatur, se ab Achille genus ducere. nam Livius nothum & spurium fuisse scribit, atque invidia & falsa criminatione fratrem Demetrium de medio sustulisse. Lipsius in Vellejum legit:

Et Persen proavo stimulantem pectus Achille.

quod animos attolleret, & ad ingentia facta excitaretur æmulatione proavi Achillis. Ego malim, *proavo stimulantem pectus Achilli*. Hic insigniter nugatur Colvius in Appulejum fol. 148. emendans *Tubulantem pectus*. *Pectus*, animos ac spiritus. Eleg. 1. lib. 2. *Angusto pectore Callimachus*. *Stomachum Pelidæ* vocat Horatius Ode 6. lib. 1. μῆνιν Homerus. Ovidius Epist. Hermionæ:

Pyrrhus Achillides animosus imagine patris.

unde Plautus Asin. 1, 3. *Æacidinis minis, animisque expletus*. PASS. *Proavi simulantem pectus Achillis*. sic Groninganus, unus Regius, unus Colbertinus. ------ signanter Livius lib. 44. C. 4. de hoc Perseo: *Verum quidem erat ergo, ut, si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset Consul, magna clades accipi potuerit*. Lege quæ statim sequuntur. ------- Verbo *simulantem* idoneum vadem accipe Horatium L. 1. Epistola 19.

Quid? si quis vultu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutemne repræsentet, moresque Catonis?

istud porro *stimulantem*, quod in nonnullis libris reperiri non inficior, quamvis defenderint, Justus Lipsius ad L. 1. Velleji C. 6. Franciscus Modius Novantiq. Ep. 18. [& Joannes Freinshemius ad Curtium l. 4. cap. 6.] tamen nemini persuaserunt. ---- Quæ Noster hic ad Achillem, ea ad Alexandrum retulit Justinus L. 33. C. 1. *Perseo, præter Macedonicum invictæ opinionis exercitum, decennis belli sumtus, a patre paratus in thesauris & horreis erat: quibus re-*

bus

Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla
Labe mea vestros erubuisse focos.

Non

bus inflatus, oblitus fortunæ paternæ, veterem Alexandri gloriam considerare suos jubebat. hæc illa omnia statim secunda congressione amisit, Achilli & Alexandro valde dispar. BROUKH. *Persen*. ita vocat hunc regem etiam Cicero lib. 5. de Fin. *Quem Tiberius decursio festa illo die tanta gaudia affecit, quanto L. Paullum quum regem Persen captum adduceret, eodem flumine invectum*. A *Perses* derivavit Sallustius *Persi* patrio casu; l. 1. Hist. apud Priscianum lib. 5. *A primordio Urbis ad bellum Persi Macedonicum*. nisi *Persi* contractum sit a *Persei*. Ceterum & *Persam* dictum fuisse hunc regem, colligo ex verbis M. Tullii lib. 1. de Divinat. cap. 46. *L. Paullus consul iterum, quum ei, bellum ut cum rege Perse gereret, obtigisset: ut ea ipsa die domum ad vesperam rediit, filiolam suam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, osculans, animadvertit tristiculam. Quid est, inquit, mea Tertia? quid tristis es? Mi pater, inquit, Persa periit. tum ille arctius puellam complexus, Accipio, inquit, mea filia, omen; erat autem mortuus catellus eo nomine.* Suffragatur A. Gellius lib. 7. cap. 3. *Persa tunc Philippi filio Macedonum rege*. *Simulantem pectus Achillis*. Qui malit legere, *Stimulantem pectus Achille*, ei favere poterit Maro lib. 12. Æneid.

Tu facito mox, quum matura adoleverit ætas,
Sis memor, atque animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

sunt enim exempla majorum acres ad virtutem stimuli. VULP.

v. 40. QUIQUE TUAS PROAVUS FREGIT, ACHILLE, DOMOS] Paullum Æmilium intelligit, ex cujus gente ipsius Corneliæ maritus Paullus, & ipsa quoque Cornelia, quia in familiam Scipionum Paulli filius transiit adoptione. *Achille*, ultima brevi, ut Martialis: *Aut cœnam, cruda Thyeste, tuam*. ut Achilleus, Achilleu Græcis, sic detracta S. Latinis Achilles, Achille. Sic Ovidius lib. 1. Trist. Eleg. 4.

Fecerunt furiæ, tristis Oreste, tuæ.

Fregit, contudit, plane devicit. El. 6. sup. v. 58. *Fracta sceptra*. *Domos tuas*, sedes, patriam, Phthiam & Thessaliam. Virgilius 6. Æneid.

Veniet lustris labentibus ætas
Quum domus Assaraci Phthiam, claresque Mycenas
Imperio premet, & victis dominabitur Argis.

Sic Eleg. 6. lib. 1. v. 4. *Domus Memnonias*. Eleg. 11. lib. 3. v. 12. *Domos Æsonias*. PASS. *Quique tuas proavus*. & hic *proavo* reponunt, ex libris. ego librum sequor Groninganum, in quo *proavus*. dixerat de rege Perse, ferociam mentito proavi Achillis: nunc venit ad suum proavum L. Æmilium Paullum, qui totam Æacidarum domum fregit, atque excidit. v. Vellejus L. 1. C. 9. Livius, Justinus, Plutarchus. BR. P. Scipio Æmilianus, Paulli Macedonici filius, a Scipione Africano adoptatus fuit, qui, teste Aurelio Victore, *victum Persen tam pertinaciter persecutus est, ut media nocte in castra redierit*. Constat igitur, Æmiliam gentem Corneliæ Scipionum familiæ, ope adoptionis, insertam. *Achille*. Ovidius lib. 13. Metam. v. 130.

Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille. VULP.

v. 41. ME NEQUE CENSURÆ LEGEM MOLLISSE, NEC ULLA LABE MEA VESTROS ERUBUISSE FOCOS] Nihil fecisse indignum censura mariti Paulli, inquit Scaliger. *Duræ leges* dicuntur Tibullo; dura autem molliri dicuntur. ut Eleg. 4. sup. *Vestra meus molliet arma torus*. Sic sup. hic:

Det pater huic umbræ mollia jura meæ.

Quæ autem hæc lex censuræ? Sane Cato in Oratione de Dote apud A. Gellium libro 10. cap. 23. *Vir quum divortium facit, mulieri judex & pro censore est*. An *legem*, pro leges dixit per enallagen? Censoriæ autem leges etiam de re uxoria. Ideoque a Censoribus cives rogabantur: *Ex animi tui sententia uxorem habes?* Cicero 2. de Orat. Præterea Censores magistri erant morum. Idem 3. de Legib. ubi Censorum officium describit: *Cælibes, inquit, esse prohibento;*

Non erat exuviis tantis Cornelia damnum:
Quin & erat magnæ pars imitanda domus.

Nec

mores populi regunto. *Severitas censoria* ab eodem dicitur, & *Severitatis magister Censor*, pro Cluentio; ubi multa de eo magistratu. Et pro Cælio: *Fuit pertristis quidam patruus, Censor*. vide Plutarchum in Paullo Æmilio de dignitate Censuræ, & de ejus officio in Catone. Ait ergo Cornelia, se numquam postulasse ut severitas & disciplina Censorum mitigaretur; nec ulla macula sua Lares pudore, ait, affectos. *Labe mea*. paullo post v. 45. dicet *Crimine*. Eleg. 8. sup. *Famæ non sine labe meæ*. *Erubuisse focos*; quasi moveantur dii Penates vitiis, aut virtutibus familiæ. ut Eleg. 4. sup. *Probro Vesta pudenda meo*. Eleg. 22. lib. 3.

Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ.

Albinovanus ad Liviam:

Diique latent templis, nec iniqua ad funera vultus
Præbent, nec poscunt tura, ferenda rogo.
Obscuros delubra tenent: pudet ora colentum
Aspicere, invidiæ, quam meruere, metu.

Foci, pro Laribus; ut Eleg. 18. lib. 3. *Amplexum Cæsaris esse focos*. *Erubescere*, pudore affici; id quod sequitur, pro eo quod præcedit. *Rubor* pudorem consequitur: Cicero 4. Tusc. unde sæpe *rubor*, pro pudore; ut *pallor*, pro metu. vide Macrobium lib. 7. Saturn. cap. 11. Plautus: *Faciam te ut pudeat. nam in ruborem te totum dabo*. & *Pudoricolor aurora* dicitur Nævio apud A. Gellium lib. 19. cap. 7. *Nostros*. Scaliger legendum ait *Vestros*. & ita vet. lib. PASS.

v. 43. NON FUIT EXUVIIS TANTIS CORNELIA DAMNUM] Rectus casus pro casu dandi. *Fuit damnum*, pro, damno. ut Eleg. 19. lib. 3. *Crimen & illa fuit*. Eleg. superiore v. 29. *Veji vos præda fuistis*. & *Horror eras* v. 10. Damnum vero quum sit proprium rei familiaris (dictum a deminutione patrimonii & demtione, Jurisconsultis) ad famam transtulit poeta; ut dicitur: *Famæ jactura pudicæ*, Eleg. 32. lib. 2. *Damnum rei; malum hominis*; inquit Donatus. *Fuit Cornelia*; pro, fui; ut sup.

Num minus immites habuit Cornelia Parcas?

Non fui damno tantis exuviis. non deminui laudem majorum. Exuvias posuit pro victoriis & triumphis; id quod sequitur, pro eo quod præcedit. nam victi exui & spoliari solent. Quid exuviæ, adnotavi ad v. 116. Eleg. 1. sup. PASS. *Non f. exuviis tantis C. damnum*. Si L. Paullus Macedonicus, & P. Scipio Æmilianus domum suam præda & exuviis hostium locupletassent; quod casta illa veterum Romanorum paupertas non sinebat; dicerem, Corneliam hoc sibi velle: se ornatu nimio, & luxu muliebri non indulsisse, quo pleræque feminæ opes a majoribus virtute partas deterere ac prodigere solent. præsertim quum censuræ mentio antecesserit. nam Censores & luxui frenos injiciebant. Lucretius de hac re lib. 4.

Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ.

Verum ab optima Passeratii explicatione non est discedendum. VULP.

v. 44. QUIN ET ERAT MAGNÆ PARS IMITANDA DOMUS] τὸ *Quin*, & quinetiam, immo etiam; ut Virgilius 6. Æneid.

Quin & avo comitem se se Mavortius addet
Romulus.

Pars. partis appellatione sæpe dimidium significari, scribunt Jurisconsulti; ut in L. 49. *de Usufr.* & L. 169. *de Verb. Sign.* Ovidius 5. Fast.

En ego dimidium voti, & pars altera vestri.

Sic *uxor pars domus*, quia ubi Paullus dominus, & Cornelia domina; paterfamilias; materfamilias; Cajus, Caja. *Pars imitanda*, unde exempla virtutum petenda. nam vitia imitanda non sunt. Familia autem, & liberi & servi se ad exemplum conformant patris & matris familias. Infra hic:

Fac teneat nuum nos imitata virum.

Domus magna, vel omnium majorum, ut sup. *Domus utraque*; vel domûs nostræ & familiæ communis. Contra *Tenues Lares* dixit Eleg. 1. sup. & Ovidius 6. Metam.

Orta domo parvâ, parvis habitabat Hypæpis.
PASS.

Quin

Nec mea mutata est ætas: sine crimine tota est.
Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas:
Ne possem melior judicis esse metu.

Quæ-

Quin & erat magna. Groninganus, *Quin erat & magna*. id quod mihi concinnius sonat. BROUKH.

v. 45. NEC MEA MUTATA EST ÆTAS: SINE CRIMINE TOTA EST] Ego per totam vitam eadem mansi, & mihi constiti. *Mea ætas*, ego ipsa, ut Eleg. 6. lib. 1.

Nam tua non ætas unquam cessavit amori.

Mutata. in deterius, ut Eleg. 12. lib. 1. *Mutat via longa puellas*. & Eleg. 14. l. 2. *Si forte aliquâ nobis mutabere culpâ*. Mutata ætas quidem pueritiæ in juventam: sed ætas, spatium hic vitæ continuum quod tecum egi. *Sine crimine tota est*. *Non noxia* dixit sup. v. 17. *Labe* v. 42. Contra Eleg. 11. lib. 1.

At nunc invisæ magno cum crimine Bajæ.

Nux Ovidiana: *Quum sim sine crimine vita*. An crimen de stupro? ut El. 6. l. 2. *Tu criminis auctor*. Ibid.

Quum paries nullo crimine pictus erat. PASS.

v. 46. VIXIMUS INSIGNES INTER UTRAMQUE FACEM] Inter facem nuptialem & sepulcralem. id est, toto tempore matrimonii. Ovidius 2. Fast.

Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer. habent alias mœsta sepulcra faces.

& Epist. Cydippes:

Et face pro thalami fax mihi mortis adest.

Appulejus 3. Florid. *Comœdiam ejus prius ad funebrem facem quam ad nuptialem venisse*. de illa v. 10. de hac v. 33. sup. Festus in *Rapi*. *Viximus* refertur ad anteactam cum laude vitam; ut 4. Æneid.

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.

Albinovanus ad Liviam: *Spes publica vixi*. Plautus Bacchid. *Vixisse nimio satius est quam vivere*. unde mortui vixisse dicebantur. *Insignes*, conspicuæ & illustri in loco. [vel non tam genere ac opibus, quam moribus conspiciendæ.] Eleg. pænult. lib. 3.

Versibus insignem te pudet esse meis. PASS.

Inter utramque facem. Pulchre & apposite Justinus lib. 11. Hist. cap. 1. *Nonnulli facem nuptiis filiæ accensam rogo patris subditam dolebant*. loquitur de morte Philippi Macedonum regis, a Pausania occisi eo ipso die, quo Cleopatræ filiæ nuptias celebraturus erat. VULP.

v. 47. MI NATURA DEDIT LEGES A SANGUINE DUCTAS] Sic Eleg. 18. lib. 2.

Ut natura dedit, sic omnis recta figura.

Natura dedit leges. Cicero pro Milone: *Non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus*. Lex ea naturæ *Fortes creantur fortibus*, ut ait Horatius. vide illic Lambinum. *Ductas a sanguine*, ut Eleg. 1. sup. *A proavo ducta Conone domus*. *Sanguine*, ut Eleg. 2. sup.

Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam. PASS.

Quum aliæ sint bonæ legum metu, sibi pro omnibus legibus ait esse solam naturam. pari ratione Metellum laudat Cicero L. 2. ad Attic. Epist. 1. *Præclare Metellus impedit, & impediet. quid quæris? est consul φιλόπατρις, &, ut semper judicavi, natura bonus*. *A sanguine ductas*. *dictas* habet Groninganus. & sic legendum sciscit etiam Nic. Heinsius Not. in Ovid. Epist. Medeæ v. 39. *dicere leges* sæpe occurrit apud optimum quemque scriptorem. inde *fœdus dicere*, id est, certis legibus constituere, apud Papinium legitur lib. 2. Theb. tamen τὸ *ductas* non videtur mutandum: quum Cicero dixerit L. 3. de Offic. C. 17. *Nec vero in prædiis solum jus civile, ductum a natura, malitiam fraudemque vindicat*. &c. & Valerius Flaccus L. 6. v. 125.

Magnanimis mos ductus avis, haud segnia mortis
Jura pati; dextra sed tota occumbere prolis
Ense data. BROUKH.

v. 48. NE POSSIM MELIOR JUDICIS ESSE METU] Sic Laërtius in Vita Aristotelis: *Rogatus (Aristoteles) quid e Philosophia consecu-*

Quælibet austeras de me ferat urna tabellas;
Turpior adsessu non erit ulla meo.

Vel

secutus esset, Hoc, inquit, ut injussus ea faciam quæ plerique per legum metum faciunt. Horatius Epist. 16. lib. 1.

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te, formidine pœnæ.
Sit spes fallendi: miscebis sacra profanis.

Cicero 1. Leg. & 2. de Fin. multa in hanc sententiam, quæ adnotat Lambinus ad hunc locum Horatii. Terentius Adelph. 1, 1.

Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.

Ovidius 1. Metam.

Nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.

Melior metu judicis; proba magis ob metum judicis. Eleg. 7. sup.

Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ.

Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 4.

Si qua metu demto casta est, ea denique casta est.

& Tibullus: *Ne sæva sis casta metu.* PASS. *Nec possim melior.* variant libri. sed legendum videtur ex superioribus, *Nec possum.* in me id præstat naturæ bonitas, quod vix metus legum in aliis facit. BROUKH. Sed verissima omnium lectio, *Ne possem.* pertinent enim hæc ad tempus præteritum, quum Cornelia degeret apud superos. mortua enim nec melior, nec deterior jam esse poterat. VULP.

V. 49. QUÆLIBET AUSTERAS DE ME FERAT URNA TABELLAS, TURPIOR ASSESSU NON ERIT ULLA MEO] Feratur, inquit, de me quodcumque judicium, tamen nulla femina sive puella, sive nupta inhonestior erit, quod mihi assederit, ut amici solent reis: nullam labem famæ suæ asperget. Improbis autem & sceleratis assidere omnes fugiunt. unde Cicero 2. Orat. in Catilinam: *Quid quod adventu tuo ista subsellia vacua facta sunt? quid quod omnes consulares, qui tibi ad cædem constituti sæpe fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt?* Idem pro Cn. Plancio: *Qui quum missi sint ob aliam caussam, tamen hujus repentino periculo commoti huic assident, pro hoc laborant: hunc si præsto fuerint, gratius se civitatibus suis facturos putant, quam si legationem & mandata sua confecerint. Quælibet urna;* pro quovis ordine judicum. tres autem ordines erant judicum, & cuique sua urna, ut Senatoribus, Equitibus, Tribunis ærariis: Cicero Epist. 6. lib. 2. ad Q. Fratrem. *Ferat tabellas; Judicet in mea ossa* dixit sup. v. 20. hic. Ita *Ferre sententiam, ferre suffragium.* Præter tabellas pictorum; duo alia genera tabellarum, privatarum & publicarum. privatæ, vel rationum sunt, vel epistolarum, de quibus Eleg. 23. lib. 3. publicæ, vel fori, ut hic; vel comitii & suffragiorum. De ternis tabellis judicialibus, & cista in quam conjiciebantur, Asconius in Divinationem Ciceronis. *Austeras*, rigidas, tetricas, severas. Eleg. 3. lib. 3.

Qui volet austeros arte ferire viros. PASS.

Turpior assensu. bene Passeratius, *Turpior assessu.* -- adludit morem Romanum, quo in judiciis amici adsidebant reis. ideo sub finem dicit:

Caussa perorata est: flentes me surgite testes. BROUKH.

Quælibet a. d. m. f. u. t. Significat sortitionem judicum, quæ fiebat per urnam. Tabellis nomina judicum inscripta erant. Licebat autem judices quos quisque sortitus erat rejicere, si eorum inimicitiæ, vel nimia severitas metueretur. Plinius Panegyr. Trajani cap. 36. *Sors & urna fisco judicem assignat. Licet rejicere, licet exclamare, Hunc nolo, timidus est, & bona sæculi parum intelligit: illum nolo, quia Cæsarem fortiter amat.* Cornelia vero quum virtuti suæ confidat, quorumlibet judicio etiam austerorum se probatum iri sperat. Id Romanis & Græcis commune erat. Isocrates in Trapezitico narrat, Pythodorum quemdam *τὰς γραμματεῖα* urnis resignatis eos exemisse judices qui a senatu injecti fuerant. Fuerant autem illæ tabulæ & a consulibus & ab ædilibus consignatæ, & a quæstoribus custodiebantur, & in arce adservabantur. Ceterum

forti-

Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybebem,
Claudia, turritæ cara ministra deæ:

Vel

fortitione facta, & quum judices jam sedissent; accusator æque ac reus judices sibi suspectos rejicere poterat, & jubere surgere. In eorum vero locum alios subsortiebantur. Lex Pompeja huic rei modum & numerum dedit, ut docet Justus Lipsius. Erant tamen & tabellæ judicum, quibus vel damnabant, vel absolvebant, vel ignoscebant reis. videndus Suetonius in Octavio cap. 33. Seneca Rhetor Controv. 23. *Judex, quam tulit de reo tabellam, revocare non potest*. Judicialis tamen calculi mentio in Codice Justiniani lib. 3. tit. 1. lege 12. De sortitione judicum vide Pitiscum ad Suetonium pag. 219. col. 2. *Turpior assessu non erit ulla meo*. Castissimis quibusque feminis assidere possum, absque illarum dedecore. Insignis est locus M. Tullii Epist. 16. lib. 1. ad Attic. ubi de caussa Clodiana, ad totum hoc Propertii distichon unice pertinens: *Pauci tamen boni* (judices) *inerant, quos rejectione fugare ille non potuerat; qui mæsti inter sui dissimiles & mærentes sedebant, & contagione turpitudinis vehementer permovebantur*. Vide & Dionem Cassium lib. 58. ubi de pernicie Sejani. D. Augustinus quoque Serm. XCIX. de verbis Evangelii Lucæ 7. cap. 8. *Quum eis* (Donatistis) *a Cognitore esset consessus oblatus, ut sederent nobiscum, respondendum putarent, scriptum est nobis cum talibus non sedere, scilicet ne per contactum subselliorum ad eos velut nostra contagia perveniret*. Adde Livium lib. 34. *Cur dives pauperem consessorem fastidiret?* VULP.

v. 51. VEL TU, QUÆ TARDAM MOVISTI FUNE CYBELLEM, CLAUDIA, TURRITÆ CARA MINISTRA DEÆ] Sive tu Claudia, quæ navem cum sacris matris deûm Idææ obhærentem vado Tiberino extraxisti, & fecisti ut sequeretur. Legendus Suetonius in Tiberio cap. 2. Cicero pro Cœlio: *Ne progenies quidem mea Quinta illa Claudia æmulam domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat?* Ibidem de altera Claudia Vestali. Ovidius 5. Fast. de templo Bonæ Deæ:

Dedicat hoc templum Clausorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore passa virum.

Idem initio 4. Fast. rem narrat, & Silius Italicus lib. 17. & Lactantius lib. 2. Div. Inst. cap. 8. Cicero de Arusp. Responsis: *Q. Clodia matronarum castissima judicata*. Livius lib. 29. *Matronæ primores civitatis, inter quas unius Claudiæ Quintiæ* (lege *Quintæ*) *insigne est nomen, accepere* (Idæam matrem.) Plinius lib. 7. H. N. cap. 35. *Pudicissima matronarum Claudia religionis experimenta judicata, inductâ in urbem deûm matre*. τὸ *vel*, pro sive, & exempli gratia, ut Eleg. 17. lib. 2. v. 5. & Eleg. 29. ejusd. lib. v. 34. Plautus Amphitr. 3, 2. *Vel id hunc rogata Sosiam*. & Milite 1, 1. *Amant te omnes, ne vel illæ quæ heri pallio me reprehenderunt*. *Quæ movisti Cybellem*. Statius 1. Silv. Carm. 2.

Non Claudia talis
Respexit populos, motâ jam virgo carinâ.

Ovidius 4. Fast.

Dixit, & exiguo funem conamine traxit,
(Mira, sed in scena testificata loquor.)
Mota dea est, sequiturque ducem, laudatque sequendo.

De Cybelle vide adnotata ad illud El. 17. lib. 3. v. 35.

Vertice turrigero juxta dea magna Cybelle.

ubi & adnotatum cur *Turrita*. *Tardam*. Ovidius 4. Fast. hac de re:

Sedit limoso pressa carina vado.
Quisquis adest operi, plus quam pro parte laborat,
Adjuvat & fortes voce sonante manus.
Illa velut medio stabilis sedet insula ponto.
Attoniti monstro stantque paventque viri.

Fune. sic Eleg. 14. lib. 1.

Et modo tam tardas funibus ire rates.

ubi vide adnotata. Est qui cingulo, non fune, id fecisse Claudiam scribat. *Rara*, singularis exempli, ut dicitur *Unica*. Elegia 8. lib. 1. *Cynthia rara mea est*. *Ministra*; vide Eleg. 4. sup. v. 44. *Turritæ deæ*, Cybeles, ut Ovidius lib. 2. Trist.

Carmina turrigeræ dicere jussit Opi. PASS.

T. *cara ministra d.* Nic. Heinsius malebat, *cara ministra*. probo, & res ipsa probat. sic Diana L. 11. Æn.

Gra-

Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.

Nec

Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, & nostris nequiquam cingitur armis,
Cura mihi ante alias.

& sic Venus ad Violantillam, L. 1. Silv. Papinii, 2. Oportet profecto egregie caram fuisse Matri deûm, in cujus gratiam ederet tam insigne miraculum, cujusque pudicitiam falso suspectam ipsa tueretur. vide Suetonium Tiberio C. 2. & Ovidium L. 4. Fast. a versu 319. Minucius Felix: *Testis mater Idæa, quæ adventu suo & probavit matronæ castitatem, & urbem metu hostili liberavit.* ceterum matronam vocant, quotquot hujus historiæ meminerunt: & quis non meminit? Papinius autem *virginem* dixit L. 1. Silv. 2. nimirum ex usu sermonis Romani, quo *virgines* dicuntur & mulieres nuptæ, etiam quæ pepererunt. Virgilius Ecl. 6. de Pasiphaë:

Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit?

Servius: VIRGO *a viridiore ætate: nam jam mater fuerat Phædræ, Ariadnes, & Androgei. Calvus in Io:*

Ah virgo infelix, herbis pasceris amaris.

- - - - neque tamen semper procedit regula Junii Philargyrii, sciscentis ad Eclog. 3. *virginem* dici etiam quæ peperit, usque ad secundum partum, postmodum *mulierem* perhiberi. aliter jam a Servio edocti sumus. BROUKH. De hac re vide præter ceteros Herodianum lib. 1. Hist. cap. 35. Livius miraculum silentio præterit lib. 29. ubi de matre deûm Romam advecta. VULP.

v. 53. VEL CUI, COMMISSOS QUUM VESTA REPOSCERET IGNES, EXHIBUIT VIVOS CARBASUS ALBA FOCOS] Significat Æmiliam virginem Vestalem, de qua Dionysius lib. 2. Quum olim ignis Vestæ defecisset, negligentius asservante Æmilia, quæ ejus custodiam alteri novitiæ Vestali mandasset, venit in suspicionem quasi parum caste rem sanctissimam tractasset: tum inops consilii, Vestam prius apprecata, injecit aræ avulsam partem carbasinæ vestis; ac tum e frigido cinere per carbasum flamma emicuit. Addit idem alteram fabulam de Tucia Vestali, eadem de caussa periclitante: petiisse Tiberim, & aquam cribro haustam pertulisse in forum, & ad pedes Pontificum effudisse. Vide & Valerium Maximum lib. 1. cap. 1. *Cui commissos*, concreditos, ut Eleg. 1. sup.

Aut sibi commissos fibra locuta deos.

Ignes; *fatalia lumina*, Eleg. 3. lib. 3. *Palladis ignes* Eleg. 4. sup. vocavit. *Quum Vesta reposceret*, repeteret tamquam depositum a sacerdote sua, quia ei custodia ignis Vestæ concredita erat. Sic Eleg. 1. lib. 2.

Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent.

Carbasus alba, quia color albus præcipue decorus deo: Cicero 2. de Leg. unde *Candida turba* Tibullo. Ovidius 1. Fast.

Et populus festo concolor ipse suo.

De carbaseis vestibus, sive carbasinis dictum ad Eleg. 3. sup. v. 66. Sunt & carbasa, id est, carbasinæ vestes non albæ. Virgilius 8. Æneid. de Tiberino agens:
Eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus.
& 11. Æn. de Chloreo sacerdote Cybeles:

Tum croceam chlamydemque sinusque crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro.

Dionysius lib. 2. Τὸν τελαμῶνα ἀπὸ τῆς καρπασίνης ἐσθῆτος injecisse ait Æmiliam. id est, laciniam vestis carbasinæ. & mox: ἀναλάμψαι φλόγα πολλὴν διὰ τῆς καρπάσου, emicuisse multam flammam per carbasum. *Exhibuit*, edidit, palam ostendit. Exhibere, inferre, inquit Nonius, ut *Exhibere negotium*. immo præbere, παρέχειν. Plautus Milite 2, 6. *Herum exhibeas volo*. repræsentes. *Exhibere se adorandum*, Suetonius in Calig. cap. 22. & *Exhibere ad ferrum* (gladiatores,) in Nerone cap. 12. Exhibere, Jurisconsultis, est facere in publico potestatem; vel præstare in eadem caussa qua fuit quom judicium acciperet. L. 2. & 9. *De exhibendo*. *Focos*, ignes; ut Eleg. 9. sup. v. 10.

Per tria partitos qui dabat ora focos.

& *Iliacis focis* Ovidius 3. Fast. ut adnotatum ad Eleg. 4. sup. v. 69. *Vivos*; vide adnotata ad Eleg. 3. sup. v. 52. Ovidius 4. Fast.

Ignes

Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis, urbisque querelis,
Defensa & gemitu Cæsaris ossa mea.

Ille

Inque foco corpus pueri vivente favilla
Obruit. Pass.

Historiam prolixe narrat Dionysius Halicarn. l. 2. brevius Valerius Maximus l. 1. cap. 1. *Maxime vero*, inquit, *virginis Æmiliæ discipulam, exstincto igne, tutam ab omni reprehensione Vestæ numen præstitit; qua adorante, quum carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit*. Vulp.

v. 55. Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi] Virgilius 4. Æneid.

Testor, cara, deos, & te, germana, tuumque
Dulce caput.

Horatius dixit *Carum caput*. Græci φίλη κεφαλή. Sic μιαρὰ κεφαλή. *Lepidum caput*. De Scribonia legendus Suetonius in Aug. cap. 61. 63. & 69. item de Illustr. Grammat. cap. 19. De Scribonio, Dio p. 226. 232. & 256. & Tacitus, p. 35. 4. Pass. *Dulce caput*. Ita Eleg. 1. lib. 2. appellavit Mæcenatem suum

Et sumta, & posita pace fidele caput.

Scribonia. Hæc fuit soror Libonis, Sex. Pompeji soceri, tertia uxor Augusti, *cum* qua tamen ille *divortium fecit*, *pertæsus*, *ut scribit*, *morum perversitatem ejus*. verba sunt Suetonii in Aug. cap. 62. Idem verò narrat, hanc mulierem, *nuptam ante duobus consularibus*, *& ex altero etiam matrem*. qui fuerit fortasse pater nostræ Corneliæ. Aliam puto fuisse Scriboniam illam, de qua Seneca Epist. 70. *Scribonia*, inquit, *gravis femina*, *amita Drusi Libonis fuit*, *adolescentis tam stolidi*, *quam nobilis*, *majora sperantis quam aut illo seculo quisquam sperare poterat*, *aut ipse ullo*. lege reliqua. *Nec te*, *mater Scribonia*, *læsi*. Tacite perstringit Juliam, alteram Scriboniæ filiam, quam in Augusti matrimonio peperit. Monstrum enim illud mulieris, flagitioso vitæ genere ac dissoluto, & Augusto patri, & marito Agrippæ, & Scriboniæ matri ingentis infamiæ caussa fuit. huic autem & exsilii voluntarii. Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 100. *Filia ejus* (Augusti) *Julia*, *per omnia tanti parentis ac viri immemor*, *nihil quod facere aut pati turpiter posset femina*, *luxuria*, *libidine infectum reliquit*; *magnitudinemque fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur*; *quidquid liberet*, *pro licito vindicans*. & mox: *Julia relegata in insulam*, *patriæque & parentum subducta oculis*. *Quam tamen comitata mater Scribonia*, *voluntaria exsilii permansit comes*. Vulp.

v. 56. In me mutatum quid, nisi fata, velis?] Nullius delicti mei te pœnituit, mater; nihil enim deliqui. mors tantummodo mea immatura tibi dolori fuit. Terentius Andria 1, 1. *Haud muto factum*. ubi Donatus: *Venuste*, *pro non pænitet*. *nam si quid pæniteret*, *infectum velle dicebant*. quod repetit in Hecyram. Sic in veteri Inscript. *De qua doluit nihil nisi mors ejus*. Sallustius in Oratione Lepidi: *Quis tandem vult? aut quis non omnia mutata præter victoriam?* Pass. Fortunis meis plurimum defuit, pudicitiæ nihil. Euripides Alcestide: Σώφρων μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ' ἴσως. *Non quidem castior*, *sed fortasse felicior*. Loquitur Alcestis moritura de altera viri sui Admeti conjuge, secum comparata; quæ post mortem suam Admeto nubere possit. Vulp.

v. 57. Maternis laudor lacrimis, urbisque querelis: Defleta et gemitu Cæsaris ossa mea] Lacrimæ, inquit, matris meam in ipsam pietatem, & ejus desiderium testantur. Sic Albinovanus ad Liviam:

Et voce & lacrimis laudasti, *Cæsar*, *alumnum*,
Tristia quum medius rumperet orsa dolor.

& Ennius: *Nemo me lacrimis decoret*. *Lacrimis maternis*. ut Eleg. 7. lib. 3. *Materno tacto dolore Thetis*. *Defleta ossa mea*. ego mortua. vide sup. hic v. 20. Virgilius 6. Æneid. *Hic multum fleti ad superos*. Noster Eleg. 19. lib. 1.

Ille sua nata dignam vixisse sororem
  Increpat: & lacrimas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
  Nec mea de sterili facta rapina domo.

Tu,

Cara tamen lacrimis ossa futura meis.
& Eleg. 14. lib. 2.
Cujus falsa tenens fleverat ossa soror.
Contra Virgilius 11. Æneid.
Nec animæ viles, inhumata, infletaque turba.
Ovidius in Ibin:
Indeploratum projicere caput.
Vetus liber, *Defensa*. quasi suspicione alicujus culpæ perstricta sit Cornelia, quam tamen Cæsar falsam ostenderit, qui & ejus morti illacrimarit, & prædicarit dignam quæ filia sua esset. hic nugatur Lipsius lib. 4. Antiq. Lect. cap. 1. pro *Defleta*, *Defusa* legens. *Urbis querelis*, publico luctu. Albinovanus ad Liviam: *Urbs gemit, & vultum miserabilis induit unum*. Idem: *Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit*. Euripides in extremo Hippolyto: *Κοινὸν τόδ' ἄχος πᾶσι πολίταις, Communis hic dolor omnibus civibus*. PASS. Male hic *Defleta* habent vulgatæ. *Defensa* est in octo libris calamo exaratis, & in primis editionibus. quod bene exposuit Scaliger. veterem scripturam ejecit Volscus; neque diffitetur. BROUKH. *Defensa*, Editio omnium princeps. Gemitum quidem viro forti concedit Cicero in Tusculanis, non item fletum & ejulatum. VULP.

v. 59. ILLE SUA NATA DIGNAM VIXISSE SOROR
EM INCREPAT: ET LACRIMAS VIDIMUS IRE DEO] Subinde dicit Augustus cum crepitu quodam verborum & objurgatione filiæ suæ Juliæ, sororem ejus uterinam (me scilicet) vixisse dignam sua nata; id est, me dignam se vitrico fuisse ait, non Juliam sororem meam e matre Scribonia. Relegata autem Julia, Augusti & Scriboniæ filia, in insulam Pandatariam, & eam ultro illuc secuta mater Scribonia: Dio lib. 55. Huc pertinet quod scribit Suetonius in Augusto cap. 65. Quum princeps ille relegasset Julias filiam & neptem omnibus probris contaminatas, & Phœbe liberta conscia earum adulterii suspendio vitam finisset, maluisse dixit se Phœbes patrem fuisse. *Increpat*. de hoc verbo vide adnotata ad El. 17. lib. 1. v. 6. & Eleg. 26. lib. 2. v. 15. *Ire*, fluere. Horatius, *Manare per genas*. ut Ovidius:
Hac ibat Simois, hæc est Sigeïa tellus.
Idem:
Perque sinus lacrimæ fluminis instar eunt.
Dii autem an lacriment, quæritur. Noster sane Eleg. 16. lib. 2. *Flevit & ipse deus*, ubi vide adnotata. Ovidius Epicedio Tibulli:
Memnona si mater, mater ploravit Achillem.
At Hippolytus apud Euripidem: *Ὁρᾷς με, δέσποιν', ὡς ἔχω τὸν ἄθλιον. Vides me, regina, qualis sim, miserabilem*. Respondet Diana: Ὁρῶ, κατ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ.
Cerno; ex oculis tamen non est fas emittere lacrimam.
& Ovidius 4. Fast.
Dixit (Ceres,) & ut lacrimæ (neque enim lacrimare deorum est)
Decidit in tepidos lucida gutta sinus.
Deo. ut Eleg. 4. lib. 3. *Deus Cæsar*. Albinovanus ad Liviam:
Denique laudari sacrato Cæsaris ore
Emerui, lacrimas elicuique deo.
Ibidem:
Ecce ter ante datis jactura novissima Drusus
A magno lacrimas Cæsare quartus habet.
Vide Senecam Consolat. ad Polybium cap. 35. *Vidimus*. Imitatur idem Albinovanus:
Vidimus (Augustum) erepta marcentem stirpe sororis,
Marcello nempe, Octaviæ Augusti sororis filio. *Vidimus*. umbra mea sensit. Idem Albinovanus, verbis Drusi vita functi:
Et sensi exsequias funeris ipse mei. PASS.

v. 61. ET TAMEN EMERUI GENEROSOS VESTIS HONORES] Sic Ovidius l. 3. Amor. Eleg. 1.
Et tamen emerui plus quam tu posse, ferendo
Multa supercilio non patienda tuo.
Idem 5. Fast.

Eme-

Tu, Lepide, & tu, Paulle, meum post fata levamen.
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus & fratrem sellam geminasse curulem:
Consule quo facto, tempore rapta soror.

Emeritus voti debita solvit honor.

Honores vestis generosas. Scaliger hinc ait colligi matronas eas efferri solitas ornamentis consularibus, quarum filii curules magistratus gessissent. Beroaldus vestem ait matronalem intelligi, quæ fœcundis mulieribus concederetur, & matribus trium liberorum, ut erat Cornelia. Sic Albinovanus ad Liviam v. 351. *Jus matris habemus ab una*. vide Dionem lib. 55. Ego suspicor, funus censorium hic significari: nam Censoris uxor erat Cornelia, ut infra dicet. Polybius lib. 6. Consulum aut Imperatorum vestes funebres περιπορφύρους ait fuisse; Censorum πορφυρᾶς. Livius lib. 34. *Purpurâ viri utemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis; --- nec id ut vivi solum habeamus insigne, sed etiam ut cum eo crememur mortui*. Censorii funeris mentio apud Tacitum lib. 4. & 12. Annal. & apud Capitolinum in Pertinace. Turnebus lib. 23. Adv. cap. 7. idem fere quod Beroaldus; concedi solitam vel lege, vel more fœcundis matronis honoratiorem vestem, cum qua efferrentur. An *stolæ sue* intelligit, de quo Festus in *Matronas? Generosos honores*, qui generosis & primaria nobilitate feminis tribuuntur. PASS. Scaligeri explicatio nihil ad Corneliam facit: quæ rapta admodum adolescens duos reliquit filios, sed pueros, & qui per ætatem nullum gessisse poterant magistratum curulem. Verior igitur est expositio Beroaldi. vide & Behotium L. 1. Apophor. C. 14. BROUKH. *Generosos vestis honores*. quoniam ea stola matronalis, vel palla, cum qua matres plurium liberorum ad rogum gestabantur, generosarum seu nobilissimarum propria erat. Corrigendus iccirco locus Nepotis in Attici Vita, ubi ait, *M. Vipsanium Agrippam praoptasse equitis Romani filiam generosam nuptiis*. legendum enim est, *generosarum nuptiis*, nempe mulierum e senatoriis & consularibus familiis. Censorium autem funus sumtuosissimum fuit: censura enim κορυφὴ τῆς τιμῆς ἁπάσης vocatur a Plutarcho in Catone majore. Est aliquid apud Euripidem in Alcestide, pertinens ad vestem insignem, qua tegebantur in funere cadavera mulierum optimarum. VULP.

v. 62. NEC MEA DE STERILI FACTA RAPINA DOMO] Ego rapta non fui de infœcunda familia, ut infra:

Consule quo facto tempore rapta soror.

Sic Eleg. 18. lib. 1. v. 29. *Mea querela*. Eleg. 5. lib. 2. *Mea ira*. Eleg. 13. lib. 2. *Mea more*. hic sup. *Mea ætas*. *Facere rapinam*, rapere; ut *Facere furtum*, furari; *Facere moram*, morari; *Facere scissum*; scindere. &c. *Rapi autem simulabatur virgo ex gremio matris: aut, si ea non erat, ex proxima necessitudine, quum ad virum trahebatur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit*: Festus. Catullus ad Hymenæum: *Qui rapis teneram ad virum Virginem*. Idem:

Hespere, qui cælo fertur crudelior ignis,
Qui natam possis complexu avellere matris?
PASS.

Nec rapta sum de domo sterili quum ad Paulli domum virgo deducerer: nec de domo sterili me rapuit mors ad sepulturam. nam & Cornelia stirps, & Æmilia ambæ fœcundæ. hæc autem & per me liberos habuit. VULP.

v. 63. TU, LEPIDE, ET TU, PAULLE, MEUM POST FATA LEVAMEN,
(CONDITA SUNT VESTRO LUMINA NOSTRA SINU)
VIDIMUS, ET FRATREM SELLAM GEMINASSE CURULEM:
CONSULE QUO FACTO TEMPORE RAPTA SOROR.]

Ita hæc sunt interpungenda. Fratres interdum diverso cognomine, ut Eleg. 1. sup. Gallus & Lupercus v. 93. & 95. Sic e gente Æmilia, Æmilius Paullus, & Lepidus. Interpres Juvenalis in Sat. 6. Juliam neptem Augusti nuptam ait Æmilio Paullo, qui majestatis crimine perierit. Tacitus lib. 2. Annalium tradit, intestatæ Æmiliæ

Musæ locupletis bona data a Tiberio Æmilio Lepido, cujus e domo videbatur. In vetere oumo apud Lambinum puteal ex altera parte visitur cum his litteris : PVTEAL . SCRIBON . LIBO . in altera capot humanum cum velamento dependente ad tergum, & scriptum, PAVLVS . LEPIDVS . CONCORD. hi sunt Scriboniæ nepotes, & filii Corneliæ . L. Paulli progeneri, & Lepidi juvenis, qui conjurarunt in Augustum, meminit Suetonius io Aug. c. 19. Vellejus posteriore volumine, Plutarchus in Antonio. Apud Dionem lib. 54. Q. Lepidos fit consul per ambitionem . *Meum post fata levamen* ; solatium mortis meæ immaturæ , quia superstites vos reliqui & florentes. Virgilius in fine 3. Æneideos :

Heu genitorem , omnis curæ casusque levamen ,
Amitto Anchisen .

Martialis lib. 6.

Hic tibi curarum socius , blandumque levamen .

Sic Cicero dixit *Levamen* , & *levamentum miseriarum* . *Post fata*, Eleg. 1. lib. 3. *Post obitum* ; & *post cineres* ; & *Ab exsequiis* . *Condita lumina*. compositi & clausi mihi oculi a vobis, quum in sinu & amplexu vestro exspiravi. Ovidius Epist. Penelopes :

Dii precor hoc jubeant , ut euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat , ille tuos .

loquitur Penelope de Telemacho filio . & io Epicedio Tibulli :

Hic certe manibus fugientes pressit ocellos
Mater .

Virgilius 9. Æneid. *Nec te tua funera mater Produxi, pressive genas*. [id est, demisi, & presso digito quasi consignavi palpebras oculorum, quæ ab antiquis genæ vocabantor .] Statius 8. Theb. *Sponsæ munus miserabile tradunt Declinare genas* . *Sinu vestro* . in complexu carorum emori solent , & libenter homines . Albinovanus ad Liviam :

At miseranda parens suprema nec oscula fixit ,
Frigida nec fovit membra tremente sinu .

Virgilius 4. Æneid.

Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu .

Fratrem ; Cornelium aliqoem . An fratrem Paulli & Lepidi, & filium Corneliæ ? An ipsum Corneliæ fratrem ? hoc verius . *Geminasse sellam curulem* ; iterum factum esse vel Ædilem , vel Prætorem , vel Consulem . hi sunt enim curules magistratus . Sic *geminatus honor* dicitur Livio l. 1. Tacitus quoque lib. 1. Annal. *M. Agrippam geminatis consulatibus extulit* . De sella quædam dicta sup. hic v. 21. & Eleg. 10. sup. v. 30. Eburnea vero sella illa fuit . Horatius Epist. 6. lib. 1.

Cuilibet hic fasces dabit , eripietque curule
Importunus ebur .

Ovidius lib. 4. Pontic. Eleg. 9.

Signa quoque in sella nossem formata curuli ,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus .

Silius de Vetulonia civitate Etruriæ :

Hæc altae eboris decoravit honore curules .

Dionysius etiam l. 3. ab Etruscis esse sellam curulem docet, vocatque θρόνον ἐλεφάντινον . Vide & Macrobium lib. 1. Saturn. c. 6. Asconius in Divinat. *Subsellia , Tribunorum , Triumvirorum , Quæstorum , & hujusmodi minora judicia exercentium ; qui non in sellis curulibus , nec tribunalibus , sed in subselliis considebant* . In reliquiis Festi seorsum excusis : *Curiales , ejusdem curiæ ; Curules equi , quadrigales . Curules magistratus , qui curru vehebantur* . Vide A. Gellium l. 3. cap. 18. Servium in 11. Æneid. Isidorum lib. 20. cap. 11. *Consule quo facto tempore* . Implicatio sermonis , *Quo tempore rapta soror , facto* (eo fratre) *Consule* . vel , *Quo* , iterandum ut sup. *Vidimus* . Aut *tempore* , pro , tempori , mature , quum jam esset tempestiva viro. *Factus Consul* , sæpe Cicero . Catullus : *Facto Consule nunc iterum* . unde jocus in Ventidium : *Nam mulas qui fricabat , Consul factus est* . & , *Facto Metelli Romæ fiunt Consules* . An *Consul factus tempore*, id est, anno suo ? *Soror* . Ao vestra ? an mea ? an ego ipsa ? hoc opioor . *Rapta*, nupta . vide adnotata ad v. 62. hic sup. PASS.

v. 63. TE , LEPIDE , ET TE , PAULLE] Ita hæc distinxit Scaliger, ut regi debeant a verbo sequente *vidimus* . aliter autem Groninganus, & meo animo rectius :

Tu , Lepide , & tu , Paulle , meum post fata levamen .
Condita sunt vestro lumina nostra sinu .

Tu , o Lepide , tuque , o Paulle , filii mei, solatium estis mortis meæ immaturæ . in vestro complexu , in vestro sinu , oculos mihi meos clausistis, supremo pietatis officio erga matrem. Cicero Philipp. 12. C. 9.

Tice

Filia tu ſpecimen cenſuræ nata paternæ,
Fac teneas unum, nos imitata, virum.

Et

Tres viæ ſunt ad Mutinam, qua feſtinat animus, ut quam primum illud pignus libertatis populi Romani D. Brutum adſpicere poſſim: cujus in complexu libenter extremum vitæ ſpiritum ediderim. BROUKH. Groningani codicis lectionem amplector, & judicio Broukhuſii, viri emunctæ naris, omnino ſubſcribo. Si enim Lepidus & Paullus Corneliæ filii viva matre curulem geſſiſſent magiſtratum, neque eum ſemel, ſed iterum, Cornelia immatura ad inferos non veniſſet, ut ipſa teſtatur ſup. v. 17. Sella igitur curulis hoc loco pertinet ad fratrem ejus tantummodo, non ad liberos, qui *pueri* vocantur infra v. 85. Ceterum Paullus hic L. Æmilii Paulli Cenſoris & Corneliæ noſtræ filius, Conſul fuit cum C. Cæſare, M. Agrippæ filio, ab Auguſto adoptato, anno U. C. 754. Hic Caji ſororem Juliam, Auguſti neptem, in matrimonio habuit. Poſtea oblitus beneficiorum quæ a principe acceperat, in eum conjuravit; ſed fruſtra. Paullus contra pater ejus, vir Corneliæ, fidiſſimus Auguſto fuerat, quamvis a principe Lepidus frater, triumviratu abrogato, in ordinem redactus fuiſſet. Falſo autem Samuel Pitiſcus ad Suetonii Auguſtum cap. 64. ait, Henricum Noriſium in Cenotaphiis Piſanis Diſſertat. 2. putare, Juliam Auguſti neptem nupſiſſe Paullo Cenſori, poſt mortem Corneliæ uxoris. Nam vir ille eminentiſſimus aperte admodum ſcribit, Paullum juniorem, Paulli Cenſoris & Corneliæ filium, Juliam uxorem duxiſſe. VULP.

v. 64. CONDITA SUNT VESTRO LUMINA NOSTRA SINU] Anus quædam apud Callimachum Epigr. 42. Καί μοι τέκν' ἐγένοντο δύ' ἄρσενα, κἠπέμυσ' ἐκείνων Ἐν γήρως ἱεροῖσιν. *Et mihi erant duo liberi ſexus virilis: & oculos clauſi Felici ſenectute in eorum manibus.* VULP.

v. 65. SELLAM GEMINASSE CURULEM] De ædilibus curulibus Cicero Orat. 7. in Verrem ab illis verbis: *Mihi ſacrorum ædium procurationem.* VULP.

v. 66. CONSULE QUO FACTO TEMPORE RAPTA SOROR] Conſtructio difficilis, ſenſu intricato. forte,

Conſule quo, fati crimine rapta ſoror.

nam ſic loquebantur de obitu immaturo. vide notam ad v. 17. *Immatura licet, tamen huc non noxia veni.* adde quod verbum *rapi* eſt in hac re ſolenne. Ovidius de ſuo pſittaco L. 2. Amor. Eleg. 6. *Raptus es invidia.* BROUKH. Ait, ſe, quamvis in juventa mortuam, tamen ſatis maturo funere elatam fuiſſe, quum & liberos Paullo pepererit, & fratrem Conſulem viderit. *tempore* enim hic eſt, opportune, tempeſtive. nihil propterea durum & impeditum in hac conſtructione. Plautus Aſin. 3, 3, 143. *Ut tempore, opportuneque attuliſtis!* Idem Epidico 3, 3, 25. *Ædepol na iſtam tempore gnato tuo ſumus præmercati.* Ovidius Epiſt. Phædræ:

Tempore abeſt, aberitque diu Neptunius heros.

Cicero Act. 4. in Verr. *Satis putabat ſe ad comitia tempore venturum, ſi pridie veniſſet.* Idem lib. 7. ad famil. Epiſt. 18. *Ego enim renovabo commendationem, ſed tempore.* V.

v. 67. FILIA TU SPECIEM CENSURÆ NACTA PATERNÆ FAC TENEAS UNUM, NOS IMITATA, VIRUM] Lipſius lib. 4. Antiq. Lect. cap. 1. damnat hanc lectionem ut ineptam. *Nam quomodo*, inquit, *mulier ſpeciem cenſuræ gerat?* lib. vet. *Specimen*. Itaque legit; *Tu ſpecimen cenſuræ nata paternæ. Id eſt, Quæ ita nata es, ut cenſuram patris tui moribus exprimas.* Hæc ille. Scaliger: *Speciem*, lege, *Specimen*. Nihil præterea. Retineo, *ſpeciem*; Quum, inquit, nacta ſis dignitatem & ſplendorem hunc, quia pater tuus Cenſor fuit, fac uno viro contenta ſis. Sic enim ipſa legem cenſuræ non mollivi. Ita Q. Cicero ſæpe *ſpeciem* uſurpat in libello de Petit. Conſulat. & Noſter Eleg. 31. lib. 2.

Tota erat in ſpeciem Pœnis digeſta columnis.

& Cicero 2. de Orat. De ſpecie & dignitate cenſuræ Plutarchus in Paullo Æmilio. *Fac teneas*, ut Eleg. 4. ſup. v. 66. *Fac venias.* *Teneas unum virum*; uni viro tantum nupta ſis. Univira ſis, meo exemplo, non bivira, aut multivira. *Tenere virum*,

ut

Et ferie fulcite genus. mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis tot mea fata malis.

Hæc

ut *Tenere matrimonium*. Suetonius in Calig. cap. 25. *Matrimonia contraxerit turpius, an dimiferit, an tenuerit, non eft facile difcernere*. Sic Virgilius 3. Æneid.

Hectoris, Andromache, Pyrrhin' connubia fervas?

Nos imitata; quia dixit fup.

In lapide hoc uni nupta fuiffe legar. Pass. Feliciffima eft fagaciffimi Lipfii conjectura, L. 4. Ant. Lect. C. 1. & veriffima, *tu fpecimen cenfura nata paterna*. quo plane modo legitur in Vaticano Livineji, Palatinis Gebhardi, Borrichiano, uno Colbertino, Groningano, & binis noftris. Tu, o filia, quæ ita fancte nata es, ut cenfuram patris tui tuis exprimas moribus, imitare matrem tuam, & in uno folo matrimonio ætatem tuam exigito. Vox *fpecimen* notione eadem apud Tacitum legitur L. 3. Ann. C. 4. *Nihil Tiberium magis penetravit, quam ftudia hominum accenfa in Agrippinam; quum decus patriæ, folum Augufti fanguinem, unicum antiquitatis fpecimen appellarent*. nec femel Cicero ita locutus eft, ac Plinius Cæcilius. decóre ex perfona Corneliæ conjugis nofter poeta effert laudibus cenfuram mariti Paulli: quamquam in alia omnia difcedunt hiftoriarum monumenta. Vellejus L. 2. C. 95. *Cenfura Planci & Paulli, acta inter difcordiam, neque ipfis honori, neque reip. ufui fuit: quum alteri vis Cenforis, alteri vita deeffet: Paullus vix poffet implere Cenforem, Plancus timere deberet, ne quidquam objicere poffet adolefcentibus, aut objicientes audire: quod non agnofceret fenex*. adde Dionem initio libri 54. *Fac teneat unum, nos imitata, virum*. *tenere virum* Nofter dixit, ut Cicero *tenere matrimonium*, Orat. pro M. Cælio C. 14. *Non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuiffe fciebas, clariffimi ac fortiffimi viri, patriæque amantiffimi?* Broukh. *Filia tu*. Allocuta mares liberos, alloquitur & filiam. id quod confirmat lectionem Broukhufii, *Tu, Lepide, & tu, Paulle*. neque ipfe tamen animadvertit, fecutus μετάθεσιν audacem Jofephi Scaligeri, qua nihil erat opus. *Specimen* legitur in editione principe A. 1472. fæculo integro ante Lipfium. *Nos imitata*: nos etenim femel nuptæ ad alias nuptias numquam divortimus. Vulp.

v. 69. Et serie fulcite genus. mihi cymba volenti Solvitur, uncturis tot mea fata meis] Date operam liberis, ne deficiat foboles, & domus veftra ruat. fupra eadem translatione:

Et domus eft titulis utraque fulta fuis.

Virgilius 4. Georg.

Et genus immortale manet, multofque per annos
Stat fortuna domûs, & avi numerantur avorum.

& mox:

Quo magis exhauftæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapfi farcire ruinas.

& 11. Æneid. *Evandri tota cum ftirpe videbis Procubuiffe domum*. Tacitus l. 1. Annal. *Quo pluribus munimentis infifteret* (Auguftus), nitebatur fubfidio plurium liberorum. Virgilius 12. Æneid. *In te* (generum) *omnis domus inclinata recumbit*. Euripides, Iphigenia in Tauris: Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες. *Serie*, longo ordine liberorum, nepotum, & pronepotum. Sic Juvenalis, Sat. 8. *Longo ordine cenferi*. Virgilius 1. Æneid.

Series longiffima rerum
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.

Ovidius lib. 13. Metam.

Sic ab Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc feries in cauffa profit, Achivi.

Series, eft hominum vel rerum inter fe confertarum, & conjunctarum longus ordo. unde Horatius: *Innumerabilis annorum feries*. *Fulcite genus*. Sic Seneca Confolat. ad Marc. cap. 15. *Fulcire domum adoptione*. Lucretius: *Natis munire fenectam*. *Mihi cymba volenti Solvitur*; me non invitam trajicere nunc Charon parat. Eleg. 18. lib. 3.

Scandenda eft torvi publica cymba fenis.

Solvitur navis, & ora, & funis. Solvitur navis, quum linquitur portus, aut ripa: & religatur, quum appellitur. Feftus:

Primum

Hæc eſt feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

Nunc

Primnesius palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tonſillam vocant. Numquam tamen ſolvitur Charontis cymba, ſi credimus Albinovano in Obitum Mæcenatis:

Irreligata ratis, numquam defeſſa carina;
It, redit in vaſtos ſemper onuſta lacus.

Tot meis; ut infra hic:

Illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.

Uncturis mea fata; curaturis funus. nam ungebantur mortui. Sic Eleg. 16. lib. 3. *Afferet huc unguenta mihi*. ubi vide adnotata. Martialis: *Qui non cœnat & ungitur, Fabulle, Hic verò mihi mortuus videtur*. PASS. *Serie fulcite genus*. Nos in Epithalamio quodam trochaicis verſibus conſcripto, veteres æmulari (neque enim diffitemur) ita conati ſumus:

Quale flumen, aut ſoluta turgidus torrens nive,
Currit annus incitatus, hora pernix avolat,
Et rapit ſecum puellas, & rapit fortes viros.
Sponſe felix, nupta florens, exhibete liberos,
Qui parentum dignitatis admonebunt poſteros,
Sarcientque per nepotes cuncta damna temporis.

Mihi cymba volenti ſolvitur, a. t. m. ſ. m. Lubens Charontis ratem ingredior, omni turbâ meorum ſuperſtite, nec experta ſenectutis moleſtias. Quippe ſi longius vitam produxiſſem, fortaſſe mariti, filiorum, cognatorum obitus, vel infortunia videre ac ſentire mihi contigiſſet, adeoque miſerior ad Orcum tandem migraſſem. Huc facit inſignis locus Juvenalis Sat. 10. v. 240. ubi de ſenectutis incommodis:

Ut vigeant ſenſus animi, ducenda tamen ſunt
Funera gnatorum, rogus aſpiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque ſororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domûs, multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & pulla veſte ſeneſcant.

Quintilianus prooem. lib. 6. Inſtit. Orat. de uxore ſua, quæ undevicesimo ætatis anno duos enixa filios, felix deceſſerat: *Liberis tamen*, inquit, *ſuperſtitibus delitabatur: & quod nefas erat, ſæva (ſed optabat ipſa) me ſalvo maximos cruciatus præcipiti viâ effugit*. Penes Franciſcum Petrarcham, Etruſcorum poetarum Lyricorum principem & magiſtrum, in Triumphis, ita Mors hortatur Lauram, ſingulari forma & caſtitate puellam:

Se del conſiglio mio punto ti fidi,
Che sforzar poſſo, egli è pur' il migliore
Fuggir vecchiezza, e ſuoi molti faſtidi.

Tot igitur *mala*, plurima ſcilicet, *unctura* fuerant *fatum* Corneliæ, id eſt fati vim & acerbitatem, ſi ea diutius vixiſſet. Lectio Paſſeratii, *uncturis tot mea fata meis*, (abſit dicto invidia) habet aliquid abſurdi & ridiculi. neque ſcio, unde illam vir doctiſſimus expiſcatus fuerit. omnes enim codd. mſſ. & priſcæ editiones favent vulgatæ. ſed quiſque ſuos patimur manes. VULP.

v. 71. HÆC EST FEMINEI MERCES EXTREMA TRIUMPHI] Sic Eleg. 4. lib. 3.

Magna viri merces, parat ultima terra triumphos.

Triumphus autem ἀλληγορικῶς de pompa funeris, & celebritate famæ. ut Elegia 1. lib. 3.

Quo me fama levat terrâ ſublimis, & a me
Nata coronatis Muſa triumphat equis.

& Eleg. 8. ſup.

Appia, dic quæſo quantum te teſte triumphum
Egerit.

ubi pariter femina triumphat κατ᾽ ἀλληγορίαν. Laudatio in funere, eſt triumphi loco. *Merces*, pretium ſummum matronalis decoris. infra:

Dum pretium vitæ grata rependis humus.

Albinovanus ad Liviam:

Magnaque laudatus præmia mortis habet.

Extrema; ut Eleg. 19. lib. 2.

Nec moror extremo debita fata rogo. PASS.

v. 72. LAUDAT UBI EMERITUM LIBERA FAMA ROGUM] Noſter Eleg. 1. lib. 3.

At

Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Hæc cura & cineri ſpirat inuſta meo.

Fun-

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet honos.
ubi vide adnotata. *Fama*, ſermo hominum de mortuis, qualis apud Tacitum initio lib. 1. Annal. *Libera fama*, nulli vel inimicitiæ, vel gratiæ obnoxia. Ovidius in fine Metam.

Hic ſua præferri quamquam vetat acta paternis,
Libera fama tamen, nullisque obnoxia juſſis,
Invitum præfert, unaque in parte repugnat.

Seneca Conſolat. ad Marciam cap. 4. *Fama liberrima principum judex.* Cicero Epiſt. 1. lib. 1. ad Q. Fratrem: *Non eſt tibi his ſolis utendum exiſtimationibus & judiciis, qui nunc ſunt hominum, ſed eorum etiam qui futuri ſunt; quamquam illorum erit verius judicium obtrectatione & malevolentia liberatum.* *Emeritum rogum*, manes bene-meritos, & dignos laudatione; ut ſup. *Emeriti honores.* vel *emeritum*, defunctum vitæ laboribus, & confectis mortalibus ſtipendiis. nam dimittimur morte ab hac militia, & præſidio corporis. *Rogos*, manes, mortuam: verſu 8. ſup. hic. PASS. *Libera fama*; nec metu, nec adulatione deterrita. Plinius Panegyr. Trajani: *Contemtor ambitionis, & infinitæ poteſtatis domitor ac frenator animus ipſa vetuſtate floreſcit, nec ab ullis magis laudatur, quam quibus minime neceſſe eſt.* Quintilianus lib. 5. Inſtit. Orat. c. 11. *Sunt enim quodammodo potentiora etiam, quod non cauſſis accommodata, ſed liberis odio & gratia mentibus, ideo tantum dicta factaque, quia aut honeſtiſſima, aut veriſſima videbantur.* VULP.

v. 73. NUNC TIBI COMMANDO COMMUNIA PIGNORA NATOS] Sic Creuſæ umbra Æneæ marito apud Virgilium 2. Æneid.

Jamque vale, & nati ſerva communis amorem.

Nunc; poſtremo ſcilicet. *Commendo tibi*, trado in manum. Etiam mortui mandata dare finguntur, ut Eleg. 7. ſup. *Sed tibi nunc mandata damus.* loquitur Cynthia mortua. & in Andria Terentii. *Natos.* natorum nomine etiam filia continetur, L. 116. & 122. de Verb. Sign. *Commendamus notis: committimus ignotis:* Donatus in Eun. Ovidius 3. Faſt.

Seu quia tu pater es, patres ſua pignora natos
Commendant curæ, nominibusque tuis.

Commendamus abſentibus. Ovidius 6. Faſt.

Ipſe tibi Mavors, Commendo mœnia, dixit
Hæc tibi; tu pollens urbe nepotis eas.

Catullus: *Commendo tibi me ac meos amores.* *Communia pignora.* Ovidius 3. Metam.

Tot natos, natasque, & pignora cara nepotes.

Albinovanus ad Liviam:

Amplexaque natos
Pignora de Druſo ſola relicta tenes.

Aliter Virgilius 4. Georg. de apibus:

Solæ communes natos, conſortia tecta
Urbis habent;

ut in Platonis politia & Lycurgi. PASS. Adde Ovidium 5. Metam. v. 523. *Juppiter excepit: Commune eſt pignus, onuſque, Nata, mihi tecum*; Senecam lib. 7. de Beneficiis cap. 12. *Patri matrique communes liberi ſunt*; & Euripidem in Phœniſſis: Ἐξαιτεῖ θ' ἅμα Παίδων ἐς οἴκους ἀρσένων κοινωνίαν. *Et poſcit ſimul Liberorum in ædibus communem prolem.* VULP.

v. 74. HÆC CURA ET CINERI SPIRAT INUSTA MEO] τὸ *Et*, pro etiam; ut Elegia prox. ſup.

Et Veji veteres, & vos tum regna fuiſtis.

Eleg. 7. lib. 3. *Fallit portus & ipſe fidem.* Eleg. 15. lib. 3.

Te ſolam & lignis funeris uſtus amem.

Hæc cura; liberorum. *Cura cineri*, ut 4. Æneid.

Id cinerem, aut manes credis curare ſepultos?

Cura ſpirat. vivit adhuc. Horatius Ode 9. lib. 4. *Spirat adhuc amor, Vivuntque commiſſi calores Æoliæ fidibus puellæ.* *Inuſta cineri*, inhærens & penitus infixa etiam mortuæ, adeo ut deleri nequeat. Ductum a notis quæ candente ferro pecori imprimuntur; de quibus Virgilius 3. Georg.

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Quod ipſum dicebant, *dignorare.* Feſtus: *Dignorant, ſigna imponunt pecoribus.* Cicero 4. in Verr. & Philipp. 11. *Dolorem animis inurere*, & 3. in Verr. *Cur hunc dolorem cineri*

Fungere maternis vicibus, pater. illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adjice matris.
Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.

Et

neri ejus, atque ossibus inussisti? & 1. Catilin. *Nota inusta vitæ*. Inurere infamiam, maculam, odium, vulnus. *Cineri meo*, meis Manibus. infra:

Et tanti cineres funeris esse meos.

vide versum 37. sup. Calvus apud Charisium lib. 1.

Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis. P. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 49. *Non ex litibus æstimatis tuis pecuniam domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filii solatium vult aliquod reportare.* - - - - - Ceterum *cineris* vox admodum est adposita movendis adfectibus, habetque certam quamdam religionem. M. Antonius Epist. ad A. Hirtium & C. Cæsarem, Philipp. 13. C. 10. *Cognita morte C. Trebonii, non plus gavisus sum, quam dolui, dedisse pœnas sceleratum cineri atque ossibus clarissimi viri, & apparuisse numen deorum intra finem anni vertentis.* BROUKH.

v. 75. FUNGERE MATERNIS VICIBUS, PATER. ILLA MEORUM OMNIS ERIT COLLO TURBA FERENDA TUO] Suscipe etiam materna officia, & exsequere, licet sis pater. Agrœtius: *Fungi, agere, desinere, vel peragere*. *Fungi* autem cum quarto vel sexto casu jungi docent Nonius & Charisius. *Vicibus*: officiis, muneribus, quia ea mutua esse debent, & vicissim præstari. Eleg. 21. lib. 3.

Remorumque pares ducito sorte vices.

Inde *Vicarius*, qui alterius munus fungitur. *Regiæ vicis sacra*; id est, officii regii: Livius lib. 1. Fungi vicibus, quod exercere vices. Virgilius 9. Æn.

Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.

Maternas partes ita Jovem sustinuisse ferunt in Baccho ferendo. Scaliger hic citat ex Euripidis Alcestide: Σὺ νῦν γενοῦ τοῖσδ' ἀντ' ἐμοῦ μήτηρ τέκνοις. *Meorum*, natorum. *Omnis turba*; *Tota caterva* dixit infra v. 98. ut sup. *Eumenidum turba*, de tribus. Vel spem nepotum significat. *Ferendo tuo collo*. Solent parentes interdum gremio gestare liberos, qui e collo pendent injectis brachiolis. Ovidius Epist. Hermionæ:

Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis,
Nec gremio sedi sarcina grata tuo.

Vide Cæsaris apophthegma apud Plutarchum initio Vitæ Periclis, in eos qui Romæ catellos & simias in sinu gestabant: *Num illi liberos haberent*. PASS. *Fungere maternis vicibus, pater*. Non dissimile illud T. Livii lib. 1. ubi Romulum inducit Sabinas raptas consolantem: *Sæpe ex injuria postmodum gratiam ortam; eoque melioribus usuras viris, quod annixurus pro se quisque sit, ut quum suæ vice functus officio sit, parentum etiam patriæque expleat desiderium*. Neque illud Senecæ Consolat. ad Helviam cap. 17. *Abstulit illi nuper fortuna matrem: tua potest efficere pietas, ut perdidisse se matrem doleat tantum, non & sentiat*. *Fungere m. v. p.* Ita Salvianus Massiliensis Epist. 4. *Nunc tu, o dilectissima & venerabilissima soror, ... fungere partibus tuis simul meisque*. VULP.

v. 77. OSCULA QUUM DEDERIS TUA FLENTIBUS, ADJICE MATRIS] Ut Eleg. 15. libri 2.

Omnia si dederis oscula, pauca dabit.

Oscula ferre dixit Eleg. 6. lib. 2. v. 8. & *Ponere* Eleg. 13. lib. 2. v. 29. De ejusmodi osculis Virgilius 2. Georg.

Interea dulces pendent circum oscula nati.

& 1. Æneid. flenti Veneri natæ libat oscula pater Juppiter, ut consoletur. Ovidius 3. Fast.

Occupat amplexu, lacrimasque per oscula siccat.

Juvenalis Sat. 6.

Tu tibi tunc, curruca, places, fletumque labellis
Exsorbes.

Et si quid doliturus eris, sine testibus illis.
Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges:
Somniaque in faciem credita sæpe meam.

Atque

Cicero pro Murena, Servium Sulpicium ait *Juris scientiam tamquam filiolam exosculari suam*. Idem lib. 16. ad Attic. Epist. 6. *Atticæ, quoniam, quod optimum in pueris est, hilarula est, ei meis verbis suavium des*. Flere autem puerorum est. Virgilius 6. Æneid. *Infantumque animæ flentes*. Horatius: *Iuultus ut flebo puer?* Servius in 1. Æneid. *Osculum religionis, suavium voluptatis*. Donatus in Eun. *Oscula, sunt officiorum; Basia, pudicorum affectuum; Suavia, libidinum, vel amorum*. vide Nonium in *Osculum*, & *Suavium*. *Adjice matris*, ut Eleg. 5. sup. *Adjice verba mala*. PASS. *Adjice matris*. in nostris duobus est, *adjice matrem*. qua forma locutionis valde gaudebant secutorum temporum scriptores, jam inde a Tiberii principatu. BROUKH. *Adjice matris*. Huc animum adhibuit Seneca Medea v. 948. *Osculis pereant patris; Periere matris*. VULP.

v. 78. TOTA DOMUS COEPIT NUNC ONUS ESSE TUUM] Sustines curam totius familiæ solus, quia pars altera abest. Sic Virgilius 12. Æneid. *In te omnis domus inclinata recumbit*. Tota domus; quum antea tuum tantum esset dimidium curæ. Ovidius 4. Fast.

Si memor es (o Juppiter) *de qua mihi sit Proserpina nata,*
Dimidium curæ debet habere tuæ.

Horatius Epodo 2. *Si pudica mulier in partem juvet Domum atque dulces liberos*. PASS.

v. 79. ET SI QUID DOLITURUS ERIS, SINE TESTIBUS ILLIS] Supple, doleas. Si te aliquod desiderium nostri tanget & anget, ne sint illi arbitri & conscii. Sic Eleg. 5. lib. 2.

Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis.

ubi vide adnotata de verbo *Doleo*. *Doliturus*; ut Eleg. 15. lib. 1.

Audax ah nimium nostro dolitura periclo.

Horatius Epodo 15.

O dolitura meá multum virtute Neæra.

[Idem Sat. 10. lib. 1. *Doliturus, si placeant spe Deterius nostrâ*.] Inde verbum *Dolitare*, quo utitur Cato de R. R. *Sine testibus*. nam verus ille dolor testibus remotis. Martialis:

Amissum non flet quum sola est Gellia patrem:
Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrimæ.
Non luget, quisquis laudari, Gellia, quærit:
Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

Testes, præsentes, superstites; qui intersunt negotio. ut Eleg. 9. sup. *Nec sine teste deo*. PASS.

v. 80. QUUM VENIENT, SICCIS OSCULA FALLE GENIS] Quum accedent ad te, dissimula dolorem fictâ lætitiâ in vultu. *Falle*, finge, compone, dissimula, tege, ut fallaces homines solent. Sic Eleg. 5. sup.

Et sua nocturno fallere terga lupo.

& Eleg. 3. sup. *Si te fallet littera*. *Oscula*, ora, vultum. Sic apud Virgilium Æneas

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Sic Eleg. 15. lib. 2.

Oscula sunt labris nostra morata tuis.

id est, ora. Appulejus lib. 3. Metam. *Hiantibus osculis*. & lib. 5. *Osculis hiantibus filium dea & pressule suaviata*. [quod Catullus, *Semihiante labello*.] An *falle oscula*, da falsa oscula, simulata scilicet hilaritate? An decipe ipsa oscula liberorum, qui tibi reddent oscula læta tamquam læto? *Siccis genis*, abstersis lacrimis. Eleg. 19. lib. 1.

Cogat & invitam lacrimas siccare cadentes.

ubi vide adnotata. & El. 6. lib. 3. v. 10. & Eleg. 17. lib. 1. v. 11. Albinovanus ad Liviam:

Tot dixit siccis verba nequit ipse genis.

Genis. vide adnotata ad El. 5. sup. v. 16. PASS.

v. 81. SAT TIBI SINT NOCTES, QUAS DE ME, PAULLE, FATIGES] Sic El. 17. l. 1. *Sat tibi sit pœnæ nox*. *Fatiges noctes*; exerceas, & male habeas. Tribuit sensum rei

mutæ;

Atque ubi fecreto noftra ad fimulacra loqueris,
Ut refponfuræ fingula verba jace.

Seu

mutæ ; ut Virgilius 1. Æneid. *Terrafque metu, cælumque fatigat*. & 8. Æneid.

Olli remigio noctemque diemque fatigant.

Plautus Afinar. 2, 2. *Quin ego hanc jubeo tacere, quæ loquens lacerat diem*. inaniter confumit & cum odio, ut hic. & El. 1. lib. 1.

In me noftra Venus noctes exercet amaras.

Quod tempus triftius ægris animis. *De me*, meâ cauffâ, ut Eleg. 20. lib. 2.

Quidve mea de fraude deos infana fatigas?

ubi, *de*, valet ob & propter, ut hic. PASS.

v. 82. SOMNIAQUE IN FACIEM CREDITA SÆPE MEAM] Vifa nocturna, quibus fæpe fides habeatur. *Somnia*, pro vifis. Eleg. 8. lib. 3. v. 15.

Seu timidam crebro dementia fomnia terrent.

Sæpe credita; ut Eleg. 15. lib. 1.

Per quos fæpe mihi credita perfidia eft.

In faciem meam, ad fimilitudinem oris, vocis, & habitus mei. vide adnotata ad illud Eleg. 22. lib. 3.

In faciem proræ pinus adacta novæ.

De fomniis vivorum formas & figuras imitantibus vide Ovidium in Fab. Ceycis 11. Metam. Huc faciunt hi verfus Albinovani ad Liviam:

Et modo per fomnos agitaris imagine falfa,
Teque tuo Drufum credis habere finu.
Et fubito tentafque manu, fperafque receptum,
Quæris & in vacui parte priore tori.

PASS.

v. 83. ATQUE UBI SECRETO NOSTRA AD SIMULACRA LOQUERIS] Quum noftram imaginem alloquéris, & ad umbram verba facies. Ita Æneas Virgilianus 2. Æn. alloquitur umbram Hectoris. *Loqui ad aliquem*, ut Eleg. 18. lib. 1. *Dicere ad aves*. *Simulacra*. enallage numerorum, pro meum fimulacrum, vanam imaginem, & umbram in faciem meam. Homerus εἴδωλον vocat l. 22. Iliad. Lucretius ait, Ennium Acherontia templa confinxiffe:

Quo neque perveniunt animæ, neque corpora noftra,
Sed quædam fimulacra modis pallentia miris.

Quod Virgilius non femel imitatus. Sed hic potius imago Corneliæ fignificatur auro vel argento expreffa; qua de re dictum ad illud Eleg. 7. fup. *Noftræ conflavit imaginis aurum*. *Secretò*, clanculum, in cubiculo, atque adeo in cubili, ne quis te exaudiat, & infanum putet, qui rem mutam alloquaris. vel fine teftibus liberis, ne tuis querulis vocibus moveantur. De adverbio *Secretò* Afranius in Emancipato apud Charifium lib. 2. *Idcirco hæc agere tecum fecretò inftiti*. Cicero Epift. 26. lib. 7. ad famil. *Secretò hoc audi; tecum habeto; ne Apellæ quidem liberto tuo dixeris*. & Cœlius Ciceroni Epift. 1. lib. 8. *Hæc fecretò narrantur*. Horatius Sat. 9. lib. 1.

Atqui nefcio quid fecretò velle loqui te
Ajebas mecum.

Utitur fæpe M. Tullius; ut mirer notatum a Charifio. PASS.

v. 84. UT RESPONSURÆ SINGULA VERBA JACE] Non *fingula verba*, fed *jace verba ut refponfuræ fingula*, pro ad fingula, Sic El. 16. lib. 1. *Refpondes mutua*. Virgilius Ecl. 10. *Refpondent omnia filvæ*. Horatius: *Seu civica jura Refpondere paras*. Cicero de Finibus: *Refpondere ad fingula*. & in Oratore, *Ad res fingulas*. Quintilianus lib. 12. Inft. Orat. cap. 10. de Cicerone: *Pofteaquam vero triumvirali profcriptione confumtus eft, paffim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præfentis potentiæ, non refponfurum invaferunt*. Seneca Rhetor lib. 4. Excerpt. Controv. 1. *Magnum folatium eft appellare fæpius nomina liberorum non refponfura*. PASS. *Ut r. f. v. j.* Loquere ad meam imaginem, tamquam refponfuram. finge me tibi ad fingula refpondere velle: fi enim audirem, neque Orcus prohiberet, vel mortua fermones tecum libenter mifcerem. *Jace verba*. Sic Eleg. 1. lib. 2.

Taliaque illacrimans mutæ jace verba favillæ.

Porro huc animum adhibuiffe videtur Ovidius Epift. Laodamiæ v. 151. Ipfos verfus afferre juvat:

Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
Sederit & nostro cauta noverca toro:

Con-

Dum tamen arma geret diverso miles in orbe,
Quæ referat vultus est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus: amplexus accipit illa meos.
Crede mihi; plus est, quam quod videatur, imago.
Adde sonum ceræ; Protesilaus erit.
Hanc specto, teneoque sinu, pro conjuge vero:
Et tamquam possit verba referre, queror.

Silius quoque Italicus lib. 8. Punic. v. 91. de Didone:

Inde autem, nunc sideream fulgentis Iuli
Effigiem fovet amplexu: nunc tota repente
Ad vultus conversa tuos, ab imagine pendet;
Conqueriturque tibi, & sperat responsa remitti.

Et nullo veterum minor Balthassar Castilionius in Elegia quam Hippolytæ uxori de mariti absentia conquerenti affingit:

Sola tuos vultus referens, Raphaelis imago
Picta manu, curas allevat usque meas.
Huic ego delicias facio, arrideoque, jocorque,
Alloquor &, tamquam reddere verba queat.
Assensu nutuque mihi sæpe illa videtur
Dicere velle aliquid, & tua verba loqui.
Agnoscit, balboque patrem puer ore salutat.
Hoc solor longos decipioque dies. VULP.

v. 85. SEU TAMEN ADVERSUM MUTARIT JANUA LECTUM] τὸ *Tamen*; pro, autem. vide Eleg. 3. sup.

Si qua tamen tibi lecturo pars oblita derit.

Scaliger hic: *Janua dicitur mutare lectum, quæ videt alium adversum lectum in locum prioris, nova scilicet uxore domum ducta.* Idem in Festum: *In atrio sternebant lectos e regione januæ, quos ideo adversos vocabant.* Asconius in Milonianam: *Deinde omni vi janua expugnata & imagines majorum dejecerunt* (in atrio), *& lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt; itemque telas quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt.* Deinde citat hoc distichon Scaliger, & addit: *Hoc est si alia uxor superinducatur, quæ adversum lectum nostrum mutet, hoc est sibi, non mihi, sternat.* *Laberius Compitalibus:* (apud A. Gellium lib. 19. cap. 9.) *Nunc lentus es tu, nunc tu susque deque fers. Materfamilias tua in lecto adverso sedet Servis sea tantis vernulis nefariis.* *Hoc est*, inquit, *uxor tuo facta de more in lecto adverso sedet adstantibus improbissimis vernulis, neque suspicaris de stupro.* *Servius in Scholiis: Varro Pilumnum & Picumnum deos infantium esse ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an vitalis sit qui natus est.* Hæc Scaliger in Festum. Adjicit idem in Catullum, matronas hinc dici *Janitrices*, præsertim duas, quæ duobus fratribus nuptæ in eamdem domum ductæ essent; & hinc dictum a Catullo: *Postquam es* (o Janua) *porrecto facta marita sene.* Lipsius l. 1. Elect. cap. 17. eum lectum qui in nuptiis genialis dicebatur, post a situ adversum dictum ait, & in aula, id est, atrio collocatum fuisse. unde Horatius Epist. 1. lib. 1. *Lectus genialis in aula est.* & Virgilius 6. Æneid. *Adverso in limine bellum, Ferreique Eumenidum thalami.* Vet. Gloss. *Insubula*, ἀντίον, ἢ ἀντία, id est, adversus lectus. & *Insublum*, ἀντίον, ἔνθα ὑφαίνουσιν αἱ γυναῖκες. *Mutat janua lectum*, ut Eleg. 7. sup.

Dicet damnatae ignea testa manus.

Aliter Eleg. 8. sup.

Mutato volui castra movere toro. PASS.

v. 86. SEDERIT ET NOSTRO CAUTA NOVERCA TORO] *Cauta*, fallax & insidiosa privignis. An *cauta*, pro, cavenda? nomen pro participio, & præteritum pro futuro; ut Eleg. 1. sup. *Signa iterata rota*; pro, iteranda. Eleg. 3. sup. *Quæ mihi deductæ fax omen prætulit.* id est, quum deducerer. Eleg. 14. lib. 3. *Versi trochi*, qui vertitur. Contra Eleg. 13. lib. 3. *Verax habenda*; pro, habita. Sane Lipsius e vet. lib. apud A. Gellium & Macrobium *Cautus* legit; pro libris quibus ceremoniæ & res cavendæ in sacris continentur. Novercam autem

Conjugium, pueri, laudate, & ferte paternum.
  Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis. collata priori
  Vertet in offensas libera verba suas.

Seu

autem vocat non ratione sui, sed liberorum suorum, qui futuri sunt illi mulieri privigni. *Sederis*, non jacuerit, quia ominis caussâ opinor ita collocabatur nova nupta, ut diu mansura. Sic Laberius apud A. Gellium: *Materfamilias tua in lecto adverso sedet*. Petronius Arbiter: *Nec minus confusa altera parte lectuli sedit*. Praeterea *jacere* mortuorum est & *cubare*. *Nostro toro*. quomodo, *nostro*, si mutatus est? Sed vel loco tantum mutatus est, vel Cornelia vindicat adhuc eum lectum; ut Eleg. 3. sup.

Incorrupta mei conserva foedera lecti.

vel *Nostro*, qui noster fuit. PASS. De hoc more Arnobius adversus Gentes l. 2. *Matresfamilias vestrae in atriis operantur domorum, industrias testificantes suas*. Operantur, nempe lanam faciunt sedentes in adversis lectulis. Hunc autem morem a Graecis acceperant Romani. Colligo ex Homero, qui lib. 17. Odyss. v. 96.

Μήτηρ δ' ἀντίον ἷζε παρὰ σταθμὸν μεγάροιο,
Κλισμῷ κεκλιμένη, λεπτ' ἠλάκατα στρωφῶσα.

Mater autem ex adverso sedit ad postem domus, Sellâ fulta, tenuia pensa versans. Noverca. Jo. Georgius Graevius in Praefat. ad Volumen 7. Antiquit. Roman. hariolatur, Aemilium Paullum Censorem, nostrae hujus Corneliae maritum, habuisse postea in matrimonio alteram Marcellarum, Octaviae Augusti sororis filiam; idque conjicit ex inscriptione quadam vetusta: FAVSTVS. MARCELLAE. PAVLLI. PISTOR. VULP.

v. 87. CONJUGIUM, PUERI, LAUDATE ET FERTE PATERNUM] Tolerate mores novercae, etiam si vobis durior erit. *Conjugium*, pro conjugem, & uxorem patris; novercam. ut Eleg. 13. lib. 3.

Et certamen habent leti, quae viva sequatur
Conjugium.

Fert, qui patienter obsequitur. ut Terentius Heaut. *Nam quem feret, si parentem non feret suum?* vide notata ad Eleg. 8. lib. 2. v. 14. Varro in Satyra Menippea, de Officio mariti, apud A. Gellium lib. 1. cap. 17. *Vitium uxoris aut tollendum, aut ferendum est. Qui tollit vitium, uxorem commodiorem praestat; qui fert, se se meliorem facit*. PASS.

v. 88. CAPTA DABIT VESTRIS MORIBUS ILLA MANUS] Vincetur obsequio vestro & comitate. *Capta*, vel delinita, vel victa. Eleg. 15. lib. 3. *Nullis capta Lycinna datis*. Eleg. 9. lib. 2.

Dii faciant isto capta fruare viro.

Dabit manus. Ovidius 3. A. A.

Saepe dabit, dederit quae semel ille manus.

(delinitus custos muneribus.) & 6. Fast.

Dicite Pierides, quis vos addixerit isti
Cui dedit invitas victa noverca manus.

(Juno Herculi.) ubi *victa*, ut hic *capta*. *Vestris moribus*; miti ingenio; ut Eleg. 20. lib. 2.

Possum ego naturae non meminisse tuae?

id est, mitis ingenii. Seneca Consolat. ad Helviam cap. 2. *Crevisti sub noverca: quam tu quidem omni obsequio & pietate, quanta vix in filia conspici potest, matrem fieri coëgisti*. *Vestris moribus capta*, sexto casu; vel dabit vestris moribus, tertio casu. Est autem anacolouthon, *Conjugium, illa*; [ut illud Lucretii lib. 4.

Idque sua caussa consuerunt scorta moveri,
Ne complerentur crebro, gravidaeque jacerent.

scorta, gravidae.] vel refertur ad *Noverca*. PASS. *Dabit manus*; victam se fatebitur. locutio παροιμιακή. cujusmodi est illa *dare herbam*, de qua Erasmus in Adagiis. Caesar lib. 5. de Bello Gallico: *Tandem dat Cotta manus permotus superiore sententia Sabini*. Horatius Epodo 17. *Jam jam efficaci do manus scientiae*. VULP.

v. 89. NEC MATREM LAUDATE NIMIS. COLLATA PRIORI VERTET IN OFFENSAS LIBERA VERBA SUAS] Sic Eleg. 7. sup.

Et

Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos:
Discite venturam jam nunc sentire senectam,
Cœlibis ad curas nec vacet ulla via.

Quod

Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.

Et hoc est quod vulgo ajunt: *Comparationes omnes esse odiosas*. *Nimis laudare*. Virgilius Ecl. 7.

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Impensius laudando, inquit A. Gellius l. 9. cap. 4. vide & Plinium l. 7. H. N. c. 2. *Collata priori*: comparata noverca vestra cum priore uxore Paulli, id est, mecum, offendetur & irascetur vobis liberius locutis. Eleg. 28. lib. 2. *Num sibi collatam doluit Venus? Priori*; uxori: ut Virgilius 4. Æneid. *Procos priores*. Ibid. *Pristinus conjux*. *Vertet libera verba in offensas*; accipiet in eam partem, quasi se contemnentis matrem laudando. Cicero pro Sex. Roscio: *Videte nunc quam versa ac mutata in pejorem partem sint omnia*. Cæsar 3. de Bello Civili: *Vertere in bonum aliquid*. sic *Vertere laudi & vitio*. *Libera verba*; τὴν παῤῥησίαν significat, ut Eleg. 9. lib. 1.

Nec tibi perpetuo libera verba fore.

ubi vide adnotata. *Offensas suas*; ut Ovidius lib. 2. Trist.

Tristibus invectus verbis (ita principe dignum est)
Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas.

Offensa, offensio, & offensus ûs, est proprie pedis, vel capitis. Inde pro irritamento. Seneca de morte Claudii: *Nihil offensæ, vel gratiæ dabitur*. Suetonius in Augusto cap. 66. *Offensis intervenientibus*. Cicero pro Plancio: *Offensiuncula accepta*. & Epist. 1. lib. 13. ad famil. *Si qua est offensiuncula a te mi eius facta perversitate aliquorum*. Aliud est *offensio* Ciceroni 4. Tuscul. opinio scilicet vehemens de re non fugiendâ, inhærens & penitus insita, tamquam fugiendâ. Pass.

v. 91. SEU MEMOR ILLE MEA CONTENTUS MANSERIT UMBRA] Simile illud Virgilianæ Didûs 4. Æneid.

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulcro,

Memor, non oblitus nostri etiam post fata. Sic Eleg. 19. lib. 1.

Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.

Contentus umbra: cui satis sit sola memoria quondam uxoris. Sic Eleg. 30. lib. 2. *Unâ contentum vivere amicâ*. vide adnotata ad Eleg. 3. lib. 3. v. 39. Virgilius 5. Æn. *Galeâ contentus abito*. *Manserit*; perduraverit. verbum constantiæ. Eleg. 4. lib. 1. *Maneat sic semper adoro*. Eleg. 23. lib. 3. *Semper mansisse fideles*. *Umbrâ meâ*; me mortua. ut Eleg. 19. lib. 1.

Cara tamen lacrimis ossa futura meis. Pass.

v. 92. ET TANTI CINERES DUXERIT ESSE MEOS] id est, æstimarit. Eleg. 7. lib. 3.

Verbaque duxisset pondus habere mea.

Tanti; ut *Tanti sit* Eleg. 3. sup. v. 65. *Cineres*; Manes. vide hic sup. v. 37. Pass. Et tanti pretii æstimaverit mei memoriam, ut propter illam cœlebs quod vitæ reliquum est vivere constituat. Lege Euripidem Alcestide v. 1058. & seqq. BROUKH.

v. 93. DISCITE VENTURAM JAM NUNC SENTIRE SENECTAM] Præsentite ex hoc tempore futuram patris senectam, ut assuescatis obsequio patris, quem senectus difficilem & morosam reddet, [uxore præsertim, & ejus officiis destitutum; quod vitæ genus asperius.] Vel *sentire*, experiri & sufferre. dictum ad illud Eleg. 5. sup. *Sentiat umbra sitim*. *Jam nunc*. ut Eleg. 19. lib. 2. *Jam nunc me sacra Dianæ Suscipere juvat*. ubi vide adnotata. Ovidius 3. A. A.

Venturæ memores jam nunc estote senectæ.

& lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Quæ mihi ventura est, siquidem ventura, senectus?

Noster

Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paullum sic juvet esse senem.

Et

Noster Eleg. ult. lib. 3.

At te celatis atas gravis urgeat annis,
Et veniet forma ruge sinistra tua. PASS.

v. 94. CŒLIBIS AD CURAS NEC VACET ULLA VIA] Festus: *Cœlibem dictum existimant, quod dignam cœlo vitam agat.* Atqui, ut Scaliger docet, κοίλιψ Græcum est, carens concubitu. Horatius: *Melius nil cœlibe vita.* Id significat Virgilius 4. Æn.

Non potui thalami expertem sine crimine vitam
Degere more fera, tales nec tangere curas.

Ergo cœlibes sunt sine cura. Erit igitur sententia: Ne ulla via vacua & aperta sit ad curas cœlibis; careat ille omni molestia quum cœlebs manserit. *Ad curas.* ambigue: aut *cura*, est diligentia quæ circa rem aliquam adhibetur, ut Eleg. 6. lib. 1. v. 22. *Cura fuit patria.* vel *cura*, ægritudo; unde oritur duplex interpretatio. Utraque significatione lusit Plautus Menæchm. 5, 4. *Magna cum cura ego illum curari volo. M. Quin suspirabo plus quam sexcentum dies.* *Via*, inquit Beroaldus, *ratio, modus, officium.* *Nulla via vacet, ne desit ulla ratio curandi & fovendi patris.* Sic sup. *Sisyphe, mole vacas.* vel, ne via vacet ad curas, ne qua via vacua & aperta sit, qua ad illum curæ veniant. Eleg. 13. lib. 3.

Luxuria nimium libera facta via est.

& Eleg. 4. lib. 2.

Unde tamen veniant tot mala, cæca via est.

Vacare; vacuum esse. vacuum autem pro aperto. Virgilius 12. Æneid.

Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi. PASS.

Cœlibis a. c. n. v. u. v. Nullum officium prætermittite, quod pietati vestræ in parentem cœlibem convenire videatur. *Viam* pro modo & ratione usurpavit etiam Terentius Eun. 2, 2. *Hoc novum est aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.* & hinc Virgilius 4. Æneid. *Inveni, germana, viam.* *Omnes pecunia vias nosse* legitur apud Ciceronem Epist. 1. lib. 1. ad Q. Fratrem §. 5. Tacitus lib. 1. Annal. cap. 54. *Alia Tiberio morum via.* Noster El. 4. lib. 3.

Recta animi primum debuit esse via.

Homerus Hymno in Mercurium v. 450. ἀγλαὸς οἶμος ἀοιδῆς. *amabilis via cantionis.* & Aristoteles initio Ethic. ad Nicomachum: πᾶσα τέχνη, ἢ πᾶσα μέθοδος. vertit Victorius: *Omnis ars, atque omnis ratio, ac via.* VULP.

v. 95. QUOD MIHI DETRACTUM EST, VESTROS ACCEDAT AD ANNOS] Tibullus Eleg. 6. lib. 1.

Vive diu mihi dulcis anus. proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.

Tertullianus in Apologetico meminit acclamationis hujus theatralis:

De nostris annis tibi Juppiter augeat annos.

Vetus Epitaphium Homonœæ Romæ incisum in marmore:

Quodque mihi eripuit mors immatura juventa,
Id tibi victuro proroget ulterius.

Seneca de Brevitate Vitæ cap. 8. *Dicere solent iis quos validissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare.* Geminum, germanum huic loco illud Albinovani ad Liviam:

Perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque

Detractum, ademtum vitæ. Elegia 11. libri 3.

Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos.

id est, eripuit. Decedere & accedere, decessionem & accessionem sæpe conjunxit M. Tullius. PASS. Ovidius 7. Metam. v. 167.

Deme meis annis, & demtos adde parenti.

Horatius Ode 5. lib. 2. *Et illi, quos tibi dempserit, Adponet annos.* Racinius poeta Gallus Idyllio quodam in Pacem: *O Ciel, ô saintes destinées, Qui prenez soin de ses jours florissans, Retranchez de nos ans pour ajouter à ses années.* quod purum putum Ovidianum est. Id factum aliquando fuisse

nar-

Et bene habet. numquam mater lugubria sumsi.
Venit in exsequias tota caterva meas.

Caussa

narrant fabulæ. Hyginus Mythologiæ cap. 10. *Quot annos Chloris & fratrum Apollo eripuerat, Nestori concessit* ------- ad quem Hygini locum recte monet Jac. Perizonius videri legendum, *Chloridis fratrum. Vestros accedat ad annos*. Paullo aliter Ovidius l. 3. A. A.

> *Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,*
> *Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.*

id est, quantum accedit summæ annorum, tantum decedit nitori formæ. VULP.

v. 96. PAOLE MEA PAULLUM SIC JUVAT ESSE SENEM] Ea conditione ut liberis sit vita longior, optet Paullus sibi breviorem. *Prole mea*, prolis meæ & liberorum gratia: ob prolis salutem, & longam vitam. ut sup. *Labe mea erubuisse*. Noster Eleg. 20. lib. 1. v. 25. *Aquilonia prole*. *Sic juvat*. Aliàs, *juvet*. Virgilius 4. Æneid. *Sic sic juvat ire sub umbras*. τὸ *Sic* mortem designat, ut supra: *Sic mœstæ cecinere tubæ*. Item:

> *Junger, Paulle, tuo sic discessura cubili.*

& Eleg. 12. lib. 3.

> *Sic redeunt, illis qui cecidere locis.*

Senem esse, senescere brevi, & morti proximum esse. Ovidius 1. Fast. de Sileno:

> *Nequitia est quæ te non sinit esse senem.* PASS.

Immo levet Paullus incommoda senectutis obsequio & sedulitate illi præstita ab liberis meis. Ætas illa ingravescens, quæ aliis molesta est, hac conditione ipsum delectet. VULP.

v. 97. ET BENE HABET. NUMQUAM MATER LUGUBRIA SUMSI] τὸ *Et* sæpe est inchoativa particula. ut Eleg. 17. lib. 1.

> *Et merito, quoniam potui fugisse puellam.*

Aliàs legitur, *En*. *Bene habet*. gratulantis suæ fortunæ est, & boni eventûs. Statius 11. Theb. *Bene habet, non irrita novi*. & 12. Theb.

> *Sed bene habet, superi. gratum est, fortuna peracta est.*

Juvenalis Sat. 10. *Bene habet, nil plus interrogo*. Seneca Agamemn. *Bene est, resurrexit Troja*. *Bene habet*, de moriente. Scipio apud Senecam Epist. 24. quum se gladio transverberasset, quærentibus ubi esset imperator hostibus, *Imperator*, inquit, *bene se habet*. & Burrus apud Tacitum lib. 14. Annal. veneno quum moreretur a Neronis opera dato, ipsi sciscitanti nihil aliud respondit, quam *Ego me bene habeo*. & verba Augusti morientis, apud Suetonium c. 99. ex vet. lib. πᾶν ἔχει καλῶς. Cicero pro Murena: *Bene habet; jacta sunt fundamenta defensionis*. *Lugubria*. Ita emendavit Beroaldus ex vetere lectione *Lubrigia*, ut *Cœnatoria*, & *Forensia*. supple, vestimenta. *Vestis lugubris* vocatur Terentio in Andria. Ovidius 11. Metam.

> *Surge age, da lacrimas, lugubriaque indue, nec me*
> *Indeploratum sub inania tartara mitte.*

Idem lib. 4. Trist. Eleg. 2.

> *Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam.*

Seneca in Consolat. ad Helviam cap. 16. *Nosti quasdam, quæ amissis filiis imposita lugubria numquam exuerunt*. Seneca in Herc. furente: *Amicta conjux lugubribus*. Utuntur & JC. ut in L. 15. §. *Generaliter*. *De injur.* & Paullus lib. 1. Sentent. De vestibus in luctu Varro apud Nonium in *Anthracinus*, & in *Pullus*. Citavi ad El. 7. sup. v. 28. PASS. *Bene habet*. Livius lib. 8. *Bene habet, dii, pium movete bellum*. M. Seneca Rhetor Controv. 8. lib. 1. *Bene habet, judices; pater me putat dignum esse qui salvus sim*. Græci pariter dicunt, ἔχει καλῶς, ut sæpe Lucianus. Josephus lib. 14. Antiq. Judaic. c. 17. Καλῶς ἔχει ἡ ἡμᾶς ἀπεμνημονεύειν. *Bonum factum nos quoque herum meminisse*. *Numquam mater lugubria sumsi*. Rara felicitas si Cornelia senuisset; illud enim Juvenalis notum, & assidua experientia comprobatum, Sat. 10. v. 243.

> *Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata*
> *Semper clade domûs, multis in luctibus, inque*
> *Perpetuo mœrore, & pulla veste senescant.*

Sed videlicet Οὓ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος.

Caussa perorata est. flentes me surgite testes,
Dum pretium vitæ grata rependit humus.

Mori-

vis; . *Lugubria sumsi* . Ulpianus J. C. L. 8. D. *de his qui notantur infamia ; Sed quum tempus luctus continuum est , merito & ignoranti cedit ex die mortis mariti . & ideo si post legitimum tempus cognovit , Labeo ait , ipsa die & sumere eam lugubria & deponere* . VULP.

v. 98. VENIT IN EXSEQUIAS TOTA CATERVA MEAS] Ita nobilis matrona apud Martialem Epigr. 63. lib. 10.

Quinque dedit pueros , totidem mihi Juno puellas ;
Clauserunt omnes lumina nostra manus .

Venit in exsequias , meum funus prosecuta est . Terentius Andr. 1 , 1. *Egomet quoque ejus caussâ in funus prodeo* . Idem in extrema Phormione : *Exsequias Chremeti quibus est commodum ire jam tempus est* . Appulejus 4. Florid. *Aspexit plurimos homines ingenti multitudine , qui exsequias venerunt , circumstare* . Ovidius 2. Fast.

Fertur in exsequias animi matrona virilis .

Tota caterva . *Omnis turba* , hic sup. v. 76. Isidorus lib. 9. *Romanorum , legio ; Macedonum , phalanx ; Gallorum , caterva* . Vegetius de R. M. lib. 2. cap. 2. In caterva ait fuisse sena militum millia . Horatius Epist. 1. lib. 2.

Dum fugiunt equitum turmæ , peditumque catervæ .

Cicero 1. Tusc. de caterva liberorum funus prosequente : *Metellum multi filii , filiæ , nepotes , neptes in rogum imposuerunt* . Valerius Maximus : *Ex eo numero tres consulares , quorum unus etiam censorius , & duo triumphales , quartus prætorius* . Vide Plinium lib. 7. H. N. cap. 13. & 44. PASS. Hoc ipsum & Tello cuidam Atheniensi vetustissimis temporibus contigisse , ut suis omnibus superstitibus moreretur , narrat Herodotus in Clio . Cornelius quoque Nepos in Regibus , de Dionysio priore , Siciliæ tyranno : *Neque in tam multis annis cujusquam ex sua stirpe funus vidit , quum ex tribus uxoribus liberos procreasset , multique ei nati essent nepotes* . VULP.

v. 99. CAUSSA PERORATA EST . FLENTES ME SURGITE TESTES] Sic Ovidius Epist. Cydippes :

Quum tamen hæc dixi , quum me tibi firma negavi :
Quum bene promissi caussa peracta mei est .
&c.

Fabius Declamat. 3. in fine : *Caussa , imperator , ut mediocritas mea tulit , perorata est* . Sæpe ita loquitur Cicero , ut pro Quintio , pro Sextio , pro Cœlio , septima in Verrem , & 2. de Legib. Auctor Rhet. ad Herennium lib. 1. dixit etiam *Perorare narrationem* . Eodem sensu Noster Eleg. 7. sup. v. pænult. *Voce peregit* . Sic , *dixi* , verbum Rhetorum . *Flentes me* ; vos qui illacrimatis morti meæ , & ita testimonium pro me fertis , ut mater , Cæsar , & urbs tota , cujus querelis laudor . *Surgite testes* . unde *Citari testes* dicuntur . Erant autem judicum , reorum , accusatorum & testium subsellia ; qui omnes dicturi surgebant : postquam dixerant , rursus assidebant . Testes autem interrogabantur caussâ peroratâ . Asconius tamen in argumento Milonianæ testes audiri solitos antequam caussa ageretur scribit . & in Verrinam 2. ait , Ciceronem , prætermissa oratione longa , crimina singula objecisse , testesque ad unumquodque interrogando dedisse , atque ita Hortensium obruisse . Cicero pro Sex. Roscio & pro Flacco negat , uti quemquam eo teste qui de accusatoris subsellio surgit . PASS. *Surgite testes* . Seneca Rhetor Controv. 19. *In media oratione ejus surgeret Vatinius reus* . & Controv. 27. *Gravior testis esse solet qui a reo surgit* . Hoc Græcis Oratoribus ἀναβαίνειν . Lysias ἀπολογία ὑπὲρ τοῦ Ἐρατοσθένους φόνου : Καί μοι ἀνάβητε τούτων μάρτυρες . VULP.

v. 100. DUM PRETIUM VITÆ GRATA REPENDIT HUMUS] Ob honorem sepulturæ humum dixit . unde *Humatio* dicta est . *Humus* , pro patria & civibus Eleg. 1. lib. 3.

Qualemcumque Paris vir sua nosset humus .

Humus ergo homines ipsi , vel honos sepulturæ . *Humus grata* , ut Eleg. 19. lib. 1. *Tellus justa* . & Eleg. 13. lib. 2.

Nonnihil ad verum conscia terra sapit .

Repen-

Moribus & cælum patuit: ſim digna merendo,
Cujus honoratis oſſa vehantur equis.

Rependit pretium. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 7.

Pro quibus officiis pretium mibi dulce repende.

vide adnotata ad Eleg. 7. ſup. v. 41. *Pretium vitæ*. Ovidius lib. 2. Triſt.

Hoc pretium vitæ, vigilatorumque laborum.

Sic *Merces triumphi* ſup. hic v. 71. & Albinovanus ad Liviam v. 215.

Quod petiit, tulit ille, tibi ut ſua facta placerent;
Magnaque laudatæ præmia mortis habet,

Scaliger poſt hunc verſum comma ponit, ac ſuſpendit ſententiam. PASS. *Dum p. v, g. r. h.* dum judicio inferno vita mea anteacta comprobatur. *pretium vitæ* vocat mercedem morum ac ſanctitatis & pudicitiæ, apud inferos ſibi repenſam, quorum integritatem in vindicando neque odium neque gratia obcæcat. Sic L. 2. Eleg. 5. (6.)

Ah gemat in terris, iſta qui protulit arte
Jurgia ſub tacita condita lætitia,

& alibi, *Sub terris*, non ſemel. Juvenalis dixit *regna ſubterranea*, Sat. 2. v. 149. Cicero L. 1. Tuſc. Quæſt. C. 16. *In terram cadentibus corporibus, hiſque humo tectis, e quo dictum eſt humari, ſub terra cenſebant reliquam vitam agi mortuorum*. verum hujus verſiculi ſenſum habemus, quem quam bene ad laudationem funebrem, atque ad honorem ſepulturæ, *humi* voce pro patria & civibus ſumta, detorſerint interpretes, jam cuivis, ut arbitror, liquidum eſt. BROUKH. De terræ ſumma benignitate adverſus genus humanum videſis Plinium lib. 2. H. N, cap. 63. VULP.

v. 101. MORIBUS ET CÆLUM PATUIT: SIM DIGNA MERENDO, CUJUS HONORATIS OSSA VEHANTUR EQUIS] Via in cælum aperta iis qui caſte & integre vixerint: immo in deorum numerum eos aliquando antiqui referebant. Horatius Ode 2. lib. 4. de poeſi Pindari: *Vires, animumque moreſque Aureos deducit in aſtra, nigroque Invidet Orco*. vide eumdem Ode 3. lib. 3. & Proverbium, *Homo homini deus*. Scipio Ennianus apud Senecam Epiſt. 109. & Lactantium lib. 1. Div. Inſt. cap. 18.

Si fas endo plagas cæleſtum aſcendere cuiquam,
Mi ſoli cæli maxima porta patet.

Cicero 1. Tuſc. *Totum cælum humano genere completum eſt: virtus, honor, fides, pudicitia conſecrata ſunt*. Vide & 2. de Leg. & Ovidium 6. Faſt. *Mens dea*. Ergo, *&*; pro, etiam, ut ſup. v. 74. hic. *Sim*; eſſe poſſim. Eleg. 13. lib. 2.

Tunc ego ſim Inachio notior arte Lino.

Digna merendo. Διὰ τὸ αὐτό, ut Eleg. 10. ſup. *Ne tectæ forent manifeſta ſigna rapinæ*. An *merendo*; ſtipendia faciendo, & quaſi in caſtris pudicitiæ militando? *Cujus oſſa*, manes, ut ſup. v. 20. *Honoratis equis*, Turnebus lib. 23. Adv. cap. 7. Si legas *vehantur equis*, de triumphali ſepultura loquetur: Si *vehantur aquis*, per honoratas aquas vehi oſſa & manes in Elyſium dicet, de quibus Eleg. 7. ſup.

Ecce coronato pars altera vecta phaſelo
Mulcet ubi Elyſias aura beata roſas.

Scaliger per honoratos equos, currum prætorium cum ſella curuli intelligit. Imo cenſorium funus, altera lectio, *Honoratis aquis*, verior. id eſt, per quas Charon honoratas & honeſtas matronas defunctas vehit in Elyſium. Eleg. 18. lib. 3.

Huc animæ portent corpus inane tuæ.

Portent corpus, ut hic, *vehantur oſſa*. & vectura numeratur inter ſumtus funeris. L. *Sumtus*. *De rel. & ſumt. funerum*. Interpres Juvenalis in Sat. 10. *Immeritis franguntur crura caballis; quibus vecti ſunt honorati*, inquit; *& equeſtres ſtatuæ, & conſulares*. Per equos tamen honoratos femineus triumphus intelligi poteſt, ut ob rem bene geſtam, ſic ob vitam honeſte pudiceque actam. & ſic *Exſequiis triumphantem Metellum* dixit Plinius lib. 7. cap. 44. quod a triumphalibus filiis elatus. Et Plutarchus in Alexandro, Demarati Corinthii cineres quadrigis vectos magno apparatu & ſumtu, ſcribit, uſque ad oram maritimam. *Honoratis*. Albinovanus ad Liviam:

Inter honoratos excipietur avos.

Plautus Captivis: *Quod genus eſt illis pollens*

lent & honoratissimum. Livius lib. 36. *Honesta honorataque imago*. Ovidius 1. Fast.

Verbaque honoratus libera prætor habet.

unde, *Jus honorarium*. Vet. Gloss. τετιμημένος, *honoratus, honorem adeptus*. PASS. *Moribus & cælum patuit*. de Africano minore Lælius in dialogo sui nominis, C. 3. *Ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur deos potius, quam ad inferos pervenisse. Cujus honoratis ossa vehantur equis*. potior pars librorum *aquis* habet. ----- memini Nic. Heinsium, virum acutissimum, olim mihi in familiari sermone indicasse, videri sibi legendum,

Cujus honoratis ossa ferantur avis.

i. e. cujus ossa inferantur tumulis illustrium avorum. ut *ferri* pro *inferri* Noster dixerit, more suo solenni. ----- sed tota hæc scena agitur apud judices inferorum, quibus se purgat Cornelia de nescio cujus culpæ suspicione. fuisse enim aliquo rumore perstrictam, non obscure colligas ex superioribus. diluto isto crimine, & vindicata morum suorum sanctitate, concludit, quum sibi vel ipsa cæli regio patere debuerit propter virtutis merita, jus & fas esse ut manes sui vehantur in Elysium apud suos avos, Scipiones & Libones, claros illos atque honoratos viros. quæ quum recte se habeant, quam minima mutatione scribendum arbitror,

Cujus honoratis ossa vehantur avis.

simile negotium iisdem prope verbis extulit Pedo Albinovanus, ejusdem ætatis poeta, in funere Drusi Neronis:

Ille pio, si non temere hæc creduntur, in arvo
Inter honoratos excipietur avos.

porro *ossa*, ne quem id moveat, hic notant ipsos manes. ita paullo ante habuimus,

In mea sortita vindicet ossa pila.

& supra Eleg. 5.

Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono.

nam Cerberum latratu trifauci appetere exsangues umbras, notius est quam ut debeat multis probari. Sic locuti sunt Horatius, Ovidius, Seneca, alii. BROUKH. *Moribus & cælum patuit*. Lactantius Firm. lib. 1. Div. Inst. *Quis enim tam demens, qui consensu & placito innumerabilium stultorum aperiri cælum mortuis arbitretur? Cujus honoratis ossa vehantur equis*. Non contemnenda quidem virorum illustrium Heinsii & Broukhusii conjectura: hoc loco *avis*, pro *equis*, vel *aquis* legentium, immo ingeniosa, nec pravo fulta tibicine. Quum tamen vulgatum τὸ *equis* commode satis explicari possit, lubens retinuerim. Matronæ Romanæ carpentia per urbem vehi solebant honoris gratiâ. M. Cato pro Lege Oppia apud Livium lib. 34. *Quod honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? Ut auro & purpura fulgeamus, inquiunt: ut carpentis festis profestisque diebus, velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis & ereptis suffragiis vestris, per urbem vectemur*. Hoc igitur sibi vult Cornelia: Sicuti carpento vehebar more matronarum quum apud superos essem, ita etiam ossa mea (nempe umbra) digna sint quæ hic apud inferos eodem honore fruantur; nihil enim commisi, propter quod hac innocentiæ & virtutis significatione fraudari debeam. De carpentis matronarum legendus Ovidius lib. 1. Fast. v. 619. & lib. 6. v. 603. Opinabantur autem, umbras mortuorum in domo Plutonis earumdem rerum studiosas esse quibus in vita olim assuevissent, & quas adamassent. Virgilius 6. Æneid.

Quæ gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

& Orion qui venator fuerat, apud inferos agitat leones & lyncas, Horatio teste Ode 13. lib. 2. Sic Albinovanus ad Liviam v. 329. de Druso, qui triumphum optaverat, sed morte præreptus consequi nequiverat:

Ille pio (si non temere hæc creduntur) in arvo
Inter honoratos excipietur avos.
Magnaque maternis majoribus, æqua paternis
Gloria, quadrijugis aureus ibit equis.
Regalique habitu, curruque superbus eburno
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Enimvero etiam hic Propertii locus pertinet ad equos triumphales. dixit enim superius v. 71.

Hæc est feminei merces extrema triumphi.

Opinionem illam popularem de studiis mortuorum attingit Martialis Epigr. 50. l. 10. ubi Scorpum aurigatorem illustrem, vita functum, laudibus tollit:

Heu facinus! prima fraudatus, Scorpe, juventa
Occidis, & nigros tam cito jungis equos.

nempe aurigaris apud inferos, ubi nigra omnia. *Pedariam* igitur se esse non vult umbra Corneliæ; de qua voce lege A. Gellium lib. 3. N. A. cap. 18. quemadmodum ille Arsaces apud Lucianum in Dialogis mortuorum, *ἠγανάκτει ὅμως ὁμότιμος ὢν τοῖς ἄλλοις, ϗ ἠξίου ἱππεὺς κατιέναι*. Equi autem a quibus carpenta matronarum trahebantur, *honorati* dici poterant, quomodo *generosos vestis honores* dixit superius poeta v. 61. Ita *γερούσιον αἴθοπα οἶνον* appellat Homerus lib. 4. Iliad. v. 259. *honorarium generosum vinum*, quod pleniore poculo ducibus bello inclytis apponebatur. Hi sunt *inferni almæ virtutis honores* memorati a Valerio Flacco in fine lib. 1. Argonaut. Ceterum de muliebri ἀποθεώσει Suetonius in Claudio cap. 11. *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augustæo similem decernendum curavit. parentibus inferias publicas, & hoc amplius, patri Circenses annuos natali die, matri carpentum, quo per Circum duceretur, & cognomen Augustæ ab avia recusatum*. Vulpius.

Ecce. coronatae. portvm. tetigere. carinae
Traiectae. Syrtes. anchora. iacta. mihi. est

μόνῳ τῷ Θεῷ τιμὴ ϗ δόξα.

IN-

INDEX II.

AUCTORUM

Qui in Commentariis

PASSERATII, BROUKHUSII, ET VULPII AD

PROPERTIUM

Afferuntur, laudantur, illustrantur, emendantur, notantur.

Bau-

C

D

Em-

La-

Pe-

Q

R

S

IN-

INDEX III.

RERUM ET VERBORUM

Quæ in Commentariis

PASSERATII, BROUKHUSII, ET VULPII AD

PROPERTIUM

Afferuntur & explicantur.

A

Antei

Asca.

Bel-

capil-

Citha-

de-

Ery-

F

fides,

ge-

horo-

inte-

K

L

luna-

M

miscel-

N

Ne-

O

orato-

P

Pifi-

Q

Quin.

R

S

se-

stips,

T

ter-

trium-

V

vere-

EPI-

EPIGRAMMA ITALICUM VIRI CL.

VINCENTII BENINI

COLONIENSIS, MEDICINÆ DOCTORIS,

AD JOANNEM ANTONIUM VULPIUM,

ut editis pridem Commentariis suis in CATULLUM ac TIBULLUM adjungat Commentarios in PROPERTIUM.

Poichè NEMESI, *e* LESBIA *il lieto avviso,*
SIGNOR, *che desti doppia luce a' suoi*
Eccelsi Vati cogl' inchiostri tuoi,
Udir fra l' ombre dell' eterno Eliso,

D' insolita allegrezza ornate il viso
Disser ambo tra se, Felici noi,
Che più conte n' andrem mille anni, e poi,
E gli amor nostri insieme, e i giuochi, e 'l riso.

Ma CINTIA *a cui non tocca l' onor tanto,*
Di vergogna talor, talor di piéta
Tingendo il ciglio altier, molle di pianto:

A che dell' Opra tua, VOLPI, *alla meta*
Non giungi omai? Forse men chiaro il canto
Spiega, forse men dotto è il mio Poeta?

Alterum ejusdem BENINI Epigramma, quum VULPIUS in eo esset, ut Commentarios in PROPERTIUM divulgaret.

Le belle luci rasserena omai,
CINTIA, *e t' assidi al buon* PROPERZIO *a lato,*
Contando i casi del primiero stato,
Seco i pensier partendo, e i giorni gai;

Che 'l VOLPI *i di lui Carmi, onde i suoi guai*
Spesso rammenta, e il tuo bel nome amato,
Rischiara con lo stil ch' altrui fu dato
In questa, e in altre età rado, o non mai.

Or non fia sol di tanta luce adorno
TIBULLO, *o Quegli ond' ir superba e chiara*
VERONA *anzi a mill' altre i fati dienno.*

Però fra i Lauri un seggio a Lui prepara,
U' con la saggia MARGHERITA *un giorno*
Splenda, e sia quarto tra cotanto senno.

Errata nonnulla ita corriget æquus lector.

IN ANNOTATIONIBUS.

Pag. 88. *col.* 1. *lin.* 4. *lege* noo suo
145. *col.* 1. *lin.* 22. *lege* quem
354. *col.* 1. *lin.* *ult.* *lege* nummi
399. *col.* 1. *lin.* 9. *lege* dum anchoræ
430. *col.* 1. *lin.* 1. *lege* nactua
644. *col.* 1. *lin.* 47. *lege* Fereodo
645. *col.* 1. *lin.* 35. *lege* quinqua
657. *col.* 1. *lin.* 5. *lege* MUL.
713. *col.* 1. *lin.* *pen.* *lege* exempla
734. *col.* 2. *lin.* 40. *lege* veretur
735. *col.* 2. *lin.* 13. *lege* jacent
800. *col.* 2. *lin.* 10. *lege* ἰδρὶς
813. *col.* 1. *lin.* 28. *lege* confinxerunt

Pag. 1020. *col.* 2. *lin.* 17. *lege* extra
1124. *col.* 2. *lin.* 4. *lege* Esquiliis
1125. *col.* 1. *lin.* 14. *lege* 19.
1127. *col.* 2. *lin.* 23. *lege* tale
1134. *col.* 2. *lin.* 9. *lege* figuram
1135. *col.* 2. *lin.* 6. *lege* vilioribus
1142. *col.* 1. *lin.* 17. *lege* Polybius

IN INDICE AUCTORUM,

In aliquibus exemplaribus.

Pag. 1257. *col.* 1. *lin.* 56. dele *Priscianus*

In Commentario Joannis Antonii Vulpii ad Catullum

Pag. 297. *col.* 1. *lin.* 19. *dele tria verba Græca.*



PATAVII. CIƆIƆCCLIV.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

DIE VII. DECEMBRIS.